





D. O. M. A.

EXAMEN PHILOSOPHIAE NOVÆ, QVÆ VETERI ABROGANDÆ OPPONITVR:

In quo agitur de modo discendi nouo:
De veterum autoritate:
De Magia Paracelsi ex Crollio:
De Philosophia viuente ex Seuerino per Johannem Hartmannum:
De Philosophia harmonica magica Fraternitatis de Rosea Cruce.

Opera & studio
ANDREÆ LIBAVII PHILOS. ET MED. D.
P. C. HALLI-SAXONIS, ILLVSTRIS GYMNASII CASIMIRIANI APVD COBVRG: DIRECTORIS & Professoris publici.



Impressum Francofurti ad Mœnum
Sumptibus Petri Kopffij.
M. DC. XV.

6. *Scripſit contra* Paracelſum *ante annos circiter quadraginta aut quinquaginta ex profeſſo Medicus & Philoſophus Heidelbergenſis* Thomas Eraſtus, *omniaq; penè paradoxa eius & vanitates confutauit, vocauit dogmata abſurda, impia, pernitioſa, laudatis ſaltem illis quæ in deſtillatoria non inuenit quidē ipſe, ſed tamen illuſtrauit.* Iohannes Crato à Krafftheim *nunquam ſatis laudatus trium Imperatorum Medicus, tenebrarum tempora appellat illa Paracelſica, in quibus tartaream medicinam nouis inuolutam præſtigiis & verborum vanitatibus quidam profiteantur. Iudicat eſſe mores Theſſalicos* (à Theſsalo *quodam qui omnes ante ſe contemſit*) *Plin. lib. 29. c. 1. Eadem ætas Neronis ad Theſſalum tranſiliuit delentem cuncta maiorum placita, & rabie quadam in omnis æui Medicos perorantem; quali prudentia, ingenuoq; æſtimari vel vno argumento abunde poteſt, cum monumento ſuo, quod eſt Appia via,* LATRONICEN *ſe inſcripſerit, &c. quibus ſe ſupra omnem antiquitatem & ſeculi noſtri excellentiam collocent (epiſtol. dedicat: perioches methodicæ Galeni an. 1563.) Idem in epiſt. ad* Eraſtum *anno 1570. de peruerſis curis Paracelſi non contemnenda habet, quibus addit, ab Imperatore* Ferdinando *appellatum fuiſſe* mendacißimũ, & impudentiſsimum impoſtorem: *quod iudiciũ à multis doctiſſimis eſt confirmatum. Non ita pridem an. 1609.* Iacobus Zuingerus *celeberrimus Philoſophus & Medicus Baſilienſis Academiæ Profeſſor ad* Guilielmum Fabriciũ Hildanum *ſcripſit,* Philoſophemata Paracelſi ſua ſententia vel eadē eſse cum Græcis, vel deteriora: Eadem quidem interdum, ſed affectata verborum peregrinitate, vt aliud dicere videatur, immutata: diuerſa vero & peiora, cum falſis opinionibus veritatem obſcurat, & allegoriis alienis nititur, potiſsimumq; fundamento microcoſmi, quaſi in hoc ſint omnia macrocoſmi: quo deſtructo omnia ſuperſtructa collabantur. *Contenti ſimus trium iſtorum clariſſimorum iudicio, & cenſura.*

7. Crollius *quidem & alij Paracelſici obſtrepunt* Eraſto: *ſed vt omnibus factiones Paracelſicæ conſuetum eſt, conuitiis, contumeliis, criminibuſq; magno numero in eum ingeſtis. Quod ſi etiam ratiocinari velint, tantum ea proferunt quæ ex ſua* Magia, Cabala, Aſtrologia, Chiromantia, Chymia, *& aliis, quæ profitentur, & in duo generalia capita diſtinguunt.* Lumen *ſcilicet* naturæ *ex magno & paruo mundo, &* lumen Gratiæ ex reuelatione occulta, *depromunt non iudicata ex principiis immotis, aut in demonſtrabilibus, ſed opinione, & phantaſia de comparatis ſimilibus in* ſphæra mundana vel rota, *in qua omnia harmonicè ſic dicunt congruere, vt vno cognito centro, cætera omnia pateant, & cognoſci poſſint: quo fit vt nullis antiquorum libris ſit opus, ſicut & Paracelſus ipſe ſcribit* ſe intra decennium nullum librum inſpexiſse.

8. *Sed recenſeamus potiſſima ipſorum, quibus tanquam principiis contra Philoſophicos, & Medicos antiquorum libros, & explicationes ſolent vti. Firmiſſimum & quod magno cum ſupercilio obiectant eſt:* Si Phyſicus Medicus debet eruditus eſse ex libro naturæ & gratiæ, ſeu lumine naturæ & reuelationis ſpiritualis; fruſtra petitur doctrina ex ſcriptis Ariſtotelis, Platonis, Galeni, Auicennæ, Plinij, &c. Eſt autem prius. Ergo & poſterius.

Reſponſio. Negatur connexum ob elenchum non ſequentis. Opponimus autem: ſi conſulendum eſt lumen naturæ & gratiæ, ſcripta vetuſtorum non ſunt negligenda. Illud eſt: Et hoc ergo. Ratio connexi eſt, quia quantum lumine naturæ potuit inueſtigari in rebus Phyſicis
Rom. 1. 19. v. 20. *& Medicis, tantum & illi inueſtigârunt, adeo vt ſi* Paulus *concedat* Ethnicos cognouiſſe DEVM ex mundi creatione. *Quo vero argumento oſtendere poſſunt nouitij illi veteribus defuiſſe lumen naturæ, & vnumquemque debere quaſi αὐτοδίδακτον eſſe? De lumine gratiæ Ethnici non quidem tantum cognouerunt quantum Iſraelitica & Chriſtiani: veterum riuuli quidam etiam ad illos profluxerunt, quorum veſtigia in ſcriptis eorum apparent. Poſtquam autem iam in Chriſtianitate vtrumque lumen coniunctum eſt, & Ethnica Philoſophia excuſſa, examinata & illuſtrata principiis diuinarum reuelationum in ſcripturis, iam ſaltem non erant repudianda veterum ſcripta.*

Iudicium de Platone: quod paucis immutatis fieri poſsit Chriſtianus Numenius Moſi, alii Philonis ſapienti Hebræo cōpararunt.

9. *Quod ſi adhuc vrgere velint ſuam αὐτοδιδαξίαν, & cognitionem ex* lumine naturæ & gratiæ, *dicimus eodem argumento & commentationes* Paracelſi, Seuerini, Hermetis, Quercetani, *& ſimilium reijci. Deinde inter tot diſſentaneas opiniones, & diuerſa iudicia quærendum erit* cuius lumen naturæ & gratiæ ſit verum, *& cuius apparens, cum conſtet diabolum ſimulare angelum lucis, & ſpectra veris ſimilia pro veris obijcere, vti fit in ſimilitudinibus, analogiis, & harmoniis Paracelſi: Plato & barbaricam ſapientiam Ægyptiorum cognouerat, & Græcam Homeri & Philoſophorum: at nihilominus verorum ſcientiam conuerſationi corporali adimit, ſicut & autor libr. Sapient. capit. 9. verſ. 15. Tertio perit omnis vis experientiæ, & ſcientificæ conſtitutionis diſciplinarum cum nullius*

hominis

hominis vita & facultas possit tanta esse, vt omnia vnus noscat & experientia confirmet. Quarto, si lumen naturæ pro argumento sufficit, non ea natura assumenda est quæ in diuinis, & humanis lapsu, & maledicto est deprauata, & vanitate subiecta; sed illa quam Adamus innocens habuit, & quam Sancti habebunt in statu perfectionis. Nec est vt supplementum perfectionis ad hoc seculum petas ex lumine gratiæ. Nam in hac vita illud est tantum particulare, inchoatum & imperfectum, vt 1. Cor. 13. Apostolus scribit & res ipsa demonstrat. Carnales affectus lumen mentis adeo obscurant, vt etiam illuminatum vacillet, nedum sibi relictum. Qui etiam lumen gratiæ sibi tribuunt, id mirificè explicant, & assuunt nescio quas reuelationes. Restat ergo vt cum antiquorum scientia nostram coniungamus, omnia probemus; quod bonum esse teneamus.

10. *Secundum argumentum quo fiducialiter gloriantur ex Magiæ præsidiis & Cabalistica & Chiromantia, procedit: sed petit principiũ.* Magia *enim illa quam* Paracelsus, Crollius *& similes profitentur, est illa* impura & diabolica Triteralij, Cornelij Agrippæ, Artephij, Techelli, *& similium. In hac meræ sunt deceptiones, quod ostendunt opera & dogmata: Lege archodoxin Magicam operibus Paracelsi additam: Item de renouatione & mysterijs vermium, de adepta Philosophia, & quæ Magica in Berthonijs habentur, inq; libris de Philosophia sagace, de pestilentia & alijs.* Cabalistica *est lusus vanus, qui in impietatem & monstra opinionum ferè desinit, vti exempla docent in characteristica Iudæorum* Bereschith, *de* mercana, *&c. vbi literæ, & numeri præsertim diuina nomina & sententiæ mirificè distorquentur. Chiromantia tota est coniecturalis, & incertis significationibus nititur, potestq; vna nota tam cõtrarij esse quam proficui. Quod si illæ artes non superstitiosè, sed Theologicè, & Physicè tractentur, nihil nobis inferunt noui, quod ex Paracelsi lumine naturæ sit petendum. Idem enim omnino est apud veteres Theologos, Physicos & Medicos, plerumque in omnibus à Paracelsi opinionibus dissentaneum.*

11. *In Astrologia, & Chymia triumphant, putant enim has duas seu artes, seu scientias ignotas fuisse antiquis Peripateticis, Galenicis, & aliis quos spernunt. Non autem* Philoso*phicam veterum Astrologiã intelligunt, sed eam quam sibi finxit* Paracelsus, *Seuerinus, Hartmannus, Crollius, Tanckius, & alij. Verum si ideo sunt Peripatetici, & Galenici reijciendi, etiam Hermetici sunt, & Hippocratici. Nam ante Isaacum Hollandum, & Basilium Valentinum Monachum nemo proposuit tria vel quatuor, aut alio numero (nondum enim in eo consentiunt Paracelsici) principia seu astra salem, sulphur & Mercurium: ante Paracelsum & Seuerinũ nemo ea ad omnia naturalia applicauit, & ex harmonia vel analogia fictitia de omnibus secundũ principia & elementa pronunciauit: Nemo ex illis Astrologiam microcosmicam petiuit.*

12. *Quantum autem attinet ad veram Astrologiam, eam Peripateticam esse quis nescit? Si siem ea sunt astra microcosmi quæ per Chymiam, quam nouo nomine anatomiam essatam nuncupant, ex mistis eliciuntur, essentialiter extant etiam apud Aristotelem, Auicennam, Mesuen, Galenum, & omnes qui olea, liquores, & sales, seu extracta & balsamos descripserunt, & per infusiones, decoctiones, expressiones, vstiones, salium collectiones, alterationes, aliosque separationum modos essentiam & virtutem transtulerunt, quo etiam nomine magis quærunt commendari Chymici quam antiquitatis? Tantum hoc interest, quod recentiæ ætas in omnibus sit accuratior & lucidior, quanquam non male scripsit quidam de Philosophorum lapide, plerosque nostri temporis non posse facere quod veteres factitarunt, præsertimq;* Paracels*istæ in omnem imposturam sunt procliues, vt etiam vulgi fabula euaserint.*

13. *Aliud* Crollij *argumentum esse videtur, quod ideo* è Philosophia gentili omnis error promanauit, quia nõ cognouit duplex corpus creaturarum, vnum corporeum mortale elementatum, Physicum & visibile ex elementis: alterum astrale sydereum, inuisibile à firmamento & stellis. *Ita enim loquitur pag. 35. Spiritus Olympicus seu homo inuisibilis si ab Aristotele obseruatus & à Galeno æstimatus fuisset, non tam insignem errorem ab Ethnicis errorum magistris promanantem intulisset in* Philosophiam *& Medicinam vt Theologiam taceam, &c. Hæc ille quis: Hermes, & alij antiqui quos trahunt in societatem Chymicam non fuerunt Gentiles. Verum hoc argumentum idem est cum præcedente. Nam per* astrale corpus *nihil aliud accipitur quam essentiæ Chymicæ, quæ triplici specie aut quadruplici ex mistis separantur:* per elementa *nihil aliud quã terra & aqua in quibus nulla est virtus arcana, quam virtutem cum velint ex astris deriuari, secundum quid id concedere possumus, nempe quatenus Deus in creatione cœlestem & elementarem naturam sic cõmiscuit, vt fieret inde* analogos illa Aristotelica & calidum insitum Hippocratis, & Mesuæ forma specifica.

14. *Quod autem hodie in generationibus non amplius nisi secundum quid ex cœlo*

delabantur, ratio est, quia Deus singulis vegetantem vim adeptis indidit suam naturam, per quam simile procreat simile: deinde spiritum diffudit per omnia ad sustentationem: Insuper terra, & aqua matrices generationum, & nutritionum ab antiquo obtinent benedictionem, & ex ea naturam illam cœlo analogam: & cum pluuijs fœcundis nonnihil spiritus mundani descēdit, quod & inspiratione attrahimus. Herbæ certe & mineralia ad sui creationem & naturam nullis stellis habuerunt opus. Terram quidem Deus maledicto & vanitati subiecit Gen 3. v. 17. Rom. 8. 20. vt non nisi culta possit alimenta hominis naturæ congrua proferre: sed non totam benedictionem sublatam esse, ostendit naturæ conseruatio, & relicta propagatio. Quin & mitigatam esse sententiam intercessione filij Dei inde patet, quia post diluuium iterum hominibus Deus benedixit, & sæpe largas fruges dedit, terramq; lac & mel fluentem, idque promisit obedientibus Deut. 28. in primis versibus.

15. Quod autem Priscis Physicis non fuerint omnino ignota ea quæ post à stellis conferuntur rebus nascentibus palam est, ex Arabum scriptis, Aristotele, Hippocrate, & alijs. Plinius, cuius vix nomen sustinent Paracelsici lib. 18. ca. 29. de Virgiliis scribit quod priuatim pertineant ad fructus, vt in quarum exortu æstas incipiat, &c. Item de lacteo circulo ait: Est in cœlo qui vocatur lacteus circulus etiam visu facilis. Huius defluuio velut ex vbere aliquo satu cuncta lactescunt: & paulo post: Effectus aquilæ & caniculæ ad omnes frugeferas pertinent terras. Igitur horum syderum diebus, si purus atque mitis aer genitalem illum lacteumq; succū transmiserit in terras, læta adolescunt sata. Vide & reliqua. Aristoteles vult omnē vim inferiorū à superioribus regi, & ideo continuum esse mundum. De Astrologia quantum cœlum & sydera conferant imis, plene sunt libri gentilium, & vix vlla in parte fuerunt superstitiosiores Chaldæi, Aegyptij & Græci. Ideo & Hippocratici & Galenici præcepta habent Astrologica in morbis, crisibus & alijs. Neq; tamen ideo ignota dicenda sunt, quia astra non sunt appellata, & tribus principiis distincta. Rem ipsam & vim, caussasq; efficientes si sciuerunt, non ignorârunt essatam illam Astrologiam simpliciter.

Timot. 2. Esai. 47. v. 12. 13. Ierem 10. Hipp. de aere, aquis & locis, circa medium: In principio lib. de carnibus. In 4. de morbis vbi de calido & frigido morbifico ex cœlo. In principio lib. de veteri medicina Astrologiam Paracelsi nō fundatam certis principiis reiicit.

16. Porro Crollius etiam sic argumentatur: Intellectualis anima hominis, lux diuina è spiraculo Dei, & diuinis fontibus emanans pertinet ad Philosophiam inuisibilem, cuius fundamentum est Christus. Ergo Christianè & nō Ethnicè in linguis & artibus caducis & temporaneis mortale & caducum æterno præferendo debemus philosophari. Ex quo sequi putat Aristotelis, Plinij, Galeni, & aliorū gentilium scripta è scholis eijcienda esse & Paracelsica commenta Magica, Cabalistica, Astrologica, &c. iuxta adeptam & sagacem (hoc est, diabolicam) Philosophiam, vt vocant, substituenda.

17. Respondemus primum: Dato antecedente, quod minime damus, tamen non est consequens. Neq; enim ex eo sequitur. Non enim si anima hominis est metaphysicæ per se contemplationis, nihil præter metaphysicam docendum est in Philosophia, cuius non id tantum est subiectum, & materia, sed quicquid sapientiæ studio acquiri potest. Deinde par ratio est: Mundus externus aspectabilis, & homo qua sensibus subiacet, pertinet ad Physicam corporum naturalium, & virtutum in corporibus. Physica autem est prima pars Philosophiæ humanæ, declarata plurium gentilium, atque etiam Iudæorum & Christianorum studijs, & libris. Philosophandum ergo gentilium, Iudæorum & Christianorum more, & simul æterna caducis in scholis seculi iungenda.

Actor. 4. 12. 1. Cor. 3. 11. Hebr. 3. v. 1. cap. 12. v. 2.

18. Tertio: si Christianè philosophandum est iuxta fundamentum fidei & autorem Christum, non magicè, cabalisticè, chymicè, astrologicè, chiromanticè, &c. & omninò neque Paracelsicè, neque Crollicè, Hartmannicè, Scheunemannicè, &c. quia in libris de Christo, Propheticis & Apostolicis nihil istarum rerum inuenitur, imo pleraque Paracelsica principiis Scripturarum euerti possunt, cum contra Peripatetica disciplina, exceptis his quæ ad fidem pertinent, omnibus Philosophis extra Ecclesiam ignotam minimum pugnet cum scripturis; ita vt si philosophandum sit cum Christo, peripateticè sit philosophandum; Philosophia nimirum luce Spiritus Sancti in sacris fulgente illuminata. (Nota enim si ratio nostra carnalis non fuerit spiritualiter illuminata, & veritate absoluta; ratio quidem est; at non diuina & vera sed stulta) 1. Corinth. cap. 1. & 2. (σοφοὶ εἶναι φάσκοντες ἐμωράνθησαν. Roman. 1.

19. Prosyllogismo vtimur non longe petito. Tantum enim Crollij admonitoria, & vitalis Philosophia Hartmanni inspiciantur; conferanturque cum sacris literis. Inuenientur principia Paracelsi, Seuerini, Hermetis, impij & Ethnici, Corneliæ Agrippæ, Magi & similium, non Christi. Imo hoc ipsum argumentum Crollij Crollium refutat. Vide p. 46. Crolli & 44. de Cabalistis, magis, nominibus, &c. de verbo Dei incarnato in creaturis: p. 38. de Gabalia: p. 35. de duplici corpore Adami visibili & inuisibili p. 34. de vero Mago. Vbi

hac in

hac in Chriſtianorum teſtamento & confeſſionibus declarationibusq́; ſymbolicis? Vbi Chriſtus, Propheta & Apoſtoli docuerunt, quod anima hominis intelligens ſit lux diuina manans è ſpiraculo Dei & diuinis fontibus, ſeu vt pag. 33 *ſcribit*; quod ſpiritus hominis ab altiſſimo inſpiratus nihil aliud ſit quã Devs in nobis habitans: *Vel vt pag. 31.* Spiritus duos habet homo, vnum ſydereum ex firmamẽto, alterum è ſpiraculo vitæ, qui ſit anima inſpirata, vel corpus hominis inuiſibile?

20. *Pag. 25. ait hominem ex aſtris trahere ſapientiam. Aſtrologice ergo erat Philoſophandum. Illud autem non eſſe Chriſtiane, manifeſtum eſt.* In aſtris firmamenti, inquit, *pag. 37.* latet omnis ſapientia animalis, opificia, artes, ſcientiæ, omniumque rerum cognitio. Cœlo omnia ſunt notiſſima, &c. *Quin ergo non tantum ethnica ſcripta, ſed & Paracelſica abiicimus cum Theologicis, & ex aſtris attrahimus vi magnetis noſtri ſapientiam? Quod cœlo non omnia ſint nota Spiritus Sanctus dicit Ierem. 10. verſ. 2. 3. à ſignis cœli, &c. Eſai. 41. ver. 22. accedant, & enuncient, &c. cap. 47. 12. ſta cum incantatoribus (magicis) tuis. & v. 10. Sapientia & ſcientia tua eiecit te (ea autem longe poſterior eſt Hermetica, atq; adeo ex hac tracta.) v. 13. Saluent te vates cœli ex vnde vero ſapientia? vide Prou. 1. 7. & ſeq. Eſ. 55. v. 1. Matth. 11. 25. c. 7. 7. & ſeq. Luc. 11. 9. & ſeq. Iacobi 1. 6. Nota: Nolunt Paracelſici gentiliter Philoſophandum eſſe. At Crollius hic etiam Ethnicorum ſuperſtitionem de aſtrorum intelligentia aſſerit, quam Plato in Epinomide, Galenus in lib. quod anima mores ſequantur temperamenta; Hippoc, in lib. de carnibus, & alij docuerunt. Verba Galeni:* αὐγὴ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη (ex Hippocrate) τὴν ξηρότητα πάλιν ἀξιῶν εἶναι συνέσεως αἰτίαν. τὸ γὰρ τῆς αὐγῆς ὄνομα τοῦτ' ἐνδείκνυται, καὶ βελτίονά γε δόξαν ταύτην εἶναι νομιστέον ἐννοήσαντας καὶ τοὺς ἀστέρας αὐγοειδεῖς ἅμα καὶ ξηροὺς ὄντας ἄκραν σύνεσιν ἔχειν. εἰ γὰρ μή τις αὐτοῖς τοῦτο ὑπάρχειν φαίη, δόξει τῆς τῶν θεῶν ὑπεροχῆς ἀναίσθητος εἶναι, *&c. Si Crollius hoc Galenicum negat, negare debet & ſua placita, quia nihil aliud habent, & ſi Hipp. Plato, Galenus, &c. reuiuiſcerent, ſubſcriberent illis.* Sap. 9. per totum.

21. *Aliud Argumentum: Paracelſici accuſant Peripateticos & Galenicos quod ſint* elementares Philoſophi, *qui omnia referant ad qualitates elementares, & aſylum ignorantiæ; nihil ſciant de principiis eſſentialibus, in quibus ſcientia & rerum cauſæ fundentur. Hinc Crollius pag. 59. & alibi, paſſimq́;* Seuerinus, Hartmannus *& alij in* Galenum *inuehuntur, quaſi* contrarietatem Hippocraticam ad nudas qualitates ab Hippo. damnatas præcipue accommodet, hucq; reuocet præcipuas curationum ideas errore infelici. *Ibidem explicat* naturam Hippocratis *Paracelſice vt* Seuerinus *de munia, balſamo, &c. Quia vero hæc eadem diſciplina eſt Platonica, Ariſtotelica, Arabica, & omnino omnium poſt Galenum & Ariſtotelem, qui eorum placita ſequuntur, ideo omnes vno calculo damnantur: & noua* Philoſophia, Medicinaq; *Paracelſica commendatur. Sed nos reſpondemus* Paracelſiſtas iſtos non intelligere Ariſtotelica & Galenica, *aut ſi intelligunt, ſtudioſe calumniari:* Hippocratem *autem fraudulenter tractare. Id docet ipſa collatio alibi inſtituta.*

22. *Aliud ex pag. 45.* Verbum Dei vera eſt medicina ſanans omnia. Hoc non omnibus innotuit, nec cuiuis in puluere ſcholaſtico ſubmerſo datum eſt de illo libare, aut ſcribere. Vnicus Paracelſus Moſaicæ & viuẽtis Philoſophiæ diſcipulus verbum incarnatum in creaturis reperit, &c. *Hinc ergo tonant contra Doctores Academicos, quos* Scholaſticos, Thraſones, Athenienſes *& aliter vocant, & colligunt Paracelſice philoſophandum & medicandum eſſe, cæteris omnibus abiectis, cum vnicus tantum Monarcha id inuenerit. Syllogiſmus erit: Si verbum Dei eſt vera medicina, Paracelſica medicamenta aſtralia, ſeu principia ſunt vera medicina. Illud eſt: Et hoc ergo. Ratio connexi: quia principia Paracelſi & aſtra, ſunt verbum Dei incarnatum. Verum connexio cum ſuo proſyllogiſmo vaniſſima eſt. Non quidem omnia damnamus in libris Paracelſi. Pharmaceutica enim multa bona habet: quanquam delirus Crollius putet ex littera Paracelſi, quam mortuam vocat, non patere eius mentem. Sed philoſophia eius nihil eſt niſi mera impoſtura & mendaciorum ſylua ex magna parte, ex maiore tantum adulterina ex ſimilitudinibus coniectura.* Quia ergo falſorum & fortuitorum nulla eſt ſcientia: quocirca fatemur ſcholaſticos illos non poſſe ſcire Paracelſica, *propterea q́; iuſtiſſime reiicere. At non ideo ſpernendi, ſed laudandi erãt: & argumentator ridendus, cui mirum eſt nos neſcire Paracelſica, cum ſint nulli ſcientiæ obnoxia.*

23. *Quod attinet ad* Dei verbum omnia ſanans, *nouimus autorem lib. ſapientiæ aſcribere* ſapientiæ ipſi ſanationem *cap. 10. vt & c. 9. v. 19. & c. 15. v. 12.* neq; herba neq; malagma ſanauit eos, ſed tuus domine ſermo, qui ſanat omnia, *&c. interim nõ excludi naturalia, oſtendit Ezechiæ per ficum ſanatio; & Siracides c. 38. per quindecim verſus. At iſtud* verbũ minime eſt, *quod Crollius vocat incarnatum, quaſi: ſpirituales eſſentias in ele-*

mentis corpus nactas dicas, vt intelligātur Sal, Sulphur, Mercurius. An non est impietas quidam, Sanctissima verba Ioh. 1. accommodare rebus naturæ & artis somniisq; Paracelsicis, atq; ita quasi Deo illudere, & commune facere id quod vni filio Dei congruit? Ecce tibi philosophādi rationem. De Hartmanianis, & Roseæ crucis argumentis alibi actum est. Videamus Tanckiana.

24. Non inuidemus Tanckianæ famæ, nec hominem iam mortuum in bellum reuocamus. Viuit ingenio, & rationibus. Hæ quales sint, considerandum est, ne in errorem amore personæ inducamur. Libenter autem agnoscimus ipsum nec Aristotelem & Physicos alios, nec Galenum cum huius factionis medicis, quantum ad verba, in totum damnasse. Censuram eius ideo examinamus ne videatur Paracelsistis nimium fauere, & alios autores è manibus discentiū excutere. Anno 1610. impressum est promtuarium Alchimiæ primum. In huius præfatione ad Philochymicos ita scribit: Non omnes artes comprehensæ sunt aut descriptæ libro biblico. Hac sententia refutat Crollij phantasian de philosophando Christiane tantum ex fundamento inuisibilis philosophiæ Christo, qui fundamentaliter nullibi cognoscitur nisi ex scriptis & doctrina Prophetarum, Euangelistarum & Apostolorum. Quod si diuinam illam ex fundamento Christo Philosophiam trahit ad magiam Paracelsi, ad Astrologiam, Spagirian, Gabaliam, Cabalisticam, Characteristicam, &c. patet quantum à vero discedat lectis saltem bibliis. Salomon non didicit ex Mose sapientiam, inquit Tanckius, licet Christus inde discere iubeat.

26. Adducit autem hic Lutheri testimonium, qui vocauerit philosophiam Lusum Simiarum, & vult eam non subsistere debere in generali rerum naturalium cognitione vt in organo, Acroamaticis & similibus Aristotelicis. Infra socios Aristotelis Lutherus habet pro puris stultis, qui Lutherus altius introspexit naturam Aristotelicis, sciuit ex cupro fieri aurum, &c. vt refert Tanckius. Hæc si opposuit Peripateticæ disciplinæ, & voluit studiosos ab ea abducere autoritate Lutheri, & logicis catholicis, ignorant Elenchum. Nam Lutherus philosophiam eatenus improbauit, quatenus à sophistis praue immiscetur Theologiæ, quasi par dignitas sit luminis & scripturæ, aut hæc debeat illi cedere, vel inde lumen accipere: quod falsum. Hos quoq; improbat, qui suis temporibus præter Logica, Metaphysica, & similia nihil personabant in suis auditoriis. At longe alia est forma philosophandi studio magnorū virorum, non tam inuenta, quam ex antiquitate repetita. Si philosophia ancilla esse, & se captiuam duci in obedientiam fidei patiatur, laudauit eam Lutherus.

26. Quod etiam attinet eos, qui in catholicis scientiis subsistunt, hi non sunt vsq; adeo reprehendendi, nisi putent omnino & simpliciter id fieri debere. Ratio est: quia dona Spir. S. non sunt eiusdem mensuræ: vni generalia committuntur vel omnia, vel aliqua, vt vnus sit logicus Professor, alius Acroamaticus: aliis specialia, vt Gesnero, Vlyssi Aldrouando, Agricolæ Rentmanno, &c. aliis vtraq;, vt Scaligero, & similibus. Qui plus accepit, non prosequatur odio eum, qui minus; sed gratiam DEI agnoscat, & in distributione talenti DEI consilium probet, Lutherus etiam quærebat, in physicis sic versandum esse, vt accommodarentur ad Theologiam. Verum hoc interpretis munus est, & concionatoris, quod non improbamus.

27. Aristoteles non omnia descripsit, nec omnes eius libri ad nos peruenerunt. Num ergo ex Aristotele non petendum quod est in eo? Fatemur nec omnia scripsisse Aristo. nec omnia scripta eius ad nos peruenisse si de particularibus loquaris. Et quis est omniscius præter Deum? De Salomonis sapientia scriptura testatur. Si libri eius restarent, videremus ne tunc quidem sciuisse omnia. Interim autem non sunt abiicienda ea quibus frui possumus. Ideone Biblia deponenda? Non putamus tamen Tanckium voluisse peripateticam doctrinam hoc argumento labefactare. Si enim Arist. non ipse omnia descripsit, ac habuit successores plurimos, qui sua quoq; contulerunt. Coniungenda, non segreganda sunt quæ explent philosophiam. Adde hoc quoq; ex Aristotelis principiis vniuersalibus siue recta, siue per analogian posse pleraq;, quæ in scholis physice disputantur explicari. Theologiam, Medicinam, Astrologiam & alia discimus ex aliis.

28. Multa ex contemplatione proprietatis naturarum à Philosophis parum sunt curata, vt quæ ἀντιπαθῶς se habent, qualis est plantaginis virtus contra venenum aranei, & ipsa inimicitia inter bestiam vtramq;: Item quæ ratio sit quod vitriolum lumbricos terræ expellat: quæ sit vis specifici purgantis Paracelsi: qua virtute puluis serpentinus resistat veneno anguium, & hominem defendat ne ab eis lædatur. Horum mysteriorum causas veras nemo ex Aristotelis Philosophia & Galeni medicina potest proferre. Quid ergo? Num itaq; damnanda?

29. Non putamus Tanckium hoc voluisse, sed tantum negasse sufficienter de omnibus

non

non posse differi ex principiis istorum. Non enim ex toto reiicit philosophiam Aristot. saltem eo iudice nullus perfectus medicus esse potest, qui non scientiam doctrinæ Hippocraticæ & Galenicæ sit etiam peritus Alchymiæ. Non est manendum apud Aristot. & Galenum quasi in verba magistri tantum iurasses. Itaq; vult magiam naturalem eam quam orientales illi, qui Christo donaria ferebant, sciendam esse. Non putat satis esse dicere: Causa est occulta. *Adducit &* vnguentum armarium, *quasi & huius virtus sit ignota Aristotelicis & Galenicis, cum tamen eam negari nullus possit.*

30. *Sed bonus ille vir nimis delicatus est suorum iudex. Quod enim attinet ad* sympathias & antipathias, *rerum, ea non sunt ignota Peripateticis & Galenicis, vt, exceptis his quæ nouis historiis continentur, pleraq; earum exempla ab Arist. Galeno, & eorum discipulis sint connotata, indeq; in Paracelsiam tracta. Impossibile est singularia omnia connotare. Ex generalibus principiis & exemplis de similiter affectis est iudicandum, & accidẽs ab essentia discernendum. Causas si spectes, spagirici Paracelsici putant* se ad principium peruenisse, *si dicant:* hoc fit propter sulphur, salem mercurium, omnia, aliqua; illud propter elementa: aliud ex astris, ex chiromanticis, magicis, cabalisticis, &c. *Sed si alterius quæras, quæ re fidem faciant sic esse, vti dicunt, hæret aqua, & confugiunt ad similitudines mancas, exempla particularia, suasq; opiniones. Quædam etiam mentiuntur, vt quæ* de armario vnguento,* & ischæmo: *quædam ad* partredros spiritus *referuntur. De his libenter fatemur scientiam nobis nullam esse, quia carent philosophicis principiis, si & sulphur rei causam esse velis, dicendum scientifice est cur sit. Alias æque deficit ac Peripatus, & Galenismus.*

* *Ne hoc inferius ait: vnguentum armarium hodie adeo vulgare est, vt fere quiuis vim eius sciat & videat. Quis autem intelligit causam operationis? Si intelligerent* concordantiam macrocosmi & microcosmi, seu cœli cum inferiori mundo *possent reddere causam miræ huius operationis. At inquam* verba audimus, *probationem nullam. Vnde scis quod illa concordantia sit causa? committitur fallacia non causæ & accidentis. Longe enim aliter fit sanatio quam vi calica.* Debet hoc fieri spiritualiter, *inquis,* quia corporaliter non tangunt. *At inquam neutro modo tangunt; sed alia ratione contigit effectus, isq; nec semper, nec in omnibus: qua de re alibi.*

31. Deus *(inquit)* dat intellectum hunc non omnibus, sed tantum bonis, qui eum rogant. *Bene mi Tancki. Si viueres facile probarem te tuo argumento* nec bonum esse nec rogasse, quia nesciuisti æque causas primas, & immotas ac Galenici, & Peripatetici. *De purgantibus aiunt, quod vis sit in spiritu. Non dissentio. Sed dic cur in spiritu: Cur in succo? Confugis ad astra. Resisto tibi argumento mineralium & plantarum, quæ suam vim ante astra habuerunt. Sed & quid diuersi dixisti ab* Aristotele & aliis Peripateticis, *qui & ipsi cœlo multa tribuunt, sed pariter tecum explicare non possunt? Num vobis ideo credendum, quia dicitis, & sic opinamini? Neutiquam vero.*

32. *Dicitis* eos omnia nosse, qui librum magni & parui mundi habent exploratum, *de qua supra. Hanc notitiam tribuitis* magis vestris, cabalistis, astrologis, spagiris, &c. *Sed probate hoc ipsum. Tam mentiuntur Paracelsi astrologi imo longe impudẽtius, quam vllus Aristotelicus, Galenicus, Arabs, Chaldæus, Aegyptius. Cadit ergo argumentum ab astris, & manet illa particularis notitia apud* Paulum *donec vanitate liberata fuerit creatura.* Si cœlum operatur in plantas, multo magis in mineralia, inquit Tanckius: *Sed vbi principium? Negatur enim connexum. De solis & solsequij familiaritate, de Luna & maris consensu, &c. multa gãniunt Paracelsici, sed Elencho causarum peccant. Vix est ex triuiali schola aliquis quin inuertendum argumentum videat & dicendum, si in mineralia: magis in vegetalia: quæ sunt impressionis capaciora.*

33. *Cur autem* Tancki, *non proposuisti causas illas* infallibiles, immotas, primas, tuorum magicorum *experimẽtorum? cur ex te nihil possumus discere, qui procul dubio magiæ discipulus fuisti? Cur non absoluisti* argentum potabile, aurum potabile, *& alia, si tam conscius eras naturæ, vt* Aristoteli *&* Galeno *auderes dicam inscitiæ scribere? Historias seu veras, seu verisimiles recte vel perperam iudicatas narrare, non est magni in philosophia momenti.*

34. *Negas posse ex* Aristotele videri qua ratione granum tritici sit symbolum resurrectionis corporum nostrorum. *Ego vero credo nos te posse id ex vniuersa tua philosophia dicere, & nisi* vitulas, Christi & Pauli *arasses, tam mutus fuisses quam est piscis.*

Discerne inter mysteria Theologica & Philosophica, & cuiq; principia pete ex sua scientia. Cum vna nascitur barbata, dic, mage, sine errore, & scientifice, quid mysterij habet? Ex comparatione non ex absoluta scientia aliquid dotalibus, idq; varie narrare possumus.

35. *Eam* Magiam *existimas sciuisse* Salomonem. *Video te scribentem istud. Sed*

cur

cur non infallibiliter probas? Quid eſt quod magici eius libri ſunt combuſti? Quare cremati ſunt magici à Chriſtianis in actis Apoſtolicis. Act.19.v.19. quos libros fuiſſe magicos vel magiæ affines Baronius veriſimiliter probat? Num diuina myſteria licuit Vulcano obijcere? Sed ſciuerit Salomon artes magicas, num ideo, quicquid phyſicum eſt, non cadit ſub regulas Peripateticas, & Medicas? Non ſi Simon Magus, Artefius, Tritenius, Paracelſus & ſimiles ſpirituum commercio multa vel egerunt, vel agi poſſe dixerunt, quod nec Ariſtoteles, nec Galenus implicite vel explicite poſuerunt, Ariſtotelis phyſica inutilis eſt, aut Galeni Medicina reprobanda, vel poſtponenda Magiæ Paracelſicæ.

36. Deum nolle vt myſterium ſapientum de aurificio fit commune, probare debebas argumento ſcientifice. Alias, qui bonus eſt, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, item myſterium Euangelicum patefecit liberaliter, non videtur id quod minus eſt hominum commodis inuidere, aut ſubtractum velle. Fama crucis Roſeæ ſua quoq; negat hoc ſeculo digna eſſe. In futura ergo æternitate erimus ſtrenui aurifices, & medici, quando nihil poteſt eſſe quin debeat reuelari. Quicquid ſub ſole eſt in apricum proferat ætas. Matth.10.26. Non curamus nudas aſſertiones. Exigimus principia dictorum immota. Si omnes poſſent aurum facere, fruſtra metueres neſcio quas confuſiones, vt neq; nunc ideo mala eueniunt, quia aer & aqua & ignis & terra communis ſunt vſus. Non ideo periit regnum Salomonis, quia argentum habuit vt lapides 3.Reg.10.27.

37. Putamus inquis, nos omnia deuoraſſe, cum Ariſtotelem quem ſolum iam tractamus, inſpeximus, cum tamen multum nobis deſit, & nos à naturæ ſecretis tam longe abſimus, quam cœlum à terra. Tribuis autem illam facultatem Magis Perſiæ & Ægypti, ad quos Græci ſint profecti. Non refert quid tu putes aut non. Nos Ariſtoteli non plus aſſcribimus quam apud eum inuenimus. Si tua facultas Medica vel Philoſophica ea fuit opinione, cur non ſolum Ariſtotelem profeſſa eſt? Si Græci ab Ægyptiis, & Perſis ſapientiam acquiſiuerunt, cur hos admiraris, illos deprimis? ô Magriam vero ſapientiam Hermetis in Pimandro & Aſclepio; imo Paulo teſte, ſtultitiam. Miſerum iudicium: ſi quis ad Dei prouidentiam refert quædam, Tanckius dicit: Quod natura poteſt, non debet Deo aſcribi immediate, Devs per Fiat naturę curſum ordinauit, Ars autem naturam ſuperat. Multa certe ſunt quæ nec in natura cauſas habent, nec in arte, ſed ſuperioribus motoribus ſunt tribuenda, ſed nec is peccat, qui artis & naturæ effecta Deo ſtatim tribuit, cuiusmodi multa leguntur in ſacris, præſertim Iobo & Pſalmis.

38. Democritum, Pithagoram, & Platonem commendat ab Aegyptiorum magia. At hanc Ariſtoteles melius ſciuit quam quiſquam Paracelſicus. Non itaq; ſi illa fuit Magia, Ariſtotelem Magica arcana latuerunt. Reſpondet autem Paracelſiſtæ ex iſtorum magorum placitis: & collatione cum Ariſtotelicis inſtituta, videbimus cuius rationes ſint meliores, quanquam eius rei ſpecimina apud Ariſt. Plinium & alios non deſint.

39. Illud improuido excidit, quod ſecretiſſimæ iſtius magiæ gnarum faciat Numam Pompilium. At hic gentilis idololatra fuit, diaboliq; cultor, & impiæ magiæ artifex. Hancne magiam & Ariſtotelicis & Galenicis Chriſtianis quis requirit? Pij ſunt, ſi hanc nec diſcere nec exercere volunt. Itaq; & Crollij, Paracelſi, Artephij, Tritemij, Agrippæ, & ſimilium magicam vanitatem cum Deo abominantur. Pythagoram fuiſſe diabolicæ Magiæ addictum, vita eius conuincit. Huius placitis conformis fuit Numæ arcana ſciẽtia: adeo vt Pythagoricus inde ſit æſtimatus, quanqum ætate prior. Si ergo Numæ myſteria fuerunt diabolica, etiam Pythagoræ. Qua fronte poſſunt ſcholis Chriſtianis hæc obtrudi, vt Ariſtotelicis ſuſpenſis, ſint magica Pythagoræ quoq; docenda? Male certe ceſſerunt Tullo Commentarij Numæ de eliciendo Ioue per occulta ſacrificia. Libri iſti poſt inuenti, cum ſeptem eſſent Latini de iure Pontificio, ſeptem Græci de diſciplina ſapientiæ iſtorum temporum, iudicio ſenatus & prætoris publice in comitio ſunt cremati. Temeraria vox eſt Numam mandaſſe Pythagorę libros ſecum ſecum in ſuum ſepulchrum inferri, cum id mendacium apud Liuium dicatur, & à Cicerone refellatur, quod Pythagoras poſt Numam vixerit Cic. in 4. Tuſcul.

Liuius lib. 1. Anno M. 3785.

Liuius li. 10. decad. 4. Mors Numæ an. m. 3293. pythagoras in Italia an. 3457 fuit.

40 Commendantur magiſtri lapidis Philoſophici recte. Sed quid illi aliud proferunt quam Peripatetica fundamenta, vnde & Ariſtoteles poſtea inter ſapientes, & Philoſophos myſticos eſt relatus? Lapidem non diſcimus quidem ex Ariſtotele iuxta methodum artis: at fundamenta in eo eſſe contra Guibertum demonſtrauimus. Quotus autem quiſq; eſt, qui aurificium didicerit ex philoſophorum myſticorum libris? Par defectus eſt in Peripateticis, & Magicis.

41. Iuſtum eſſet ſi principes Philoſophos & medicos non minus iuberent chymicos autores legere, quam Ariſtotelem & Galenum. Inde enim conſtantiorem, & rectiorem Philoſophiam & Medicinam naciſceremur, quæ collatio facta

ctura eſſet ne in corticibus rerum maneremus, *ſed nucleum naturæ adipiſceremur, &c. Non reprehendo conſilium, modo non imperetur* Paracelſica. *Quia vero ſunt in Academiis profeſſores, & ſtudioſi, qui id ſedulo agunt, non opus eſt mandato principum. Si quid mandandum eſt, mandetur vt igni comburantur omnes libri Paracelſi, quibus magiam, Cabalam, & ſimilia diabolica, ſtulta, vana & impia, ineptaq́, deſcribit. Chymia iam ſic illuſtrata eſt, vt Paracelſi ſcriptis non indigeamus.*

42. *Quid autem eſt quod de* cortice *dicitur? Paracelſiſtæ ſibi* nucleum, Ariſtoteli & Galeno corticem tribuunt: *ſed errant. Nam vtriq; & corticem & nucleum ſimul habent, ita vt Deus vtrumq; coniunxit, & natura produxit, & totus mundus in cibis, & medicinis vſurpat, Magiſteria quoq; chymica vtrumq́, elementa ſcilicet & eſſentiam, quæ ab elementis totaliter ſeparari non poteſt, ſeruant. De eſſentiis autem pridem docuerunt Arabes, & ſic Galenicam auxerunt. Secuta eſt poſtea ea elaboratio & experientia, vt omni querelæ anſa ſit præciſa. Voluit Tanckius in ſcholis docendum eſſe de ſulphure, ſale, & mercurio quoq; tanquam de* nucleis. *Bene. At iſtos nucleos neq; Galeno, neq; Ariſtoteli omnino detrahere poſſumus, quãuis tam puros & elaboratos non habuerint. Quod ſi Arabas & recentium operas coniũgas, nihil potes deſiderare.*

43. Veram aſtrologiam, quæ conſiſtat in ſympathia & antipathia ſyderum cœli, & mundi inferioris, quomodo per cœlum omnia efficiantur & procreentur, apud nos extincta eſſe ſcribit. De ea philoſophi noſtrorum temporum minus nihilo ſcire perhibentur: ſaltem Phyſicos & Alchymiſtas ſe in ea exercuiſſe, &c. *Sed prima quæſtio eſt: ſitne iſta vera, & antiqua* Aſtrologia, *quæ ex* Paracelſo, Crollio, Seuerino, &c. *deſcribitur. Longe aliam execuerunt Babylonij, Aegyptij, Græci & Arabes, vti ſcripta eorum teſtantur. Petitur ergo principium ſtatim in initio, dum Aſtrologia vocatur ſegregatoria illa ſpagiria, quæ ad phyſicam pertinet, & medicinam, quanquam magiam, cabalam, & alia vaframenta aſſuant, quibus harmoniam quandam, ſeu ſphæram & rotam ementiuntur pro ſummo tum cum imis conciliatione, non more antiquorum, ſed recentium Paracelſi aſſeclarum.* *Aſtrologia Paracelſica.*

44. *Deinde principia veræ Aſtrologiæ ſunt apud Ariſtotelem in 1. Meteororum, libris de ortu cœlo & generatione animalium: quos cum amplectantur philoſophi, falſum eſt, eos cum medicis minus nihilo de Phyſica illa antiqua cœleſtium cum elementaribus cognatione ſcire. Non autem ſi Stultitias Paracelſicas, Seuerianas, & Crollianas non recipiunt, ſed damnant, ne delirantium hominum ſomnia, Aſtrologiam, Phyſicam Medicam ſi ita eſt nominanda, ignorant. Neq; vero etiam deſunt Philoſophi Peripatetici, qui non damnant Symboliſmos, & Parabolas, ſeu Analogias in ſano ſenſu. Aſſunt, qui & eſſentias inferiorum cum ignibus & calido cœleſti more Hippocratæo componere norunt. Iterum ergo non ignoramus iſtam Aſtrologiam recte intellectam & vſurpatam, non autem Paracelſice declaratam. A Paracelſo hac in re nihil niſi ſtultum eſt & mendax.*

45. Alchymia negligitur, niſi quantum ad cupiditatem diuitiarum: Sine illa vero natura non poteſt cognoſci. Cum itaq; Ariſt. Galenus & reliqui Alchymiam non cognouerint; neque naturam cognouerunt, vt ſic ex illorum ſcriptis nemo poſſit proficere, &c. *Ad hoc pridem reſponſum eſt Elenchum eſſe à dicto ſecundum quid. Etſi enim Alchymiam non ſic ſciuerunt, & excoluerunt vt poſtea eſt methodicè comprehenſa, tamen eius principia habent, & rudimenta multa: deinde non ſic in eorum ſcriptis non inuenitur ars exactè deſcripta, Arabes & reliqui Medici, qui medicinam locupletarunt, deficiunt. Coniunge quod diuidis, & quod conquereris, non habebis. Cur autem tanta ignominia noſtrum ſeculum afficis, in quo Galenici plurimi etiam Alchymiam excoluerunt? Nihil neſcis de Cratone, Geſnero & magno numero alijs: Cur tu non ſupples defectum? Qui pecuniæ cauſſa exercent Alchymiam, qui alij ſunt quam Paracelſiſtæ, qui à ſe parata vendunt, & vt emtores alliciant, ſchedulas argytarum more ſpargunt?*

46. Vera Philoſophia & Alchymia cum medicina quam comprehendit, requirit oculos ſpirituales, qui poſſint in naturam introſpicere, & non tantum terrena luſtrare, ſed quod in qualibet re ſpiritualiter latet, quales oculos habuerunt Hermes, Democritus, Pythagoras, Plato, qui cœleſtibus, vel angelicis oculis viderunt naturam omnibus rebus implantaſſe, & infudiſſe occultam, & ſpiritualem poteſtatem, ſemen, virtutem, vt liberata corporeis impedimentis mira poſſit, quæ non poſſunt expedire Galenicis reſponſionibus de occulta proprietate & temperamento, neque corporeis oculis videri; Exempli gratia: Magnes ferrum attrahit, & ferrum cui aſtrictus fuerit, verſus polum arcticum vertit: allio vnctus vim amittit: ſcorpio eſt ſui vulneris remedium: homo amat aurum familiaritate o-

tate occulta. Ita vinum lætificat, eſtq; familiare homini: aurum argentum viuum aſſumit, & cum eo extenditur ad inaurandum, &c. Hæc ſciunt aurifices, non Ariſtotelici, qui ex Acroamaticis Ariſtotelis non poſſunt reddere iſtorum rationes. *Quid hinc? Num ergo Ariſtotelis philoſophia breuioribus plumis ornanda? Negamus ſequi. Non enim ſi militaris diſciplina non poteſt diſci ex philoſophia Ariſtotelis, ideo hæc eſt ſpernenda. Ridicula ratio eſt: Aurifices in ſua arte ſciunt id quod non Ariſtotelici. Ergo illi habent oculos & mentem illuminatiorem.*

47. *Quantũ attinet ad* Platonem, Democritum, Pythagoram, Hermetem, *falſum eſt eos cæleſtibus & angelicis oculis vidiſſe, niſi diabolos pro angelis accipias, cum fuerint magi improbi, & idolorum cultores, quorum tota ſapientia eſt ſtultitia coram Deo in diuinis. In humanis vero adeo ſcatent vitiis, & abſurditatibus, vt non ab vno fuerint reprehenſi, & in primis Hermetici Dialogi ſint errorum pleni. In Platonis dialogis impiæ Magiæ fundamenta eſſe, & acatalepſiæ pyrrhoniorum tum per ſe patet, tum teſtantur ſcripta Platonicorum, Iamblichi, Procli, Mirandulani, Piſtorij, Marſilij, &c. Vnde vero probatur quod agnouerint ſeminariam in omnibus rebus virtutem? Quicquid ſciuerunt aut per diſciplinam acceperunt, aut ex ſpiritibus Parhedris cognouerunt, aut naturali modo per ſenſum, rationem, & experientiam. Si diſciplinam ſpectes, non cedit illis* Ariſtoteles. *Si* Magiam, *improbi fuerunt: ſi ordinarium modum, longis paſſibus eos poſt ſe relinquit Peripatus, vt res ipſa, & controuerſiæ comprobant.*

48. *Exempla quæ adducuntur non probant id cui probando ſunt adhibita. Nam de* Magnete *Paracelſiſtæ habent opinionem falſiſſimam, attrahi ſcilicet ab eo ferrum propter ferreum ſpiritum, qui in alieno corpore fortius trahat quam in ſuo. Si etiam ſit ſpiritus, quod Peripatetici & Galenici libenter concedunt, dicere debent illi noui philoſophi cur trahat. Num quia ſulphureus? At cur trahit ſulphur? Quia familiare. Cur? An nõ quia craſis talis, & proprietas inexplicabilis? In eodem ergo, imo altiore luto hærent Paracelſici. Quod enim dicitur à cœlo eſſe, probare & hoc tenentur, cum non ideo ſit verũ, quia ipſis videtur.* De allio *falſum dicitur.* De ſcorpio *non poſſunt meliorem rationẽ dare* Paracelſici, *quam Galenici. Vtrobiq;*
„ Sympathia, *& ſimilitudo occultis habet rationes.* Hominem amare aurum, *eſt particu-*
„ *lare & ex accidente. Idem amat & puellas & gloriam, & prædia, aliaq; multa quæ ſibi bona &*
„ *grata putat, idq; ſæpe non per ſe, ſed ex accidente. Ideo & multi aurum contemſerunt, qui ſapiẽ-*
„ *tiæ nomine non parũ claruerunt. Si lapilli valerent in commerciis, aurum, argẽtum & ſimilia*
„ *valde vileſcerent.* Vinum *hominis naturæ ſic familiare eſt, vt etiam venenũ aliquando fiat, ſiue totum præbeas, ſiue eſſentiam eius. An autem hoc ignotum fuit veteribus? An* Paracelſici *non petunt principium, cum ſpiritus vini cauſam eſſe dicunt? Cur enim hic eſt cauſa?* Cœlum *dices. At quæro & de hoc principium. Ita de* auri & argenti viui familiaritate *Galenici melius diſſerere poſſunt* Paracelſicis, *licet Galeno fuerit natura hydrargyri inexplorata.*

49 *Ex ſua impotentia vir ille aliorum æſtimauit potẽtiam. Si recte Acroamata Ariſt. intellexiſſet, ex eis potuiſſet etiam de auri & argenti viui natura diſſerere* φυσικῶς: *ſpecialia potuiſſet ex libris de ortu, & 4. Meteororum, & aliorum* Peripateticorum declarationibus *ſumere. Dicite chymici,* cur amant ſe mutuo aurum & argentum viuum? *An non ideo, quia ſunt eiusdem radicis, & differunt tantum imperfectione & perfectione, ſolutione & coagulatione, coctione & cruditate, ſicut aqua & glacies? cur hoc? An nõ quia craſis & tota natura talis? Qui vero ſunt illi philoſophi Ariſtotelici amicitiam ſeu Sympathiam ignorantes? ex natura particulari cognouerunt, & de* pyrio puluere, & auro fulmineo, *poſſuntq; rationes ex* Ariſtotele *reddere. Ideo vident* Peripatetici *longe acutius quam* Paracelſici, *qui videntur ſibi videre, quod minime vident. Vellet* Paracelſiſta *audire cauſam iſtorum ex Ariſtotelico philoſopho. Sed vos ſcioli, qui Ariſtotele acutiores eſtis, dicite priores.* Crollium *legimus de hoſtilitate Tartarei ſalis, & ammoniaci, ſed non ſatisfacit.*

50. Si ars Chymica non accedit, non omnium rerum cauſæ poſſunt ex Ariſtotelis philoſophia declarari. *Imo, inquam, ne quidem ſi ars chemica accedat, quantum attinet ad ſpeciales, & proprias. De generalibus tantum tenemus, quantum probari poteſt. Vidimus autem* Paracelſiſtarum *de rerum cauſis ſcripta varia. Verum non in omnibus ſapientiam & veritatem inuenimus.*

Sed hæc hactenus.

Finis Prodromi de Philoſophia vitali.

EX



D. O. M. A.

Ex Præfatione Osvvaldi Crollij in suam Basilicam Chymicam

DE COGNITIONE PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ,

PRIMA DISQVISITIO.

SECTIO I.

MEdicum fieri & iudicari scientia Philosophiæ, & astronomiæ, (aliàs Medicina Physica, & Chyrurgica) iuxta Paracelsi placita, arbitratur **Crollius**. Astronomiam vocat ***scientiam superioris globi mundani, qui constat firmamento seu igni,*** (Nam ignis & cœlum Paracelso sunt idem) ***& aere. Philosophiam autem notitiam globi inferioris, ex terra & aqua***, ita vt quatuor illis dictis elementis omnis humana scientia contineatur. Vnde vero acquirenda sit ista scientia, nec ipse secum consentit, nec Paracelsus certus est. Hæc sunt Crolliana: 1. ***Medicus non fit ex libris***, quia eum ***natura instruit***, NON HOMO, & necesse est, eum crescere ex natura, (Hic repudiantur Doctores viri & mortui) Excipit tamen alibi Theologiam, & sacram iustitiam, quæ ex natura nosci non possint. 2. *Modicum necesse est scire inuisibilia hominis interna*, itidem duobus globis, vno astrali, altero terreno distincta. Omne *inuisibile* hominis innotescit ex maioris, seu externi mundi visibilibus. Omne enim in hoc manifestatur. Quocirca omnium latentium in homine notitia est foris petenda ex contemplatione Macrocosmi. 3. *Ex lumine naturæ* oritur: id est: analogia maioris & minoris mundi, tanquam proportio inter Patrem, (maiorem mundum,) & filium, (hominem.) 4. ***Homo est vniuersi centrum***, & mundus absconditus. *Macrocosmus est mundus apertus &c.* Hæc & similia ille magno cum fastu disputat, vt excludat *libros vetustorum*, *Hipp. Galeni, Aristotelis, Auicennæ, &c.* seque opponat disciplinis Academicis & Aacroateriis tam Medicorum quam Philosophorum, à quibus negat disci posse Philosophiam & Medicinam.

Astronomia Crollii. *Philosophia.* *Medicus qui fiat.* *Inuisibilia vnde pateāt* *Analogia duorum mundorum.* *Homo quid?* *Macrocosmus.*

SECTIO II.

NOn opus est ad hæc refutanda prolixa argumentatione. Ipse enim **Crollius** secū & ipse pugnat. Sic enim scribit pag. 26. ***Essentialis intrinseca cognitio non est ex carne & sanguine, nec in multitudine librorum & lectionis, nec in pluralitate experientiæ, & antiquitate dierum, nec in persuasionibus humani verbi, & contentione rationis: sed in ipsa passione diuinorum***; NON IN DISCENDO: ***sed in patiendo diuina hominis mens perficitur, &c.*** Quasi vero quando Enthusiastæ fingunt sibi afflatus spirituales, aut vt in libro ***Arbatel***, reiectis omnibus ordinariis Doctoribus & libris, angelos παρέδρους sibi petunt, id non sit discere. Diabolica suggestio est iste Enthusiasmus. Deinde ***si patiendo*** est acquirenda diuina illa & intrinseca cognitio, etiam discendo. ***Discere enim est pati & mutari quadamtenus.*** Item: si hæc est essentialis & intrinseca scientia, illa quæ ex macrocosmo petitur, non erit ***essentialis***, sed ***accidentalis***, atque ita nec Philosophum, nec Medicum per se constituet, verum ex accidente. Quod si & illa inuisibilium hominis per visibilia mundi externi cognitio est essentialis, patet falsam esse ***Enthusiasticam*** informationem. Verum non hoc tantum est: mox ***notitiæ omnis primordium non petit foris, siue à Deo, siue ex mundi magni contemplatione, sed ex homine ipso, idque Cornelii Agrippæ***. Magi istius improbi sententia. Ita enim scribit: ***Homo in se habet, vnde Deum & seipsum cognoscat. Itaque Agrippa pie & docte differit, veram viam ad veram sapientiam, perpetuamque beatitudinem consequendam esse, si te ipsum cognoueris, &c.*** Si ex ipso homine vera sapientia nascitur, quam prius dixit Philosophiam & Astronomiam, non erit vera sapientia, aut non petenda foris. Rursus apertius sibi contradicit pag. 25. ***Homo sydereus sapientiam & artes trahit ex firmamento. Firmamentum est lumen naturæ, quod homini omnia naturaliter influit. Nam spiritus sydereus hominis à radiis superiorum syderum*** OMNES ARTES, ***scientias, facultates omnes, omnemq; sapientiam attrahit, &c.*** Hoc quidem est foris ex creatura petere sapientiā, sed non per ***analogiam maioris & minoris mundi***, quæ nihil aliud est, quam rationum vtriusque quo-

Scientia nō ex discendo, sed patiēdo. *Scientia omnis principium ex homine.* *Sapientia omnis ex astris firmamenti.*

Scientia ex gratia & naturæ lumine. Homo omnia intelligit.

dammodo iam noti collatio. Aliter pag. 13. *Medicus naſci debet è lumine Gratiæ & naturæ ab interno, & in viſibili homine. Interno angelo, luce naturæ, quæ inſtar Doctoris hominem inſtruit.* Item: *In homine eſt omnium rerum naturarumq́ vera & realis poſſeſsio, & creatoris* PERFECTA *imago. Ideo oportet omnium rerum & naturarum ipſiusq́ creatoris cognitionum à ſeipſo primum exordiri. Homo intelligens ſeipſum, in ſeipſo intelligit omnia, quia ſumus ex omnibus, & omnia in nobis portamus, &c.* Hic putes notitiam illam ſui neceſſariam quidem eſſe, ſed peti debere foris à Deo, ex aſtris, ex mundi magni contemplatione, niſi diceret PRIMVM, & niſi progreſſum faceret ex nobis domeſticis ad alia, quæ ſunt extra nos. Hinc autem conſequens eſt externa ex his, quœ in homine ſunt, æſtimare debere, & non contra, vti volunt Paracelſiſtæ. Adde iſtis Paracelſica hæc quoque, quod *homo ſapientiam acceperit à ſerpente Paradiſi*, iuxta *Ophitarum* dogma, & hodie quoque alibi ſerpentis medicamine aſſumto eum fieri poſſe ſapientem: & quod Paracelſus documenta petat *à ſagis, carnificibus ambubaiis, peregrinationibus, diabolo quoque ipſo, &c. Specula conſtellata* parare idem iubet, in quorum vno videantur omnia cogitata, in altero omnia facta, in tertio omnia ſcripta. Similes nugæ de nummis conſtellatis translatæ ſunt ex Agrippa, Trithemio, & aliis Magis. Techelli artem ſophiam quam laudat? Artephii magiam habes apud Cardanum. Liber Artabel petit ſpiritus informatores. An hoc non eſt diſcere? Quid ſcirent omnes Paracelſiſtæ, ſi non fuiſſent primi ſapientes, & eorum libri, ſcholæ, & Academiæ? *Crollius* pagina vigeſima octaua etiam hoc ponit: *Omnis vera Philoſophia cum reliquis facultatibus ſacris literis fundari debet.* Hæc monſtroſa à ſe mutuo euertentia, cum proponant Philoſophiæ huius Profeſſores, ſtatim patet, quid de iis ſentiendum.

Externa æſtimanda ex nobis inſitis.

SECTIO III.

QVocirca falſum fundamentum toti Paracelſiæ ſubſtratum eſſe inde iudicamus, & ex conſequente non poſſe verum eſſe, quicquid imponitur. Hoc ſolo cadit omne id, quod contra Medicos, Phyſicos, & Philoſophos ordinarios Academiarum & Rerumpublicarum clamant, abitque Monarchia Paracelſi in inane commentum. Principia ſuæ notitiæ hauſerunt ex ſcholis vſitatis. Poſtquam iam videntur ſibi aliqui eſſe, noua petunt, vel potius ſibi ſomniant fundamenta, eaque tam incerta, vt quid ſtatuendum ſit, ignorent. Volunt alios diſcere eo modo, quo ipſi nunquam didicerunt. Quæ iſta eſt vanitas? Nos ſcimus verum eſſe, quod *omnis vera ſapientia ſit à Patre luminum*, qui etiam in prima creatione eam homini infudit, & poſtea eum ſæpe immediate quidem circa res diuinas, & alia nonnulla erudiit: ſed placuit poſt lapſum non ſemper immediate docere. Ideo inſtituit ordinarium modum, quo filii ex parentibus diſcerent, & iuniores à maiorib. indocti à doctis, vti teſtantur omnes mundi hiſtoriæ, & gentium conſenſus. Id fit vel traditione præſente, vel orali inſtitutione, ſicut in catechetica diſciplina: vel per monumenta potiſſimum libros, literis partim hieroglyphicis, partim popularibus conſcriptos, qui & autoritatem ex diuino mandato habent. Interim perceptis per doctrinam initiis non negligenda eſt naturæ contemplatio. Nam & in hac ſunt rerum abſtruſarum, & notitia digniſſimarum documenta, quibus etiam ex parte firmatur id, quod maiores noſtri nobis reliquerunt ratione & experientia conſtitutum. Itaque *& natura liber nobis eſt & ſcriptura.* Vtrobique vero iuniores indigent informatione maiorum ſapientia & peritia pollentium. Eſt enim procliuis lapſus à veritate in opinionem, & à ſapientia eſſentiali ad eam, quæ videtur eſſe ſapientia, eſt autem deceptio & ſophiſtica. Accedit quod iuniores ob imperitiam, & aſſentiendi, tum leuitatem, tum temeritatem, à ſophiſtis facile ſeducantur, quodq; Sathanas ſimulans angelum lucis, & apoſtolos ſuos paſſim diſtribuens, mendaciis veritatē opprimere ſatagat, quod manifeſtum eſt tot ſectis ſacrorum & profanorum, quin & vaticiniis antiquorum, & experientia oculari que intuitione, adeo vt quo prouectiore ætate eſt mundus, eo certaminum ſit maior copia. In Medicina certe & ſcientiis Philoſophicis nonne Paracelſia illuſtre eſt falſitatis monumentum. Si non vtendum eſt Doctoribus & libris, quorſum ſcribunt Paracelſici, & volunt nos ſententiis *Paracelſici*, quem plus quam Hyperbolice non minus quam vane laudat *Crollius* mendacio euidentiſſimo, aſtipulari, abiectaque Galenica Medicina Paracelſicam profiteri? Non fruſtra artes, & ſcientiæ per axiomata ſcientifica, & methodum vniuerſalem conſtitutæ, & deſcriptæ: & ſi officinæ & opificum tabernæ coguntur, vti præceptoria ſeu magiſtrali informatione, iſta quæ difficilima ſunt, permittentur cuiuſque ex mundo externo ſecundum ſuam Phantaſiam æſtimationi? Si quot capita tot ſenſus ſunt abolito ordinario diſcendi modo, quanta orietur confuſio? Tolle magiſtros & libros, & ſine vnumquemq; ꝑ ſe philoſophari, bellam habebis Philoſophiā. Eſt autem hoc ipſum ex diaboli conatibus vnus, vt omnem diſcendi ordinem aut aboleat, aut peruertat, ipſeque regnet ex ſententia. Conficiunt quoque ſe Paracelſici mutuis conflictibus. Neq; enim omnibus placet idem. *Paracelſus* Lullium & alios Chymicos ſe antiquiores exploſerat. *Crollius* *Lullium* mirifice commendat, verum *in re manifeſta non opus eſt verbis pluribus*, quando hoc quoque certum, quod vix vllus ſit Paracelſiſta, qui *Paracelſum* ſine interprete intelligat; ne quid de neceſſariis linguis, quæ ſine diſciplina non conſtant, dicamus. Crollius ſane negat eius mentem ex ſcripta litera, quam mortuam vocat, patere, quaſi oracula fudiſſet; imo vt impietatibus, ſtultitiis, & abſurdis ab ipſo in chartas congeſtis poſſint inuenire tegumentum, ideo myſteria ei aſſcribunt.

Liber Pauli Eremitæ.

Paracelſia deceptionum Sophiſticarū chaos.

SECTIO IV.

Menſura

ARiſtoteles in 10. metaph. textu 3. de menſura ſcribit, quod *præterquam quod ſit per quam quantum cognoſcitur, etiam in aliis, vtpote generaliter dicatur, id quo primo vnumquodque cognoſcitur,*

vt ſit

vt sit principium quoddam vnum, cui nec addendum, nec adimendum, semper homogeneum, vnde & scientia, sensusq; dicatur rerum mensura, quia per ea aliquid cognoscimus. Protagoras hominum voluit esse mensuram cunctorum, quasi sentientem & scientem diceret, quod scientia & sensus sint mensura ὑποκειμένων. Hæc diuersimode accipiuntur. Duplex per naturam homini inest notitia, seu noscendi facultas, vna *sensualis*, altera *intellectualis*: Illa noscimus singularia, quæ sunt in materia; hæc vniuersalia à materia abstracta, vt ideas & phantasmata à sensibus accepta. Sensibus errantibus, necesse est, & intellectum errare, fierique non *veritatem*, sed *opinionem*. Quod si putant Paracelsistæ suum intellectum, & sensum esse mensuras, ita vt res tales & sint & iudicandæ, appellandæque sint, vti ipsorum sensibus, & intellectu occurrunt, & non vti eæ sunt iudicatæ à Doctoribus, vel interpretibus naturæ, tum viuis, tum mortuis, cauere nobis debent de erroribus circa suos sensus, & probare, quod absolute sint infallibiles. *Adamo* quidem Deus hoc concessit, vt nomina rebus imponeret secundum suam scientiam, & sensum, quod tunc esset integris viribus, & regeretur præsidio diuino: At Paracelso hoc tribuere non possumus, quem si sequimur facilius in Pyrrhoniorum, Scepticorũ, Heracliti, Platonis, & similium factiones incidemus, qui sic mensuram rerum hominem esse voluerunt, vt *verum esset, quod cuiq; videretur*, cumque hinc sequerentur *tot scientiæ, quot capita*, omnia tandem in incertum abierunt. Sed & Platonici mutabilitate materiali conspecta, omnem fidem sensibus detraxerunt, dederuntque *nouæ Academiæ* occasionem statuendi *nihil esse comprehensi*. Paracelsici sane ista Crolliana noscendi ratione huc delapsi sunt, vt videantur omnia pene in omnibus quærere, & per similitudinem infinitam copiam omnem scientiam ad incertum redigere, ipsique in suis magisteriis, essentiis & principiis singularibus mirifice varient. Si ea quæ sunt in homine, hæc esse & æstimanda, & dicenda sunt, quorum similitudo inuenitur in maiore mundo, impossibile est scientiam hominis esse certam, & sic ne scientiam quidem esse posse. Non enim scire est cognoscere rem ex hoc illo externo comparabili aliquo modo, sed ex causis initis, propriis, & immotis, quæ causæ definitionibus & principiis scientificis, ratione & experientia spectatis, iudicioque & sensu sapientum, quibus Spiritus sanctus peculiare id donum est largitum, (neque enim omnibus idem concessum est, nec omnes possunt de rebus in se, vel extra se recte iudicare) comprobatis comprehenduntur.

Paracelsistæ putant res tales esse, quales ab ipsis cẽsentur.

Sectio V.

ATqui obiicit liber *Arbatel*, & ex eo Paracelsici tantam esse discordiam inter Doctorum sententias, & libros antiquos, nouosque, vt vbi acquiescas, non inuenias, atque ita proficere ex illis nequeas ad sapiendum. Quod non posuit Aristoteles, id refutat alius, & semper sequentes conuellunt antecedentium placita. Deinde negant causam esse sciendi benignitatem & consummatam à veteribus: Relictum quid esse etiam vltimo mundo, qui quia senectutis vitio ab integritate prioris valde discesserit, inde fieri, vt veterum annotata labascant. In nouis morbis, nouaque constitutione noua quærenda esse principia medica, nouaque remedia, quæ non ex libris priscorum, sed ex præsentis mundi natura innotescant, & quas alias splendidas rationes solent comminisci. His respondemus primum illud Pauli 1. Cor. 11. v. 19. *Oportet hæreses inter vos esse, vt qui probati sint, manifesti fiant in vobis.* Si in sacris non desunt controuersiæ, neque tamen his efficitur, vt succumbat veritas, sed magis magisque probetur vt aurum igni: neque in Philosophicis defore, & defuisse, putandum est, neque ideo oppressam esse, aut opprimi veritatem, sed magis enitere. Turpe est, stationem suam deserere, ingruente hoste. Turpe ergo & medicam, physicamque veritatem à suis professoribus destitui sophistica gliscente, Dissentiunt inter se Doctores & libri: at hic dissensus ex collatione vtilis est ad lumen veri agnoscendum. Verum constans est, & vero consentaneum: *Omne adulterinum varium & mutabile.* Sunt autem certæ quædam bene iudicandi normæ, de quibus in sequentibus. Non si aliorum iudicia contemseris, id quod tu iudicas, verum efficitur. Non si Paracelsus omnes ante se repudiauit, & libros eorum abiecit, ipsius placita sunt tanquam vera recipienda. Non si videtur sibi ex lumine naturæ maioris mundi Magia, Cabala, Chymia, Astrologia, &c. fundamenta petere, ea quæ petit, sunt fundamenta. Quæ vero causa est, si priscorum placita non amplius apud nos valent, vt Paracelsistæ *Hippocratis* doctrinam, scripta *Hermetis* & aliorum commendent, & inde tam res, quam vocabula emendicent? Cui ex *Auicenna, Aristotele, Galeno*, & aliis de variis dogmatibus differunt, atque etiam terminos eorum, item medicinas simplices & compositas magna ex parte seruant? An quod *Rhabarbarum* & similia apud priscos purgarunt, apud nos id non faciunt? Nutrimentane confortantia, alexipharmaca, venena alia habemus? Mutata est natura secundum quid, at non ita vt nos alium solem, alias herbas, & reliqua habeamus quam prisci. Herbis & pane viuimus: vescimur lacte, caseo, carne, vt Noæ posteri. Si prisci vniuersale illud chymicum habuerunt ad vitam longam, an apud nos non facit ad eandem? Similia similibus seruari, simile gigni à simili, contrarium contrario, non qualitatibus tantum, sed & modo artes per se, vel per accidens tolli, an nouum est? Non quidem denegata nobis est nouorum inueniendorum facultas, cum inexhausta sit natura: ad id non tollit priscorum laudabilia, & constantia inuenta. Paracelsici expectant *Heliam artistam*, qui omnia sit in lucem protracturus. Id intelligunt de obscuris antiquorum traditionibus, præsertim in Philosophia lapidis. Si adeo immutatus mundus est, vt antiqua non amplius valeant, quorsum ille *Helias* manifestator? Sordidum & pudendum χηνοφύγετον est, quod de mundi mutatione, vt oporteat ideo nouas scientias, & artes comminisci, proferunt. Morbi noui secundum quid noui sunt. Quid Ecclesiastes cap. 1.? *Quid est quod fuit*, inquit, *ipsum quod futurum est. Quid est quod factũ est? ipsum quod fiet. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in*

Num varietas scriptorũ faciat, vt omnes libri sint reiiciendi.

Cõtrouersiæ ad syncerius iudicium faciunt, non sunt causa abiectionis librorum.

ſeculis ante nos, &c. Vulgare eſt: *Nihil poteſt dici, quod non dictum ſit prius.* Paracelſiſne plus fidei eſt quam *Salomoni*, & ſententiis publicis? Ariſt.in 1.meteo.c.3. Non ſemel neque bis, neque raro dicimus eaſdem opiniones reuerti factas in hominibus, ſed infinitis. Erant ergo ante Paracelſum eadem figmenta. Quam fabulam diabolus ante ipſum egit per alios, eum repoſuit per Paracelſum, vt nihil noui excogitauerit. Ignorantia noſtra facit, vt putemus, nouum morbum eſſe, qui tamen non eſt nouus. Non eſt tanti Gallica lues, morbus Vngaricus & ſimiles, vt oporteat medicinæ principia immutare. Fuerunt olim iſti morbi, & iam ſanantur iuxta præcepta medicinæ priſcæ, quæ noua remediorum præparatione minime abolentur, vt taceamus chymica repeti à multa vetuſtate, neque noua eſſe ad nouos morbos remedia.

SECTIO VI.

Diſcendum eſſe ordinario modo vbi non ſunt ſingulares reuelationes & infuſiones gratia.

QVod ſi ergo dicendum eſt priſco & ordinario, totiq; mundo vſitato modo, qui certus poſſit eſſe diſcipulus, id quod diſcit eſſe verum? Non aliter diſcendum eſſe ipſi Paracelſiſtæ ſuo exemplo docent. Quis enim ex illis non didicit literas ab aliquo præceptore ſeu publico, ſeu priuato? Quotus quiſque eſt qui ſibi non venetur titulos vtriuſq; doctoræ ex priuilegiis Academicis? Quos enim bullatos vocant, ii nomine ſunt non re, & lege Doctores, ſæpeque fiunt tales pro nummis; quibus non tollitur aſinus. Cum etiam gloriantur de ſuis peregrinationibus, & colloquiis cum variis artificibus, an hoc non eſt diſcere ab hominibus? Ad certitudinem quod attinet, vnde ſcis litteraturam tuam eſſe certam, inde pete etiam reliquarum artium & ſcientiarum certitudinem. Scis ex præceptis longo vſu ſtabilitis, & iterum vſu comprobatis, ſcis iudicio & conſenſu ſapientum. Vt ſcire poſſis, DEVS te naturæ bono ditauit. Diſce Dialecticam ſynceram, quæ eſt & inueniendi & iudicandi regula. A Deo poſtula Sapientiam, & luminis naturæ illuminationem. Auſculta ſapientes, eorũq; placita confer cum placitis aliorum, & rebus ipſis. Habes librum naturæ perpetuo eiuſdẽ, & ſibi per ſe conformis. Diſce accidentia ab eſſentiis per ſe diſcernere. Inſpice librum Scripturæ, in quo inuenis & multa de creatura recte iudicanda. Hoc & Crollius pag.28.agnoſcit, cum ſcribit: *Omnis vera Philoſophia cum reliquis facultatibus ſacris literis fundari debet.* Si conſecutus es principia vtilium artium, ex eis per demonſtrationem infallibilem iuxta rationis vſum legitimum deduc concluſiones; & apparentia, falſaque confer cum neceſſariis & veris. Inde patefiat veritas. Qui noſtro tempore diſcit, is eo compendioſius ad ſcientiam peruenit, quam primi homines. Iam enim inuenta habet & conſtituta principia, quæ non ſunt temere conuellenda, ſed niſi à ſacris redarguantur, & euidentioribus, acceptanda. Immediate erudiri per infuſiones diuinas, & viſiones Propheticas, non eſt niſi certarum perſonarum. Qui Deum tentant ordinario modo reiecto, incidunt in magicas diaboli inſidias, aut ſuis opinionibus ſeducuntur. Vulgo ſolent proponi κριτήρια quædam vniuerſalia, vt, notitia principiorum partim inſita, partim acquiſita, demonſtratio ex principiis, ſenſus communis, experientia publica: ſapientum idem de eodem ratione eiuſdem iudicium.

Ad hæc claues quædam requiruntur, vt linguæ ſapientũ intellectus, interpretatio Doctorũ, collatio, illuminatio ſpiritus, exercitatio crebra, quæ parit habitum, & vt ante dictum eſt, poſt gratiam diuinam Dialectica, Rhetorica, Grammatica. In ſacris noſti à DEI mandatis, & verbo non eſſe diſcedendum, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram. Veritas enim Verbum Dei, principium eſt. Analogiæ fidei quicquid conſentit, id rectum eſt: quod diſſentit, reprobum. Veni ergo iam ad phyſicam, & medicinam Ariſtotelis, Platonis, Hipp. Auicennæ, Galeni, &c. Dubitatio ſeu admiratio omnibus cauſa fuit Philoſophandi in humanis. Vtere prædictis κριτηρίοις, & eſſentialia ſepara ab accidentibus. Inuenies quidem aliqua falſa & adulterina, ſed quæ ſunt ſcientiis intrinſeca, ea omnino vera deprehendes. Cogita etiam, ſi tu tibi naturæ externæ notitiam tribuis, hanc ipſam illis non defuiſſe, licet tuus modus differat, ſed tu te ſenſatum & intelligentem iudicas, etiam ipſis ſenſus, & intellectum fuiſſe cogita. Non vis tua placita conculcari, tametſi non ita ſpectata vt eorum. Quorſum vetera velis ſpernere? Quid ſi labor ſit ea intelligere, & tu erres in interpretando? Sane aut eadem cum priſcis ſunt Paracelſica, tantumque modo traditionis, & præparationis diſcrepantia, aut accidentalia, aut falſa.

Vide Platonem in Philebo Hippia maiore, Timæo, &c de priſca. Hip. de vet. med. de nat hom. de carnibus 1. de diæta, de arte, &c.

SECTIO VII.

Crollius diſcipulus Paracelſi, & P. Seuerini, & ſic hominũ

VEniamus iam ad ſpecialiorem quorundam circa eam opinionem conſiderationem. Scibilia macrocoſmi *Crollius* diuidit autore *Seuerino Dano*, (didicit enim & ipſe ex HOMINE: quo iure: videre debuit) in res *ſuperioris & inferioris globi*, & eis vult reſpondere duos alios in microcoſmo, cuius eſt externa illa cognoſcere, indeque tanquam ex ſpeculo in ſe reuerti, & ſua interiora inuiſibilia contemplari. Defenſor eſt *Panſpermiæ Anaxagoreæ contra Ariſtotelem*, quaſi verum ſit *omnium ſemina eſſe in omnibus*, (contra iſtud Phyſicum apud Ariſtotelem libro ſecundo de anima, capite quarto, textu trigeſimo quarto. *Naturaliſſimum eſt operum, quæ in viuentibus perfectis vniuocis, facere aliud quale ipſum, ſeu ſimile ſibi, quanquam interim nihil prohibeat* materiam primam *Platonis* eſſe *Pandochæon* quoddam, quod potentia eſt omnia in natura, &c. 3. de anima, capite quinto, textu decimoſeptimo.) proculdubio agere voluit etiam Patronum *Hermetis Triſmegiſti*, quem non veritus eſt Chriſtianis quoque aliquibus anteferre,

ferre, & *Empedoclis*. *Simile ſemper à ſuo ſimili cognoſcitur*, inquit *Pimander* Dial. X I. & *Empedocles* apud Ariſtotelem libro primo de anima, textu vigeſimo quinto, ex elementis conficit omnia, *terramque terra cognoſci, aquam aqua*, hoc eſt, inferiorem globum macrocoſmi, inferiore microcoſmi) *æthere ætherem, igne ignem, concordiam concordia, diſcordiam diſcordia*, (ſuperiorem globum ſuperiore) *ſimile ſimili*, vt eſt text. 76. primi de anima, cuius refutationem habes eiuſdem lib. text. 79.) affirmat. Si hæc fuit mens *Crollij* ex *Pimandro* & *Empedocle*, ab hominibus didicit, non autem ex natura macrocoſmi. Dicere poſſunt ſic eſſe, ſed qua ſenſibili demonſtratione, aut ſaltem logica ex principiis immotis? Vſitatæ ſunt Paracelſicis *principiorum petitiones, & hypotheſium incertarum fictiones*: ſed fidem non inueniunt apud ſapientes rerum æſtimatores. Sit alia ſententia, nempe: *animam nec ſe, nec corpus ſuum ex ſeipſa cognoſcere quidem: habere tamen quandam facultatem, quæ fieri poſſit omnia*, vt Ariſtoteles de intellectu diſputat. Quando ergo per ſenſus externos, tanquam per feneſtras animæ, inſinuant ſe imagines ſuperiorum, & inferiorum, phantaſmata motiua intellectus excitabunt quidem, ſed non docebunt in homine eſſe externis vel eadem, vel ſimilia. Nam quælibet ſpecies nihil amplius per ſe indicare poterit, qua ipſa eſt, & vt in rebus externis eſt. An autem in homine ſit idem vel ſimile quid, non poterit oſtendere, niſi, vt dictum eſt, *Pimandri* & *Empedoclis* opinionem recipiamus. Dicunt id Paracelſici: ſed fide Paracelſi ſine principio. Mirum vero ſit, hominem non poſſe cognoſcere, ſe eſſe, & ſentire, & pati, & intelligere, aliaque facere, niſi prius id ex maiore mundo didicerit: Et quod ad medicinam attinet, hominem neſcire ægrotetne an ſanus ſit, quoque laboret morbo, & vt alatur, &c. niſi prius inſtructus ſit ex macrocoſmo. Quis talia portenta auſit literis ſpargere, niſi delirus?

Paracelſiſtæ aut fingunt, aut petunt principia in ſuis doctrinis.

Homo ſe primum noſſe debet, & ſic de externis ſtatuere, non contra.

SECTIO IIX.

NVm autem recte ſuperiore macrocoſmi globo firmamentum, ſeu ignis, inferiore terra, & aqua comprehenduntur? Sic volunt Paracelſici. At quo principio? Quibus globis microcoſmicis id cognouerunt? Fatuis. Ita ratiocinandum erat: *In homine cœlum & ſpiritus ſunt vnus globus. Ergo & in mundo.* At hæc erat præpoſtera ratio. Notitia enim noſtri ex nobis oritetur, non ex macrocoſmo. Si ex hoc iudicandum eſt, faſa eſt diſtributio. Nam in maiore mundo ſuperior globus eſt cœlum tantum, quod lunæ loco finitur: Inferior eſt totum ſublunare. Taceo quod aſpectus & menſura mathematica euidentiam rei oſtendat: illud dico recte globos diſtingui perpetuo, & generali: ſeu cœleſtibus naturis, & elementaribus. Docet idem Chymia, quæ quintas eſſentias ab elementis ſegregat naturis & virtute. *Ariſtoteles* adiecit etiam *Regens*, & *rectum cœlum regens eſt*; *elementaria reguntur*: cœlum influere ſentimus; aërem & ſyſtœcha accipere influxum: illud formale magis eſt, hæc materialia, &c. omnino plura ſunt argumenta, quibus idem demonſtratur, eſtque per ſe abſurdum, ſi aer eſt ſuperioris globi pars, in eo exceptis piſcibus & mineralibus ſolidorum locorum, verſari omnia corruptibilia.

Seueriana paradoxa ex mera phantaſia & comparationib. ſpuriis.

Sacræ literæ aliquando cœli voce & illum deſignant, ſed tropo. Philoſophum oportet naturas ſcientifice diſtinguere. *Plato* aërem nec ſuperiori, nec inferiori globo aſſcripſit, ſed vinculum vtriuſque extremi poſuit. *Iob.* vigeſimo ſexto capite, verſu ſeptimo ſcribit, DEVM *extendiſſe Aquilonem*, id eſt, *cœlum ſuper vacuum, id eſt, aerem*, qui & à Poetis & priſcis Phyſicis magnum inane vocatur.

Aliud cœlum eſt, in quo ſtellæ; aliud aër ſub cœlo elementis corruptibilibus adeo affinis, vt & naſcatur ex aqua, & in aquam coagulet. Veruntamen videtur *Crollius* aliquo argumento præter *Seuerini* opinionem vſus. Nam quæ *Meteora* in aëre fiunt, ea modo *fructus cœli* dicuntur, modo *excrementa*, (aluntur enim ſtellæ, & alimenti reliquias in aërem, tanquam in cloacam, effundunt iudice *Paracelſo*, qui id non didicit ex maiore mundo, ſed ex minore ſumtum maiori applicauit.)

Oportet autem fructus iungi ſuis plantis, niſi forte vel ſponte cadant, vel vi decutiantur, & alium locum petant. Ergo aer eſt pars ſuperioris globi. Falſum eſt & principium rationis, & complexio. Nititur dubia ſimilitudine. & arbitraria accommodatione. Res ipſa docet in Chymia, & extra Chymiam iſta meteora eſſe coagulationes ſublimationum inferioris globi, idemque fieri conſtat in microcoſmo ſecundum analogiam, vt deſtillationes ſeu catarrhi in hominibus indicant, quos & ipſe *Ariſtoteles* externis comparauit.

2. de part. an. 7. cap.

SECTIO IX.

AT operam fortaſſe ludimus. Paracelſici enim inſtar *Vertumni* in mille rerum vultus ſe tranſmutare poſſunt, ne capiantur. Non globi illi mundani, & corpora ſenſibus obuia ab illis intelliguntur, vti quidam volunt. Verba eorum ſunt *Magicocabaliſtica*. Itaque inuiſibiles ſphæræ viſibilibus tanquam ciſtis & capſis incluſæ debebant accipi ex fudamento *Panſpermiæ Anaxagoreæ* vel *Platonici chaos*. Aſtra enim omnia ſunt in omnibus, vt & Crollio placuit, ſunt arcana, tincturæ, ſemina, cœlum philoſophicum cum affixis ſtellis lulliones, ignes æterni, &c. qualia in Chymicis laboratoriis & vaſis præparantur, & ex elementis externis eliciuntur.

 Cum

Cum his aſtris ſpiritus aëreus eſt. Item globum ſuperiorem macrocoſmi oportet nos ad ſenſum magicum accipere. Hinc poſtea conſequens eſt, in microcoſmo eſſe eadem aſtra, eundemque aërem, nempe non Solem, Lunam, & alia corporalia per eſſentiam creationis mundanæ, ſed per magiam, & Cabaliſticas ſimilitudines. Itaque quæ in magno mundo per artiſtam ex triplici familia mineralium, vegetalium, & animalium, imo & elementalium extrahuntur, ea indicant in homine ſimiliter exiſtentia, atque ita notitia medicinæ & naturæ humanæ naſcitur ex externo mundo. Hinc *Aſtronomia* dicitur ea ſcientia, quæ circa aſtra verſatur, non quomodo eam *Ptolemeus*, *Copernicus*, & alii tractarunt, ſed quomodo *Hermes Chymicus*. Illa localis eſt & plebeia; hæc magica & arcana. *Seuerinus* cap.10. Ideæ. Aſtra & ſpiritus ſunt, in quibus corporum dimenſiones & diſtantiæ non inueniuntur. Ita dicuntur ſcientiæ omnium partium hominis, quæ in mechanicis ſpiritibus, prima materia, balſamo vitali, tincturis deliteſcant· Hippocraticus & Ariſtotelicus diceret ſpiritus in humore & primigenio, indeque facultates cuique parti proprias adminiſtrat, &c. Sed oportet proprium cuiuſque calorem & ſpiritum. qui in potentia eſt, generali ex corde influente actuari. Alias opus non peragitur materia præſente. Sic Seuerinus firmamentum, id eſt, ignem & calorem vitalem) & aerem, (ſpiritum vitalem,) quæ ſuperiori globo aſcribuntur, (pro medio. Sol enim medius Planetarum eſt, & cor medium inter formales poteſtates) pulſum, & reſpirationem efficere. Spiritus enim externo aëre purificatur, & cum calore vi cordis & arteriarum pulſifica diſtribuitur in vniuerſum corpus. *Philoſophia* dicitur, quæ circa globum inferiorem eſt, aquam & terram, tanquam materialiorem partem eſſentiarum chymicarum, qualia ſunt *magiſteria*, *& extracta* rudia. Sit, inquam, ita: at mirabile eſt, cur *Crollius* velit inuiſibilia hominis eſſe manifeſta in macrocoſmo, vt ſit à manifeſtis ad immanifeſta ſcientifica progreſſio. Quomodo etiam nobis obiicit cœlum aſpectabile, & ignes cœleſtes, ſeu firmamentum cum ſtellis, vti eſt à Deo conditum, ſi oportet *cœlum quærere apud infernum* quoque, & in inferiore globo, quod omnia in omnibus exiſtant? Præterea iſta *Magia & Caballa* nihil eſt aliud, quam *Rhetorica* & *Poetica tropologia*, nata ex comparatis logicis per qualeſcunque ſimilitudines, quo modo poſſum Deum in hominem transformare, & hominem in Deum, permutareque beſtialia rationalibus, & alia mirifica plus quam *Ouidiana metamorphoſi* producere. Id autem ludere eſt, aut ſophiſticari, non docere demonſtratiue. *Cabala iſta mendacium eſt & vanitas.* Non enim res offert vti ſunt, ſed vti comparantur cum aliis qualicunque modo externo. Ita non poſſumus ſcire, quid in re ſit: foris enim circa imagines fallaces occupantur. An non hæc ſit præclara notitia, digna vt anteferatur omnium veterum & recentiorum ſapientiæ? *Aſtronomiam* communem facere aeri, item eſt mirificum commentum. Siue aſtra mundana intelliguntur, ſiue Chymica Magica, Caballiſtica, & alia περιτίσματα, ſcientia aſtrorum circa aërem non eſt, niſi & aër ſit aſtrum. Deinde imbecillitas iudicii eſt *Aſtronomiam Philoſophiæ opponere,* cum & illa Philoſophiæ complexu teneatur, ſitq; ſub ea, vt ſpecies ſub genere. Quantæ vero iuſtitiæ eſt *Philoſophiam* terræ & aquis excluſo cœlo & aere alligare? *Lullius* hoc non patitur, neque *Vlſtadius* de cœlo Philoſophorum. Quid dicet *Paracelſus* de Philoſophia adepta & ſagace? Quæ diuiniora ſunt, magis ſunt Philoſophiæ, quam quæ minus. Inde *prima Philoſophia* circa res diuinas γνῶσις τῶν θείων πραγμάτων dicitur, nec *Magia* nec *Cabala* aliud requirũt, & qui *Hermeticam lapidis* profitentur, nolunt terris & aquis immergi, niſi forte cœleſtibus, ſed animam, ſpiritus & corpus in ſua tinctura conſiderant, omniaque habent abſtruſa in triunitate Cabaliſtica & Magica. Si ſpectamus Chymica, *Philoſopho attribuuntur maxime eſſentiæ quintæ, tincturæ, aſtra, principia hypoſtatica, iubetque Meſues à Philoſophis iſta diſcere, non à Geomantis, aut hydromantis.* Inde *oleum Philoſophorum* etiam in officinas Galenicas eſt illatũ. Debuit *Crollius* hîc ſaltem cautior fuiſſe. Sinamus Philoſophos eſſe etiam Ethicos, Mathematicos, Phyſicos, & nominis imponendi ius ita firmatum autoritate veterum, & tot controuerſiis inter Philoſophos & Theologos, miſtoſque agnoſcamus, vt ab eo decedere nefas ſit, cum & nouarum litium id poſſit eſſe fundamentum, & turbare totum ſtudiorum curſum.

Sectio X.

Diſcendi ratio Crolliana

Sed relictis illis paulo acutius inſpiciamus in axioma Crollianum *de diſcendi, cognoſcendiq; modo. Quicquid inuiſibile* (inquit) *in homine latet, hoc in anatomia viſibili totius vniuerſi manifeſtatur. Natura microcoſmica in microcoſmo eſt inuiſibilis: In magni mundi viſibili anatomia omnia manifeſtantur.* Hæc & ſimilia ille ex ſuo Seuerino. Mirabile paradoxum eſt, ſi conſideres ea, quæ de ignorantia noſtra & plurimis latentibus in ſacris literis legimus, vt Eccleſiaſtici 42.℣.22.cap.43.℣.34.35.36. Eccleſiaſtæ 7.℣.31.& cap,8.℣.17. Iob.26.℣.14. quibus aſtipulantur ſapientum Philoſophorum confeſſiones; & *Paulus* 1.Cor.12.℣.9.10.12. nobis *ænigmaticam notitiam*, imperfectamque & puerilem tribuit. *Plato* in ſpecu ſuum omnes detrudit, qui non nudam veritatem ſecundum ideas immateriatas æternaſque in Cœli dorſo contemplantur. Putat autem *oculos noſtros ad verum ita ſe habere, vt veſpertilionum ad clarum ſolis lumen*, corpuſque prægrauare animum, ita vt *philoſophaturum oporteat mortuis ſimilem fieri*, quanquam nonnihil illuminationis tribuat ſuæ *Dialecticæ*, quæ cœnum barbaricum ab oculis mentis detergere queat. Optandum eſſet, ita ſe rem habere, vt glorientur Paracelſici, qui videntur ſtatim labaſcere. Nam nullus adhuc extitit, qui ex maioris mundi anatomia poſſit dicere ſine dubio & errore, quid ſit occultatum in ſcriptis Paracelſi, nedum in ipſo. Sed rem ipſam videamus.. De conformitate hominis & mundi externi ita ſcribit *Crollius: Conueniunt*

Paracelſici nugantur verbis: rerũ euidentia deficiunt.

" *non forma externa, aut corporali ſubſtantia, ſed omnibus viribus & virtutibus. In eſſentia & interna forma*
" *plane vnum & idem ſunt: forma ſaltem externa diſcernit mundum & hominem.* Item: *In homine eſt omnium*
" *rerum naturarumque vera & realis poſſeſſio, & ipſius inſuper creatoris peculiaris perfectaque imago.* Pag.30.

Magnus mundus cum paruo per omnia vnus inſtar prolis cum parente ſuo. Pagin.31. In homine omnia ſunt comprehenſa,& ipſe fert omnia in ſe. Homo eſt, qua ſi terra ſeu ager omnia ſemina in ſe continens. Pag.34. Omnia externa nihil aliud ſunt, quam corpus hominis. Hæc & ſimilia multa ille, quæ videntur inania verba eſſe, & principio carere, præſertim quæ de ***perfecta imagine creatoris*** dicit, quam certum eſt in ***Adam*** peccante eſſe amiſſam. Quod autem putat ideo iſta ſic ſe habere, quia ***maior mundus*** eſt ***parens, minor filius,*** & oporteat alterum alteri accommodare; vel quia veteres ideo ***hominem minorem mundum*** dixerint, quia ſit maioris quaſi compendium, & maior ſe habeat, vt ſpeculum, in quo ſe homo contemplari poſſit, totum eſt inane, & vi arguendi caret. Gentilitii *cœlum patrem, terram matrem* hominis vocarunt, vnde & ***terrigenæ***: ſed æquiuoca illa appellatio eſt, & ex particulari, obſcuraque ſimilitudine nata, nec ſi maior mundus generaſſet hominem, conſequens foret in illo eſſentialiter eſſe omnia, quæ in homine, cum ſæpe filii degenerent à natura parentum. Deus hominis creator primus eſt: homo poſtea duplicis ſexus hominem ſui ſimilem ad imaginem ſuam progenuit. ***Nulla propior & interior hominis contemplatio poteſt eſſe, quã ex homine & Deo***, ſiquidem ad eum ſtatum reductus fuerit: ex quo excidit. Hoc itaque primo argumento refutatur Crolliana Paracelſia, quod ſcilicet tam facile reiiciatur, quam facile eſt prolata, quia caret principio immobili. ***Secundo***: Si ***maioris mundi plurima*** latent, præſuppoſito quod omnia in maiore & minore mundo inſint ſecundum eſſentiam internam eadem: neceſſe eſt etiam in homine plurima non poſſe cognoſci, & ex conſequente falſum eſſe, quod omnia inuiſibilia hominis manifeſtentur in ſpeculo maiori mundo. ***Prius eſt iuxta dicta & ſcripturæ***, & ſapientum cum ipſa experientia. ***Et poſterius ergo.*** Tertio: ***Obſcura ſimilitudo*** minime poteſt exprimere rerum naturam & eſſentiam. Mundus externus hominis obſcuram ſaltem habet ſimilitudinem & picturam. Quarto: ***Si multa, eaq; ſpecifica ſunt in homine, quæ in nulla alia creatura inueniuntur, non omnia extra hominem in maiore mundo manifeſtari poſſunt.*** Illud eſt, quod ſola rationis & orationis facultas comprobat, ne quid dicam de aliis facultatibus functionibus, membris, propriis ſpecificiſque, quæ hanc ſpeciem ab omnibus aliis ſingulariter ſeparant. *Et hoc ergo.* *Quinto*: ***Cum non ſint numero aut ſpecie idem mundus maior & minor***, ſed tantum genere vago, & valde laxo, imo verior conſideratio, affectioque ſit integri, & membri, qua generis, & ſpeciei; ***Eſt autem in ſpecie plus, quam in genere***, & quæ membri ſunt ſingularia, ea non ſunt omnia totius; iterum patet vanam eſſe iſtius opinionis aſſertionem. ***Sexto:*** quæ in mundo maiore ſunt, omnia illi inſunt ſecundum naturam, ſi quidem accidente non turbantur. At inuiſibilia hominis non eodem ſemper ſunt ſtatu. Ambigua itaque & incerta erit notitia ex collatione. Idem ſequitur ex multitudine eorum, quæ in externo mundo aliquam ſimilitudinem cum humanis habent, & tamen naturis inter ſe ſunt diuerſiſſimis: Præterea ipſa comparatio eſt rationis noſtræ, & non naturæ, quæque vnus paria aut ſimilia arbitratur eſſe, ea alius imparia & diſſimilia. ***Si vſque adeo foret euidens iſta cognitio & manifeſtatio, veteres Hermetici & Philoſophi alii pridem eam explicaſſent***, nec Paracelſi aut Seuerini ingenium expectaſſent. ***At à ſcrutatoribus naturæ acerrimis adeo non eſt agnita***, vt etiam reiecta ſit, vt patet in ſchola Platonis, qui ne ab Ægyptiis quidem potuit aliquid certi conſequi, eſtque ante dictum, ***Paracelſiſtas*** iſtos inter ſe non eſſe ὁμοψήφους, nec ſibi ipſis conſtantes. Hæc ad theſin ipſam examinemus & verba theſeos. ***Inuiſibilia*** homini tribuuntur, eaque non ſecundum accidentia, ſed eſſentiam. Iam inuiſibilis eſt ***natura animæ***, alterius partis eſſentialis hominis, quæ in conſpectum non prodit niſi operibus. Inuiſibiles quoque ſunt in eodem *ſpiritus*, proxima animæ inſtrumenta: Inuiſibilia facultatum primordia. Cui enim perſpecta eſt eſſentia chylificationis ventriculi, αἱματοποιήσεως iecoris, & aliorum membrorum proprias ſuas facultates & functiones habentium? Sunt ***ſimilares*** partes, ſunt ***organicæ***: omnes adeo mirabiliter fabræfactæ, vt homini in hac vita earum rationes ſint inſcrutabiles. In qua maioris mũdi parte iſta manifeſtantur, & ſenſibus fiunt obuia? In nulla. ***Beſtiis*** ineſt ſimile quid, & rudimentum vegetantis ſentientiſque poteſtatis. At ſimile non eſt idem. ***Beſtia non niſi beſtialiter ſentit & afficitur: homo humane.*** Itaque & in homine ex cibo fit humanus ſanguis, caro, os, &c. non beſtialis. Quid Quid ergo intelligendum per inuiſibilia? Primum, quæ ad ingenium & mores pertinent. Hic enim *artem ſignatam & phyſiognomiam* quandam habent, qua ſimilitudines venantur, & inde colligunt identitates, vt videre eſt apud ***Ioh Bapt. Portam, Quercetanum, Crollium, Paracelſum***: Imo & Philoſophi Peripatetici & ***Chiromantæ*** ea in re deſudarunt: ſed ſtabile quid & certum nemo eſt conſecutus. Accerſunt & *Magiam & Aſtronomiam*: ſed neque hinc quicquam eſt demonſtrati, faciuntque tot mendacia, vt in Prouerbium abierit diuinatio. ***Ex homine potius quid ſit in homine, diſcendum eſt***, quod & ***Paulus*** dicebat 1.Cor.2.v.11. ***Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?*** Crollio placebat τὸ γνῶθι σεαυτόν, quod ***Socrates*** de anima explicabat, quæ actum reflexum in ſeipſam habet, & non aliunde ſumet ſui eſſentialem notitiam, velut ex lapide, boue, &c. Deinde inuiſibilia hominis volunt eſſe ***ſpiritus*** & ***principia***; Item *ſemina, tincturas, aſtra, ſcientias* facultatum, ***prædeſtinationes***, & quæ alia monſtra vocum ex catachreſi Grammatica mutuantur. Vbi vero hæc patent in maiore mundo, vt certo poſſint ſtatuere eandem eſſentiam in homine eſſe? ***Deus naturam***, (inquit Crollius) ***ſuo digito ſublunaribus, præcipueque metallis impreßit.*** Dicit hoc iſte, ſed non probat, eſtque falſum primum ſublunaribus impreſſam eſſe, cum non paruam partem & cœlum habeat; Deinde metallis eſſe inſitam. Hominis plantalium, & beſtiarum naturæ longe ſunt & nobiliores, & euidentiores. ***Mineralia*** enim ***elementis ſunt proxima***, atque adeo interiecta inter rudia corpora, & vegetabilia. Quomodo poſſint eſſe naturæ præcipua exemplaria, aut ſubiecta? ſed eſto: ex quo metallo quæſo patent hominum ***ſpiritus inuiſibiles***, & ſeu tria, ſeu quatuor principia? Ex quo ſemina, tincturæ, & alia? ***Balſamo***, inquit iterum ***Crollius***, ***omnium actionum in natura principium acceptum referimus.*** Non quidem quid Paracelſiſtæ referant, curamus, ſed tamen

Crollio ſapiſſime homo internus & verus eſt inuiſibilis ſpiritus, qui eſt alterum hominis corpus ex ſyderibus ortum, &c. Vide pag 35. præfationis. Eſt autem Paracelſi deliramentum. Inuiſibilia Crollii.

men in quo metallo est balsamus talis, vt sensum, motum, rationemque humanam præstare? Profer tua sulphura, sales, mercurios, & spiritus metallicos. Videbimus quam actionem homines sint procuratura. *Paracelsus homunculum* suum ex semine hominis fabricat non ex metallorum balsamo. Sed nimium indulgemus otio, si velimus illa vesana pluribus persequi. Si in homine sunt semina frugifera, vt *Seuerinus* ad nauseam vsque inculcat, ex fructibus humanis potius iudicandum, de his quæ insunt, quam ex metallis, & aliis externis numero infinitis.

Porro si circumspicias omnia externi mundi, & quæras, vbinam appareant illa naturæ microcosmicæ inuisibilia, multa quidem videris aliquid similitudinis habentia: sed vt similia indices, primum ex teipso est. Quo modo enim tibi similia esse quædam dicere possis, si teipsum ignores? *Adamus Euam* sibi similem agnoscebat: bestias omnes dissimiles. At illa agnitio oriebatur ex ipso. Deinde *Adamus* quidem id potuit: de nobis idem promittere non possumus, qui ob labefactata notitiæ instrumenta valde sumus impotes, & tam dissimile apprehendimus, quam simile. *Crollius* nobis proponit *Anatomiam* quandam *essatam* seu *formalem*. Localem & materialem hominis parui momenti esse iudicat, quia & variis sit obuia, & ridicule, & stulte iudicant Paracelsistæ, cum Lanius secare quidem possit, & vt vacca aliqua videre, sed non ita vt Medicus, naturæ studiosus peritusque scrutatur, qui vna cultrum & aciem mentis peritiæque adhibet. *Anatomia chymica* probatur, qua mistum secatur in elementa & essentias, seu principia tria, vel quatuor. Sed fundamentum excutiamus. *Seuerinus in homine quæret semina, quæ & astra & spiritus* &c. dicuntur; deinde *Elementa*, tertio *principia*. Nascimur enim ex semine vno, quatuor elementis, sale, sulphure, & Mercurio. Deinde omnia in omnibus esse tradunt.

Anatomia localis spreta à Paracelsicis.

Anatomia chymica.

Primordia hominis.

Neque enim cor est id, quod Anatomici cor vocant, sed vbicunque est calor vitæ procurator: *ventriculus*, *matrix*, *cerebrum*, & alia non sunt illa vulgaria: sed omnis cauitas, in qua fit concoctio est ventriculus, omnis locus, in quo est semen alicuius fructus naturalis, vel præternaturalis, est matrix, & sic de cæteris. Hæc debent perspecta esse in natura visibili maioris mundi anatomice dissecti. At vanissima est ratio. Nihil enim tale in tota Alchymia, quæ Anatomiam administrat, apparet. Monstretur illud semen, ex quo nascitur homo extra hominem, vel pars hominis, aut functio, aut morbus, & similia.

Cor. Ventriculi.

Dicis cum homo febre laborat, eius essentia est inuisibilis. Itaque discenda est ex maiore mundo. Ibi inuenitur halinitrum, quod accensum similiter strepit, bullit, fumat, &c. Sed vnde quæso tu scis febri ista adesse? Num quia vidisti in maiore mundo? Non, sed quia in re. Deinde non idem est id, quod halinitrum patitur, cum eo, quod homo in febre: Et sunt multa similium motuum, quæ te possunt decipere. Non si tu iudicas simile quid fieri, id simpliciter est iudicatum, aut idem: vti nec febres omnes eum motum habent, quem incensum halinitrum, nec satis est ad naturam ex solo flagrationis modo argumentum capere.

Febris ex halinitro hominis.

Quæres, num in homine sint *Sulphur*, *Mercurius*, *Sal & Spiritus*. Respondeo esse, quia hæc in resolutione mineralium, plantaliumque inueniuntur, & Magicum Cabalisticumque axioma est, *ea esse in homine, quæ in maiore mundo, qui est parens & nutritor hominis. Quibus nascimur & constamus, iisdem nutrimur, & contra.* Sed prima notitia est ex homine. Quia enim hominis corpus artificiose resolutum ista exhibet, ideo statuimus ex iisdem esse compositum. Hîc habes eadem: at iudicium ex externis tantum tibi simile quid monstrat. Ex nutrimento identitatem colligere non potes, quia transmutatur, & ex non simili eodemque fit simile, & idem in suis membris.

Sulphur in homine.

Tu quoque dicis, *omnia inesse omnibus*, iuxta *πανσπερμίαν Anaxagoræ*. Quî ergo potes demonstratiue concludere? Semina si insunt, id non ex peregrinis seminibus colligendum est, quasi homo ex planta sit iudicandus vniuoce & essentialiter, licet vegetatiua respondeat, & initio viuat vitam stirpium, vt ARISTOTELES dicebat; sed ex fructibus, aut procreatione, existentibusque ex semine primum, & vniuersum sumitur iudicium. Alias de *Idiosyncrasiis* quid respondebis? *Magnes* trahit ferrum spiritu sulphureo ferri spiritui proportionato. Est in homine attractrix facultas. Hanc non didicisti primum ex Magnete externo, sed ex actione interna existente vi principii interni: Deinde comparasti cum externo magnete, & huius nomen accommodasti ad facultatem potentiamque insitam, & conclusisti eodem spiritu sulphureo peragi, quo attractio externa.

Magnes.

Verum tua argumentatio vacillat. *Neque enim simile est idem*, & talia quæ sunt, vt in simili, vel pari comparari possint, plures habere causas possunt. Est *Spiritus naturæ*, qui attractrici hominis præest; sed non idem spiritui Magnetis. Cur autem non comparas naturæ factum externis attractionibus violentes? Est enim *tractio* ex motibus violentis. Quod ad elementa, qualitates & humores attinet, ea sordent Paracelsistis, & tamen maxime sunt euidentia in mundo externo, adeo vt in animalibus, seu bestiis eadem specie vniuoca, vel æquiuoca inuenias, in plantis tam similia, vt inde aliqui *succum vitalem plantarum sanguinem* dixerint. Ita serositas & phlegma in ipsis agnoscitur vt à Paracelsistis.

Ex istis humorib. alimentariis corpus nostrũ crescit, & conseruatur. Id fit per simile determinatum. Quod *sensus & ratio, perpetuaq; experientia docent cur negas?* Quod analogia magis respõdet, & in in-

in indiuiduis eiuſdem ſpecici perpetuo inuenitur, ſicque iudicatum eſt à ſapientibus ſacris & profanis, quò auſu incertiſſimis ſymboliſmis poſtponis? Ita argumentor: *Quod anatomia mundana, quam integerrime abſque naturæ propriæ corruptione manifeſtat, id in homine eſt inuiſibiliter. Atqui anatomia mundana ſynceriſsime adminiſtrata manifeſtat nobis elementa, & eorum qualitates*: manifeſtat & analogia quædam minime ſpuria differentes *ſpiritus & humores*, probo: Siue enim ſpectes chymicam reſolutionem, extractus liquor partim phlegmaticus, partim ſeroſus, partim ſubſtantificus elicitur ex vegetabilibus, & animalibus quam ſynceriſſime. Sin autem *anatomiam materialem*, in plantis ſanguineæ maſſæ adeo ſimilem inuenis humorem, vt & exprimi poſſit, & ex vulneratis elici, & nomen idem apud ſapientes obtineat: In beſtiis vero, quæ ſunt pars maioris mundi, præſertim perfectioribus, & ſanguineis, etiam proxima cognatione humores ſunt iidem. De *elementis & qualitatibus* res eſt liquida. De *ſpiritibus* ſenſus, motuſque, & naturalium functionum procuratoribus, nullum eſt dubium. Sed & quod attinet ad *calorem natiuum, humidum primogenitum, & ſpiritum in ſeminibus & ſolidis membris ſimilaribus*, pridem eſt res confeſſa, & tam à Peripateticis Phyſicis, quam Medicis ante natos Paracelſiſtas explicata. Concludo ergo hæc ipſa in homine eſſe, vt & *Hippocrates* docuit.

Humorum, qualitatum, & elementorum demonſtratio.

Addo & hoc: *Si ea inſint homini, quæ cum per ſe ſint inuiſibilia, manifeſtantur à maiore mundo reſoluto, multo magis ea inerunt, quæ per ſe patent ſenſibus, vt qualitates, humores, membra ſimilaria, diſsimilaria &c.* Stultum eſt relictis ſenſibus, & argumentis per ſe naturæ certitudinem foris per obliquas, & adulterinas rationes petere. Domeſtica argumenta euidentiora ſunt externis. Mira quoque rationis impotentia eſt de homine totius mundi compendio, tantum ex *generabili & corruptibili* parte iudicare. Aſcendite *in cœlum*, Paracelſiſtæ, & *anatomia veſtra* etiam illud excutite: quod dum nondum facitis, aut facere poteſtis, imperfecta, & manca eſt veſtra opinatio.

Sectio XI.

CVm amplius inquirimus de iſtius paradoxi principiis & fundamentis, (videtur enim potius ſomniantis & ebrii Paracelſi figmentum, aut deceptio ſpiritus magici arbatetici eſſe, quam ſanæ mentis decretum) occurrit nobis LVMEN NATVRÆ. *Crollius* putat, *eam vim eſſe luminis naturæ, quaſi totus mundus vſq; ad Paracelſum lumine naturæ caruerit*, nec potuerit videre id, quod iſte. Fuerunt Chymici pene ab omni æuo, (Paracelſiſtæ etiam Adamum faciunt chymicum) ſolertiſſimi. *Vſque ad apoſtaſiam Paracelſi nullus fuit quin ſimul agnouerit elementa, qualitates, humoresq; & complexiones in homine*, cum cæteris quæ in Phyſicorum & Medicorum commentariis proponuntur. Vtuntur illi quidem & aliis terminis, veluti cum *extracta* appellant *formas* ex materia ſeparatas. Item in magno magiſterio *ſpiritum, animam, corpus*, & innumera alia, quæ in vniuerſitate rerum occurrunt, nominant: ſed iſta omnia *non per eſſentiam, ſed tropum vſurpant*, ſicut & hyeroglyphici, apologi, poëtæ, &c. Id erat eis *lumen naturæ*, cui ſacrarum literarum periti iunxerunt *lumen gratiæ*, ex codice creationis mundi. Non potuerunt inuenire Paracelſica iſta; etiam cum in metallis *ſulphur, argentum viuum, & ſalem* reperirent. Quodnam ergo & quale eſt *Lumen naturæ Crollii*? Pag. 14. ſcribit: *Naturæ lumen nihil aliud eſt, quam illius mundi viſibilis cum corpore microcoſmico diuina quædam analogia.* Erras *Crolli* Lumen naturæ, qua homo aliquid cognoſcit, quod ante latebat, non extra hominem quærendum eſt, ſed in homine duplici facultate noſcendi, *ſenſus & intellectus* prædito. Illa analogia eſt poſterius quoddam, quod oritur ex magni & maioris mundi inter ſe collatorum, per iudicium hominis naturalis, habitudine. Quid enim eſt *analogia*, quam rationum conuenientia? Rationes ſunt in rebus, & cognoſci debent per ſe prius, quam conuenientia ſtatuat. Non autem omnis analogia par eſt, aut ſimilis, multo minus analogia idem concludit. Non enim ſi proportio eadem eſt inter 2. & 4. 6. & 12. res ipſæ ſunt eædem, aut numeri. Hic eſt pudor Paracelſicus. Nec aliud. pag. 25. *Firmamentum eſt lumen naturæ, quod homini omnia naturaliter influit. Nam ſpiritus ſydereus hominis à radiis ſuperiorum ſyderum omnes artes, ſcientias, facultates omnes omnemque ſapientiam attrahit.* Hoc ibi. Firmamentum in ſacris eſt id cœlum, quod aquas ſuperiores ab inferioribus arcet. Id per ſe caret lumine, tanto minus hominem illuminat. In firmamentum illatæ ſunt ſtellæ, & luminaria. Hæc illuminant medium vſque ad terram, & aquas inferiores. Lumen intellectus conferre nulli poſſunt. Qui id dicunt, fallunt & falluntur, principioque ſcientifico deſtituuntur: *Primus autor ſapientiæ Deus eſt*, qui *Adamo* eam contulit immediate, poſteris plæriſque mediate per ordinarium modum inuentionis, & diſciplinæ. Falſum commentum eſt *ſydereum hominis firmamentum*, (ita vocant calorem & ſpiritum, &c.) *attrahere artes*, ſcientiaſque ex firmamento externo, cum in eo nullæ ſint artes, & ſcientiæ. Ideo & *Prometheus* fingitur eas ex officina *Mineruæ & Vulcani* tranſtuliſſe, non ex ſole rapuiſſe. Veteres *Logicam* ſeu *Dialecticam* omnis rationis officium complexam lumen naturæ vocarunt. Ei Peripatetici iunxerunt ſenſus.

Lumen naturæ priuatû Paracelſiſtarum (non n. eſt publicum.)

Crollii lumẽ naturæ.

Analogiâ.

Aliud lumẽ naturæ Crollij.

Firmamentum.

Dialecticâ lumen naturæ.

Hoc lumine vtimur naturaliter in contemplatione noſtrûm; & aliarum creaturarum ad DEVM inde cognoſcendum. Id fit & per eſſentiam; & per ſimilitudines. Illa notitia ſi haberi integra poſſit, certior eſt: hæc ſpuria & ambigua: vtraque tamen in hac vita *imperfecta*, vt eſt prima Corinthiorum duodecimo, verſu nono & ſequenti: *Natura vanitati eſt ſubiecta propter peccatum.* Qui poteſt ex ea exiſtere notitia perfecta? Ante dictum eſt, *plurima nos fugere*, Sapient. nono capite, verſu decimo quinto, decimo ſexto, &c. Quo magis inquiruntur quædam, hoc in altiores tenebras recedunt. Compellimur itaque ad *lumen gratiæ*; quod

quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Pſ.94.℣.10. *Deus eſt qui docet homines ſcientiam.* In *huius lumine videmus lumen*, & creaturas rectè æſtimamus. In hanc ſententiam diſſeritur Sap.8.℣.21.c.9.℣.4.ib.c.13.℣.1.Pſ.36.℣.10.Pſ.139.℣.6.vbi& *Crollius* literā Interpretis latini ſecutus *mirabilem Dei ſcientiam non foris petit, ſed ex homine. Chriſtus* Ioh.3.℣.12. fidem noſtram circa terrena valde extenuat, & *negat, nos ſcire ſaltem venti ortum*, & exitum. Quid Paracelſiſtæ de cæteris intelligant, cum ne ſeipſos quidem, quod tamen requirit *Simplicius* cum oraculo? De difficultate circa cœleſtia rectè ſcripſit *Ariſt.*2. de cœlo, tex.34.60.61.1. de part. an.c.5.&c.eaq; confirmantur *Aſtrologorum* noſtri temporis confeſſione, pugnis, & iudiciorum incertitudine. Si *lumine naturæ* vtendum eſt noſcēda inuiſibilia hominis, inſito nō externo vtendū eſt, & primū diſcenda ſunt ea, q̄in nobis ſunt, q̄q; agimus & patimur; poſtea ad externa accedendum. Inde contrarium *Crollio* concludimus, quo & ipſe eſt Medicus factus, & Medicinam exercuit. Syr.38. *Altiſſimus creauit Medicum, & Medicinam. Diſciplina Medici exaltat caput eius*, Ex conſequente Medicus naſcitur ex Deo per ordinariam diſciplinam Doctorum, & obſeruationem Medicinæ ex terra. *Diſciplina vero medica inuenta eſt à priſcis, dono Dei, ratione & experientia*, quibus & præcepta conſtituta, principiaque homogenea methodo ſapiente comprehenſa.

Tantum de notitia principiis, ex quibus tota Paracelſia pendet.



D. O. M. A.

POSSINTNE PARACELSICI MAGIAM SVAM DIVINARVM LITERARVM AVTORITATE, ET PHILOSOPHIÆ, PHYSICÆQVE NOMINE DEFENDERE.

SECTIO I.



VÆ Magi dæmoniaci, vt *Iannes, Mambres, Simon, Apollonius Thyanæus, Tyridates, Tritemius, Fauſtus, Pythoniſſæ*, & ſimiles opera dæmonum perficiunt, illa omnia *Paracelſus, Crollius*, & ſocii affirmant, fieri poſſe naturaliter. Quanquam enim *verbis* potius ſint *Magi*, quam re ipſa, tantum diſputent de poſſibilitate artis, nihil autem, aut parum præſtent, quia tamen his ſuis diſputationibus adoleſcentiam ſeducunt, & à veritate *in præcipitia mendaciorum* auertunt, offendiculo ſunt piis mentibus, Diabolo feneſtram ad decipiendos animos, intellectumque diſcere multa cupientium aperiunt, & argumenta ſuppeditant, quibus *Magia dæmoniaca* abſolui, & *incantatores* excuſari, iudicem vero ſapientum corrumpi, & pœnæ legibus ſtatutæ conuelli & in calumniam rapi poſſint, videndum eſt qualibus, & quam firmis vtantur rationibus.

SECTIO II.

Argumenta pro bona Magia.

Magiam eſſe *ſapientiam quandam*, & artem bonam conantur demonſtrare Magorum Orientalium profeſſione, quæ fuerit *Philoſophia* quædam & *Theologia*, aſtrorum ſcientiæ, & medicinæ coniuncta. Vnde *Magi* illi laudatiſſimi Chriſtum recens natum agnouerint, & ductu *ſtellæ ex Oriente* in *Palæſtinam* venerint, Regem ipſum & Sacerdotem, dominumque adorandum confeſſi. *Magos* fuiſſe *Sacerdotes*, & omnis ſapientiæ diuinæ, humanæque antiſtites probant hiſtoriis *Herodoti* & aliorum. Qui in India fuerunt *Gymnoſophiſtæ*, ii dicuntur in *Perſia* & *Babylonia* fuiſſe *Magi* & *Chaldæi*, & in Ægypto *Sacerdotes* Regibus proximi. Eam ſapientiam calluiſſe diuino dono, aiunt *Danielem*, & ſocios; tum *Moſen, Salomonem*, & ſimiles. Etenim de Daniele & ſociis legimus, quod Dan.2.v.13. *ſint relati inter illos ſapientes, quos interfici iuſſit Rex Babylonis.* Hi vero v.2. appellantur *Arioli, Magi, Maleficì, Chaldæi*, h.e. *Philoſophi, Medici, Aſtrologi, &c.* Et cap.1.v.17. *Origo* eius ſapientiæ ad Deum refertur, cum ſcribitur: *Deus horum quatuor adoleſcentum dedit eis ſapientiam & intellectum in omni ſcriptura & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum.* Item v.4. iubentur eligi eruditi in *omni ſapientia*, ſcientes *ſcientiam*, & *intelligentia* præditi, qui poſſint ſtare in palatio Regis docti literas & linguam Chaldæorum. De *Salomone* 3.Reg.4.v.29. dicitur: *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multum nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam in littore maris: & ſuperabat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus, &c.* quod & prædicatur Eccleſiaſt.47.v.16.& in Regina Saba 3.Reg.10. cuius omnia ænigmata ſoluit. Si itaque ſapientia *Danielis* & *Salomonis* fuit à Deo, & eadem fuit *Magia Chaldæorum & Ægyptiorum*; conſequens eſt, hanc quoque à Deo eſſe. De *Moſe* narrat *Stephanus* Actorum 7.22. quod *eruditus ſit omni ſapientia Ægyptiorum, fueritque potens verbis, & operibus.* Iam autem Ægyptiorum ſapientia fuit ea, quæ à *Platone*, & aliis Philoſophis deſcripta eſt, & quam *Magi Pharaonis*, qui ad

An Salomō, Daniel, Moſes, Ioſeph, Magi.

Moſe

Moſen dixerant, quod miracula faciendo ſtramen inferret in locum abundantem ſtramine, hoc eſt, magica exhiberet apud eas gentes, quæ talibus rebus abundarent, ſeu quarum ſtudia & exercitia eſſent non alia frequentiora, profitebantur. Eandem apud *Hermetem*, *Triſmegiſtum*, *Horum Apollinem*, *Pierium*, *Herodotum*, & cæteros inuenimus, maximeque dicuntur elaboraſſe Ægyptii circa *Aſtrologiam*, *Geometriam*, *Chymiam* tranſmutatoriam, *hiſtorias* antiquas, vt eſt apud *Platonem* in *Timæo*, & myſteria ſacrorum. Si *Moſes* hæc ſtudia coluit, & nihilominus Deo tam fuit familiaris, vt cum eo tanquam cum domeſtico, & amico colloqueretur, non poſſunt mala eſſe. Deum.n.offendiſſent, & alienaſſent. Sicut *Daniel* præfectus Sapientum Babyloniæ * docuit ibi *Theologiam* & *Philoſophiam*, quæ Magorum Perſiæ fuit profeſſio: Ita *Ioſeph* doctrinam intulit in *Ægyptum*. Sic enim de eo ſcriptum eſt Pſalm. 105. 21. 22. &c. *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret principes eius in anima ſua, & ſenes eius ſapientiam doceret.* Id autem factum Geneſ. 41. vbi *Pharao* negat, ſapientiorem inueniri poſſe, & ideo imperium ei dat in omnes. Eius doctrinam v. lunt eſſe eam, quam *Magicam* vocant, & quam *Mercurius* Commentariis comprehendit, & multi alii deſcripſerunt. Idem videtur & *diuinaſſe*. Neque enim tantum coniector ſomniorum fuit, ſed & de furtis putatur reſpondiſſe, diſpenſatore dicente. Geneſ. 44. ℣. 5. *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Verbum eſt *Nacheſch ienacheſoh*: ſcrutando ſcrutabitur; quod interpretantur de exploratione fidelium, & furum per certa ſigna aquæ, vel vini in poculo; alii exponunt, quod Dominus apud augures de ſcypho amiſſo ſit inquiſiturus, quo indicatur, *Ioſephum* Magicis artibus aliquid tribuiſſe. *Ezechiel*. cap. 28. ℣. 3. de Principe *Tyri* ſcribit: *Ecce tu ſapientior es Daniele. Omne ſecretum non eſt abſconditum à te, &c.* Colligetur hinc, *Danielis* ſapientiam fuiſſe in myſteriis & ſecretis reuelandis, quæ & *Magiæ* eſt profeſſio, quam ſapientiam à Deo dari, diſcimus ex *Danielis* cap. 2. ℣. 21. 22.

** Daniel. 2 v. 48 Conſtituit Rex Danie lem magnū magiſtratū ſuper cunctos ſapientes Ba bylonis. Ita c. 6. v. 3. Da niel ſuperat principes & ſatrapas, quia ſpiritus amplior eſt in illo. vide c. 5. v. 11. de Danielis ſa pientia à Deo, vt & v. 14. Dan. 2. 21. 22.*

Sectio III.

Quoniam autem vocum ſignificatione abuti ſolent Paracelſici, & hinc colorem ſuæ veſaniæ, tegumentumque petere, quid Magia & Magus ſit, quibuſque nominibus in ſacris appellentur, quid profeſſi ſint, & egerint illi, qui Magi eſſe dicuntur, videndum.

Quæ ſit Magia, & Magus quis.

De Magia & Magis *Peucerus* in diuinationum Commentario ſcribit, quod appellatio apud antiquos Perſas fuerit ampliſſima & honeſtiſſima, quia *ſolis Sacerdotibus* ſit tributa, qui & religioni præfuerint, & ſtudiis veræ Philoſophiæ fuerint dediti, quæ *Philoſophia* à *Chaldæis* ad *Perſas* peruenerit. Eoſdem, ait, fuiſſe etiam antiquorum monumentorum cuſtodes, & hiſtoricos: ex eorum cœtu Regum Conſiliarios eſſe ſelectos, & præceptores, cum nullus potuerit rex fieri, niſi à *Magis* prius inſtitutus: *Prophetiis* quoque operam dediſſe, & *Aſtrologicæ* diſciplinæ, atque hos fuiſſe *Magos ſynceros*, quæ ille ex ſacris & profanis ſcriptoribus collegit, nec opus eſt vlteriore inueſtigatione.

Sectio IV.

Corrupta vero poſtea ex vtraque diſciplina, *Theologica* ſcilicet, & *Philoſophica*. Fabulas enim & commenta ſua immiſcuerunt, cumque ſciendi cupiditas ita inflammaret animos, vt inter ſe certarent, & ſemper alter altero ſapientior, rerumque abſtruſarum ſcientior videri vellet, & de futuris, quorum euenta maxime cognoſcere cupiebant magnates, anxie inquirerent, accedente ſuperſtitione, & ſignorum admiratione, paulatim cepit male audire *Magia*, præſertim cum & *Spiritus* παρέδρους adhiberent, & eorum commercio vterentur. Ita nomen *Magorum*, inquit *Peucerus*, à Sacerdotibus & ſanioribus Philoſophis deuenit ad eos, *qui fœdera faciunt cum Diabolo.*

Vide ibi & reliqua, vbi *Magiæ* & *Goetiæ* diſcrimen aliquod fuiſſe indicat, nempe *Magiam* dictam fuiſſe bonorum dæmonum πρὸς ἀγαθῶν τινος σύστασιν implorationem; *Goetiam* maleficorum ad aliis nocendum. Omnino Magia definitur, *quod ſit artificium à Diabolo traditum, quo dæmones euocati à confœderatis præſtant, quæ requirunt*, vt ſatis docent exempla *Simonis Magi*, *Tyridatis*, *Numæ*, *Tulli*, *Tritemii*, & aliorum infinitorum. Species eius recenſentur plures, vt 1. ea, qua *Paredri* dæmones perpetuo aſſunt. 2. *Necyomantia*, qua ex Orco manes euocantur, vt tempore *Saulis*, & *Sexti Pompeii* apud *Lucanum*, &c. 3. λεκανομαντεία, γαστρομαντεία, κατοπτρομαντεία, κρυσταλλομαντεία, δακτυλιομαντεία, ὀνυμαντεία, ὑδρομαντεία, ἀερομαντεία, de quibus legatur *Peucerus*. Autor in Perſide dicitur *Zoroaſter*; In Græcia *Oſtanes Democritus*, &c. Viguit apud Aſſyrios, Chaldæos, Perſas, Ægyptios, Græcos, & alias gentes in toto orbe, vt tandem etiam Palæſtinam inuaſerit, Iudæosq; corruperit. Epheſii ab *Apollonio Thyanæo* dicuntur didiciſſe. Cognatum maleficium eſt *Incantatio*, quam deſcribit & ſpeciebus ſuis explicat idem *Peucerus*, nempe quod peragatur Pharmacis, ſeu medicaminibus, & veneficio, ad quod certæ herbæ ſunt deſtinatæ à *Pythagora* & *Democrito*, de quibus *Plinius*: Item conſecrationibus ſeu adiurationibus per verba, quo pertinet & *Cabala* Iudæorum, &c. Præterea *characteribus, ſigillis, ſpeculis, gemmis ſculptis*, quo attrahitur *Aſtrologia*, quaſi rebus poſſent inde vires ſingulares certo aſtrorum poſitu, & applicatione &c. Vide *Plinium* lib. 30. c. 1. & 2. vbi *fraudulentiſſimam artium* vocat, quæ in toto terrarum orbe plurimis ſeculis valuerit autoritate maxima: nata primum ſit *ex Medicina* quaſi altior, ſanctiorq; eſſet medicina; additam eſſe *religionem & mathematicam* nullo non auido futura de ſe ſciendi. Ponit autores & cultores, *Zoroaſtrem*, *Eudoxū*, *Hermippum*, *Agonacem*, *Hoſthanem*, & alios. Scribit alium eſſe Magicas factionem à *Moſe* & Iudæis pendentem: aliam *Cypriam*: aliam *Druydum* in Gallia Medicorum & vatum, quos *Tiberii* principatus ſuſtulerit: aliā *Britanniæ*. Legant & quæ de *Neronis* erga Magos ſtudio recenſet c. 2. vbi & ſpecies ex *aqua, ſphæris, aere, ſtellis, lucernis, peluib. ſecurib. vmbris, & colloquiis inferorū*: Itē ex *herbis*, de quib. lib. 24. c. 17. diſſerit autorib. *Pythagora & Democrito*, qui Magos ſint cōſectati, vt & *Apollodo. & Crateias* li. 26. c. 3. & 4.

Goetia.

Species Magiæ.

Incantatio.

De

De *Aſclepiadis* medicina narrat, eumque adiutum magicis vanitatibus ſcribit. Addit præclaram ſententiam de rerum progreſſu: *Hac eſt*, inquit, *omni in re animorum conditio, vt à neceſſariis orta primum, cuncta venerint ad nimium.* Magicas ſanationes habet plures tũ citatis locis tum lib. 28. cap. 10. & cap. 8. vbi etiam impedimentum, quo magorum artes infeſtentur ex *Hyana* libr. 37. capit. 10. de *Magicis gemmis* multa connotauit. lib. 24. c. 17. *Theangelida* Pota Magus diuinare narrat: impediri herba *Moly*, incantamenta. lib. 25. cap. 9. Exemplum Magicæ vanitatis vocat *Bubonem*, lib. 29. cap. 4. De *Helioſtrophio* contra tertianas & quartanas à Magis alligato extat cap. 21. lib. 22. circa *Verbenacam*, ſeu *Hierobotanam* Inſaniam Gallorum & Magorum deſcriptam legis, lib. 25. cap. 9. vbi dicuntur ea perunƈti omnia impetrare, & morbos omnes eadem abigi, amicitias conciliari, &c. omnino multa ſunt exempla apud *Plinium* Magicorum operum, ex quibus non difficulter poteſt cognoſci, quæ res ſit *Magia*. *Iohannes Baptiſta Porta* tamen vocabulum hoc accommodauit ad res naturales varias, in quibus etiam Chymica, Catoptica, & alia. Sed quia de Paracelſiſtarum ſententia agimus, quid his Magia ſit, dicendum.

SECTIO V.

Medici Paracelſici vnde.

Cap. 9. de inuenienda Medicina.

IN Tomo II. in Præfatione Paragrani Medicos ſuos deſcribit Paracelſus, quod à cœlo ſint faciendi, qui quatuor elementa ſint cognituri, item Magicam, Cabaliſticamque: qui ſint futuri Geomantici, Adepti, Archæi Spagiri habentes myſteria, & tinƈturas. *In Labyrintho Medicorum*, ait, *per Magicam inueniri res occultas*, quæ in corpore terreno non appareant, intuente eas *ſydereo homine*: Magiæ ſpecies eſſe *Gaballiam, Gabaliſticam*, &c. Magiam eſſe *anatomiam Medicinæ*, qua per *ſignatum* cognoſcatur virtus rerum ſpiritualis: quod eſt fundamentum vnum mirabilium iſtorum operum, quæ dicuntur per lapides, herbas, & alia procurari. Ibidem *inuentricem* quoque ſpeciem Magiæ ex omnibus ſpeciebus Aſtronomiæ facit, cuius beneficio *Magi ex Oriente inuenerint Chriſtum.* Hanc à Diabolo obſcuratam dicit Tom. 1. de morbis inuiſibilibus. lib. 5. ſcribit, *Magos Pharaonis* miracula arte feciſſe, quæ *Moſes* & *Aaron* ſine arte, vultque eſſe non *incantationem*, ſed *artem ex lumine naturæ, Magasq; illas Ægyptias ſua arte magica non offendiſſe Deum.* Ibidem diſputat contra *ceremonias*, quas negat eſſe debere, quæ & Magiam corruperint, quales ſunt *temporum electiones, abſtinentia, benedictiones, aqua luſtralis, &c. Spiritus à Deo*, dicit, *iuſſos eſſe nos docere*, & adiuuare, vt nobis bene fiat ab hoſtibus (diabolicis) & amicis, (bonis angelis) quibus verbis, vt & alibi, oſtendit, *licitum eſſe à ſpiritibus aliquid poſtulare*, vt fuerunt Perſæ, Ægyptii, Chaldæi: tantumque culpat opinionem, qua quis putat ſpiritus, quorum nomina ex Chaldæis ſint cognita, *non Dei iuſſu, ſed ſuis per ſe viribus facere quod faciunt.* In libro de peſtilitate traƈtatu 2. *Magiam ex Apocalypſi* diſcendam eſſe iudicat, & inter Magos refert *Iohannem, Moyſen, Aaronem, Eliam, Enochum, Bildad, Dauidem, Salomonem, Danielem, Baruch, Ieremiam, Ezechielem*, & alios Prophetas, quibus opponit Philoſophiam & Medicinam, iubetque diſcere *Magiam Cabaliſticam, Aſtronomiam, Pyromantiam*, Chiromantiam, *Hydromantiam.* Paracelſo Magia eſt quædam incantatrix, & adiuratoria, ſeu ceremonialis, quædam naturalis. Ab vtraque vult omnia fieri Magica, vt non opere, ſed cauſis diſtent. Interdum Magiam totam facit diuinam, quæ precibus & fide à Deo impetretur. Sagarum opera modo ad naturam reuocat, modo ad coniurationes. Quæ etiam natura fieri poſſe putat, ea vel ab aſtris per imaginem fidem & magnetiſmus petet: vel à ſpiritibus bonis aut malis, quia vtrique iuſſi ſint homini inſeruire, & ei parere. In lib. 2. de peſtilitate ſcribit *hominis ſapientiam eſſe ſupra ſydera*, quia ſit ex quinta eſſentia, & ideo *aſtra vi illius ſapientia cogi ad faciendum, quæ velit homo*, qui imaginatione ſui coniunƈtiones faciat, &c. Id imperium in aſtra appellat *incantationem*, & *Magos* dicit, qui cœlum ad voluntatis ſuæ arbitrium cogunt in ceram, chartas, verba, &c. quæ ſit *ſummma ſapientia. incantationem* autem alteram ex ſpiritibus eſſe garrit, quaſi *Magia vera* ſit illa aſtrorum pro noſtro arbitratu coaƈtio, vt vires conferant certis rebus per imaginationem noſtram: ſed *Magia improba* illa, quæ ex ſpiritibus exiſtat, quos tamen alibi iuſſos eſſe homini adeſſe ſcripſit. Vbi de *magnetica mumia* in homine refert Tom. 3. pag. 96. *Scientiam laboris ſophia eſſe matrem & fontem Magorum*: vbi de infeƈtione aſtrorum per menſtrua muliebria, & peſte ex aſtris per imaginationem attraƈta. In Tomo 4. lib. de Podagra. pag. 187. *Pythoniſtarum* ſeu *ſagarum* opera negat eſſe incantamenta, quia naturale ſit facere grandines, tonitrua, fulmina, tempeſtates, &c. *Phantaſiam* ex *Sipha* excutere ignem, & incendere *Collcitan*, &c. Aliquando ſpiritum ſagarum vocat *Aſcendentem*, quaſi alicuius ſyderis potentia eſſet. In lib. 1. de vita longa cap. 9. *Mahumetum* dicit eſſe Magum, qui vitam longam præſcripſerit non ex Deo, ſed influentia naturali, & Magos Sabæos magica vi equorum, non naturali veniſſe Bethleemum, &c. In lib. 9. naturalium narrat veteris legis homines impetraſſe, quæ acceperunt ceremoniis & coniurationibus: *Chriſtianorum artis magicæ & cabaliſticæ totum fundamentum eſſe in petendo, quærendo, pulſando in fide, vt nihil nobis ſit impoßibile.* Cap. 6. lib. de myſteriis vermium dicit, nos ex natura *per ſedem* poſſe ægrotos & ſanos facere; & quibuſdam verbis *ſerpentes excantare*. Ibidem de *Gamahæ Ophiuchi* viribus, de quibus ſcripſerit *Techellus*. Ite.n *Archidoxin* ſuam magicam prædicat, quæ cuiuſmodi ſit, habes in tomo 10. Agit enim de ſigillis & charaƈteribus contra morbos, de ſignis Zodiaci, & animalium, de ſpeculi conſtellatione, de eleƈtro Magico, & ſigillis Planetarum, quibus omnibus mirabilia aſſcribit, qualia Magi etiam famoſiſſimi promittere ſolent, & *Crollius* in Præfatione *Baſilicæ* vehementer commendauit. In lib. de Philoſophia occulta, *in Magia ſolam fidem vſurpari*, ait, *& poſſe ea explorari omnia, quæ humanæ rationi ſunt impoßibilia.* Nihilominus tamen officia ſpirituum bonorum & malorum deſcribit traƈt. 4. lib. Philoſophiæ, quanquam *Nigromantiam à Magia* ſeiungat, quarum illa coniurationibus conſtet, hæc fide & imaginatione naturali,

Strigum patrocinium.

Magia Chriſtianorum.

Gamahæ Ophiuchos.

Archidoxis Paracelſi.

Nigromãtia

quæ

quæ tamen eadem præſtet quæ illa. In lib. de *Sagace Philoſophia* vnam Magiæ ſpeciem à ſignorum interpretatione vocat *Inſignem*: aliam, quæ corpora tranſmutet ſicut *Moſes*, dicta *transfiguratiua*, quomodo Chriſtus ſit transfiguratus: aliam *characteralem*, quæ doceat facere *verba habentia omnem vim, quæ à cœlo eſt in herbis*: aliam *Gamahaam* qua fiant *Gamahaæ*, quibus omnia poſſint peragi, quæ alias per inſtrumenta naturalia, vt claues, gladios, arma, &c. *Quintam* quam vocat *alteram in alteram* qua conficiantur imagines ſimiles illis, qui iſtis imaginibus comprehenduntur, vt ſi quis velit hominem lædere, is lædit homunculum, &c. quam artem alibi aſſcribit *Magiæ diabolicæ*: aliam *Cabaliſticam*, qua in menſe fiat id quod natura anno integro perficit, & qua poſſit cognoſci id quod vltra mare eſt, & longe diſſitis in locis. Has ſex ſpecies dicit facere artem magicam, quæ *ſint artes ſapientiæ*. Vide ibi de *Nigromantiæ* ſpeciebus, & *Nechromantia*, & *Aſtrologia, ſignato* & aliis ſtultitiis magicis, quas non tantum *Crollius* prædicat, ſed & *Haſelmejerus* optat vt *fratres Roſeæ crucis* cum his artibus veniant: Et in fama fraternitatis ſpecimen eſt Magiæ talis, quo abſentia cognoſcuntur, & arcana. Lege *Baronium de hæreticis magis* è ſocietate *Simonis, Baſilidis*, & aliorum confer cum eis *Tritemiana, Agrippæ Philoſophiam, Artephij* & ſimilium artes: quid per magam Paracelſicam, quamuis non ſemper idem dicat Paracelſus, ſit intelligendum facilè aſſequeris, nempe *omnia illa quæ per diabolorum coniurationes fiunt, naturaliter quoque poſſe peragi fide, imaginatione, aſtris, & alius adminiculis ſpeculorum, ſigillorum, verborum, characterum, &c.* de quibus *Crollius*. Iam conſideremus Magos ſcripturæ ſacræ.

Magia Paracelſica ſpecies.

SECTIO VI.

FIngunt magi (vt eſt libro quodam manu ſcripto) *Adamum* cogitantem in ripa fluminis ex paradiſo exeuntis, quibus bonis excidiſſet, & quas incurriſſet miſerias, voce, oculis, manuque ad Deum leuatis malorum aliquod remedium petiuiſſe, & tertia die poſt orationem veniſſe angelum *Raziɛlem*, ipſique porrexiſſe *librum ſimilem igni albo* trahentem ad nigredinem, per quem librum potuerit intelligere, ſcire, & *cognoſcere omnia mirabilia*, quæ facta ſunt, fuerunt, (ſunt) aut erunt facienda: Item *intelligere omnia* in cœlis, terris, aquis, abyſſis, & ſub abyſſis, cœlos omnes, angelosq; eorum, miniſtros, virtutes, & opera eorum: motum ſolis, lunæ & aliarum ſtellarum, earumque naturas, & omnium rerum, quibus mundus regitur: Generationes, corruptiones omnium creaturarum: qualiter ſtatus earum regatur: habere poteſtatem ſuper quatuor partes mundi, & angelos cœlorum, *vt mittat eos quo voluerit, vt Dominus ſuum ſeruum*: Imperare ventis nocentibus, & dæmonibus: iuuare, nocere, plagare, ſanare, concordare, diſcordare, ſoluere, ligare bonum, vel malum, deſtruere, interpretari ſomnia, ſonos, tonitrua, coruſcationes, viſiones; prædicere futura in mundo quolibet puncto; qualibet hora & die, ſeptimana, menſe, anno, luce, tenebris, de frugibus, ſiccitate, humiditate, largitate, paucitate, quolibet bono, vel malo, vita, morte, vt omnia ſciat, & intelligat, habeatq; ad omnia conſilium, & fiat quaſi vnus ex angelis maioribus, & potentioribus cœlorum. Hæc omnia narrantur in iſto libro fuiſſe, quem *Adam Setho* filio tradiderit poſtquem peruenerit ad *Enoch*, hinc ad *Neam*, ab hoc ad *Sem*; à *Semo* ad *Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Leui, Caath Amram, Moſen, Ioſuam, ſeniores prophetas, ſapientes* tandemq; ad *Salomonem*, qui virtute eius domum Domini ſine ferri ſectione, vel ſono in lapidibus, & lignis, aliisq; operibus fabricauerit cum *Varmi Zamir*, qui fuerit creatus infra ſex dies creati ſeculi, ſeruatus autem in abyſſis mundi, ex quibus cum *Salomon* ſapientia iſtius libri adduxerit, vtpote qui habuerit poteſtatem per eum ſuper ventos, & dæmones, qui ſparſerit ſuperius, & inferius, omnesque partes mundi ligauerit, ſoluerit, adduxerit, ad impleuerit omnes ſuas voluntates; Licet autẽ Deus ipſi reuelauerit etiam alios libros tamen iſte dicitur fuiſſe honorabilior, & precioſior, &c. Hæc mendacia plusquam Thalmudica Magi dæmonum coniuratores ſpargunt, vt habeant ſuæ artis aliquod fundamentum, & primordium, autoritatemq; diuinam. Fortaſſis iſta eſt *traditio Cabaliſtica*. Iudæorum, & figmentum de *nomine expoſitionis Iehouah*, quod *Shembamphoraſch* appellant. Sed refutantur omnia liquidis ſcripturis, vt non ſit opus redargutione alia. *Paracelſus* ex ſententia *Ophitarum* hæreticorum omnem iſtiusmodi ſapientiam non ex libro *Razielis* repetiit, ſed ex *Serpentis*, qui *Euam* decepit, ſuggeſtione, & morſu mali in quod ſcientiam dicitur infudiſſe. Vtrum ſtatuas, abominandum medacium, diaboloq; dignum probes.

Figmentum magorum de libro Adami cuius vi poſſint omnia fieri & cognoſci.

Salomon ex magico libro ſapiens.

Paracelſus Ophita.

SECTIO VII.

QVanquam autem conſentaneum ſit magiam exortam fuiſſe in familia *Caini*, & hinc perueniſſe quoq; ad illos Dei filios, qui ductis filiabus hominum viam ſuam vna cum illis corruperunt, & poſt diluuium in proſapia *Iapeti*, & præcipue *Chami* * hæſiſſe, quæ occupauit Orientem, & Africam, in quibus terris maxime viguit *Magia*, vt & poſtea in locis à poſteritate *Iapeti* occupatis: tamen in ſcripturis de *Idolomania* quidem *Chaldæorum* ante *Ioſephum* aliquid legimus, parum autem de diuinatione Magica, cuius prima vox eſt Gen. 44. v. 5. *Nachaſch*, quæ tametſi inquirere, & ſcrutari ſignificet, tamen ſolet exponi de *auguratione*, & *diuinatione*, quam exercuiſſe *Ioſephum*, qui ſuam ſapientiam de ſomniorum interpretatione à Deo habuit, non eſt veriſimile. Fuiſſe vero nihilominus eo tempore in Ægypto Magos, colligitur ex cap. 41. v. 8. vbi *Pharao* mittit ad omnes *coniectores Ægypti, cunctosq; ſapientes*, qui Ebraica voce dicuntur *Chartymme Miſraym, & Chacamejah*.

** In Oriente Zoroaſter primus magus refertur ad proſapiã Chami. Vixit tempore Abrahæ, & ex cœlo flãmas elicuit, tandem à diabolo ablatus.*

Nachaſch.

Sectio VIII.

Non omnes ſapientes ſunt magi. Moſes non doctus eſt magiam. Sapientes qui.

NOn fruſtra inter *ſapientes, & magos* diſcernitur a ſpiritu S. Ita enim manifeſtum fit *Moſen eruditum omni Ægyptiorum ſapientia magum non fuiße.* Didicit enim tantum à ſacerdotibus Philoſophiam, Aſtrologiam, hiſtorias & ſimilia ordinaria ſtudia, tametſi alicubi polluta. Si didiciſſet & Idolomanicam religionem, fratres Iudæos non agnouiſſet. Si & magiam, Dei ſignis nullam habuiſſet fidem, quippe quibus nihil magni ſe poſſe efficere putaſſet, cum magorum magna copia eſſet in Ægypto. *Sapientes* itaque intelligimus *Philoſophos, Medicos, Aſtrologos, hiſtoricos:* quales à *Platone* in Timæo in colloquio *Solonis* cum ſacerdotibus proponuntur. Tales fuerunt in India *Gymnoſophiſtæ,* in *Perſia* ſacerdotes, & Philoſophi, quorum literis eruditi ſunt *Iudæi,* illi quatuor, Daniel, Ananias, Miſaël, Azarias, qui neutiquam paſſi fuiſſent ſe doceri diabolicas artes, & Idolomaniã, vti nec paſſi ſunt ſe cibis vetitis paſci. Ita cùm Pharaò contra Móſen aduocaret ſapientes, & maleficos, duo tantum Iannes, & Mambres, proculdubio malefici, Moſi reſtiterunt. *Meſues* ſapientes vocat illos, qui alias *Alchymiſtæ* dicuntur, & *Philoſophi magni magiſterij conſcij.* Sed tunc temporis non fuiſſe ſapientiam Chryſopœam, & Argyropœam in Ægypto, poteſt colligi ex fame ſeptenni. *Gen. 47. v. 14.* Cur enim omni pecunia abſumpta populus bona immobilia, & ſeipſum regi pro frumento vendit? An adeo immites erant Regij, & ſacerdotes, vt qui poſſent facere infinitum aurum, & argentum, finerent adeo miſere affligi populum? In ſua poteſtate Rex potuit habere plus quam Theſauros Ægypti. Itaque ſi *Hermes* ter maximus tunc extitit, artem aurificam vel ignorauit, vel non exercuit immiſericordiæ affectu, quod non eſt veri ſimile. Quicunque autem fuerint ſapientes *Zoan* vel *Tancos,* apud Prophetas non bene audiunt: vide Eſa. 19. verſ. 3. 10. Ezechielis 30. v. 13. Neceſſe eſt non tantum ſacra fuiſſe impia, ſed & Philoſophiam corruptam, pollutamque Medicinam, & iuriſprudentiam. Ideo & *Moſes* poſtea iſta ſtudia abiecit, & comparatione inſtituta Deut. 4. v. 6. 7. Iſraëliticam gentem omnibus aliis anteponit, quaſi publica fama dicens: *En populus ſapiens, & intelligens. Quæ enim eſt alia gens ſic inclyta vt habeat ceremonias, iuſtaq; iudicia iuxta omnem hãc legem quam ego proponam, &c.* Si *Paracelſum* interrogaſſes de ſapientia Ægypti, proculdubio reſpondiſſet, intelligi *Laborem Sophiæ* fontem omnis magiæ, quem eſſe aliquid ſecreti, quod non poſſit ſine cauterio conſcientiæ, & ſcandalo reuelari, indicat ſuppreſſio ſcriptionis, cum eius facit mentionẽ. *Sophia.* Alias vox iſta Sophia apud *Pantheum* ſignificat *ſcientiam magni magiſterij ſapientum de lapide philoſophorũ, & vniuerſa natura.* Si is *Hermes* cuius *Pimander,* & *Aſclepius* extant, fuit Ægyptius, & *Moſi* Coætaneus, ideam ſapientiæ pollutiſſimæ, & vaniſſimæ apud eum habes, vt vt *Crollius* ipſam commendauerit. *Ægyptus* definitur ab eo quod ſit *cœli imago, vel translatio, & deſcenſio omnium quæ gubernantur, & exercentur in cœlo:* ſeu *totius mundi templum:* ex quibus patet ſapientiam iſtam fuiſſe *Aſtrologiam* quandam *Theoricam, & Practicam,* qua cœleſtia Elementaribus, omnibuſq; actionibus humanis ſunt accommodata, vt hodie quoq; faciunt Aſtrologi Paracelſici. Ideo malè ominatur de Ægypto quod diuinitas illa ex cœlo traducta in cœlum ſit recurſura, religiones negligendæ, cultus proſcribendi, & quæ alia habentur c. 9. Aſclepij, pene eadem Platonicis doctrinis. In arte qua veteres Ægyptij dicuntur *Deos effeciſſe,* aliquid coniuratoriæ magiæ eſt. *Animas enim dæmonum euocarunt, & angelorum, eaſq; ſanctis imaginibus indiderunt, & myſteriis:* quæ ars eſt vna ex magicis Paracelſi. Ait herbas, lapides, aromata habere in ſe vim naturalem diuinitatis, & ideo adhiberi ſacrificiis, & oblectari hymnis, &c. quod eſt Paracelſicus *Magnetiſmus,* quo fieri putantur *Gamahææ,* & cœleſtes ſpiritus trahi in res conuenienter affectas ad procuranda mirabilia. cap. 6. *Philoſophiam* dicit eſſe ſolam in cognoſcẽda diuinitate, frequentem obtutum, & ſanctam religionem, qua miremur aſtrorum cõſtitutiones, ſimpliciq; mente, & anima diuinitatem colamus, &c. In Dialogo 12. Pimandri ſcribitur *Deus ab homine qui conformetur diuinæ eſſentiæ, capi:* quia ſoli huic Deus congrediatur nocte per ſomnia, die per portenta per quæ omnia futura prænunciet, per Aves, Exta, Spiritum, & Sibyllam per quæ verè homo ſciat præſentia, præterita, futura. Ex his facilè potes ſapientiæ Ægyptiæ modum cognoſcere, ſi quidem ea fuit quam Hermes profitetur.

Ægyptus Hermetis.

Ars faciendi Deos.

Philoſophia Hermetis.

Deus homini ſociatus Hermet. ce.

Sectio IX.

Qui ſint Chartymmim in ſacris.

SEd qui fuerunt illi *Chartymmim, coniectores, augures,* diuinatores? videtur *Hermes* ex horũ, & ſapientum profeſſione vnam quandam *Philoſophiam* compegiſſe, & diſcernẽda ſtudia confudiſſe. Sed quia ſcriptura diſtinguit, etiã nos diſtinguamus, & quidẽ in hoc loco, qui de Iacobi temporibus agit. *Chartom* vox quatuor literarũ Chaldaica ſignificare dicitur *Magum, Genethliacum, Phyſicũ, nempe Ægyptium,* qui & Paracelſicus magus, quales fuerunt *Iannes, & Mambres.* qui incantamentis ſuis ſe oppoſuerunt Moſi. Itaq; & extat Exod. 7. v. 11. vbi vocat Pharao *Lachacamim,* h. e. ſapientes qui dicũtur Phyloſophi, Phyſici, Mathematici (*Chacam* eſt ſapere) *Velamcaſſephim,* h. e. maleficos (à *Caſſibaph* præſtigias, magiam, & maleficia exercere vt videatur oculis aliquid aliud eſſe quam re vera eſt) qui per incantationes Ægyptiacas imitati ſunt miracula Moſis, *Chartymmei Miſraym Belehath. hem* Magi Ægypti ſuis incantamentis fecerunt ipſi quoq; ſimiliter. Nota quod textus Latinus hîc ſit cõciſior Ebraico, qui ad pedem habet. *Et vocauit etiam Pharaò Sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi magi Ægypti incantamentis ſuis ſimiliter.* Notabis & c. 8. v. 7. & 18. omiſſis ſapientibus tantum nominari *Incantatores Hachartymmim,* qui ſuis *Lebatim* ranas produxerint, pediculos autem non potuerint efficere. *Labat* magia eſt, Laat inuoluere, & obſcurare eſt; vnde Laat, Lat, vel Lot arcanum, ſecretum: *Lebatim* arcana murmura, qualibus vtuntur venefici, & incantatores clam murmurãtes. Hi & v. 22. *Chartymme Miſrajm* appellantur, vt *Caſſephim, & Chartymmim* ſint iidem, ſtudiaq; habuerint eadem. Quod autem etiam ſapientes ſint adhibiti, fors dicendum eſt tunc temporis ſtudia fuiſſe mixta, & Philoſophos fuiſſe etiam incantatores magos, vel bonum vocabulum trãſlatum eſſe ad maleficos, qui vt boni videantur, ſibi arrogant profeſſionum liberalium nomina, vel aſcitos quidem eſſe phyſicos, & aſtrologos, ſed nihil per ſe effeciſſe.

Caſſibaph.

Septua-

Septuaginta scribunt συνεκάλεσε τοὺς σοφιστὰς (Aquila: κρυφιαστὰς arcanorum magicorum professores, vt, omnium hierogryphicos sapientes) Αἰγύπτου ὁ φαραώ, καὶ τοὺς φαρμακοὺς (veneficos) καὶ ἐποίησαν καὶ οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν ὡσαύτως. Hîc *Chartymmim* sunt *incantatores*, & *Mecassephim*, *venefici* Ita & v.22. pro Chartymmim ἐπαοιδοὶ ponuntur, & *lehatim* veneficia significant. Itaq; Paracelsi scriptio impia est, quæ vult *Deum non succensuisse istis magis propter magiam*, cum hæc non alia fuerit quam *incantamentorum scientia*, & præstigiarum professio, effectioq; quam ipsi *Magi* postea opponunt Dei digito cap.8.v.19. εἶπαν οἱ ἐπαοιδοὶ (hahartymmim) τῷ φαραώ, δάκτυλος θεοῦ ἐστι τοῦτο: quo modo & Christus digitum Dei opponit Baalzebub, seu Diaboli potestati, hoc est, Spiritum Dei spiritui malo principiq; dæmoniorum, & Sathanæ Matth.12.26,27.28. Si itaq; Paracelsi Magia est eadem cum Ægyptiorum Pharaonis; non potest vi naturali constare, sed peragitur po estate spirituum malorum. Cum item *Paracelsus* aliquando incantamenta, & coniurationes improbet: isti vero magi in versione Græca, cui plus tribuendum est, quam stulto Paracelso, appellentur ἐπαοιδοί, φαρμακοί, quorum studium dicitur ἐπαοιδή, καὶ φαρμακεία: consequens est improbandam, & execrabilem artem istos Magos professos fuisse, & exercuisse. Cæterum vox *Chartymmim*, vel vt enunciatur, *chartymmaja*, extat etiam apud *Danielem* cap.2. v.2. vbi conuocantur Arioli Chartymmim ἐπαοιδοί, & v. 27. Chartymmim non possunt regi indicare mysterium, vbi dicuntur Latinè *Arioli*, Græcè iterum ἐπαοιδοὶ incantatores. cap.4.v.4. Ingrediuntur denuò Arioli chartymmaja ἐπαοιδοί. Patet ergo tam Ægypti Magos, quam Babylonis fuisse incantatores.

Paracelsi magian non esse naturalem facultatem.

SECTIO X.

EXodi 22. v.18. scriptum est: *Maleficam non patieris viuere.* Græci reddiderunt: φαρμακοὺς οὐ περιβιώσετε quasi veneficos diceres. Ebræus habet *Mecasschephah*, quod est à *Kisseph* maleficia, magiam, præstigias exercere. De talibus scriptum est Apocal.22. ἔξω κύνες, καὶ οἱ φαρμακοί. Si naturalis eorum potentia esset, modò rectè vsurparetur, cur excluderentur è cœlesti Hierusalem? Eadem autem vox legitur etiam Deuter. 18.v.10. vbi Latinè exponitur *Maleficus*, vt & Exod.7. v.11. φαρμακὸς apud septuaginta. Hinc argumentum aliud contra Paracelsum: Si Mecasschephim sunt magi Pharaonis, & in Exodo 22. iubentur à Deo occidi; consequens est Magos Pharaonis non fuisse Philosophos, Physicos, Medicos & Astronomos naturales, sed diabolicos. Esa.47.v.9. *Venient tibi* (Babyloniæ) *sterilitas & viduitas propter multitudinem maleficiorum tuorum*; Keschaphaych: & v.12. Sta cum multitudine maleficiorum tuorum Kesaphaych; In Græco ἐπαοιδοὶ ponuntur, καὶ ἐπαοιδαὶ vt malefici, & maleficia eadem sint quæ incantamenta magica, omnia sine exceptione damnata. Si enim vnica species esset bona, non ita simpliciter à Deo magi incantatores damnarentur. Danielis 2.v.2. inter alios etiam Mecasschephim conuocantur, & Latinè malefici dicuntur, Græcè φαρμακοί, venefici, quorum quæ studia fuerint, etiam Virgilius docet in pharmaceutria; vocant φαρμακοὺς incantatores, & veneficos communiter.

Venefica. Mecassephim.

SECTIO XI.

IN Leuitico cap.19.v.26. hæc habentur: *Non augurabimini, neq; magiam exercebitis*: & v.31. *Non declinetis ad magos* (Oboth) *nec ab hariolis aliquid sciscitemini vt polluamini per eos.* Verba Hebraica hic sunt, *Thenachaschû* (augurabimini) *Theonu* (magiæ dediti eritis) *Oboth* (magi) *Hayddeonim* (Harioli) Græci reddiderunt: μὴ οἰωνιεῖσθε, οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσεσθε: & v.31. οὐκ ἐπακολουθήσετε ἐγγαστριμύθοις, καὶ τοῖς ἐπαοιδοῖς οὐ προσκολληθήσεσθε ἐκμιανθῆναι ἐν αὐτοῖς. *Magi Oboth* ἐγγαστρίμυθοι sunt iidem. Magi, auguresq; item iidem, si non specie, at genere. Leuit. 20. v.6. Anima quæ declinauerit ad *Oboth* (magos, qui Sathanæ instinctu de futuris vaticinantur. 1. Sam.28. vbi *Saul* iubet *pythonissam* μαντεύσασθαι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. Sic enim appellatur *Saga* illa: γυνὴ ἐγγαστρίμυθος. v.7. & 8. *habens pythonem*, diuinans in *pythone*, qui Ebraicè *Ob* dicitur, vt *Ob* & *Oboth* sit dæmon, & dæmones responsa per ventrem dantes, & adiurantes seu Sagæ, & excantatores illi, qui dæmonem talem producunt carminibus suis, seu Elicirunt Iouem, & oracula delphica consulunt vt Sibyllæ) & *Ariolos* (*Ideonim*, qui dicti sunt ab intelligendo **weise Männer oder Frawen**/ qui diuinant, & superstitiose coniiciunt) *& fornicata fuerit cum eis, interficiam illam de medio populi sui.* Eodem cap. v.27. *vir siue mulier in quibus fuerit pythonicus* (Ob) vel *diuinationis spiritus* (Ideoni) *morte moriantur. Lapidibus obruent eos.* Græci habent pro Ob ἐγγαστρίμυθοι, & pro Ideoni, ἐπαοιδὸν incantatorem. Palam est has magiæ species damnari cum suis professoribus eas exercentibus, imo & his, qui eos consulunt. Fuisse autem tales in Ægypto, cognoscimus ex Es. cap.19.v.3. vbi hæc: *Spiritus Ægypti* (Ruach Misraym) *euacuabitur in visceribus eius, & consilium eius corrumpam; & interrogabunt simulacra* (Elilim) *& diuinos* (Haitthim) *& pythones* (Haobothi) *& Ariolos* (Iiddeonim) Deut.18.v. 11. *Nō inueniatur in te, qui pythones cōsulat* (Schoel Ob) *nec diuinos* (Iiddeoni) Græcè ἐγγαστρίμυθος, καὶ τερατοσκόπος. *Schaal* est interrogare; & consulere. *Ob* vocatur magus habens spiritum familiarem pythonicum, qui responsa & oracula interrogantibus edat, quales sunt quos **weise Frawen oder Männer**/ sagas, & sagaces, vnde sagax philosophia Paracelsi, appellant Germani. *Iiddeoni* nomen à scientia habent, suntque *pythones & pythonissæ à iadah* quod est cognoscere, cuius fecis sunt *Astrologi, Cabalistæ*, & alij *Magi*. *Omnes tales abominatur Dominus*, ait *Moses*, & propter abominationes eiusmodi delebit palæstinos in introitu tuo. 2. Paral.33.v.6. *Manasses* fecit *Ob*, hoc est, magos ἐγγαστριμύθους dantes responsa ex pythone. *Ob* est & diabolus ipse, & cultus eius, & vates; python immundus. Idem Manasses fecit etiam *Iiddeoni*, seu incantatores: ἐποίησεν ἐγγαστριμύθους, καὶ ἐπαοιδούς. Non omnis scientia tamen reiicitur. Nam Daniel. 1.v.4. pueri eruditi omni sapientia, & scientes scientiam, intelligentesq; quæruntur, vbi ex eadem radice Iodee Daath, & Maddagh ponuntur, & Danieli da-

Magi in Leuitico Mosis. Oboth & Ob.

Ideonim.

Ventriloqui.

Schaal Ob.

Ideoni.

Scientia proba.

tur *Chakemah. sapientia*; &c. Qui ergo *Iiddeoni* in malam partem dicuntur, opponuntur talibus sapientibus, & scientibus qualis fuit *Daniel* cum sociis. Si iam Paracelsici volunt suam Magiam saluare, tenentur probare non fuisse ex Oboth & Iiddeonim, sed Danielis & sociorum professione, quod fiet ad Græcas calendas. Incident procul dubio in *Ezechielis* de *Tyro* Ironiam c. 28. v. 3. Ecce sapientior es *Daniele*: Omne secretum non est absconditum à te: quæ verba oportet Magis Paracelsicis conuenire, si vera sunt quæ *Paracelsus, Crollius, societas Roseæ crucis, liber Rhazielis Agrippæ*, & aliorum magorum iactantiæ cum magno supercilio de se suisque produnt. Verum audient & v. 17. eiusdem capitis: *perdidisti sapientiam tuam*, &c. Et quæ Esaias habet c. 19. v. 3. & 10. & 13.

SECTIO XII.

Nachasch. NVm. cap. & ver. 23. scribitur: *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel*: vbi voces sunt *Nachasch*, & *Kesem*: οἰωνισμὸς, καὶ μαντεία. Nachasch scrutationem significat, diuinationē, augurium, *Kesem* quoq; diuinatio est ad futura cognoscenda. Vocant vaticinationem; vnde *Iosua* 12. v. 22. *Bileam* appellatur *Hakosem*, diuinator, Ariolus, μάντις seu μάντης à μαντεύεσθαι, quod est in genere vaticinari ex stellis, volucribus per auguriū, ἐγγαστρίμυθος, οἰωνιστής, &c. Aruspex, augur. Idem *Bileam* Num. 24. v. 1. dicitur auguria quæsiuisse, seu magos adiisse, quos Germani Zauberer excantatores & maleficos vocant. Septuaginta habent οἰωνοὺς, aruspices, seu augures, Hebræis est *Nachasch* diuinator; vnde Nechaschim à Nachasch scrutari. *Kosem* à radice *Casam* est quæ significat diuinare, estq; vox media in bonum, & malum, futurorū prædictionem notans. *Bileam* sane instinctu Dei de Israelitis multa bona prædixit vt c. 23. & 24. Num. est videre. Ille creditur etiam *stellam* notasse quæ apparuit Christo nato, atq; suo vaticinio ex orientali *Arabia Magos* excitasse. Sed si rectè dixit, non est *Kesem in Iacob*, & coniugatum eius est *Kosem*, apparet per se sua professione quidem fuisse improbum magum, & diabolorum cultorem, sed Deum prohibuisse ne quid sinistri de Israelitis pronunciaret, & populo malediceret, vti fecisset si non fuisset impeditus. Ita 1. Reg. 19. 23. Spiritus Propheticus in *Saulem* impium irruit cogitq; carmina sacra pangere. Ita *Iudas* proditor etiam miracula fecit, & *Caiphas* vaticinatus est. Si itaq; *Paracelsus* velit occultare magiam suam nominibus Nachasch & Kesem, quasi his ambigue significantibus contineretur, probare debet diuinationes eius esse naturales, licitasq;, siue sint Physicæ, siue Medicæ, Ethicæ, Theologicæ. At hæc non probauerit quisquam, qui *Crollium* legerit, & species Magiæ Paracelsicæ considerauerit, quique ex fama Roseæ crucis de *Magis Arabiæ, & Mauritaniæ* didicerit, clamantem *Haselmejerum* audiuerit. Illane sit diuina, aut naturalis scrutatio quā *Techellus, Artephius, Agrippa, Tritemius* & similes vsurparūt, & qua *Apollonius Thyanæus* absens vidit quę Romæ agerentur, quod & *Paracelsus* per spiritus syderos, equos syderos (quibus putat magos Orientales vectos esse, nō Dromedariis cursoribus) discum lunæ *Gabaliam*, & alia stultitiæ magicæ instrumenta fieri posse profitetur, & impuri magi in speculis, crystallis, aliisq; rebus conantur. Quando dicent verè Paracelsistæ: *non est Nachasch* (sine distinctione) *in Paracelsica, nec Kesem in Theophrastia?* Sunt quidem aliqui, qui istas vanitates explodunt, aut saltem tacendo prætereunt, vt *Seuerinus*, & alij paulo religiosiores. Interim nihilominus *Magiam* non repudiant; imo aliqui à Medicis Hermeticis etiam exigunt, & per eam mirifica promittunt, vt armaturæ seu *Panopliæ Achilleæ* faber, &c. *Rogerius* Magiam tanquam diuino, & humano iure vetitam reiicit, argumento, quia *naturæ & artis potentia possimus consequi mirabilia*, qualia in illo libello describit. Sed quid verba prosunt vbi rerum testimonia desunt? Miser *Crollius* est tantum verbis magus. Rem si requiras sine parhedrorum spirituum ope vbi inuenies? Ita vbi est ista *panoplia*, & alia promissa magica ex demonstrata natura? Mira potest is, qui rerum *antipathias* & *sympathias* callet, & scit sua suis accommodare. Sed quæ magi istis iactitant, ferè omnia sunt vanitatis inanissimæ commenta.

Kasam. Kosem. Kesem.

Bileam magus licet & vates.

Equi syderei Paracelsi, h. e. diaboli exportatores.

SECTIO XIII.

Magi Deuteronomii. DEuteronomij 18. v. 10. & 11. quasi in cumulum coniiciuntur multa magorum prohibitorum genera: *Non inuenietur in te*, inquit Deus, *qui Ariolos sciscitetur, seu Arioletur ariolationes* (Kesamim Cosem) *aut diuinans diuinationes. 2. & Meonen*, atq; *3. auguria: nec sit. 4. maleficus, nec. 5. Incantator*; *neq; 6. qui pythones cōsulat, nec. 7. diuinos*, Græci reddiderunt. 1. μαντευόμενος μαντείαν, 2. κληδονιζόμενος, 3. οἰωνιζόμενος. 4. φαρμακὸς, 5. ἐπαείδων ἐπαοιδὴν, 6. ἐγγαστρίμυθος, 7. τερατοσκόπος, quasi dicat vaticinans vaticinia, consulens diuinos, auguria captans, veneficus, incantator, ventriloquus, prodigiator, seu qui monstra, signa, prodigia, & exta interpretetur. Hæc ferè & de *Manasse* scribuntur. 2. Paral. 33. v. 6. *Ariolandi artem exercebat*: Hebr. Onen Græcè ἐκληδονίζετο; *sectabatur auguria*, Nichesch, οἰωνίζετο, *maleficis artibus inseruiebat*, Kischeph, ἐφαρμακεύετο, *faciebat ventriloquos*, Ob, ἐγγαστριμύθους *& incantatores* Iiddioni; ἐπαοιδούς. Sic & 4. Reg. 17. v. 17. diuinationes magicæ & auguria taxantur, & c. 21. v. 6. de *Manasse* iterum *quod ariolatus sit seu futura per magos sit expiscatus, feceritq; pythones, & aruspices multos*, vbi septuaginta aliis vtuntur vocibus ἐκληδονίζετο, οἰωνίζετο, ἐποίησε θελητὴν (ἐγγαστριμύθους) καὶ γνώστας ἐπλήθυνε. &c. Ebr. Kesamim, Nechaschim. Conferantur cum his species magiæ Paracelsicæ, quanquam is cum suis nomina eiusmodi aliquando excuset, aliquando vt suspecta reformidet. *Prima species* magiæ est *ex signis* præter, aut supernaturalibus *diuinat*. Hunc Græci in Deuteronomio vocant τερατοσκόπον. Ebræi dicunt *Iiddeoni*, à sciendo: *Species secunda* vocatur *magica transfiguratiua*, qua vsi sunt *Iannes* & *Mambres* tempore *Mosis*, quanquam discrimen faciat *Paracelsus* scribens *hanc suam magiam fieri iuxta processum quartæ Astronomiæ* (Quidam Paracelsista Vratislauiensis Ioh. Kinast Astronomias illas quatuor vocat *scientias*, quarum prima sit *Naturalis*, in lumine naturali, & firmamento, qua

Manasis magia.

Collatio cū speciebus magiæ Paracelsicæ.

totus

totus *Microcosmus* sit conclusus, & quæ operationem suam perficiat per *cerebrum hominis*, vel in æterna sapientia per *Hylech*, vel mortali per *anarethum*: *Secunda supernaturalis*, in qua sit sanctitas, & beatitas, verumq; lumen diuinū æternæ sapientiæ, ad eos spectans, qui sint in regeneratione, & vita noua, orta ex Christo, & per suos reuelata: *Tertia fidei fidelibus data*, qua *omnia ea possint quæ naturale cœlum*, atque etiam plura per fidem. Est bona vna, altera mala: *Quarta Sathanica*, in qua sit damnatio, & Electitas pertinens ad Iudæos, gentiles, Turcas per *naturale firmamentum*, tendens in paludem Gehennæ per *Leuiathan*, *&c.* quæ si Paracelsus * intellexit, transfiguratiua Magia non est bona.) Cognitum autem supra est, quinam fuerint isti Magi transfiguratiui, nempe Chartymmim, & Mecassephim, venefici, & incantatores, quos Græci in Deuteronomio vocant φαρμακοὺς, καὶ ἐπαοιδοὺς ἐπῳδὰς; apud *Manassem* Kissephim, & Iiddeoni. *Tertia species est characteralis*, qua fiunt verba habentia omnem virtutem quam astra, & omnem vim quoque medicamentorum medici, vt arte fieri hæc possint ea, quæ per naturam alias eueniunt. Quis non dicat hanc speciem ad *Incantatoriam* referri cum per verba excantentur morbi? Hebræi in Deuteronom. habent vocabulum *Chober* à radice *Chaber*, quæ significat *excantare*, & coniurare, hacque arte serpentes, & alias bestias congregare. *Quarta species vocatur Gamahæos*, quæ docet facere signa *Gamahæa* quorum vi possimus clauium vice fungi, & feras aperire, omniaque consequi quæ instrumentis mechanicis solent. Itaque optima esset in bello contra hostes, si licita. *Excantatoriæ* Magiæ hæc quoque est, vt & *quinta species faciens homunculos*, seu Imaguncùlas, quibus si quid mali feceris, id statim ei contingit quem repræsentant. Itaque & ad veneficia, & maleficia referri potest. *Paracelsus* vt ex hac læsiones veniunt, quales notoriæ pharmaceutriæ, & sagæ procurant, ita ex eadem remedia petit, irridetque religiosos illos, qui magicè inflictos morbos nolunt contraria magia sanare. Ebræi Meonen appellant fascinatores, & ligatores amantium: quorum proculdubio sunt etiam artes veneficarum. *Sexta est celerrima* illa rerum procul dissitarū cognitio & præsentatio, qua *Thyaneus Ephesi* cognouit interitum Imperatoris Romæ; qua *Tritemius* (& alij Escas peregrinas, & vina pene momento comparant, ita vt quod natura potest per 100. passus, id magia hæc efficiat per 100. milliaria Germanica: quod natura anno, id hæc ars mense, &c. Est *Cabalistica* quam reducere possumus ad *Cledonismum*. Est enim κληδονίζειν diuinos consulere, diuinare, famam captare: quod apud Ebræos est *Onen* in historia Manasses, vnde & *Meonen*. Quid iam dicendum de cæteris speciebus Astronomiæ Paracelsicæ, *Nigromantia* (ex spiritibus duobus mortalibus quos homo mortuus dicitur post se in terra relinquere, quorum vnus est elementalis, alter sydereus) *Nechomantia*, quæ est cognitio secretorum per Diabolos, qui *Flagæ* nuncupantur; & *Astrologia*, qua cognoscitur operatio cuiusq; stellæ diurna, & quid quæque possit perficere in inferioribus: quæ omnia cum reliquis monstris in ista sagace philosophia directè incurrunt in iudicium Dei de diuinatoribus & magis? In Deuteronomij loco *Menachesch* est is, qui dies inquirit, & ex eis vaticinatur, sicut Paracelsi Astrologus. *Nachasch* inquirere est, & ominari. *Mecasscheph* est præstigiator, Magus. *Casaph* maleficam magiam exercere: sed de hac & cæteris ante. Quod autem *Kesamim* pythones à septuaginta etiam ϑελήται dicuntur, id videtur propter voluntariam promptitudinem, & expeditam operam in respondendo fieri. γνωσταὶ à cognoscendo nomen habent, vti Aruspices, Extispices, Arioli, augures, solent. Dicat autem aliquis ista omnia in Deuteronomio ideo vetita esse, non quod per se sint mala, sed ne Israëlitæ à verbo Dei per ea auerterentur, sicut *Paulus* Philosophiam non repudiat, sed tantum iubet cauere ne per eam decipiamur. Sed textus apertus est: *Omnes qui hæc faciunt abominatur Dominus. Gentes istæ augures & diuinos audiunt*: (κληδονιζομένων καὶ μαντειῶν ἀκούσονται *Meonenim*, *Cosemim*) *Tu autem non sic*: σοὶ δὲ οὐκ οὕτως ἔδωκε κύριος, &c. Obiici potest ex simili. Cum *Gretsero* opponeretur locus ex Luc. 22. v. 25. 26. *Reges gentium dominantur*: vos autem non sic: negabat temporale dominium & ius gladij materialis prohibitum esse Apostolis, quia termini NON SIC, *non rem, sed modum rei tantum designent*, quasi possent dominari gentibus Apostoli, *sed non ita superbè*, fastuosè, pompose *vt reges*. Ita & hîc Paracelsista posset dicere non prohiberi diuinationes, magiam, & cæteras augurandi species, sed tantum modum seu qualitatem, vt auguria captare quidem liceat, sed non eo modo quo gentes. Verum qui considerat vim, & seueritatem mandati facilè repudiare potest interpretamentum: verba sunt euidentia: *At tu: Non sic dedit tibi Iehouah Deus tuus*. Ab hoc verbo non licet discedere neque ad dextram, neq; sinistram. Esa. 8. 19. *Cum dixerint vobis quærite à Pythonibus & à diuinis* (τοὺς ἐγγαστριμύθους ζητήσατε καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας: Haaboth, Hayddeonim) *qui mussitant, & meditantur* (Hamzaphzephim, vehammahgim; κενολογοῦντας, οἳ ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦσιν) *Nunquid non populus à Deo suo requiret? pro viuis ne à mortuis? Ad legem, & testimonium*. Ita in historia diuitis Luc. 16. Ideo proponitur propheta *Messias audiendus* Deut. 18. 15. Matth. 17. 5. 2. Pet. 1. 16. 17. 19.

Paracelsi Astronomia sunt 1. Magica. 2. Nigromantica, 3. Nechromantia, vbi per spiritus, qui Flagæ dicuntur secreta hominum explorantur. 4 Astrologia, Vide Paracelsum ipsum lib. 1. philosophiæ sagacis tomo 10.

Transfiguratiui magi.

Characteristica.

Chober.

κληδονίζειν. Meonen.

Menachesch Nachasch. Mecasscheph

ϑελήται, vel ϑελήται γνωσταί.

Vos non sic.

SECTIO XIV.

INsignis locus est Es. 47. v. 9. *Veniet Babyloni sterilitas, & viduitas propter multitudinē maleficiorum & magnam copiam incantatorum*. v. 10. *Fiduciam habuisti in malitia tua. Sapientia tua, & scientia tua hæc eiecit te*. v. 12. *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laborasti ab adolescentia tua. &c.* v. 13. *Stent & saluent te vates cœli, qui contemplabantur sydera, & designabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi, &c.* Hic Hebraici termini sunt. 1. *Cesechaphaych* malefici: 2. *Chabaraych* incantores tui: à *Chabar* Sociare, incantamentis bestias cogere: Intelliguntur & *Habarim* astrologi. 3. malitia tua *Beraathech*. 4. Sapientia tua *Chachmatech*: 5. *Dahthech* scientia tua. 6. *Bachaburaych* incantatores tui. 7. *Hesaphaych* malefici tui. 8. *Hoberei Schamaym* vates cœli. *Hoberim* sunt astrologi

Magi apud Esaiam.

Hoberim astrologi.

Choſim
Sternpropheten.

aſtrologi, qui ex aſtris futura prædicunt. Conuenit cum *Chabar*. 9. *Hachozim Baccocabim*. Chozim ſunt vates, vel videntes in ſtellis futura, *Chaſah* eſt videre. Septuaginta reddiderunt. 1. ἐν τῇ φαρμακείᾳ. 2. ἰσχύι ἐπαοιδῶν. 3. πορνεία: 4. σώσεις. 6. ἐν ταῖς ἐπαοιδαῖς. 7. φαρμακεία. 8. ἀστρολόγοι τοῦ οὐρανοῦ. 9. οἱ ὁρῶντες τοὺς ἀστέρας. Hæc omnem *Paracelſi & Crolly Magiam, Aſtrologiam, Characteriſticam, Cabaliſticam, Nigromanticam, Necromanticam, Signatum*, & alia diuinatoria commenta circa voluntaria, & ſecreta illa quæ prædicant ſciri iſtis artibus poſſe, proſternunt. Facta enim omnia ſunt quaſi ſtipula, nec potuit vel *Crollius*, vel *Paracelſus*, aut alius huius factionis ſine ſpirituum commercio promiſſis ſuis, & prædicationibus ſatisfacere. Eſ. 44. 25. Irrita facit Deus ſigna diuinorum, & Ariolos in furorem vertit. Itaq; faceſſere iubeantur, cum falſa ſua doctrina.

Sectio XV.

Magi Nabuchodonoſoris.

INcidit in ſuperioribus aliquando mentio etiam diuinationum, & vatum, *Magorumq́; Danielis*: verum ſparſim, & ex parte tantum. Videndum de loco toto. Cum *Nabuchodonoſor* ille magnus Rex Babylonis ſomnio quodam turbatus eſſet, neq; tamen vel ſomnium meminiſſet, vel eius interpretationem ſciret, inquit *Daniel* cap. 2. v. 2. Præcepit rex vt conuocarentur *Arioli, Magi, Malefici, Chaldæi*. v. 4. loquuntur cum rege ſoli *Chaldæi*, & v. 12. & 24. *Sapientes Babylonis*, vt hæc vocabula generica eſſe intelligamus. v. 27. *Daniel* nominat *Sapientes, Magos, Ariolos Aruſpices*, qui omnes nequeant myſterium indicare. Rurſus in alia viſione eiusdem regis Dan. 4. v. 3. introducuntur *ſapientes Babylonis*, qui ver. 4. vocantur in ſpecie *Arioli, Magi, Chaldæi, Aruſpices*, qui non potuerunt quæſtionem ſoluere. Opponitur autem eis *Balthaſar*, ſeu *Daniel*, qui dicitur *Spiritum ſanctorum Deorum habere in ſemetipſo ad omne arcanum ſoluendum*. Dan. 5. in viſione Regis *Belſatzar* v. 7. introducuntur denuo *Magi, Chaldæi, Aruſpices*, quibus iterum v. 11. & 14. opponitur *Daniel Spiritum Deorum ſanctorum habens in ſe cum illuminatione, intelligentia, & ſapientia diuina*. Vocatur ibi & *princeps Magorum, Incantatorum, Chaldæorum, & aruſpicum, quia Spiritus amplior, & ſcientia, intelligentiaq́; & interpretatio ſomniorum, cum ſolutione ligatorum & oſtenſione ſecretorum inuenta ſint in eo*. cap. 2. v. 48. *princeps prouinciarum, & cunctorum ſapientum Babylonis magiſtratus* dicitur. Quod diſcrimen eſt inter *ſapientem verum* & apparentem ſeu *ſophiſtam*: inter vates ſeu Prophetas Dei, & Prophetas falſiloquos Diaboli; id eſt, inter *Danielem* & *Magos* Babylonis, qui fuerunt iſto tempore, fieriq; potuit, vt à *Daniele* & ſociis noua ſapientiæ profeſſio introducta ſit, & aliqui ex *Magis improbis* correcti, de quo ſane non dubitandum exemplo *Magorum Chriſti*; ſeu philoſophandi ratio immutata ſit cum Theologia, quanquã vt fieri ſolet, nunquam in hoc ſeculo poſſint tota zizania eradicari, ſuppullulentq; ſemper noua, imo & ea degenerent quę prius bona fuerunt ſemina. Nomina dictorũ ſapiẽtum ſpecialia apud Ebræos ſunt cap. 2. v. 2. 1. *Chartymmim* de quibus ſupra. Græci ἐπαοιδοὺς Incantatores dixerunt. 2. *Aſchaphim* Græcè μάγοι, & accipiẽtur Philoſophi, & Medici Phyſici; à radice *Aſchaph*. Cõprehenduntur & Aſtrologi, vt intelligere poſſimus fuiſſe profeſſionẽ Phyſicam & Medicam. *Schinlerus* citat *Strabonem* dicentẽ *Philoſophos Chaldæos* dictos in Babylone habitationẽ, ſeu Collegium habuiſſe. v. 10. inquiunt Chaldæi: *nullus rex eiuſmodi rem interrogat Aſchaph, & Caſdai* ἐπαοιδὸν καὶ χαλδαῖον. Qui ergo à ſeptuaginta prius *Magi* dicebantur, ij iam ἐπαοιδοὶ Incantatores, qui & *Chartymmim*, q. perinde ſit quib. vocabulis eos nomines, videaturq; Collegiũ Philoſophorum Babyloniæ eodẽ veneno fuiſſe infectum. 3. *Mecaſphim*: τοὺς φαρμάκους maleficos vocãt Græci à *Caſaph*, quod eſt præſtigias facere, de quo ſupra. Solet alias diſtingui inter *veneficos, & præſtigiatores*. Illi. n. nocent veneficio vt ſagæ, ſtriges, pharmaceutriæ (Unholden/ Druten/ Hexen) hi tantũ ludunt homines, faciuntq; vt aliud appareat, vt *aſinus, vacca, equus*, &c. qui homo eſt; aut *arbor*, quod eſt *culmus* ſtraminis: *Chartæ luſoriæ pro breuiario*. Fere tamen ſunt etiam venefici, & incãtatores, vt *Tyridates Simon &c* qui cœnas Magicas, & alia poſſunt repræſentare, vt patrum memoria *Tritemius* Zythobohemus, Zedechias Iudæus, Michaël Sicidites, Eon hæreticus, Triſcalinus, Brachmannus, Paſetes, & non ita pridẽ *Scotus* quidam. In ſabbathiſmis Sathanicis res eſt vulgatiſſima ex quæſtionibus pharmaceutriarũ & ſtrigum. Quidam etiam detruncant homines iterumq; reſtituunt; aliqui deglutiunt homines, equos & alia vt *Fauſtus, Magus ille Bohemus*, & alij ſimiles. Tales quidem *Paracelſus* non ſemper probat, ſi ex ſpirituum malorũ conſortio iſta peragunt. Si vero dicerent, vt *Scotus*, & *Tritemius* cum *Crollio* naturalibus cauſis per *aſcendentes aſtrorum, fidem naturalẽ, & imaginationem*, aut etiam *Gabalin* fieri, facile abſoluerẽtur. Quarta vox apud Danielem eſt *Caſdim*, qui ſunt χαλδαῖοι, dicti à *Keſed filio Nachor* ex *Melcha*, de quo eſt Gen. 22. v. 22. quanquam cap. 11. v. 31. iam nominata ſit vrbs *vt Chaldæorum*. Chaldæos autem ignem pro Deo coluiſſe, & vanitates multas magicas exercuiſſe, notiſſimum eſt. Itaq; & qui *Chaldæum* dicit, ſimul *Magum, aſtrologum* (Chaldæi n. perhibentur inueniſſe iudiciariam aſtrologiam) *Mathematicum, Genethliacum, Pyromanten, Ignicolam, &c.* dicit. Interdum nomen exæquatur *ſapientibus Babylonis*: Et in ſpecie Chaldæi apud Eſaiam c. 47. vidẽtur *Haberè Schamaym* vocari, ſeu vates cœli, quos & *Perſarum Sacerdotes* appellitant, qui cõplexi ſunt ſua profeſſione *Theologiam, Magiam, Philoſophiam, & legũ ſtudia*, cum *aſtrologia* & *medicina*. Verſ. 27. eiuſdem capitis ſecundi repetuntur vocabula *Haccimin* ſapientes σοφοὶ, *Aſephim* Magi, *Chartymmim* Arioli ἐπαοιδοὶ, *Gazerin* aruſpices, quos & ſeptuaginta γαζαρηνοὺς Ebraico vocabulo nuncupant; ϑύτας vel ϑυοσκόους auruſpices, qui inſpectis extis futura prænunciant. *Gaſar* Ebraice eſt decernere, decidere, determinare; vnde putantur *Gazerin* Aſtrologi eſſe. cap. 4. v. 4. Danielis recurrunt *Carthymmaja, Aſchephaja, Caſdaja Rhegaſeraja* incantatores, præſtigiatores, Chaldæi & auruſpices, Græci habent ἐπαοιδοὺς, μάγους, γαζαρηνοὺς, (vel ϑύτας) χαλδαίους: Et ita v. 7. c. 5. vbi omittuntur Chartymmim. Verum nihil refert. Non. n. multum intereſt inter iſtas magorum ſpecies, ita vt videãtur vna nominata cæteræ ſubintelligi. *Paracelſo* non poſſumus tribuere extiſpicium, vti nec voluit eſſe de ſocietate *Strigum*; quin nec cætera admiſerit craſſo gentilium intellectu.

Daniel princeps magorũ, Rab chartymmin, etc. vbi Rab eſt Doctor, magiſter, &c. Vnde Rabbi dictus Doctor creatus. Aliter princeps Daniel eſt ſatraparum, Sar.

Aſchaphim.

Magi & excantatores iidem.

Venefici præſtigiatores.

Chaldæi.

Gaſerin.

Gazarens.

Si vero

Si vero aſſeras eadem fieri naturalibus de cauſis *per hominem ſydereum ex aſtris ſibi magnetiſmo ſuo attrahentem omnem ſapientiam, artem, ſcientiam:* & Aſtrologia Magica, Gamaheis, homunculis, Cabaliſtica, aliiſque modis per verba Magica, characteres, ſpecula, ſigilla, conſtellata, pentacula, ſympathetica, & ſimilia: iam vix erit vllus Paracelſiſta Crollianus quin pedibus eat in tuam ſententiam, & totam Magiam laudet in qua eadem cum Ægyptiis, & Babylonicis magis fiunt, ſed non eadem de cauſa, licet non ſint conſtanter in hac aſſertione, nec poſſint excutere ſpirituum ſocietatem, quos *Paracelſus* vult Dei iuſſu homini apparere ad miniſteria ſiue boni ſint ſiue mali.

Magia Paracelſi nihil differt à diabolica niſi ſanctiori⁊ cauſa ſolo & nudo prætextu.

Sectio XVI.

CONTEMPLEMVR iam etiam loca ea veteris Teſtamenti in quibus Prophetæ, & diuinatores probati occurrunt. Nam religio eſt omnem diuinationem, & futurorum prædictionem negare. Diabolus in paradiſo per ſerpentem loquens vatem magumque primum agebat, ſed mendacem, & fallacem, cum *Euæ* diceret Eſu pomi vetiti fore ſcientes boni & mali inſtar Dei. *Ab hoc didicerunt ſuam magiam ἀϑιοι illi, & Idololatræ in Babylone, & Ægypto.* Opponitur *filius Dei* qui primus eſt veterorum vaticiniorum contra diaboli mendacia prolator, vt legimus Gen. 3. ℣. 15. & ſeq. Hinc principium criticum eſt: *Quæcunque diuinatio profluit ex fonte Sapientiæ primæ ſolius diuinæ, atque adeo reuelatione, Spiritus Sancti, ea eſt legitima. Quæ origenem habet ſpiritum malum, execranda eſt & abominabilis*, adeo vt *Chriſtus*, & *Paulus* noluerint ferre etiam veras enunciationes ſpirituum malorum. *Theologicum vniuocè* eſt ex Dei ſpiritu vaticinandi genus, fitque vel immediate, vel mediate. Sed ſaltem loca notemus. Vaticinium de *Meſſia* Deus ipſe enunciauit Gen. 3. 15. de diluuio Gen. 6. de pace poſt diluuium Gen. 9. de promiſſionibus, & his quæ poſteritati Patriarcharum erant euentura, Gen. 12. & 15. alibique ſæpius. Qua ratione vero per Prophetas reuelet tum voluntatem, tum futura, ipſe dicit Num. 12. ℣. 6. vbi apparitururn ſe Prophetis ait *in viſione vel per ſomnium*: alio modo colloquio amico, vt cum *Moſe.* Sacerdotibus apparuit per *Vrim & Tumim* Num. 12. ad *Bileamum* quoque venit Deus licet magiæ deditum, & ei ſuggerit prænuncianda. Aliis confert ſpiritum Propheticum, cuius argumentum eſt, *congruentia cum verbo voluntatis, & notitia reuelato:* Chriſtus etiam fructum inſpicere iubet; ſi Paracelſiſtæ contendere velint *ſuam Magiam eſſe de hoc Theologico genere*, argumenta demonſtratiua proferre debent, quod hactenus non potuerunt; imo omnia ſua videri volunt *ex naturæ lumine* hauſiſſe. *Gratiæ lumen* eſſe crepant; ſed nihil ex eo demonſtrant, quod ad magiam ſuam diuinatoriam, & mirabilium effectricem pertineat. Hæc dicentes hoſtes, & aduerſarios habemus omnes eas qui putant per cabalam *ſanctis Dei nominibus, verbis, ſcripturis & ſignis poſſe miracula peragi*: qui nobis obiiciunt *ſcalam Iacobi* deſinentem in *Enſoph* per 50. portas intelligentiarum: qui *Cabala Thalmudica* de *Bereſchith*, & *Mercana* mira effici poſſe putant: qui ſcribunt *tam potentia eſſe Dei nomina & characteres, quam Deus eſt ipſe*: qui imaginibus, & typicis ex correlato vim quaſi reflexiuam aſcribunt: qui *benedictionibus* & *amuletis* ſcriptis vtuntur, vt hæretici *Saturnini, Gnoſtici, Baſilidiani*, &c. Qui fidem naturalem, fiduciam intentam, & imaginationem fixam commendant: Vulſus mulierculärum, & ſacerdotum, qui putant magnum quid præſtari pronunciatis verbis, & adiurationibus ex Pſalmis, & aliis: qui orationibus, oleo, aquis luſtralibus, pronunciato nomine Iehouah, Dei, Ieſu (IHSVH ita enim ſcribunt Cabaliſtæ) Michaël, &c. cereis benedictis, companis baptizatis, & ſimilibus id genus innumerabilibus ceremoniis, & rebus maximeque ſacra cruce ficta, picta & aliter formata: qui dicuntur *Theurgi, Exorciſtæ, Cabaliſtæ, Magi, diuinatores, amuletarij*, & aliter. Sed omnes vno argumento refellimus: *Omnes principium petunt. Si profanatione nominis diuini, & abuſu rerum ſacrarum iuſtum & miracula facere: iſtorum ars eſt iſta; Si non:* NON. Demonſtrent licitum eſſe iſtis modis Magiam, & Cabalam exercere. *Orationi ſeriæ* ex mandato Dei multum tribuimus. Sed hæc Theologica eſt, non Magica & Cabaliſtica: habet promiſſionem, & exempla exauditionis: non autem Cabaliſtæ. *Cabaliſtica* illa ne in veterum magorum quidem diſciplina ſcripta fundamentum habet, nedum vllibi in Sacris Scripturis. Eſt enim figmentum poſteriorum Iudæorum, qui ex *Traditionibus fictis* iſta ſua placita extruxerunt, ſuntque ex *Thalmudiſtes* infidelibus Iudæis, qui & de *Schembamphoraſch* multa ſunt mendaciter commentati contra *Chriſtum filium Dei.* Sed videamus num inter *ſocios Danielis*, & *ſapientes* fortaſſe locum poſſint inuenire. Danielis 1. ℣. 4. quæruntur *pueri eruditi omni ſapientia* (chalzemah) *ſcientes ſcientiam* (Iodee-daath) *intelligentes ſcientiarum* (mebine-maddah) *ut tamen poſſent doceri literas, & linguam Chaldeorum*: quibus & ℣. 17. Deus dedit ſcientiam & intellectum in omni ſcriptura, & ſapientia: *Danieli vero intelligentiam viſionum* (Hebin chaſon) *& ſomniorum* (chalomoth) Hinc argumentum: *Tres Iudæi in Babyloniam ducti ſapientiam Chaldaicam à Deo nacti ſunt; & Daniel ob intellectum Magiæ conſtitutus eſt princeps Magorum, Chaldæorum & reliquorum ſapientum profeſſione diuina, & laudata: Ergo & Paracelſica Magia habet originem à Deo fundamentumque in diuinis, & lumine tam gratiæ, quam naturæ.* Paracelſus ſane omnia, imo & plus promittit quam vnquam præſtiterunt Chaldæi; *omne donum perfectum à Deo eſt*, inquit, *Magia mea eſt perfectum donum perfectumque magiſterium. Ergo.* Huic rationi poſtea annectitur *Salomon, Bildat, Moſes*, & alij. Reſponſio: Nego ſequi propter diſsimilitudinem, voluit quidem Rex iſtos pueros diſcere eam quæ putabatur apud Chaldæos ſapientia eſſe: ſed non erat. Itaque Deus eis dedit veram, vt & *Danieli*, qui non ideo conſtitutus eſt *magorum magiſter*, quia cum eis ſenſit, ſed vt à falſitate ad veritatem, ab inſcientia ad ſcientiam, ab opinione diabolica, & Sophiſtica ad ſapientiam veram deduceret, id quod & *Ioſeph* in Ægypto ſtuduit: ſed *Magos* parum habuit audientes. *Societas de Roſea Cruce Magiam Arabum*, & *Mauritanorum*, præſciam futurorum, & conſciam præſentium, & præteritorum proponit: Sed ſi demonſtrabit in Prophetica *à Spiritu Sancto*

De vatibus Ionis veteris Teſtamenti.

Pſal. 145. 19. Iacob 5. 14. 16 Ioh. 16. 24.

Num Magi Paracelſici poſsint inuenire locum inter ſocios Danielis.

Daniel Doctor Magorũ Vt Paulus Doctor gentium.

Act 26. 4. 15. & ſeq.

quem oportet habere vates veros 2. Petr. 1. ℣. 21. & non à *Pythonico* impuro ſcientiam illam eſſe, cogitabimus de reſponſione. *Iacobus* cap. 1. ℣. 17. inquit quidem, *perfecta dona omnia à patre luminum eſſe*: ſed probent Paracelſici ſua facta eſſe perfecta vniuoce dona, & non apparentes bonorum fucos, quibus anima cum corpore inducitur in perniciem. An ignoramus *Sathanam & angelos eius ſimulare angelos lucis* 2. Corinth. cap. 11. ℣. 13. Num ignoramus *opera pſeudoprophetarum & antechriſti* 2. Theſſ. 2. Apoc. 13? Num ignotæ nobis ſunt hiſtoriæ & euenta *Pythonum*, & *Magorum*? De his plura alibi.

Sectio XVII.

Prædictiones & diuinationes bonæ.

AN vero non & aliæ prædictiones, diuinationeſque ſunt licitæ? Imo ſunt tum quæ ex naturalibus cauſſis à Deo inſtitutis, & eius permiſſu prouidentiaque in natura euenientibus dependent, tum quæ ex hypotheſi legum, & hiſtoriarum: tum quæ ſunt interpretationes obſcurorum probabiles, aut neceſſariæ. *Logici* certe ex principiis ſyllogiſticis ſcientias neceſſarias, & probabiles colligunt: Ita ex inductione, ſenſuque & experientia commune. Quis non probet prædictiones de diebus, menſibus, pleniluniis, nouiluniis, Ecclipſibus, & ſimilibus? Si medicus dicat: *Napellus te occidet ſi ſumſeris*; Rhabarbarum purgabit: vinum & panes nutriet; Bezoardica iuuabunt contra deleteria, &c. ſiue ἁπλῶς, ſiue ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ propter cumulum accidentium; iure creditur propter experientiam perpetuam, atque ita de *criſibus* non perturbatis, euaſione, & morte in morbis. Si Politicus magiſtratus, Iureconſultus, aut alius talis dicat, *tu modo fato peribis, quia non ceſſas ſcortari, furari*, & ſimilia capitalia peragere: & ſi addiderit Theologus clauis ligantis poteſtatem habens, æternum peribis niſi reſipueris; vaticinia ſunt iuſta. At talia concedunt quidem Paracelſici, verum nihil ſingularitatis & laudis inde petunt, quia tantum his inhiant quæ vulgus admiretur & diuina eſſe putet. *Scheunemannus Libauio obiicit diuinationem hermineuticam*, quaſi Philoſophi non ſit diuinare. Imo inquam & regis eſt diuinare, & cuiuſuis Interpretis Secretorum. Si non eſt Philoſophi illud, cur Paracelſicum Magum, & Cabaliſtam agis? Ego non quoduis diuinare Philoſophi eſſe dico & probo, ſed id quod ex diuinis, naturalibuſque principiis, & Theſibus ſapientum demonſtratiue, vel probabiliter deducitur. Quid autem dicet nugator ad Platonicum & Ariſtotelicum illud: Dubitare & admirari philoſophiam peperit: & ad illud Plinij, quod tota medicina redacta ſit ad ſtochaſticen? Num tam profunde docti, & acute perſpicaces ſunt Paracelſici veſpertiliones, vt demonſtratiue omnia videant? Verum hæc ad Peucerum, Heilbrunnerum, & alios ablegentur, qui de hac materia ſcripſerunt.

An diuinare ſit Philoſophi.

Sectio XVIII.

AN ergo *in toto vetere Teſtamento nullus eſt locus Paracelſicæ Magiæ, & Cabalæ*? Imo eſt. Nam *principem & patrem diabolum* inuenit in paradiſo protoplaſtos falſo vaticinio decipientem. Vbicunq; eſt ſermo de *Pythonibus, Pythoniſſis, Ariolis, aruſpicibus, Aſtrologis, excantationibus, veneficis, præſtigiatoribus, Inuocatoribus dæmoniorum, Vanis nugatoribus* & ſimilibus, ibi puta Paracelſicos habere ſcholam. Socij ſunt *Iannis*, & *Mambres* apud Pharaonem, omniumque eorum quos hactenus produximus ex vetere hiſtoria. *Bileam* in quantum de ſuo, *anus pharmaceutria* in Endor, *Bileami Arioli, Manaſſis Magi*, & ſimiles ſunt de grege Paracelſi. *Daniel* futurorum prædictiones diuino dono & teſtimonio habuit, impetrauitque ieiunio, & prece, vt & *Ioſeph*. Hi longe abſunt à Paracelſiſtarum moribus. Si quid tamen etiam per improbos velit Spiritus Sanctus expedire, ſint *Bileami, Saulu* impij, *Caiphæ, Iudæ* proditoris, &c. ſocij. Poſſumus eos etiam *Antichriſti* gregibus aſſociare. Num in his valent falſa ſigna, falſæ diuinationes, ſuperſtitioſæ benedictiones, cruces, characteres & ſimilia: verum hæc ſunt magis noui Teſtamenti. *Signatura poſtium Iſraeliticorum* in Ægypto & fidelium Ezechielis 9. nihil facit ad *Characteriſticam* Paracelſi, vt & *Labani Machabæi* inſcriptio, aliaque quæ à vero, & genuino ſenſu in adulterinum à *Cabaliſtis* detorquentur. Occinamus Paracelſiſtis illud quod extat Eſ. 41. ℣. 22. 23. & iubeamus ſine malo Spiritu annunciare futura, & facere ea de quibus garriunt in odium Dei & piorum. Proculdubio audient: *Ecce vos eſtis ex* NIHILO *& opus veſtrum ex eo quod non eſt* (tametſi *Crollius* cum alijs ſui ſimilibus ſtultis ponderoſiſsima, & magnificentiſsima quæque pro-
„ flet.) *Abominatio eſt qui elegit vos.* Adde: Si quid facietis vltra naturam ex veſtra Magia, per ſpiritus
„ parhedros facetos vt Pharmaceutriæ, Tritemius, Simon Magus, Tyridates, Pythagoras, Demo-
„ critus, & ſimiles Magi. Ad veræ Philoſophiæ ſtudioſos ea dicamus, quæ Ieremias ſcripſit captiuis in Babylone cap. 29. 8. *Non vos ſeducant Prophetæ veſtri qui ſunt in medio veſtrum, &* DIVINI *veſtri, & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis* Ebræus habet voces Nebijm & Coſemim: ψευδοπροφῆται, μάντεις vocantur à LXX. (*Roſem* eſt Ariolus, diuinus, magus, quæ futura prædicit à radice *Raſam* diuinare per præſtigias & veneficia vt pharmaceutria in Endor. Solet quidem & in bonum accipi: ſed prohibitio hic malum arguit.)

Roſem.

Sectio XIX.

Magi apud Matthæum. Magi qui dicantur.

NVM *Magia noui Teſtamenti Paracelſicis aſtipuletur*, quærendum eſt. Argumentum quidem facile eſt, quod, *ſi Magia prohibita eſt in vetere Teſtamento, quia pertinet ad legem moralem, non poſſit eſſe admiſſa in nouo*: ſed dicis cauſſa ſcrutemur & hoc. Prima mentio *Magicorum*, & quidem *orientalium* eſt apud Matthæum cap. 2. ℣. 1. qui & Græce appellantur μάγοι, hoc eſt, vt *Suidas* inquit, *qui ſibi attribuunt*

attribuunt falsas imaginationes, quanquam alij velint esse abstrusorum, & in profundo latentium rerum diuinarum scrutatores, & interpretes. *Baronius* ex *Ignatio*, & *Iustino* annotat malis artibus, & incantationibus præstigijsque deditos cognito *Christi* ex stella *Bileami* aduentu ad dominum defecisse. Eadem sententia fuit & *Origenes*, *Basilius*, *Hieronymus*, *Chalcidius Platonicus*, &c. Sed tria genera fuisse dicuntur 1. doctissimorum & abstinentissimorum; 2. Sacerdotum Persiæ; 3. *deditorum inuocationi dæmonum*, qui diuinare & futura scrutari, maleficiaque exercere sint soliti. Horum putatur fuisse & *Mathematica infamis, & Astrologia iudiciaria* prohibita legibus Romanis, anno Christi 18. *à Tiberio* principe, vt & anno 54. Senatusconsulto, cum *Scribonianus* finem principis *Claudij per Chaldæos* esset scrutatus. Aliqui arbitrantur eos sapientiam ab *Histaspe* Rege didicisse. Dictos nonnulli volunt à *Magog* qui fuerint sapientes Persiæ, studiosi rerum naturalium, quasi Persæ sint. Alij *Arabiæ orientalis Philosophos fuisse volunt ex semine Abrahæ & Ketura*. *Saba* enim vnde *Sabæa* regio dicta filius *Iexan* fuit; & *Magodia* regia in *Arabia*. Hæc sententia firmatur scripturis Esa. ca. 60. ℣. 6. & Psalm. 72. vers. 10. vbi de donis *regum Arabum* & *Saba*. Inde venisse & Regina ad Salomonem creditur 3. Reg. 10. quæ & *regina Austri* vocatur Matth. cap. 12. vers. 42. quia & *Æthiopiæ* meridionali imperauit. Ea potest dici à *Salomone* acceptam doctrinam posteris reliquisse, quanquam alij *Danielis* supputatione adiutos velint. Quicquid sit; vnusque videtur de eis loqui ex suo fauore. Veteris Testamenti Magi non benè audiunt: Quid ni Idololatras, & consuetis in Oriente studijs deditos conuerterit Deus ad filium cum Esa. cap. 60. vers. 5. *multitudinem maris, & fortitudinem gentium ad Ecclesiam conuersum iri dicat*, &c. Et *Abrahamum* ex media Idolomania euocauerit? Consentaneum tamen est vt *Abrahamus* non omnino probauit gentilium Deorum cultum, ita & *Magos* istos fuisse probiores. Sed hæc non iuuat *Paracelsum*. Neque enim si illi næuos habuerunt ex consuetudine professionis Orientalis, etiam ipsi licuit polluto esse.

Magi Orientales ex improbitate conuersi.
Tria genera Magorum.
Magia prohibita.
Magos Persia dicta est ab aliquibus

SECTIO XX.

OCcurrit postea *Magiæ* nomen Actor. cap. 8. vers. 9. vbi in vrbe Samariæ dicitur fuisse *Simon*, cui studium μαγεύειν qua dementauerit Samaritanos λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν adeo vt omnes ei auscultauerint, & dixerint οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη, vtpote qui multo tempore Magicis artibus, eos dementasset. (Huic assignatur monumentum cum inscriptione: *Simoni Mago Deo*: sed *Baronius* ostendit falsam esse, & legendum: *Simoni Sago Deo* qui antiquitus erat *Hercules*) Notamus iam infame nomen esse Magum, & Magian, quod amplius patet ex historia, quæ non multum abest ab his quæ Magi Paracelsici produnt, & scribuntur de *Artephio*, *Techello*, *Tritemio*, *Agrippa*, *Fausto*, *Scoto*, *Mago Bohemo*, & alijs. *Crollius* verbis complexus est omnia. *Nihil enim impossibile iudicauit homini sydereo per fidem, imaginationem, & intentionem fixam*, etiamsi non loquatur. Ita putant aliqui cum exportantur *Striges* non elementari corpore exportari, sed *Sydereo*, quia *Paracelso* iudice *homini sunt duo corpora*. Actor. 13. ℣. 6. In *Papho* inuenitur *Magus* ψευδοπροφήτης ἰουδαῖος, *Elymas* vel *Bariesus* vocatus qui fidei prædicatæ se opponit plenus omni dolo, & versutia, filius diaboli, inimicus omnes iustitiæ, inuertens vias Domini rectas. Hæc si de *Paracelso*, *Crollio* & sociis dicere velles, proh hominum fidem quantam Camarinam moueres? Omnes striges in te immitterent. At cum glorientur *se in potestate habere aliorum arbitria*, & *fauores*, quid aliud iactant quam artem *Elymæ*? Si non deprauant vias Dei rectas, cur in sua *Cabala* tam audacter peccant contra secundum præceptum? Cur in scripturis Paracelsicæ exponendis In nomine *Iesu* corrumpendo (scribunt enim IHSVH) in *Iehouah* charactere *crucis*, aliisque tam sunt impij? Actor. 16. ℣. 16. puella est Philippis ἔχουσα πνεῦμα πύθωνος μαντευομένη, & diuinando quæstuosa suis Dominis, *Paracelsici negant se diuinare vi Pythonis*; quia *lumine naturæ & gratiæ eadem. imo longe* plura *atque adeo omnia iudice Crollio efficiant quæ pythonissæ suis spiritibus*. si hoc verum esset, Christi dogma de *pseudoprophetis ex fructibus agnoscendis*, & *probandis spiritibus ad legem & testimonium esset incertum*. Cur autem etiam non præstant id quod tam proterve scribunt? *Rogerius* aliquid dixit: sed quando probauit? Quasi satis sit abnegare *Magian*, & interim eadem opera ascribere arti & naturæ. Actor. cap. 19. vers. 13. *Iudæi exorcistæ* sunt *Ephesi*, quibus male paruit diabolus appellato nomine IESV: Imo ipse quoque non dubitauit id pronunciare, vt constet *vocabuli nudi vim paruam esse ad dæmones fugandos*, quo refutatur *Cabalistica, Characteristica, verbalisque Crollij, & superstitiosorum*. Videntur autem hi *Exorcistæ* Magi fuisse ex consortio principis dæmoniorum. *Epheseos* enim ambulasse *secundum Principem potestatis aeris, & spiritum*, qui operatur in filiis incredulitatis Ephes. 2. vers. 2. *Paulus* testatur. Ideo & cum credidissent, *combusserunt Magicos* libros continentes ἀργύριον ad 5000. denariorum. Ibidem *Apollonius Thyanæus*, nobilis ille Magus, anno Christi 98. cum publice concionaretur, abrupta concione prodidit *Domitij* cædem quæ *Romæ* peragebatur, vnde *cultus est vt DEVS*, per *parhedros* spiritus ita cognoscens absentia tanquam coram oculis ageretur. Tale quid *Paracelsus* cuidam speciei Magiæ suæ, tametsi opinione alius fundamenti, ascribit. Si legimus historiam *Carpocratianorum*, *Saturnini*, *Basilidis*, & aliorum hæreticorum qui artes magicas exercuerunt, *amuleta* in *Hemmahara*? *Abracux in Amethysto* cum specie *ophiuchi* vel alia de qua *Baronius* tom. 12. pag. 1115. Annal. & anno Christi 120. Sect. 10.) appenderunt, similiaque fecerunt, quæ & sympathetici Paracelsici, non tam ouum ouo similem deprehendimus quam est *Paracelsi Magia* Magiæ impiæ & diabolicæ.

Magi in actis Apostolicis.
Simon Magus.
Striges Sydereo corpore sæpius exportari.

SECTIO

SECTIO XXI.

Prædictiones licitæ noui Testamenti.

Neque Magia, neq; Cabala Paracelsica & Medicina eſſentialis.

IN nouo Teſtamento alias multæ prædictiones ſunt diuinæ, naturales, & morales, eæque licitæ, vt Propheticæ illæ in Apocalypſi, Matth. 24. 2. Theſſal. cap. 2. & aliæ de futuris temporibus, & ſignis vltimi diei multis in locis. Ita 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 3. & 4. verſ. 3. &c. *Qui ergo legitime diuinare volet ex Euangelio, principia immota, & authentica inde peti debet.* Quanti æſtimati ſint *Sibillini libri* à Romanis notum eſt. Non facile aliquid ſine artis præceptis reſponſum fuit. Cur nos nolimus petere fundamenta ex ſacris libris, & ſi nulla ſint vel ἐπέχειν, vel diuinationes reiicere? Quid quæſo cauſſæ eſt cur Paracelſicis nugis velimus fidem adhibere, & *Magiam*, *Cabalamque* tanquam Philoſophis, & Medicis neceſſariam, vt *Paracelſus* garrit, alicuius æſtimare? Ex cœli ſignis quid colligere debeamus extat Matth. 16. ℣. 2. Luc. 12. 54. cap. 21. 30. & alibi. Non autem ſunt timenda pijs eo modo quo gentes ea timent, *quarum leges ſunt vanæ.* De Ethicis prædictionibus res palam eſt, vt & de medicis. Patet quicquid licitum eſt in Magia id vel ſine *Paracelſi* ſagaci aut *adepta Philoſophia* pridem in ſcholis Chriſtianorum viguiſſe, & adhuc florere. Quicquid autem *Magicam & Cabaliſticam*, id eo iudicio damnari quo *dæmoniaca Magia, & Cabala Iudaica.* Qui vero Phyſica experimenta Magiæ aſſcribit, is non rem & profeſsionem Magicam ſaluat, ſed nomen improbum rei bonæ accommodat. Lege colloquium III. partis II. canicularium Maiolij. Syluam habebis.



D.O.M.A.



D. O. M. A.

PARACELSICA SENTENTIARVM BIBLICARVM DEPRAVATIO EX OSWALDI CROLLII PRÆFATIONE ADMONITORIA, EXEMPLO dicti Paulini 1. Thessal. cap. 5. ℣. 23.

SECTIO I.

ITa loquitur S. Paulus: ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη: Integer vester spiritus, & anima, & corpus sine reprehensione in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Nota marginalis in Codice *Osiandri* ex *Hunnio* est, *per spiritum* intelligi posse nobilissimam animæ partem, quam mentem & voluntatem vocant, quibus homines à bestijs discernuntur: *per animam* reliquas potentias, quæ & ipsæ sanctificari, ac Spiritui Sancto subiugari indigent. *Primasius* gratiam Spiritus Sancti accipit, notatque frequenter spiritum ipsam mentem rationalem; vbi est quiddam tanquam oculus animæ, ad quam pertinet imago & agnitio Dei: Item aliquoties pro spirituali intellectu capi. *Animæ* nomine *cogitatum*, & *corporis*, *opus*, intelligit. *Athanasius* seu *Vulgarius* in explicatione eius loci scribit: *Spiritum* esse donum, quod Thessalonicenses per baptismum iam acceperint, cuius collucens fax sit seruanda, quod tunc corpus & anima coargui nequeant criminis. Ex *Gregorio Nysseno* dicitur, cum homo ex omni animarũ specie, scilicet plantali, sensibili, & intellectiua sit admixtus, cum *spiritum* dicit Apostolus profecto *intellectiuam* expresisse: cum *animam*, *sensibilitatem* ipsam: cum *corpus*, *vitam* nobis inesse ostendisse quæ & in plantis esse comperitur: Ideo precari & optare has omnes per omnia sine querela seruari & vt in cunctis Deo obsequamur. Sed hæc sunt alieniora.

SECTIO II.

VT presius appareat verborum sensus considerandæ sunt tum voces, tum integra enunciatio. Scribit Apostolus non vni homini, sed integræ Thessalonicensium Ecclesiæ ex pluribus verbo Euangelij per se *Paulum* collectæ, quos & *fratres* appellat apud quos Euangelium fuit *per sermonem*, (ἐν λόγῳ) *virtutem* (ἐν δυνάμει) & *Spiritus Sanctus* (ἐν πνεύματι ἁγίῳ) Huic Ecclesiæ, quod apparet ex termino ὑμῶν, tribuit *spiritum integrum*, & solidum ne qua pars hæreditatis cœlestis deficiat: Item *animam*, (vnde vnanimes dicuntur Ecclesiastæ, propter vnitatem sensus seu affectus qua omnes τὸ αὐτὸ φρονοῦσι seu vt est Phil. 2. 5. τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ, &c. vbi de humilitate concionatur Apostolus) & *corpus*, quod est mysticum Christi, sicut & scriptum est Ephes. 4. 13. Donec perueniamus omnes εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, &c. Item *adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus*, in quo πᾶν τὸ σῶμα coagmentatum, & compactum, incrementum corporis facit, &c. *Vnum corpus & vnus spiritus* cuius vnitatem seruare studere debemus per *vinculum pacis*, vt eodem capite scriptum est. Ita & in eadem Epist. ad Thessal. in præcedentibus admonuit, vt starent in Domino, exuberantes ab eodem redditi in mutua charitate, vt confirmentur corda eorum irreprehensibilia (ἀμέμπτοι καρδίας) ca. 5. ait: *Nos qui sumus diei, Sobrij simus induti thoracem fidei*, & *charitatis* & *galeam spem salutis* &c. vt pateat *per spiritum* intelligendũ esse fidei vnitatem, consensumque constantem in doctrina: *per animam* concordiam publicam, & affectum charitatis mutuum: humilitatem & alias animi affectus homine Christiano, & fideli dignos: qualia sunt opera spiritus Galat. 5. ℣. 22. quæ & fructus dicuntur suntque plærique ex genere affectuum spiritualium: vide Roman. cap. 12. *per corpus* autem irreprehensibile totam Ecclesiæ structuram sine macula & vitio, qualem oportet esse Ecclesiam Electorum de qua loquitur *Paulus* Ephes. cap. 5. ℣. 26. & seq. vbi sic *sanctificata*, *& mundata lauacro aquæ in verbo dicitur*, *vt sit gloriosa*, *sancta*, *irreprehensibilis*, *absque ruga*, *& macula*, quam etiam *corpus Christi* vocat *Paulus* cuius membra sunt singuli electi: ibid. vers. 30. 1. Corinth. cap. 12. vers. 13. 27. Rom. 12. vers. 5. Eph. 1. vers. 23.

1. *Thess.* 5.

Spiritus Anima.

* *
*

SECTIO III.

Spiritus quod ſignificet.

QVoniam autem terminus SPIRITVS eſt ex polyhemis, non tantum quando de rebus extra hominem vſurpatur, vt de Deo eſſentialiter, & perſonaliter: de aere, vento, angelis, malis geniis, anima beſtiarum, &c. Verum etiam cum de homine; eius ſignificatio eſt explicanda copioſius, idque ex ſacris, cum de his ſit quæſtio. Primum itaque præclarus & copioſus locus eſt apud Apoſtolum in priore ad Corinth. cap. 1. & 2. ex quo *quatuor Spiritus ſignificationes* elicere poſſumus. Ita eſt 1. Corinth. cap. 2. verſ. 10. *Quæ præparauit Deus ſe diligentibus nobis reuelauit per ſpiritum ſuum*, qui omnia, etiam profunda Dei ſcrutatur. Sicut enim ea quæ ſunt hominis nemo ſcit niſi *ſpiritus* qui in ipſo eſt, ſic quæ Dei ſunt nemo niſi *Spiritus Dei* nouit. Nos autem non *ſpiritum mundi* accepimus, ſed *ſpiritum ex Deo eſt*; vt ſciamus τὰ ὑπὸ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν (chariſmata ſpiritus) quæ & loquimur non verbis humanæ ſapientiæ, ſed quæ docet Spiritus Sanctus, &c.

Spiritus Mundi.

Hîc quæritur quis ſit ille *Mundi Spiritus*. Patet eſſe eum, qui opponitur ſpiritui, quem Apoſtoli acceperunt. Hic cum ſit *Sanctus* cum ſuis chariſmatibus, Iohan. 7. ℣. 39. cap. 14. ℣. 16. 17. cap. 15. ℣. 26. cap. 16. ℣. 7. & ſequent. Actor. 1. ℣. 5. cap. 2. ℣. 4. &c. conſequens eſt *mundi ſpiritum* eſſe malum, vtpote *principem mundi* Iohan. 12. verſ. 31. cap. 14. verſ. 30. qui dicitur *princeps poteſtatis aeris*, ſpiritus qui operatur in filiis incredulitatis: Epheſ. cap. 2. verſ. 2. *Sathanas* transfigurans ſe in angelum lucis 2. Cor. cap. 11. verſ. 14. *Diabolus* à quo captiui tenentur hi qui veritati reſiſtunt, 2. Timoth. 2. verſ. 26. *Deus huius ſeculi* 2. Corinth. cap. 4. verſ. 4. qui ex cæcat mentes infidelium: *Rectores mundi tenebrarum* huius ſeculi, ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: Epheſ. cap. 6. verſ. 12. Hic ergo duo ſunt ſpiritus ſecundum eſſentiam, *vnus ſanctus, ſpiritus veritatis*, (quem mundus non poteſt accipere, quia eum nec ſcit, nec videt: Apoſtoli autem cognouerunt manentem in ſe & exiſtentem: Iohan. 14. ℣. 17. *Alter malus*, Diabolus, *pater mendaciorum, & homicidii* Ioh. 8. ℣. 44.

Spiritus etiã dona dicuntur.
Sapientia mundi.

Deinde aliæ duæ ſignificationes ſunt ex prioribus reſultantes. Nam vt *chariſmata Spiritus* Sancti itidem appellantur *Spiritus*, potiſſimumque in loco propoſito, doctrina, & ſapientia Dei intelligitur: ita & diaboli ſuggeſtiones, & doctrinæ Spiritus vocantur. Hæ duæ doctrinæ & ſapientiæ à *Paulo* ſic declarantur. I. De Sapientia mundi ait: *Perdam ſapientiam ſapientium, & intell gentiam intelligentium reprobabo* Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi, à qua *ſapientes ſecundum carnem* appellantur 1. Corinth. cap. 1. verſ. 19. & ſeq. qui σοφοὶ εἶναι φάσκοντες ἐμωράνθησαν: Roman. 1. verſ. 22. quorum etiam Philoſophia proximi Deo, & amici Dei, quinam ſint exiſtimati, diſcere eſt ex *Platone, Ariſtotele, Pythagora, Hermete, Ægyptio*, & aliis *Magis*, quorum placita hodie Paracelſici miris modis efferunt, vt in Crollianis videmus. *Deus autem eligit, ſtulta & ignobilia mundi*, ne qua caro gloriari poſſit apud eum. Itaque & doctrinam crucis propoſuit, qua mundus ſtultam prædicationem vocat, cum ſit *virtus Dei & ſapientia*. 1. Corinth. cap. 1. verſ. 21. *Sapientia mundi Deus cognoſci non poteſt* ibid. verſ. 20. *Animalis enim homo non cognoſcit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia eſt ille, nec poteſt intelligere* 1. Corinth. 2. ℣. 14. Apud Deum ſapientia mundi eſt ſtultitia cap. 3. verſ. 19. Eſt *deceptrix Philoſophia*, quam cauere fideles iubentur: Coloſſ. 2. ℣. 8. vbi & *inanis fallacia* appellatur, quanquam à *Paracelſis Magis*, qui Chriſtiano nomine glorientur, magno æſtimetur. Eadem eſt *doctrina diabolorum*, qua appellatione etiam hæreſis, & Antechriſti doctrina denotatur: 1. Tim. cap. 4. ℣. 1. 2. vt mendacij, & erroris. 2. Theſſal. 2. ℣. 10. 11. His & ſimilibus verbis deſcribitur ſapientia & ſpiritus doctrinæ mundanæ.

Spiritus & Sapientia Dei.

II. *Dei vero ſapientia, & ſpiritus doctrinæ Apoſtolicæ* oppoſitis illuſtratur. Vocatur enim *Euangelium, potentia* Dei ad ſalutem omni credenti, Roman. 1. ℣. 16. *Virtus Dei*, 1. Corinth. ca. 1. ℣. 18. *prædicatio ſaluifica*, quæ quia verbum crucis eſt, ſtulta videtur mundo: verſ. 21. ibid. Ita *Chriſtus nobis factus eſt ſapientia*, nempe ſapientiæ doctrina de Chriſto nobis per ipſum eſt manifeſtata, cum fuerit *myſterium æternis ſeculis tacitum*: 1. Corinth. cap. 2. ℣. 7. Coloſſ. cap. 1. ℣. 26. *quod nemo principum huius ſeculi cognouit: à Deo nobis reuelatum per ſpiritum eius.* Cognouimus enim ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus *chariſmata* eius ſpiritualia, & ſenſum Chriſti. His rebus accommodantur & verba. Philoſophi enim mundani ſuum habent loquendi modum; ſed ſapientia Dei longe alio vtitur ſermone de quo *Paulus* agit. 1. Corinth. 2. verſ. 1. *Non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ* (Eloquentiæ Oratoriæ, aut Platonicæ) *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* Ita & cap. 2. verſ. 13. Hinc facile iudicari poteſt quid ſentiendum ſit de Paracelſicorum Magorum præſumtione, qui cum aliquam voculam apud *Pimandrum*, vel *Aſclepium Hermetis, Platonem, Pythagoram, Ariſtotelem, Ciceronem, Iamblichum, Proclum*, & ſimiles inueniunt, conſonantem vocabulis Spiritus Sancti, ſtatim inde eliciunt mirifica myſteria, vt videre eſt in ſcriptis *Agrippæ, Marſilii Ficini, Tritemii Pici, Piſtorii, Crollii*, & aliorum Magiæ admiratorum. Verum *Paulus* iſta ſtultitiæ mundanæ titulo complectitur. Cæterum quod nomine *Spiritus* iſta ſignificentur, patet etiam ex aliis locis ſcripturarum, vt Geneſ. cap. 6. verſ. 3. vbi Deus loquitur *de ſuo ſpiritu hominibus communicato*, qui eſt Dei verbum, &c. *Spiritus oris Domini* 2. Theſſal. cap. 2. verſ. 8. Oſeæ cap. 6. verſ. 5. Iohan. cap. 6. verſ. 63. *Spiritus viuificans*, verbum Chriſti. Inde iubemur ſeruare *vnitatem ſpiritus* per vinculum pacis, Eph. 4. ℣. 3. qui deſcribitur in ſequentibus per *chariſmata*, & *doctrinam vnius fidei*, cui opponitur incerta fluctuatio, nequitia, & aſtutia hæretica: Item ℣. 17. 18. *vanitas ſenſus gentilium*, qui habent tenebris obſcuratum intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum, &c. vocatur & *veritas in Ieſu*, alias *ſpiritus veritatis*: verbum Dei verum, ſpiritus Chriſti, in quo ambulare dicuntur ſecundum doctrinam, & vitæ modum, qui in vnitate fidei cõſentiunt. Inde *ſpiritus iudicantur*, ſeu *doctrinæ* quæ pro ſpiritualibus proponuntur 1. Ioh. 4. Num. 11. 17. Deus de *ſpiritu Moſis*, ſeu ſpiritualibus donis demit, & tradit

ſeptuaginta

ſeptuaginta iudicibus. 4. Reg. 2. ℣. 9. *Eliſæus* duplicem ſpiritum *Eliæ* petit, qui eſt *gratia doctrinæ & miraculorum*, aliorumque donorum ſpiritualium. His qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo, 1. Corinth. 6. ℣. 17. quanquam hæc complectatur etiam plura, *vt dilectionem Dei, & obſeruationem mandatorum* Iohann. 14. ℣. 21. 22. *Diſcernere ſpiritus* eſt chariſma Spiritus Sancti 1. Corinth. 12. ℣. 10. à ſpiritibus impoſtoribus dignoſcere. Id autem potiſſimum eſt doctrinarum. Nam vita, & mores ſæpe ſunt hipocritici. Id declaratur 1. Iohan. 4. per confeſſionem doctrinæ de Chriſto, Ita Epiſt. 2. ℣. 9. γνώσμα eſt doctrinæ. vide Sap. 8. & 9. cap. vbi de ſpiritu Dei, & ſapientia: & cap. 7. ℣. 22. vbi in ſapientia eſt ſpiritus intelligentiæ, &c. Prouerb. 1. ℣. 7. cap. 8. & 9. *Spiritus prophetæ* nihil aliud eſt quam doctrina Spiritus Sancti, quæ & ipſa Spiritus dicitur; cui opponitur *ſpiritus vertiginis*: Prouerb. 29. *vniuerſum ſpiritum* effundit ſtultus: Et Ezech. 13. ℣. 3. Prophetæ inſipientes ſequuntur *ſpiritum ſuum*, vident vana, diuinant mendacium, &c.

Sectio IIII.

SVnt & aliæ ſeu declarationes, ſeu ſignificationes Spiritus in ſacris, quas & ipſas excutere oportet, ne Magi Paracelſici dicant ſua eſſe præterita. *Caro* quo modo in ſacris accipiatur ex pluribus locis eſt notum. Ei ſæpe opponitur *ſpiritus*, vt Iohann. cap. 3. verſ. 6. *Quod natum eſt ex carne caro eſt*; (non tantum naturali generatione ex parentibus, ſed & ſecundum imaginem generantis quo modo Adam genuit filium ad imaginem ſuam conceptum in peccatis, & natum, &c.) *Quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt*, vt fit in regeneratione per aquam & ſpiritum in verbo. Hinc *homo ſpiritualis* dicitur, inde *carnalis*, & ille deſideriis ſpiritualibus agitatur, hic mundanis iuxta appetitus carnales. Roman. cap. 8. verſ. 5. *Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: Qui ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus.* Illud mors hoc vita eſt. *Sapere enim carnis inimicum eſt Deo.* Pij, & Electi in carne non ſunt, ſed in ſpiritu, ſi quidem Spiritus Dei habitat in ipſis. Vtrorumque fructus & opera recenſentur Galat. cap. 5. verſ. 16. 17. & ſequent. vbi caro & ſpiritus contrariis agitant hominem concupiſcentiis. Ad carnem etiam deprauata doctrina & elementa exhauſta mundi pertinent: Galat. cap. 3. verſ. 3. vbi qui fide ſalutem acquiri didicerant, ad opera legis deuoluebantur, qua de re etiam agitur Coloſſ. cap. 2. verſ. 8. & ſequent. Geneſ. cap. 6. verſ. 3. Homines carnales Spiritus Dei imperium excutiunt. Matth. 26. verſ. 41. *Spiritus promtitudo*, & *carnis imbecillitas* opponuntur, Apoſtolis quidem confidentibus ſuo ſpiritu, & animoſitate, ſed labaſcentibus infirmitate carnis. Eſt & cum *Spiritus Dei* opponitur *ſpiritui noſtro*, vt Roman. ca. 8. verſ. 16. Spiritus Dei teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei, vbi ſpiritus noſter eſt ex verbo Dei concepta fiducia, qua confirmat ſubinde Spiritus Sanctus, & infirmitatem noſtram ſubleuat, ibid. verſ. 26. 1. Corinth. 5. verſ. 3. *Paulus abſens corpore præſens eſt ſpiritu*, cura nimirum ſpirituali, & verbo doctrinæ per literas communicatæ. Ea ſpirituali poteſtate, quæ eſt abſolutionis, & ligationis in Eccleſia, cum virtute Chriſti vult Sathanæ tradere inceſtum in interitum carnis, vt ſpiritus ſeruetur. Ibi ſpiritus Pauli eſt, poteſtas ſpiritualis; eſt ſpiritus inceſtuoſi pro anima, vel potius totius hominis ſpirituali ratione, vt carnalis intereat, ſpiritualis autem ex conuerſione ſaluetur. 1. Corinth, 14. verſ. 14. & 15. *Spiritus* opponitur *menti*. *Si orem lingua*, inquit Apoſtolus, *Spiritus meus orat: mens autem mea ſine fructu eſt*, nimirum apud alios: vbi ſpiritu orare eſt verbis ſuppreſſis, aut lingua cæteris ignota interna intentione mentis orare, quæ eſt cogitatio, & vicinæ vires, quæ aliis non patent. *Spiritus* interius principium eſt: *mens* (*νοῦς*) foris percepta ſententia, quod patet ex his verbis: *Vos ſi ſectatores eſtis ſpirituum ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt excellatis. Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur*: Illud ſpiritus eſt; hic mentis ſeu ſenſus qui colligitur ex orationis interpretamento. *Orabo ſpiritu* inquit Apoſtolus: *orabo & mente*: *canam ſpiritu, canam & mente.* vide & reliqua. Nihil tamen vetat etiam idem vtrumque eſſe, vt cum dicimur mente intelligere & ſpiritu; Spiritus mentis pro intellectu eſt. Nam ſine relatione ad alios mens dicitur ea phraſi, quanquam ſubtiliter diſtingui poſſit vt ſpiritus ſit intellectus principium, ſeu poſſibilis intellectus in anima ſpiritu animali adiutus: mens ipſe intelligendi actus. Ita *νοεῖν* intelligere eſt Græcis; & *νόημα* enunciatum intellectus, *νοῦς* intelligendi potentia. 1. Corinth. cap. 14. verſ. 32. *Spiritus prophetarum* Prophetis ſubiiciuntur, ad vitandam confuſionem, vbi ordo donorum, & gradus officiorum notantur, ne quis inferior ſpiritu, ſeu ſui æſtimatione, & *φιλαυτία* elatus ſuperiorem contemnat. Spiritus hic eſt affectus cum donis ſpiritualibus, & de ijs æſtimatione. Sed & alibi *varij affectus nomine ſpiritus enunciantur*, vt Luc. cap. 9. verſ. 55. *Neſcitis cuius ſpiritus filii ſitis*, nempe non iracundiæ, & vindictæ, ſed humilitatis, & manſuetudinis. 1. Corinth. ca. 5. verſ. 21. *In virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis.* Iohan. cap. 11. verſ. 33. *Infremiſcit Ieſus Spiritu* vt & cap. 13. verſ. 21. Geneſ. cap. 45. verſ. 27. *Spiritus Iacobi* reuiuiſcit. Roman. cap. 8. verſ. 15. *Spiritus ſeruitutis* in timore oppoſitus *ſpiritui adoptionis* confidenti: 2. Timoth. cap. 1. verſ. 7. Non dedit nobis Deus *ſpiritum timoris*, ſed *potentiæ dilectionis*, & *modeſtiæ*. Actor. cap. 9. *Saulus* ſpirat minas. Prouerbior. cap. 15. verſ. 13. & cap. 17. verſ. 22. Eſt *ſpiritus triſtis*, ſeu mœroris. *Anguſtia ſpiritus* Sapient. cap. 5. verſ. 3. Geneſ. cap. 6. verſ. 9. Pſalm. 51. verſ. 14. *Spiritus ſpontaneus*, & verſ. 19. *contribulatus*, vt & alibi. Matth. cap. 5. Pauperes ſpiritu, mœrentes anxij, deſtituti ſolatio. Exaltatio & humiliatio ſpiritus. Prouerb. cap. 15. verſ. 15. 19. *Functiones mentis* quoque deſignat vt 1. Corinth. cap. 2. verſ. 4. Pſalm. 77. verſ. 4. vbi ſe *affligit ſpiritus*, quod Eccleſiaſtes cap. 1. verſ. 14. explicat de contemplatione naturalium & aliorum ſub Sole. Ita Iob. cap. 32. verſ. 8. *Spiritus eſt in hominibus & inſpiratio omnipotentis dat intellectum.* Epheſ. cap. 4. verſ. 23. iubemur *renouari ſpiritu mentis*. Roman. cap. 12. verſ. 11. Spiritu feruentes affectum, & intellectus promti.

Aliæ ſignificationes ſpiritus.

Caro. vide Rom. 6. 3. & ſeq.

1. Theſſ. 2. Aſpectu abſens corde præſens.

Spiritu orare.

promtitudinem comprehendunt. His *ſpiritus Zeli pij* & feruentis doctrinæ non ſunt extinguendi 2. Theſſal. cap. 5. ℣. 19. Eſt & *voluntatis alacritas*, & promtitudo Haggæi cap. 1. ℣. 14. vbi Deus ſuſcitat *ſpiritum Zorobabel*, &c. 2. Paralip. cap. 21. ℣. 16. Dominus ſuſcitat *ſpiritum palæſtinorum* contra *Ioram*, vbi animus conſilium, voluntas bellum inferendi, ni velis intelligere ſpiritus illos quos Daniel nominat cap. 10. ℣. 20. Hier. cap. 1. ℣. 11. Spiritus regis Medorum ſuſcitatur. Eſt & *Eſſentia Incorporea*, & *anima hominis*, principium, & ſpiritus vitæ multis in locis Sap. 16. ℣. 14. cum *exierit ſpiritus non reuertetur*, nec reuocabit animam; vbi ſpiritus vitalis & aura, cuius inſpiratione viuitur, ſignatur. Sic Iacobi cap. 2. ℣. 26. Corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, id eſt, vbi inſpiratio non eſt, argumentum eſt corpus non viuere. Hier. cap. 10. ℣. 14. Non eſt ſpiritus in conflatilibus: cap. 51. ℣. 17. Matth. cap. 27. ℣. 50. *Ieſus* emittit *Spiritum*, ſeu moritur. *Mors autem ſeparatio animæ & corporis* eſt. Luc. cap. 8. ℣. 55. reuertitur *ſpiritus puellæ mortuæ*: cap. 23. ℣. 46. ex Pſalm. 30. ℣. 6. *Ieſus patri commendat Spiritum ſuum*, &c. Et eſt tamen vbi ſpiritus, & anima differenter ponuntur: vt Luc. cap. 1. ℣. 46. 47. In Cantico Mariæ: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo; vbi illud eſt intellectus, hoc affectus. Ita 1. Theſſ. 5. ℣. 23.

SECTIO V.

Apud Hebræos *Nepheſch* anima, aliquando exponitur ſpiritu, & intelligitur habitus qui inſpiratur, aut ventus vel aura: vel anima hominis eſſentialis: quomodo interpretandum illud Gen. cap. 2. Et *factus eſt homo in animam viuam*, ſeu vt Targum explicat, *ſpiritum loquentem, ſeu rationalem*, Pſalm. 150. ℣. vltim. Omnes ſpiritus laudet Dominum, quod intelligunt de omni ſpiritum trahente, omnique gente & lingua, ſed dilatari poteſt. Geneſ. cap. 5. ℣. 18. Egreditur anima in morte. Vide *Schindlerum* in Lexico de vocabulo *nepheſch*, quod ſæpe pro *Rhuach* vſurpatur. Id autem magis proprie ſpiritum ſignificat, quanquam ὁμωνύμως; vt copioſe tradit *Schindlerus* in eius explicatione. Dicitur (inquit) 1. proprie de *vento*, aura, turbine, procella, aere elementali: 2. de *inuiſibili*, ſiue corporeum ſit, ſiue incorporeum, vt: *anhelitu*, qui & ſpiritus vitæ; *Sermone*, qui ſpiritus labiorum Dei; *affectu*, ſeu motu animi, mente, cogitatione, voluntate, ſuperbia, ira, &c. vnde *ambulare poſt ſpiritum ſuum* eſt iuxta cogitationes cordis agere. Lege ibidem varia exempla. Item de ſpiritu animali, & vitali vſurpatur. Patet ex his *nullam in ſacris eſſe ſignificationem Magicam*, qualem ſpiritui tribuunt Paracelſici Magi. Neque enim locus Paulinus de ſingularis alicuius hominis ſpiritu ſeu inſito, ſeu aſſiſtente loquitur, ſed de *ſpiritu Eccleſiæ* totius, cui tribuit Epitheton ὁλοκλήρου, hoc eſt, integri. Integrum autem eſt non deficiens, aut languens ſiue in ſubſtantia ſeu viribus. *Spiritus ille Eccleſiæ* debet eſſe non puſillanimis, aut gradu deminutus, ſed robuſtus, & promtus ad doctrinam cum fiducia (μετὰ προθυμίας) Actor. cap. 17. ℣. 11. μετὰ παῤῥησίας, μεγάλῃ δυνάμει: παῤῥησιαζομένως confitendum, & fidem prædicandam, ne vllo timore afflictionum labefactetur. Talis etiam debet eſſe communis conſpiratio in vnitate fidei, &c.

Inde Rheiach oder & fragrantia Arabice Raiha

SECTIO VI.

Angeli Spiritus.

IN Epiſt. ad Heb. 1. ℣. vlt. *Angeli* dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν: *adminiſtratorii ſpiritus*, qui in miniſterium emittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis. Matth. 18. v. 10. intelligimus cuilibet fidelium angelum cuſtodem eſſe additum, quod & apparet ex Pſalm. 91. v. 11. & alibi totas Eccleſias Angelus Domini circumdat Pſal. 34. v. 8. Dan. cap. 10. verſ. 20. vbi *princeps Eccleſiæ Dei Michael*. Non quidem de his ſpiritibus (Pſalm. 104. verſ. 4. Qui facis angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem fulgentem: quem locum communiter vel de creatione ſecundum eſſentiam interpretantur, vel de apparitione: aliqui intelligunt inuerſim quod dictum ſit; qui ex ventis facis angelos, & ignem in miniſtros vertis, iuxta Pſalm. 148. verſ. 8. vbi ignis, grando, nix, fumus, ſpiritus procellarum ſeu venti faciunt verbum Dei, quod eſt etiam Syracidæ cap. 39. verſ. 22. & ſeq. cap. 42. verſ. 24. Sapient. 16. verſ. 24. Pſalm. 19. &c.) Paracelſici accipiunt locum Paulinum; veruntamen aliquis ſimpliciter quærere poſſit, an non & hinc ſumi queat aliqua declaratio. *Ipſe Deus pacis* (inquit Apoſtolus) *ſanctificet vos totos* (ὁλοτελεῖς perfectos. Iubentur enim fideles ſancti & perfecti eſſe Matth. cap. 5. verſ. 48. τέλειοι: 1. Corinth. cap. 2. σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, inter perfectos, qui iam in fide adoleuerunt, nec ſunt infirmi, dubitantes adhuc de legis obſeruatione & Iudaiſmo, qui informandi ſunt amplius, & lacte cibandi donec adoleſcant in menſuram ætatis perfectæ, εἰς ἄνδρα τέλειον Epheſ. cap. 4. verſ. 13. *& integer veſter ſpiritus* (ὁλόκληρον ὑμῶν πνεῦμα) *& anima & corpus ſine reprehenſione ſeruetur*: quaſi optaret oraretque vt non tantum dona Spiritus Sancti, & harmonia fidei, corpuſque Eccleſiaſticum ſine labe conſeruentur, verum etiam vt Liturgia ſpiritus angelici apud eos vigeat, & conſtanter permaneat, quomodo *Dauid* orat ne *Spiritus Sanctus* ab ipſo auferatur, ſed vt confirmetur *Spiritu ſpontaneo*, qui non tantum poteſt eſſe conſtans propoſitum in Deo colendo, & obedientia fidei, verum etiam *angelus cuſtos alacris*, & promtus, qui arceat omnia, quæ animum eius pie affectum poſſint dubium reddere, aut difficilem. Verum hæc ſaltem ὥσπερ ἐν παρόδῳ attigiſſe libuit. Videamus qualem ſpiritum nobis Crolliana Magia fabricet.

Deus angelos facit quo ſenſu.

* *
*

SECTIO

SECTIO VII.

CVM mirifice admodum de homine differat, sententias quasdam annotabimus ex quibus intelligere possimus quidnam putet esse hominis spiritum, animam, & corpus.

Crollii Spiritus hominis. Homo Paracelsice est quinta Essentia mundi.

1. *Homo* dicitur esse *quintum esse*, seu *quinta essentia maioris mundi* ita vt sit extractum quatuor Elementorum, cœli, aeris, aquæ, terræ (Nam ignem Aristotelis ignorat) pagin. 15. & 38.

2. *Negat hominem disci posse ex homine*, quia ex maiore mundo sit cognoscendus pagin 14: quod natus sit ex cœlo & terra, quanquam pagin. 26. & seq. vltra modum prædicet notitiam ex seipso. pagin. 29. Qui cognoscit seipsum fundamentaliter, cognoscit in se omnia, DEVM quoque, &c.

3. Creatio eius pagin. 29. sic describitur: *Homo mundi copula animal admirandum & honorandum* (alibi magnum miraculum ex Hermete) sexto die LOCO *lapsorum angelorum* post reliqua omnia è limo terræ, seu totius mundi machina, visibili è cœlo, seu cœlestibus sphæris, & terra compacta, videlicet *è subtilissima essentia totius machinæ mundi in vnum corpus concentrata, extrahitur & formatur* à summo spagyro in formam corporalem, nimirum è præstantissimo composito & subtilissimo extracto totius mundi, *ex centro omnium circulorum*, &c.

Nota blasphemias atroces.
Limus terræ Paracelsicus

4. Inde descriptio pagin. 33. *Homo est complementum operum Dei perfectißimum*, totius vniuersi completissima imago, & expressimum Dei simulacrum, in quo velut supremo artificio *consummata est omnis creatoris sapientia, & potestas, quia omnia in se continet, quæ in Deo sunt.* Ita pagin. 35. *Nihil in toto mundo reperitur quod idem non sit etiam in vno homine.* Corpus Physicum Elementare visibile ex terra, corpus inuisibile insensibile sydereum ex astris firmamenti accipiebat, &c. Affingit enim homini *duo corpora*, quanquam pag. 15. 16. etiam sit quadruplex.

Homo quid:

5. *Spiritum vitæ vult residere in corpore inuisibili, vere homo est spiritus sydereus*, inquit pagin. 33. pagin. 32. Corpus visibile ab Elementis habet, sed inuisibile, quod est animæ vehiculum, sydereum, æthereum, astrale à cœlo, seu firmamento possidet. Spiritus sydereus est homo inuisibilis, firmamentum, omnia in se habens. *Homo æternus habitat in anima.*

6. Pagin. 33. *Homo trinunus compositus est trinus in essentia distincta*, ex *terreno corpore, spiritu æthereo*, (schamaijm) *ac viua viuificante anima* à Deo inspirata, & Dei domicilio. Hanc esse quoque sentenciam Pauli 1. Thessal. vltim. in margine notat, & probat. 1. Sacris literis, quia sic *summus creator Trinunus voluerit in homine manifestari*: 2. consensu *Philosophantium è lumine naturæ*, 3. negantium conuictione, quia fatendum sit hominem è Limo terræ per verbum FIAT creatum esse, & *ex ore Dei æternum spiritum* (quem eadem pagin. *eundem facit cum Deo* inquiens: Spiritum seu mentem à Deo habet. *Quid enim aliud est spiritus hominis ab altißimo inspiratus, quam ipse Deus in nobis habitans?*) *Limus* terræ duplex est; visibilis & inuisibilis, corpus ex terra & aqua; vita seu incola ab aere, & igni, id est, firmamento, hoc est, Spiritus sydereus, qui vere homo est non caro, & sanguis.

Homo habet duo corpora Elementare & spirituale: deinde animam. Spiritus duplex esse dicitur, qui & anima duplex mortalis & immortalis.

7. Spiritum illum vberius declarat per hæc effata: *Spiritus sydereus est vita corporis*, sicut *spiritus Domini est vita intellectualis animæ.* Item *duæ animæ*, seu duo spiritus *sunt in homine mortalis* ex Limo, estque vita corporis: *Immortalis* ex Deo. *Spiritus vita est animæ: Spiritus & anima sunt vita corporis.* Pagin. 36. vocatur *astrum* quod nihil aliud sit quam *corpus insensibile*, inuisibile, spiritus viuus, in crescentibus sine, in hominibus cum ratione, cum contra *corpora* sint *astrorum excrementa.* Vocatur & homo sydereus, olympicus, internus, *Gabalis* (inde Gabalistica Magia) *Incorporeus idem cum astrorum firmamento sicut ab edo cum niue est idem.* Hoc sydereum corpus & spiritus attrahunt ad se vires astrorum propter *virtutum magneticarum* affinitatem (vnde *Gamahaos quarta species Magiæ*, qua adiumento artis omnia inuisibiliter, & spiritualiter facere possumus, quæ natura sine arte:) Et quia *in astris firmamenti latere putat omnem sapientiam animalem, artes, scientias omniumque rerum cognitionem*: ideo statuit per spiritum illum sydereum ex cœlo *hominem attrahere omnem notitiam, scientiam, sapientiam, artes: Cœlo omnia esse notißima*, omnes actiones & euentus hominum in astris depictos esse, &c. Verum hæc sufficiant ad spiritus, animæ, & corporis iuxta Paracelsicos cognitionem.

Vere homo (stulta hæc confer cum mysterio incarnationis Christi, & redemtionis nostræ, &c.) Spiritus est incorporeus & tamē corpus, quia iuxta Paracelsicos ex incorporeis nascũtur corpora.

Si itaque audire volumus istas vesanias, & blasphemias, Sanctus Paulus orauerit vt Thessalonicensium corpus Physicum, hoc est, aspectabile, elementare, ex visibili terræ limo factum: Deinde anima, Dei scilicet ipsius essentia ex ore Dei inspirata, & sic secundus hominis spiritus: Tertiò homo verus (quasi prior sit nothus) qui est spiritus sydereus, & internus olympicus (quasi duo sint homines in vno) sine reprehensione conseruetur, ita vt omnes Thessalonicenses sint toti perfecti ex limo crasso Elementari, limo subtili spirituali & astrali, cuius beneficio omnem sapientiam ex astris attrahant magneticè, & essentia Dei inspirata compacti.

Hic cœlum est sapiens, videlicet Hermeticus & Platonicus Deus.
Paracelsica Pauli explicatio.

SECTIO VIII.

VErum ista esse deliramenta, & blasphemias, ex quibus spiritus Paracelsicus innotescit, non est difficile demonstratu.

Nota argumenta blasphemiarum & deliriorum Paracelsistarum.

1. *Istæ sunt improbæ Magiæ* qualem professus est *Agrippa, Tritemius, Scotus, Arthephius, Techellus, Paracelsus*, & similes fundamenta.

2. ***Sunt deliramenta Magorum Chaldæorum & Ægyptiorum*** à ſacris literis exploſa & prohibita Eſa. cap. 47. Hierem. cap. 10. & alibi; quin & *Eccleſia* ſuis decretis eadem deteſtata eſt; & ***Rogerius Baccho*** non inferior Paracelſo, ***Crollio*** & alijs Chymicis negat in libr. ***de mirabili artis & naturæ opere,*** licitam eſſe iſtiuſmodi Magiam.

Magica hominis commendatio.

3. Ex illis fundamentis porro etiam deducitur immodica hominis prout Adamus Eua, aut ex poſteris carnaliter natus eſt cõmendatio, quæ ſuipſius magnitudine ſtatim fit ridicula, inepta, & ſtulta. Inde enim vocatur ***magnum miraculum, Deus*** quidam ***terrenus, vnitus cum Deo, omnia potens quæ Deus, omnia ſciens,*** & vt eſt in margine pagin. 34. ***Mens*** νοῦς, ***anima ſeu ſpiritus rationalis auriga inſtar æterni Dei concludit omnia entia & tempora, & loca:*** Ibidem ***ſocius angelorum*** vocatur ***Gabalis*** (magus) diciturque cum eis eandem habere ſapientiam: ***Anima intellectualis, diuinæ animæ quædam particula appellatur,*** qua ipſa ***Deus mentis ſuæ ſemina quædam in nobis expreſſerit. Sicut Echo: mens in Deum eleuata, cumque ipſo vnita eadem opera efficiat,*** nec ***ſit quicquam in Deo quod ipſum non repræſentetur in homine,*** & ſimilia quæ ipſa dictione ſunt execrabilia.

Homo ſcriptura. Magi Paracelſici loquũtur diaboli voce ſunt momi illudentes Deo. Iob. 15. 12. & ſeq. cap. 7. per totum.

At quid Sacra Scriptura de homine? Ne ſe poſſit euehere vltra hominem dictum eſt ei Geneſ. cap. 3. verſ. 19. *Puluis* es & in puluerem redibis: cumque ſerpens ſciret humilem eius originem, vellet autem ei opinionem conſequendæ diuinitatis inſinuare, ſuggeſſit *ab eſu pomi vetiti fore, ſicut* ***Deum, ſcientem bonum & malum:*** quæ ſerpentis inſinuatio an non à Magis iſtis Paracelſicis iterum inculcatur? An vt ***momus*** aliquis illudunt Deo, quaſi non condiderit talem, quali dignus erat ſpecie? ô diuinitatem illam minutam quam lapſu conſecutus eſt homo. Quid ***Abraham*** Geneſ. cap. 18. verſ. 7? *Puluis* ſum & *cinis*, auſuſque ſum loqui ad Dominum meum. Iob. cap. 25. ℣. 6. Homo vocatur ***tinea,*** & filius hominis ***vermis,*** comparatus ſaltem cum luna & ſtellis. Nunquid iuſtificari poteſt homo Deo comparatus? vide Dei de homine effata Iob. cap. 38. 39. 40. 41. capitibus. Ita Pſalm. 22. verſ. 7. ***Ego ſum vermis,*** &c. Pſalm. 39. verſ. 7. ***homo vniuerſa vnitas,*** quod & verſ. 12. ſcribitur. Hiob cap. 7. verſ. 17. Pſalm. 8. verſ. 5. Pſalm. 144. verſ. 3. Quid eſt homo, &c. Pſalm. 90. ℣. 3. & ſequent. Pſalm. 103. verſ. 14. 15. ***Puluis*** ſumus; homo ſicut ***fœnum,*** &c. Pſalm. 49. verſ. 11. ***Sapientes moriuntur vt ſtulti,*** &c. Pſalm. 62. verſ. 10. filij hominum ſunt ***vanitas,*** & ***omnis homo mendax*** Pſalm. 115. verſ. 11. Roman. cap. 3. verſ. 4. Roman. cap. 8. verſ. 20. ***Vanitati creatura ſubiecta eſt.*** vide Eccleſiaſticæ cap. 1. verſ. 14. cap. 2. verſ. 11. ***Maledictus qui in homine confidit*** Hierem. cap. 17. verſ. 5. cap. 9. verſ. 4. & 24. vbi contra gloriationem humanam, & arrogantiam ſicut & 1. Corint. cap. 3. verſ. 1. 2. Corinth. 10. verſ. 17. Ierem. cap. 8. verſ. 8. Quomodo dicitis ſapientes nos ſumus, &c. Non ſperandum in principibus Pſal. 118. verſ. 8. 9. Pſalm. 144. verſ. 4. & Pſalm. 146. verſ. 3. 4. &c. Quod autem Matth. cap. 17. verſ. 20. cap. 21. verſ. 21. 22. dicitur, ***ſi habueritis fidem vt granum ſinapis, nihil erit vobis impoſſibile:*** & Marci cap. 9. verſ. 23. ***omnia poſſibilia ſunt credenti.*** vide Iob 9. cap. ℣. 11. non habet ſenſum magicum Paracelſiſtarum ſtultorum; ſed ***illa fides eſt donum peculiare Spiritus Sancti,*** non ex natura hominibus, ſed ex gratia, idque non ſemper nec omnibus contingens. 1. Corinth. cap. 12. verſ. 9. 10. Alias ſoli Deo omnia ſunt poſſibilia Matth. cap. 19. ℣. 26. Marc. cap. 14. verſ. 36. Ita ***S. Paulus*** dicit: ***omnia poſſum per eum qui me confortat:*** at idem ſe non poterat eximere poteſtate, neque ægrotantem famulum releuare, mundum creare, redimere, ſe immortalem, & à gladio reddere immunem, &c. Alias qui eſſent homines adeo miſeri? Qui non poſſent Chaldæi & Magi ſeipſos à periculis defendere? 1. Corinth. 12. verſ. 6. 11. omnia operatur Spiritus Sanctus diuidens vnicuique vt vult. Vbi ſunt illi Crolliani homines? Quid verba proſunt, & vanitates perſuaſionum his, qui in omne re, vbi non à diabolo, vel ſuperiore poteſtate iuuantur, ſunt impotes? vide enim quæſo quam horrenda ſint, & Iudæorum execrabili Schemhamphoras affinia, quæ iſte impius, & blaſphemus magus in publicũ eructat, cum ſcribit pag. 46. ***Verus Cabaliſta, Naturalis diuinus Paracelſo*** qui ***prophetis æquiparatur, & cuius mens vnita & coæquata Deo facit omnia quæ vult; vult autem quæ ipſe Deus*** (vah horrendas blaſphemias) ***Dealiter ſupra naturam, fiducia firma, & fide, mirifica miraculorum Ianua, vnico diuiniſſimo nomine*** ἰησοῦν, ***in quo recapitulantur, & continentur omnia*** (eadem Iudæi de Schemhamphoraſch aſſerunt) ***in momento exequitur,*** &c. lege & reliqua, & ea vbi ***Tritemium coram Pico Mirandulano ſcribit ſe in varias formas transfiguraſſe.*** Sed paucis conſideremus ſupra poſita deliramenta.

Phil. 4. 13.

N. B. Mens Cabaliſtæ coæquata Deo vide Iob 12. 10. 13. & ſeq. Magiæ transfiguratiuæ ſpecimen.

Sectio IX.

Iudicium deliriorum ſpeciale Sect. 7. propoſitorũ. Iob. 13. 7. Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?

SOlent magi Paracelſici cum aduerſantium argumenta, & ſolutiones cognoſcunt, illa ſcurriliter eludere, & negare aliis ſua arcana cognita eſſe, cum tamen ex ***Hermetis Pimandro*** κεφ. λβ de homine diſſerant, vti creatus eſt, & per magiam adhuc omnia viribus inſitis poteſt: verum rideant illi; Deus non irridebitur. Quod ***Crollius*** ergo ***Hominem*** dicit ***eſſe quintam eſſentiam ex firmamento*** (globo ſuperiore) & ***Elementis,*** terra, & aqua (globo inferiore) ***extractam,*** omni principio caret, & refutatur experientia quotidiana, notitiaque noſtrûm ipſorum. Quod enim creatum eſt, id propagatur, generatione naturali per ſemen parentum, & ſanguinem; Nutritione rerum mundanarum conſeruatur, & tandem morte ſuperueniente in ea diſſoluitur ex quibus erat. Vbi ſunt iſtæ quintæ eſſentiæ? Num totus homo corporeus eſt extractum? Totus ergo erit ſpiritus, ſulphur, ſal, Mercurius, quæ ſunt principia inuiſibilia intus latentia. At quam veſanum eſt hoc aſſerere? Quam impudens eſt & impium Spiritui Sancto contradicere, qui hominem de puluere terræ, in quem & per putredinem, aut violentam corruptionem redit, formatum eſſe tradit. Ridiculum eſt ***puluerem terræ Chymicam quintam eſſentiam*** eſſe dicere. Viuite vos magi ea eſſentia in quam homo mortuus conuertitur. Ad æquiuocationem illam de homine vere, hoc eſt, ſydereus, & non vere, hoc eſt, elementari, ſatis eſt dicere quod ſit hominum limi terræ. 2. Quæ

delirat

delirat de notitia hominis *ex maiore mundo*, refutantur ab ipso vbi ampullose garrit de notitia hominis, & omnium externorum, atque adeo etiam Dei *ex seipso*. Vnumquodque scitur ex caussis insitis, & proprijs. Quæ foris sunt, spuriam tantum notitiam ex comparatione mutabili reddunt. 3. Creatio hominis satis patet ex Genesis 1. & 2. Iob. 10. ℣. 8. 9. 10. 11. 12. vbi visitatio Dei custodit spiritum, hoc est, vitam hominis inspiratione saluam. Psal. 139. & alibi. *Creatio hominis.*

Quod ergo primum dicitur *homo mundi copula, & compendium*, id methaphorice dicitur, & quia est *imago Dei*, simulque ex terra, seu corporeis elementis factus, quanquam Deus ad mundi complexum non pertineat. *Magi* diuidunt mundum in firmamentum cum aere, & terram cum aqua. Hæc vti sunt, visibiliter, & inuisibiliter perhibentur in homine conuenisse, vt homo quasi centrum sit, & concursus seu complexio compendiaria mundi. Sed comparatione ista sunt, non per essentiam; Et quædam *potentia eadem*, non actu, vti patet omnibus.

2. Quod *Hermes* ille *Ægyptiorum magus* hominem vocat *magnum miraculum*, secundum quid possit concedi; sed *magi* hyperbolicis locutionibus, & se & alios decipiunt, explicantque illud *miraculum* ita, vt mendacissimi reperiantur. Vah *miraculum eum, qui cum diabolis in inferno æternum vlulare cogetur, ni à Christo sit liberatus.* *Homo Hermetis qui tamen nunquam nouit vere quid sit homo.*

3. Loco angelorum lapsorum creatum esse, licet aliqui ex priscis senserint, tamen non conuenit scripturæ. Nam cum iam omnia essent creata, & Deus quiesceret finito die sexto, adhuc erant omnia bona valde. Homo creatur die sexto ante Dei quietem. Angeli ergo nondum erant lapsi creato homine. Quod autem id factum prouidentia euentus existimatur, etiam hoc friuolum est. Dei enim decretum erat *hominem creare ad imaginem suam*, non autem supplere futurum defectum angelorum, qui ad Dei imaginem non sunt creati.

4. Limum terræ esse totius mundi machinam visibilem, ridiculum est. Historia sacra *pulverem* vocat, *quem Deus sua potentia, & scientia ita elaborauit vt corpus hominis masculi euaserit*, ex quo postea *Eua* fœmina educta. Vniuersa machina mundi puluis non erat. Deinde cum idem Magus pro suis deliramentis defendendis *Limum illum* chymice diuidit in *crassum corpus*, & *spiritum intus latitantem*, ausu magico diuidit. Putat istud stultorum genus statim credendum esse, quod ipsis delira phantasia suggerit. Eiusmodi *petitiones principiorum* sunt in plerisque. *Limus terræ.* *Diuisio limi.*

5. Magis delirum est quod *hominis corpus dicitur factum è subtilissima essentia totius mundi, & cœlestibus spharis.* Vbi est illa subtilissima essentia in cadauere? Terra es, & in terram redibis. Quis autem est ille Chymicus qui sua arte, & furnulis possit ex homine elicere totius machinæ mundi subtilissimam essentiam? Spirituosum quid extrahitur, sed unde scis illud esse subtilissimam mundi essentiam? An tu etiam mundum destillasti? Vocatur *microcosmus*. At à dici ad inesse non valet consequentia, Non si quis Vrbanus dicitur, etiam esse Vrbanum necesse est. Secundum quid homo cum bestijs *microcosmus* à veteribus, qui mundum animatum & magnum animal vocarunt, dictus est, non quod omnia mundi externi aspectabilia sint in homine inuisibiliter, vt delirant Paracelsici Magi. *Corpus hominis ex quibus.*

6. Deum egisse *Spagirum* in hominis creatione, mendacium est principio carens. Reliqua verba sunt inanes nugæ. *Deus Spagirus.*

7. Hominem esse *vniuersi imaginem completissimam* tam post lapsum est falsum, quam ante lapsum. Deus eum fecit *ad imaginem & similitudinem suam*, non ad imaginem mundi. Sumta autem ista stultitia est ex *Trismegisto, qui mundum Dei, hominem mundi imaginem* vocat. Sed supra audiuimus spiritus mundani sapientiam esse stultitiam, & deceptionem.

8. Hominem esse Dei simulacrum, hoc est, similitudinem, & imaginem in sui integritate nouimus: Sed & hæc nouimus quod post lapsum ante conuersionem magis sit diaboli imago qua abolita per Christum oportet illam instaurari. Hoc autem inchoatur quidem in hoc seculo, sed completur in altero, vt *Paulus* docet 1. Corinth. cap. 13. vers. 9. 2. Corinth. 5. 1. Iohan. 3. v. 2. Debet autem imago illa sic prædicari ne *filio Dei* derogetur Hebr. cap. 1. ℣. 3. Coloss. cap. 1. v. 15. *Si filius est patris completissima, & absolutissima, perfectissimaque imago, non homo creatura.*

9. In homine consummatam esse omnem creatoris sapientiam, & potestatem, mendacium est. Sapientia enim & potestas Dei est infinita; at creatio hominis finita; Et Deus longe plura potest quam nos capere possimus Ephes. cap. 3. vers. 20. Syracid. cap. 42. vers. 17. & sequent. cap. 43. vers. 31. & sequent.

10. *Hominem omnia in se continere quæ sunt in Deo, Sathanicum mendacium* adeo est, vt sit execrabile. Neque enim humana, quæcunque sint, infinita sunt, nec concessa homini sunt omnia. Volebat *Eua* scire & posse omnia quæ Deus, sed magna spe excidebat. Lege Dei ipsius cum *Iobo* expostulationem. Quod autem *Magi* quorundam humanorum faciant cum diuinis collationem, ea primum essentiam non explicant, sed incerta similitudine adumbrant aliquid: Deinde quis est ille qui omnia diuina cognouit, vt ausit dicere eadem esse in homine? vide Rom. 11. ℣. 33. 34. 35. Hiob 36. ℣. 23. Es. 40. ℣. 13. 1. Cor. 2. ℣. 16. *Sathanicum Crolli mendacium.*

11. *In toto mundo nihil inueniri quod non etiam sit in homine*, ridicula fatuitas est. Monstra in homine Antimonium sursum deorsum purgans: Monstra Rhabarbari extractum, Moschi essentiam, & reliqua. Non quod obliqua, & obscura aliqua comparatione iuxta phantasiam tuam stultam videtur idem esse, est idem. Estne in homine naturaliter etiam Diabolus, Angelus, Infernus. pag. 15. *Crollius* ex suo *Paracelso* scribit *Deum singulis elementis peculiares spiritus indidisse* ne essent vacua (quasi vero vacua sint illa in quorum corporibus dicitur latere elementũ spirituale, & in hoc astrum elementi.) Recensentur Nymphæ, vndenæ, Melosynæ, Sirenes, Gnomi, Lemures, Sylphes, Montani, Zouneti, Pygmæi, Vmbratiles, Syluestres, Satyri, Gigantes, vulcanales, Pennates, Salaman-

dræ, ſuperi, zundel, flagæ in multa millia generum diuiſæ. Num hæc omnia in homine? Quo argumento vero ſcis *omnia*, nullo excepto, quæ ſunt in externo mundo eſſe in homine, cum nec *Macrocoſmi* omnia ſcire poſſis, teſtibus ſacris literis Syrac. 43. verſ. 36, Iob. 26. ℣. 14. nec Microcoſmi, cuius & anatomiam localem ignoras? Dicis confuſa notitia te noſſe, non determinata. Belle, inquam, te ipſum confundis. Aut reuelatione diuina id aut magica, aut ordinaria naturali cognouiſti.

Eccl. ca. 8. v. 17. c. 10. v. 14.

De illa gloriari non potes *cum nec ſanctis quidem ſuis Deus omnia reuelauerit* 1. Corinth. 13. ℣. 9. 1. Iohan. 3. ℣. 2. *Sapientia magica ſtultitia eſt apud Deum* 1. Corinth. 1. 2. & 3. eaque irridetur à Prophetis pronunciantibus *gentium leges vanas eſſe*; & quis non irrideat *ſpecula conſtellata Paracelſi* in quibus appareant omnia dicta, acta, ſcripta, cogitata? Quis ad infamem illam *Berilliſticam*, & *Gemmahaam* magneticam *Crollij*. & alia diabolorum ludibria? Spiritus illi parhedri, & familiares ſimulantes angelos lucis multos in Gehennam præcipitarunt. Si ordinaria via cognouiſti, aut ex veteribus per diſciplinam licitam, & non magicas perſuaſiones vaniſſimarum imaginationum, aut propria tum natione, tum experientia, vbi vel demonſtratione ex principiis oportet te vti, iiſque veris, & certis, non magicis fallacijs, quas *Hermes*, & alij *Magi* chartis illeuerunt, vel inductione. Hoc impoſſibile eſt. Nam infinitas rerum recenſeri non poteſt. Illud deſtituit totam magicam ſeu *Artephij*, ſeu *Paracelſi*.

Specula conſtellata.

Quæ vero magi attoniri ſibi imaginantur, aut per incantamenta, diabolorumque commercia procurant, recte execrantur ab hominibus pijs. Si iam verum effatum ſine vtriuſque affecti ſcientia eſſe non poteſt, an non eſt mendacium Sathanicum? Vnica ſaltem re conuinceris. Vbi quæſo eſt *lapis Philoſophorum, vniuerſalis illa medicina* quam prædicas, vel in maiore, vel minore mundo? Notum eſt quod priſci Philoſophi per ænigmata ſcripſerint: ſed Paracelſiſtæ debent medicinam illam in homine monſtrare re aut virtute. Omnia enim ſciunt ex magno mundo, ex aſtris, ex ſpeculis, ex ſe ipſis, & per magicam imaginationem, fidem, & intentionem alijs policentur omnia, poſſeque omnia quæ Deus, confidunt. Si omnia externa ſunt in homine, cur ea Magi priſci non enumerarunt? cur *Paracelſo* fictum illum monarchatum reliquerunt? Vnde vero tua magica collegiſti niſi ex priſcis Ægyptijs, & recentibus Platonicis, & ſimilibus, etiam impura magia pollutis? verum de his non plura.

12. *Homini duplex corpus affinxit Paracelſus*, & ob hoc foliis longis ornatur, culpanturque veteres (*Ariſtoteles, Galenus, Hippocrates*, &c.) & accuſantur defectus inſcitiæque quod id neſcierint. Si illud corpus eſt duplex quod neſcierunt iſti, fictum & falſum eſt. Impoſſibile eſt duo corpora eſſe in vno; quo argumento *Ariſtoteles* eos refutabat qui animam per totum diffuſam corpoream faciebant, quorum fortaſſe patroni noui iſti *magi* eſſe volunt: Opiniones iſtas habes apud Ariſtot. libr. 1. de anima text. 22. vbi de quibuſdam *Pythagoricis* ſcribitur, quod putauerint *animam eſſe in aere natantia ramenta atoma*: Text. 25. *Empedocles* animam ex Elementis omnibus compoſuit, quia idem eodem ſentiretur & intelligeretur, quod ex *Pimandri Hermetis* Dialog. 11. ſumtum eſt, & *Crollij* Hermeticæ Magiæ quam magnifice commendat, & Theologorum quoque quorundam Sapientiæ præfert) conuenit. Idem *Platonem* dixiſſe ibidem ſcribit *Ariſtoteles* text. 26. Text. 29. quidam *animam ignem* eſſe dixerunt, quod hic inter elementa maxime ſit incorporeus: *Democritus* ex atomis fabricauit. Text. 32. *Thales* aerem opinatus eſt eſſe quod ſubtiliſſimarum ſit partium, & principium: *Heraclitus* vaporem, alij aquam propter genituram, vel ſanguinem.

Patroni eorum qui animam fecerunt corpoream.

Horum ſententiam videntur iſti Paracelſici amplecti qui Hermetis deliramenta amant, & corpus ſydereum, animamque pro eodem habent, aut ſaltem ex Aſtris firmanti ſeu igne, & aere, quem ſuperiorem globum nominant, deducunt, quanquam *Crollius* ignorauerit quid ſit anima, cum ea modo *ſpiraculum oris Dei, eiuſdem eſſentiæ cum Deo* eſſe putet, modo aliquid diuerſum. Quomodo vero refutentur illi qui animam corpoream faciunt, videre eſt apud Philoſophum in 1. de an. text. 71. 75. 76. 77. &c.

Sacræ literæ homini nec duo, nec quatuor corpora tribuunt, ſed, quod re vera habet, vnum tantum, idque in *Adamo* factum ex puluere terræ, In *Eua* ex coſta *Adami*. Eccleſiaſt. 12. ℣. 7. *Puluis reuertatur in terram vnde erat, & Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Ita in Symbolo de Chriſto confitemur quod ſit *perfectus homo ex anima rationali & carne humana ſubſiſtens*. Ita Iob. 10. ℣. 10. 11. vnicum corpus membris ſuis conſtans ſibi datum agnoſcit, vt & cap. 19. ℣. 25. vbi de reſurrectione. Ea vero fuit & eſt communis ſententia, iudicium, & experientia *omnium ſapientum* in vniuerſo mundo; Et tamen Crollius audet deliramentum Paracelſi nobis obtrudere? Diues in inferno, & Lazarus Luc. 16. quilibet non plura habebant corpora, aut duo quorum vnum ad firmamentum rediret, alterum inferretur terræ, ſed vnicum tantum quod ſepeliebatur, & iam expectat reſurrectionem. Decretum eſt homini ſemel mori. Si geminus eſt, vel poeticus ille Geryon, poterit bis vel ter mori.

Quod autem attinet ad ſpiritum inſitum, qui naturalis dicitur, vitalem, & animalem, item ad eum quo corpus perſpiratur, hi non faciunt vt homini ſint duo corpora, ſed ſunt vnius inſtrumenta, & adminicula. Quomodo etiam fieri poteſt vt duorum corporum, & principiorum materialium non ſint duo actus, atque adeo vni homini duæ animæ rationales? Non verentur quidem *magi* nonnulli etiam has aſſerere, & homini vni *duas animas* vnam mortalem, alteram immortalem aſſcribere, quia & Sacrarum literarum illud de *homine interno, & externo*,

terno, vetere, & nouo, ad sua commenta realia transferre, quomodo Metaphorica ista de homine lupo, vulpe,&c. transformant in essentialia: sed quod sine principio, & demonstratione dicunt, eadem facilitate reiicitur, qua dicunt nec dignæ forent istæ fatuitates verbis, nisi imperitorum, iuuentutisque causa, in manifestam lucem ex fumis, quos cum magno fastu, & splendore, opinioneque arcanæ, sydereæ, & cœlestis sapientiæ edunt, chartisque publicis illinunt, forent protrahendæ.

Nihil alioquin tam absurde dici potest quin inueniat assertorem, & patronum contemptum aliorum, quemadmodum videmus *Crollium*, alias peritum chymicum *Paracelsi* stultitiis deceptum tantum eis tribuisse, quantum Philosophorum, & medicorum cæterorum dogmatibus nullis. Is si noluisset attendere quod *Christus* Matth. 10. vers. 28. de vno vnius corpore, & anima vna loquitur, quodque *Paulus* 1. Corinth. 15. vers. 35. & seq. alibique sacra Scriptura frequenter profitetur, saltem cauere debuisset ne doctrinam Christianam corrumperet, & *Christo* Saluatori nostro vnum corpus ex *Maria virg ne* daret, aliud ei ex astris firmamenti, quod non esset ex patribus affingeret, atque ita mirificæ hæreseos inscius fieret autor.

Sap. 9. 15. Si homo habet duo corpora, vnum ex parentibus, alterum firmamento, etiam Christus habuit duo, atq; ita non totus secundum carnem natus est ex patribus.

Quia vero etiam homo ratione corporis cum bestiis, & plantis conuenit, num & his duo corpora sunt asserenda? Præterea cum subiectum medici sit corpus non intelligibile, sed sensibile, & aspectibile, ad quod ratio sanitatis, & aduersæ valetudinis pertinet, illud alterum vel medico, medicinaque carebit, vel sanitati, & morbis non erit subiectum. Cogita vero quid hinc porro de peccato peccatiq; stipendio, de baptismo, & regeneratione, aliisq; multis sequi possit.

Per baptismum certe non regeneratur nisi vnum corpus animatum, quod per peccatum erat mortuum. Illud alterum aut non obnoxium erit peccato, aut insanabile manebit. Prius non potest dici. Neque enim quicquam in homine est impollutum, nec vlla pars gloriæ de puritate Esai. 1. v. 5. 6. cap. 64. 6. Rom. 3. per totum. Quod si non est sanatum quid, nec assumptum à Christo. τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. *At Christus totum hominem assumpsit, vt totum sanaret, inq; eo imaginem Dei restauraret.* Quod si sanari debuit, ægrotauit totum, non tantum spiritualiter, sed & corporaliter morbis subiectum. Quæ est ergo illa medicina quæ nobis alterum corpus hominis iuxta vtrumq; statum, secundum, & aduersum describat, sanitatemq; & morbos explicet, & ratione, experientiaq; medicationem doceat? An contenti sumus fabulis & nugis phantasticis *Paracelsi*? Verum hæc hactenus.

13. *Hominem ex quatuor elementis extractum*, (Ex principiis Seuerini semen hominis spirituale ex orco orphei attrahitur per astra firmamenti. Ibi concipitur induitque sibi corpus spirituale olympicum. Iste est Gabalis, homo sydereus inuisibilis, qui in elementarem regionem demissus assumit elementa spiritualia interna, & principia, tandemque vt possit videri, circumponit sibi elementa crassa, anima in materia existente, & sibi corpus adaptante. Quale est superius, tale & inferius. Ita minor mundus nascitur incredibili seminis scientia, &c. Hæc phantasmata tanti habentur quanti non vlla generatio naturalis apud Aristot. & Gal. aut Hippocratem.) Cum quibus ideo habeat familiaritatem tantam vt sine eis viuere non possit, *in quatuor sic secat*, vt dicat habere singula membra *quadruplicia* respondentia totidem membris (verbi gratia: Cordi, &c. magni mundi secundum numerum quatuor Elementorum, cœli scilicet, aëris, aquæ terræ, quibus ægrotantibus totuplicem quoque medicinam accommodat, quanquam interim pag. 15. doceat *omnia membra vnius esse operationis*. Sane & *Hipp.* cum *Galeno* membra similaria corporis nostri ex quatuor seu *humoribus* seu *elementis* Symbolicis constituit, idque iam receptum est in tota Philosophia, Platonica, & Aristotelica, nec aliter senserunt veteres, recentesque Chymici, Arabes, Latini, &c. nisi quod in elemento ignis sit dissensio. Hic enim duplex est Peripateticis, cœlestis, & elementaris.

Homo quadruplex.

Deinde quod attinet ad essentias quas chymici extrahunt, eas vocant, censentque esse non quartas, sed quintas naturas à Deo ex cœlesti naturæ analogo corpore sic factas, vt triplici (aliis quadruplici) specie facultatum, potentiarumque interiorum sint idonea subiecta, quæ nostri declarant nominibus *spiritus innati*, *humidi prim geniq;*, & *caloris insiti*, quibus si *Salem* adiicias habebis illum numerum quaternarium crasso elementorum corpore conclusum. Sed explicatio Paracelsica dissidet. Per quatuor elementa spiritum mundi fœcundantem, cœlesti calore delibutum, dispergi, facilè donare cum *Aristotele* poteramus.

Spiritus mundi sparsus per cœlum elementa, & mista.

Itaq; cum aëre, aqua, terra, & igne æthereo nutrimur, intelligimus non crassamenta ista principaliter, sed eis commissam spiritualem quandam essentiam, quæ in mistis nutrimentis, tum ex elementis accepta, & per ea distributa coagulauit, tum ex seminiis emersit, cum oporteat plantas, & animalia nutriri his quibus constant.

Inde vero non fit homo quadruplex, multo minus omnia membra vnius sunt operationis. Quis enim quæso affirmet, nisi delirus, eandem esse operationem oculi & partium eius, quæ auris, linguæ, cordis, pedum? Aut quis eadem tribuat sanguini, carni, ossibus, ligamentis, venis, neruis, arteriis, &c. Quis neget quasdam functiones, & earum organa esse generalia, quædam singularia, & propria, cumque insitæ vires sint in potentia, oportere actum quendam perpetuum adesse, à quo per efficacia organa exuscitentur, vti nouimus fieri anima præsente cum spiritu, & calore liturgicis, cordisque perpetuo motu, & inde influentibus vitalibus præsidiis? Ab his quid attinet discedere, & quædam mirifica comminisci, quæ cum sono verborum videatur esse

diuerſa à priſca medicina, phyſica & anatomia, tamen nec ſunt, nec eſſe poſſunt alia? *Vbi vero ſunt illa magni mundi membra, cor, epar, cerebrum, & reliqua?* Riderent Paracelſici ſi *Galenus* ea monſtraret in ſimia, porco, aut alio animali maioris mundi. Atqui hîc non tantum externa ſpecie ſunt ſimilia, ſed & internis viribus, & functionibus adeo analoga, vt ſæpe inuenias beſtiam homine aliquo excellentiorem, vti videre eſt in morionibus, maniacis, phreneticis, & ſimilibus, qui ratione ſunt debilitati.

Tolerabile & hoc eſt, cum, *quod cor iuuat, cor vocant* analogum, vt vinum bonum, crocum, meliſſam, &c. Sed vbi iſta corda in cœlo, aëre, aqua, terra, corporibus ſimplicibus? Cor organicum membrum eſt, & diſſimilare, cumque ex carne potiſſimum conſtet, caro illa item non eſt ſimplex. Monſtretur cor compoſitum, & contemperatum in aere, & homogeneis. Sine demonſtratione euidente, qui velit phyſico credere, non eſt compos mentis. Non enim ſufficit opinio, aut verborum ſonus ad fidem faciendam ſenſibilibus rebus.

Spiritus vitæ. *Elementa geminata.*

14. *Spiritum vitæ* vult reſidere in corpore inuiſibili. *Viſibile* ex Elementis conficit: *Inuiſibile* ex aſtris trahit, eſtque idem, qui *ſpiritus ſydereus*, quem & *verè* (vniuoce) *hominem* vocat. Quia vero etiam Elementa geminat, diuiditque in interna, & externa latentia, & aſpectabilia, ſubtilia, ſpiritualiaque, & craſſa, oportet nos ſi incipimus à notis nobis ſecundum ſenſum primum in homine ponere craſſa, & elementaria membra, vti oculis, & tactui occurrunt. In his concipiendum eſt eſſe elementa interna, quæ per chymiam extrahuntur, vt ſit igneum, quod eſt oleum, & aëreum, quod ſpiritus; aqueum, quod eſt mercurius, & terreum, quod Sal: Vt in vino eſt oleum, ſpiritus vini, aquoſitas, & tartarus, qui iterum in quatuor poteſt diſſecari; Sali vero maximè reſpondet.

His duplicatis elementis (quanquam ſecunda illa chymica non ſint vera elementa, ſed elementata, corporaque miſta) infigendus eſt Spiritus quidam ſydereus, qui ſibi coniunctum habeat alium ſpiritum, qui vitæ dicatur, cui etiam ille ſubſtratus eſt tanquam materia: in hoc vitæ ſpiritu tandem hærebit anima. Hæc videntur eſſe noua, & magnis ampullis quoque ſic proponuntur, quaſi toti medicorum, & philoſophorum ſcholæ fuiſſent ignota. At ſunt ſumpta ex noſtrorum doctrina.

Animam, & aſpectabile corpus eſſe diuerſiſſimas naturas pridem ſciuimus. Has coniungi non poſſe niſi per vinculum duplicis naturæ, ita vt aliqua accedat ad corpus, aliqua ad animam iam olim notum eſt. At corpus accedit ſanguis vitalis, in quo, quanquam non immediatè Deus ipſe pronunciat *animam* eſſe Leuitic. 17. verſ. 11. & 14. Deuteronom. 12. verſ. 23. Ei inhæret *calor, & ſpiritus* quæ duo vnam eſſentiam conſtituunt, & proximè attingunt animam. Sunt ergo *quatuor res in homine Anima, calor cum ſpiritu, humidum primogenium cum ſanguine* (in exanguibus proportionale eſt) *& corpus organicum ex ſimiliaribus diſſimiliaribusque conſtitutum.* Omnia iſta non iam, cum naſcitur homo, ex elementis ſeparatis componuntur; ſed in principio creationis ſunt coaptata, poſteaq; per ſemen propagata.

Vnde *Adami* vniuerſa progenies ex *ſanguine & ſemine* (hoc enim eſt ex illo accedente peculiari informatione in ſuis organis) eſt orta, vt & *Paulus* dicit Actor. 17. verſ. 16. Et DEVS ſemen appellat Geneſ. 3. 15. vt & Geneſ. 1. verſ. 11. de plantis; & de *Abrahami* poſteritate Geneſ. 12. verſ. 7. & alibi.

Ita & nutriuntur homines, vt ſanguis, & quæ ex ſanguine ſub forma alimenti, fiunt, ſint vltimum nutrimentum partium ſimilarium, ſanguis autem naſcatur ex alimentis foris aſſumptis, & coctione, accedente artificiali in nonnullis, naturali præparatis. Iuuant autem eius generationem *humores elementares*, ſicut ſpiritus, vapor ille ex ſanguine proueniens, aliquid trahit ex aëre inſpirato, cum quo par eſt credere eſſe mundi cœlique quendam diſpoſitum ad vitam, cum non ſit veriſimile ex mero aëre circa nos, qui ſæpe fœtidus, & corruptus eſt, vitalem, & animalem ſpiritum augeſcere.

Quod attinet ad quatuor illas in ſimilaribus eſſentias, eæ ſunt corporum partes nobiliores, & agnoſcuntur ab his, qui *humidum primigenium calorem, & ſpiritum* ſingulis tribunt. Quid ergo iam eſt in quo nobis aduerſantur Paracelſici? Crolliana ſaltem examinemus: Homo dicitur habere corpus viſibile ab Elementis. Iam autem eodem *Crollio* iudice Elementa ſunt viſibilia, & inuiſibilia.

Non ergo tantum viſibile erit ab elementis. Deinde Deus ex puluere terræ totum fecit, non collegit materiam ex locis diuerſis. Is qui potuit verbo condere omnia ex nihilo, etiam potuit *Adamo* corpus aptum fabricare ex puluere arido, & hunc pro variis membris, vſibusque variè diſponere. Quæ in homine ſunt, analoga ſunt externis, nec planè eadem vniuoce. Hominis corpus in puluere erat potentia diuinæ ſapientiæ. In eundem puluerem recidit decreti pœna ob peccatum, quod alias nunquam eo perueniſſet, vti nec angeli ſunt mutabiles. Si itaque tribuendum homini eſt etiam inuiſibile corpus, idem eiusdem erit originis, eſtque ſacris literis maior fides quam Paracelſiſtarum nugationibus.

Corpus inuiſibile hominis.

Præterea corpus illud inuiſibile, generali quidem modo corpus eſt; at ſpeciali non item. Nihil enim aliud eſt quam portiones ſingulorum membrorum integrantes, nec poſſunt per ſe corpus hominis organicum, potentia viuum, conſtituere. Diſſolue ventriculum in ſpiritum aſtralem,

vel quatuor principia, minimè habebis ventriculum', etiamsi dissoluta iterum componas. Si vero velis ventriculum, cor, cerebrum, epar, oculum, & cætera esse formales rationes singulorum, vt cum oculus vniuoce oculus dicitur esse quando potentiam videndi habet, & actu, cum opus est, videt, non potes Spiritum corporeum dicere, nec hominem sic abstrahere, vt fiat nihil nisi Idea, aut Mathematicum quid. Qui quæso *homo sit tantùm ille spiritus astralis in quo vitalis residet?* *Socrates* animam potius hominem vocabat, idque consentaneè sacris literis, quæ *corpus vocant tabernaculum hominis*, & cum anima Lazari è corpore excedebat, non corpus homo, vel Lazarus dicebatur, sed anima; & sic Patriarchæ, quorum corpora computruerant, Deo viuebant. Nugæ sunt cum dicit: *vere homo est spiritus sydereus*, corpusq; inuisibile, vt iam patuit. Eiusdem censûs & hoc est: *Homo inuisibilis est spiritus sydereus ex astris*:) per quæ modo virtutes, & potentiæ designantur, modo essentiæ corporeæ, tincturæ, semina, &c.) *Astra.*

15. Porrò *in homine inuisibili, qui sit spiritus sydereus, dicit esse omnia*, vtpote habente in se omnia. Hæc Mathematicè, seu per abstractionem, & fictionem Ideæ possunt concedi, sicut cum Logici definitionem hominis pro homine ponunt. Si vero secludas spiritum illum à partibus elementaribus, & anima, falsum est, siue illud OMNIA interpreteris de omnibus rebus in vniuerso iuxta prædicamentorum amplitudinem, siue tantum in his ponas, quæ ad hominis integritatem pertinent, quanquam non omnia omnibus sint concessa, nec vnus sit hominis status, sexus, ætas, & reliqua, adeo vt ne humana quidem omnia sint in omni homine. Temeritas Paracelsica, & Magia phantastica confudit contemplationem Crollianam. Partes elementares sunt aliquid hominis. At in his est spiritus ille, non autem hæ in spiritu. Quomodo erga firmamētum istud in se habet omnia? *An in homine sint omnia.*

16. *Homo æternus habitat in anima*. Ridicula nugacitas. Antiquæ fabulæ tricorporem quendam *Geryonem* fuisse produnt à quo interempto Hercules boues Iberos abegit. Diodor. Sicul. lib. 5. tres *Chrysauri* robustissimos filios appellat. Nostrates *Magi* ex *singulis* hominibus *tres* faciunt. Vnus est externus *Elementaris*, capsa potius hominis quam homo: alius est *verè homo*, qui dicitur internus, nempe spiritus ille sydereus, homo inuisibilis omnia in se habens. Hi duo homines sunt mortales. *Tres homines in vno.*

Tertius est *æternus*, cuius habitatio est in anima, quæ inhæret vehiculo sydereo homini. Iam ergo nouus ordo proponitur: 1. Homo *externus* Platonis illa tunica quæ circumuoluta est homini (ἡγεμονικῷ) Leoni (τῷ θυμικῷ) & variæ bestiæ (τῷ ἐπιθυμητικῷ) 2. Homo *internus* spiritus sydereus: 3. *Spiritus* vitæ: 4. *Anima*. 5. *Homo æternus*. Vnde hæc sciunt Paracelsici? Ex *magia* sua stulta, seu sapientia illa quam *Paulus* vocat stultitiam. Quilibet alias homo, eo ipso quod est, singulare indiuiduum est. Hominem docti *æuiternum* ratione animæ vocant, non *æternum*. Habet enim principium per creationem, vel generationem naturalem. Absurdum autem est eius habitaculum esse animam, quæ ipsa per se dat esse homini, & in corpore, tanquam in domicilio, vt tropicè loquuntur, habitat, cum re vera sit altera pars essentiæ humanæ. Quod attinet ad diuersas considerationes, vt: cum modo *anima homo* dicitur, modo *totum ex corpore, & anima* ex quibus homo perfectus est: modo *internus, & spiritualis* vocatur in sacris: modo externus, & carnalis: modo bestialis, dæmoniacus, angelicus, &c. eæ neutiquam diuersos essentia homines faciunt, neque alterum alteri includunt. Vanitas ergo vanitatum est CROLLIANA ista sapientia. *Imo 4. homines: 1. homo externus. 2. Spiritus sydereus, 3. Anima, 4. homo æternus in anima.*

Qualitates, & adiuncta mutare in essentias, ad essentialia enunciata est hominum ab omni ratione sapiente alienorum, & sane Paracelsistæ isti nec curant Dialecticam sapientiam, nec discunt. Ideo non mirum est, quod pro immortali anima, & immortalitate in anima existente dicant hominem immortalem habitare in anima quæ & ipsa homo vocatur, cum dicendum esset cum CHRISTO *animam non posse occidi.*

Quod ad rem attinet, *anima æterna*, vt & totus homo, dicitur esse destinatione diuina ab æterno. Platonici volunt exemplari diuino esse æternum. Sacræ literæ indicant in tempore hominem esse conditum cum ante non esset. Quicquid autem aliquando non fuit, ei adhæret in se potentia, vt aliquando denuo non esse possit. Nam ad principium inclinant omnia. Externam potentiam igitur fatemur, cum dicimus animam esse immortalem, id est, interitus expertem. *Qui homo æternus.*

Talis enim est non natura ortus sui, sed voluntate creatoris, qui non animam tantum, sed totum hominem fecerat immortalem, & ad suam imaginem, vt liber Sapientiæ habet cap. 2. vers. 23. vbi *mors aduentitia per Diaboli inuidiam opponitur imagini Dei*: Ita cap. 1. 14. *Paulus* 1. Corinth. 15. vers. 42. & seq. etiam *corpus* propter peccatum corruptibile docet *induere debere incorruptionem, & immortalitatem*.

Si tunc interrogabis *magum* Paracelsicum, confiteri cogetur hominem alium æternum habitare etiam in corpore. Ecclesiastæ. 7. vers. 30. Deus fecit rectum hominem: Ipsi vero sibi quærunt multas adinuentiones (multa disputant de homine, quæ nunquam venerunt in mentem Dei aut naturam hominis.) Quid dicet de *Eliæ, & Enochi*, & eorum corporibus, quæ corruptionem sub extremum diem non videbunt, & quid de corpore Christi? Ecce quot homines habebimus in vno. Et tamen *Crollius* hanc Paracelsicam stultitiam vltra omnes extulit, adeo vt à *Noe* temporibus simile editā, neget pag. 56. & 67. (*Nullus mortaliū in vniuersa philosophia & medicina indubitato cæli fauore tā ardua, & abdita arcana sciuit, ac in publicū protulit sicut Theophrastus ille Paracelsus, vir, & Philo-* *Hyperbolica laus Paracelsi.*

Philoſophus omni æternitatis memoria, & honore digniſſimus (neque tamen Elias Artiſta) *cuius peritiã nemo adhuc inuentus* (excepto Crollio, Seuerino Dano, &, qui prior fuit, Baſilio Monacho, aliisque præceptoribus Paracelſi, Tritemio, Techello, Cornelio Agrippa, &c.) *qui attingere, ne dum ſuperare potuerit*, VERVS (ex ſomnio magico, & ſpectris ſpecularibus) *Medicinæ Monarcha* & primus microcoſmi *Medicus, qui de interno homine* (figmento deliro) eiusque *officio à Deo creato* (per febrim in ſomnio, aut ſpecu Platonico figurato) *item de magnorum morborum incurabilium* (qui ob octo cauſas Crollio ſunt & manent tales neque vnquam curari poſſunt) *origine tam naturali quam Metaphyſica à temporibus Noe ſolus* (niſi quod furatus eſt ex Hermete, Techello, Agrippo, Tritemio, Sagis, Carnificibus, Diabolo, &c. *ſcripſit, quod è ſuperiorum ætatum medicus ne per ſomnium vlli in mentem venit, &c.* (qui enim potuerunt tot monſtra, quæ Diabolus per magum iſtum eructauit? Sed tamen olim etiam ſimilia fuerunt vt ex Plinio cognoſcere eſt.) Item pag. 56. & 57. Aduerſariis ſuis millies melior Paracelſus, Germaniæ immortale decus (dedecus.) Quantam Deus Germaniæ fuerit apparet ex omnium Doctorum Germaniæ, Galliæ, Italiæ, &c. vituperiis, qui ſupra quam credi poteſt, *omnium ſcientiarum diuinarum, & humanarum abſolutam* (nullam) *habuit cognitionem.*

Ridicula Crollii de morte præmatura Paracelſi fictio.

Ohe *Crollij*. Idolum illud tuum cur non adoraſti? Ignorauit ille infelix homo ſuam vitam regere, & ſe ab illis morbis, morteque defendere à quibus, & qua aliis immunitatem longam promiſit, te ridiculum commentum fingente, quaſi *veneno aduerſariorum è medio ſublatus ſit, qui diu per naturam, & artem ſuam viuere potuiſſet.* Non cogitas medicinam iſtam admirabilem debuiſſe etiam venenis reſiſtere? ſi non reſiſtit, quanta eſt eius gloria? Nos ſacris literis credimus in quibus hæc de Salomone Deus. 3. Reg. 3. verſ. 12. *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis, tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit:* qualis leguntur etiam ſi non futurus fuit tam ſapiens quam Salomon, cadit Crolliana gloria.

17. Hominem ad imaginem Dei creatum, quia exemplar quoddam Dei eſt, in quo Deus aliquo modo ſe manifeſtauit, Theologi variè exponere conati ſunt, vt non tantum attributa Dei, ſanctitatem, perfectionem, dominandi in inferiora potentiam, amorem, iuſtitiam, bonitatem, immortalitatem, intelligentiam, reminiſcentiam, ſcientiam, omnipræſentiam, omnipotentiam, & alia, quæ docendi cauſa, cum in Deo ſint eſſentialia, per qualitatum vocabula, & modos, enunciantur oſtenderent, verum etiam eſſentiam vnam tribus perſonis comprehenſam. Sed multis modis vacillat comparatio, non modo in ſtatu peccati, in quo ſpiritualis imago amiſſa penitus, vix inſtaurari in hac vita incipit, ipſumque inſtaurationis initium adeo occultatur carnalibus imbecillitatibus, vt aliquando plane non appareat, lateatq; in occulto homine cordis: ſed & cum integras conſideratur.

Eſ. 64. v. 4. 1. Cor. 2. 9.

Quis enim immenſitatem, & æternitatem Dei menſuret, etiamſi *Hermes Ægyptius ille magus* modum auſus ſit comminiſci? *Nondum apparuit*, inquit Iohan. 1. Iohan. 3. v. 2. *quid erimus. Paulus in hac vita videt in ænigmate. Eſaias negat homini innotuiſſe parata electis à Deo. Iob, Syracides*, & alij ſancti confitentur idem. *Auguſtinus* profunditatem Dei exhaurire non potuit. *Paulus* Rom. 11. verſ. 33. exclamat: *ô altitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, incomprehenſibilia iudicia eius, & imperueſtigabiles vias eius pronuncians.

Quidam ob hanc difficultatem negarunt Deum ſub Categorias cadere, & definiri poſſe. Pſalm. 40. verſ. 6. Domine quis ſimilis tibi, ſeu nulla eſt ad te comparatio. Pſalm. 86. verſ. 8. Iob. 4. 17. 18. 19. & cap. 9. per totum cap. 11. verſ. 7. & ſeq. cap. 12. verſ. 12. & 13. ſapientiæ conferuntur priſcorum & Dei. cap. 15. verſ. 14. 15. 16. homo ad Deum relatus putridus eſt. cap. 36. 22. Deuteron. 4. 15. & ſeq. Quod manifeſtatum nobis eſt in ſcripturis, id de Deo ſcimus. Ex homine, ſeu noſtra natura quid? Apoſtolus Rom. 1. verſ. 19. 20. *Inuiſibilia Dei è creatione mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpici* dicit, ita vt aliqui (dico ALIQVI: imo pauci admodum) cognoſcere potuerint eſſe mentem æternam, cunctorum creatricem, gubernatricem, conſeruatricem, bonam, iuſtam, caſtam, ſapientem, omniſciam, omnipræſentem, omnipotentem, &c. Sed quam id imperfectè, & varie? Quam perplexè, & dubitanter? Itaque & tranſtulerunt eius maieſtatem, & honorem ad creaturas, hasq; & putarunt creatorem eſſe, & cultu diuino proſequendas, in quo non Græci tantum, & Romani diabolum colentes errarunt, ſed & ipſi Iudæi Idololatræ, & Ægyptij, à quibus ſapientia ſtulta ad cæteras gentes peruenit. *Magi Paracelſici* arbitrantur Deum eſſe Palmam, cuius omnia vnico ob tutu hominis poſſint comprehendi.

Nota hæreticam impietatem magi.

Itaque ad id impietatis aſcendit *Crollius, vt ſpiraculum vitæ nobis inflatum diuinam eſſentiam eſſe putet, & omnia Dei in hominem includat, &c.* Hic *Triunitatem* monſtrat. Quo quæſo argumento? *Tres ſunt eſſentiæ hominis: nempe: Terrenum corpus, ſpiritus æthereus, qui Schamahym dicitur: & anima.* Ergo ne & tres eſſentiæ ſunt in trinitate? ô te impium magum, Deus vnus eſſentia eſt, trinus perſonis tam profundo myſterio, vt id angelicus intellectus non poſſit aſſequi, nedum magus impius, qui iniuſtitiam ſorbet vt aqua, quique in ſpecu tenebrarum vaſtiſſimarum, plane obrutus ſtultitia mundana, hæret.

Tune ſcires Triunitatem in Deo niſi manifeſtaſſent ſacræ Scripturæ? Extra has quis ſapiens id cognouit? Iohan. 1. v. 18. Deum nemo vidit vnquam. Filius qui eſt in ſinu patris ipſe reuelauit nobis. Matth. 16. filij notitia Petro contigit à patre cœleſti. Imo *antitrinitarij* ne ſcripturis quidem credunt, vt & Turci. Iam cum expiſcatus es *Triunitatem* fingis eam tribus eſſentiis hominis diuerſiſſimarum naturarum præfigurari, & inter eas vna nihil eſt niſi figmentum tui cerebri.

rebri. Inde facile concluseris Deum habere duplex corpus, & vnam animam. At cum etiam quadruplicem facias, & hominem secundum elementa, & elementa in ipso, & extra ipsum considere principia quoque quatuor comminiscaris, cur non Quadriunum dicis? Haberes occasionem ex *Cabala Iehouah*, vbi sunt quatuor literæ, & tamē sic scribebas I H S V H adiecta aspiratione proculdubio ex magiæ tuæ fundamento. Sed explodendus es cum tua Triunitate quam, vt supra patuit, etiam quintuplum facis; pag. vero 18.

Triunitatis illius imaginem affingis omnibus corporibus. Nam *sancta Triunitas* (inquis) *per suum Triunum prolatum verbum fiat omnia creauit Triuna, analysi spagirica teste, &c.* Vbi omnia Dei Triunius imaginem gestabunt. Ridiculus tamen es cum aliquos spagiros addere *quartum*, nempe *spiritum*, indicas, & supponis *materiam primam*, mox ei includis tuam *Triunitatem*, tertio *tres species istas* separas in *quatuor elementa*, ad eum modum quo artifex ex vno plumbo facit minium, cerussam, vitrum, & spiritum Saturni, &c. *vt mundus sit fumus coagulatus è sulphure, sale, & mercurio.* *Omnia triuna esse facta.*

Rursus cum pag. 30. hominem architectaris, scribis *eum ex omnibus creatis esse quintum esse, ex quibus sit fictus, factusque Princeps, & finis omnium, qui ex parte corpoream, seu corruptibili gerat imaginem macrocosmi sensibilis, & temporalis: Ex parte animæ, seu immortalis naturæ gerat imaginem mundi archetypi, seu immortalis Dei sapientiæ, &c.* Quo modo potest homo tribus sui partibus, *corpore elementari, corpore sydereo, & anima* esse trinitatis diuinæ imago, & tamen eodem corpore mortali etiam mundi corruptibilis? Qui *anima* tantum creatoris sapientiam refert, (ea est filius Dei, verbum per quod omnia sunt facta) cæteris duntaxat mundum? Vbi iam est ista Triunitas? Cum etiam homo corrumpitur in corporeas partes septem, vel octo, anima excedente, vbi Triunitas? Cum enim dicis *omnia facta esse Triuna*, num & *Angeli* cum diabolis, & anima hominis, ætherque & alia simplicissima? Num & principia tua sunt triuna, & sol, cæteraque astra? Quid de accidentibus factis? Quæ *Spagiria* probat omnia creata (nihil enim excipis) esse triuna? Si etiam *Spagiria* contestatur in *mistis plura esse quam tria*, cadit illa tua triunitas: velut ex *vino* separatur *Tartarum*, in eo est *Sal*, & *terra virgo*: Deinde *spiritus* ætheri analogus educitur: præterea *oleum pingue*, & *liquor mercurialis*. *Paracelsica hominis constitutio.* *Chymia plura ex misto segregat quã tria.*

Hæ sunt res quinque. Ex *vitriolo* primum exit *aquositas* elementaris: Deinde *liquor mercurialis*: tertio *spiritus acidus*, quarto *oleum rubrum* admodum acre; quinto *Sal*: sexto *tinctura* ex terra rubra; septimo ipsa *terra*. Phlegma & vltima terra accensentur elementis: cætera quinque sunt essentialia.

Misit scilicet Deus magis istis spiritum vertiginis, vt nesciant vbi acquiescant. *Quercetanus* & alij ex *Plumbo, Antimonio, Chalcantho* & similibus etiam plura naturis suis diuersa conficiunt, ne tantopere glorieris tua Triunitate.

18. Consideremus & ea quæ pag. 31. clamat *Crollius. Homo*, inquit, *est visibilis secundum corpus: Inuisibilis secundum spiritum. Spiritus in homine sunt duo: vnus sydereus è firmamento: alius è spiraculo vitæ*, qui est *anima intellectualis à Deo inspirata.* Ita tres homo partes habet, *corpus mortale, sydereum spiritum, & animam æuiternam, quæ est domicilium imaginis Dei, vel Spiritus sancti in homine, &c.* Delirare scriptorem quis non videt? Triuna Dei essentia prius erat tribus partibus hominis præfigurata, ita vt imago ad quam conditus est homo, esset in omnibus tribus: mox erat in tribus omnium creatorum principiis: iam est tantum in anima hominis; alibi etiam in angelis: Quid verum; aut non verum? *Anima* quoque dicitur *domicilium imaginis Dei, vel Spiritus sancti.* Sane potissima ratio imaginis Dei penes animæ non essentiam, sed qualitates, sanctitatem, iustitiam, sapientiam, principatum, &c. *Duo spiritus hominis.*

Item functiones eius principales intellectum, mentem, voluntatem, rationem, fuit: quædam omni corpori sunt communia, vt notitia sensualis, dominium in bestias, &c. At quod ad domicilium attinet, primum distinctio adhibibenda est piorum, & impiorum: neque enim Spiritus sanctus habitat in vtrisque: Deinde cur excluditur pater & filius, qui tamen & ipsi venturi sunt, & in cordibus credentium, tanquam templis habitaturi? Trismegistus cap. 3. Asclepij. Hominis vna pars simplex est diuinæ similitudinis forma: cap. 4. Deus hominem fecit ex se primum, & à se secundum. cap. 6. Deus primus est Dominus æternitatis: Mundus est Deus secundus, Homo tertius. Homo nouit se & mundum: Duæ sunt Dei imagines homo, & mundus, &c. Hæc impia arrident magis impiis Paracelsistis.

Sed quid præterea de homine sancit Magia? *Cum viuit homo propria vel arrogata voluntate saltem secundum carnem, sensualiter est brutum, canis, vulpes, ouis, lupus, sus, vipera, &c.* Erras *Mage.* Metaphoræ illæ vel allegoriæ non ex *esse* nascuntur, sed ex comparatione à simili. Deinde non si secundum carnis affectus homo viuit, homo esse desinit; sed tantum perdit rationem, & nomen spiritualis, accipitque titulum carnalis. Ita Corinthij inter se disceptantes non erant bruta, sed homines ob discordiam dicti carnales. 1. Corinth. 2. vers. 2. 3. Quod etiam de oue, & vipera dicis, an non legisti Apostolos & reliquos fideles *oues* dici *Christi*? An non iubentur vt *columbæ* esse simplices, & prudentes vt *serpentes*? Desinuntne esse homines? Quid est *sensualiter esse brutum seu bestiam*? *Nabuchodonosor* delirans homo manebat, licet se bouem esse putaret, & si quoque viueret.

Sentit

Sentit quidem & beſtia, & homo, ſed aliter hic, aliter illa. Ethnici naturam ducem ſequentes viuebant ſecundum carnem. At non ſentiebant beſtialiter. Qui eſt beſtia ſenſualiter, quia ſenſus, & æſtimatiua inde exiſtens eſt beſtiis pro forma, ipſa eſſentia eſt beſtia, non comparatione. Sed *quando eſt homo? Si viuit rationaliter* (inquis) & *dominatur animantibus in ſuo corpore.* Hoc ex *Platone* tranſlatum eſt quidem; ſed ille *moraliter*, non *Phyſicè* loquitur. Item Platonis homo manet homo etiam cum ratio rapitur ab affectibus & cupiditatibus, ſicut & Leonem ſuum retinet ſub dominio rationis, ſeu hominis. Homo eſt quicunque anima rationis compote, & corpore analogo conſtat.

Homo quãdo ſit homo.

Ei & definitio hominis conuenit: *Homo eſt animal rationale, diſciplinæ capax, & ſermonis.* Homo ergo eſt ſiue ratiocinetur, ſiue non: dormiat, vigilet, etiam in vtero matris, & iam natus infans, puer, decrepitus ſenex, morio, delirans ex febre, maniacus, phreneticus, melancholicus, qui animantibus, id eſt, cupiditatibus beluinis, & affectibus non dominatur, ſed eis frena laxat ampliſſime. An non etiam DEVS fit homo? Non audet id hoc in loco dicere magus, tametſi non abſurde potuiſſet. *Dominium* homini *in aſtra, & res omnes tribuit.* Nimis certe liberaliter. Neque enim infinitum homini Dominium eſt, præſertim cum iam ſit in ſtatu imperfectionis. Sed nec in integritate plus accepit quum dominium in terram, piſces, aues, viuentes in ſicco beſtias Geneſ.1.28.cap.9.2. *In aſtra* nihil habet dominij, vt nec in angelos, & genios malos, niſi quantum DEI præſidio, atque in aliena poteſtate, impetrat. Non enim ſapiens, hoc eſt, pius propria virtute aſtra ſibi ſubiicit, ſed Dei, quam precibus impetrat, aut Dei dono miraculoſo habet. Putes intelligi aſtra chymica, niſi cætera obſtarent. Quando *Magus* id homini aſſcribit? Si viuit ſecundum DEALEM *Spiritum.* Vnde is? *Ex arbore vitæ.* Quæ hæc? *Talentum* ſeu *Theſaurus in fictili* ipſi concreditus. Nondum aſſequor, dic clarius: *Si obſeruat proprietatem imaginis Dei.* Quid opus eſt his ambagibus? Cur non ex Pſalmo 119. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini:* quòd & Pſalm.1. dicitur: *Beati qui obſeruant teſtimonia eius, & toto corde exquirunt eum* (qui diligunt Dominum DEVM ex toto corde, &c.) *Adoleſcens mundam ſeruabit vitam ſuam cuſtodiendo ſermones Dei. Hic ambulare cum dicitur* Geneſ.5.22. *Vos amici mei eſtis* (inquit Chriſtus Iohan.15.14.) *Si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Hæc & alia ſacrarum literarum eloquia ſordent *magis. Dealis homo eſt,* inquiunt, *qui viuit obſeruata proprietate imaginis Dei.*

Hominis in aſtra dominium.

Dealis Spiritus.

Homo Dealis quod apud magos.

At quis vnquam in mundo ſic vixit excepto CHRISTO, & protoplaſtes in innocentia? Quis ſic poteſt viuere? Enunciet Apoſtolus Rom.7. per totum. Quis eſt ille *Dealis ſpiritus?* Cur non dicis *Dei verbum* quod Spiritus ſanctus ſuggerit? Spiritus oris Domini, id eſt eloquium, lex & mandatum DEI. *Quid eſt viuere ex arbore vitæ?* Geneſ.3.23. Deus ex paradiſo emittebat *Adamum*, ne, eum iuſtitiam concreatam amiſiſſet, in ſua miſeria beneficio *Ligni vitæ* æternum viueret. Num ei inuidebat vitam ſecundum imaginem Dei? Num *Dealem* vitam nolebat? Verum *Magi* vt ſuæ ſtultitiæ conuenientia figmenta habent, ita & verba. Comparatè dictum eſt, & per tropum Prouerb.3.verſ.18. *Lignum vitæ eſt ſapientia his, qui apprehenderint eam, & beati, qui tenuerint. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam,* ſæpeque dicitur ſapientiæ cuſtodiam eſſe vitam noſtram, vt verſ.21. & 22. Cuſtodi legem, & erit vita animæ tuæ.

Viuere ex arbore vitæ.

Ita cap.4. verſ.13. de diſciplina, Deuteronom.30. verſ.20. *Dominus eſt fidelium vita & dierum eorum longitudo.* Apoc.2.verſ.7. *Chriſtus vincenti daturus eſt edere de ligno vitæ.* cap.22. verſ.2. *In medio plateæ ſedis Dei & agni flumen ab vtraque ripa lignum vitæ habet afferens fructus Apoſtolicos, & folia ad ſanitatem gentium.* In ſacris ergo arbor vitæ tum cauſam vitæ ſignificat, tum vitam ipſam. *Magus* voluit dicere obſeruantem Dei mandata, quæ ad vitam ſunt ordinata, vitam ſanctam, Deoque placentem agere, tandemque vitam æternam conſequi. Verum ne videatur vulgariter ſapere, & cum ſimplicitate Spiritus ſancti loqui, monſtroſæ phraſes ad ſaliuam *Paracelſi*, & *Hermetis Ægyptij*, aliorumque magorum ſuperciliosorum, vt videatur aliquid abſtruſum, & ſingulare dicere, fuerunt effutiendæ.

Quid eſt *talentum in fictili* concreditum? Matth.25. verſ.15. *Talentum officiale* committitur Domini miniſtris vt illud collocent lucroſe. Paulus 2. Corinth. 4. verſ.6.7. *Theſaurum ſcientiæ claritatis Dei geſtat in vaſis fictilibus.* Alibi *bonus homo de bono Theſauro cordis profert bona*; Et eſt Theſaurus in cœlo. Is ergo omnibus rebus dominatur, qui ſibi commiſſo officio fungitur cum fructu, & ſapienter iuxta Dei mandata viuit, ſibique in cœlo cumulat Theſaurum. Verum in hac vita quis eſt, qui id aſſecutus eſt? Etiam piis per crucem ingrediendum eſt regnum cœlorum, & mortis quidem vim vincimus, ſed morte CHRISTI; cuius imagini oportet nos conformes fieri.

Talentum in fictili.

Miſeri Magi verbis dominantur in omnia, re moriuntur, & ſunt afflicti vt cæteri, inſuperque quos ſibi Theſauros fingunt, illi nihil ſunt quam meræ fabulæ. Deusne magica iſta deliramenta commendauerit ſuis fidelibus, vt proximo communicentur? Minime gentium. Ita eſt in Deuteronom.18. verſu 10. & ſeq. *Caue imitari velis abominationes illarum gentium, ne inueniatur in te, qui luſtret filium, &c.*

Item, *qui arioletur, qui horas obſeruent* (vt Aſtrologi fatui cum ſuis electionibus) *qui excantent, maleficos & mortuos conſulant, aut pythones,* &c. hoc eſt, vt Paracelſicè dicimus, qui exercent *Beryllisticam, ſpecula conſtellata* factitant, *& ex eis omnia ſcire volunt, qui characteribus, Gemmaheus, Gabaliſticæ, Germantiæ, aeromantiæ, ſpectris, meluſinis* & aliis abominationibus adhærent, perſuadentque hominibus *ſpirituum cõmercia,* cœleſtes attractiones per magnetiſmos arcanos, & alia diabolorum ludibria, quibus colorem inducunt *Magiæ* impiæ *Hermetis, Platonicorum, Euthaſiaſtarũ, Paracelſi, Tritemij*

temii, Cornelii Agrippæ, Artephii, Techelli, Picæ Mirandulani, Pistorii, Scoti, & aliorum famosissimorum Magorum ab igne quidem seculari immunium, sed non ab æterno, nisi pœnitentia correcti fuerunt. Notetur autem argutus *Syllogismus Crollii.* Thema seu quæstio est: ***In homine omnia sunt comprehensa & ipse fert in se omnia.*** (Pag.24. Quas species mineralium sunt in mundo, tot etiam in homine. Tot enim sunt morborum genera, quot species; corpora, & semina crescentium, quæ semina & astra aerea, cœlestia; aquatica, terrestria in elementis humanis fouentur. Prima tria sunt causæ omnium morborum, &c. vide ibi & alia deliramenta, quæ fundamento alio nullo nituntur, quam opinione, estque ipsa dictio absurda. Si enim tria Chymica principia sunt omnium morborum causæ, non erunt tot genera morborum, quot species, corpora, & semina crescentium, cumque similia similibus curari dicant, facilima erit omnium sanatio.) Argumentum Thematis, *quia ex mundo omnia in se gerente est factus.* Hinc syllog: ***Ex quo quid factum est, eius omnia in se gerit. Homo factus est ex mundo. Ergo homo omnia mundi in se gerit***: & ex consequente, ***omnia omnino***, quia mundus est omnium capsula. Belle ô *Mage.* Ita ad tuam dianacan nos: ***Ex quo quis est factus, is omnia eius in se fert. Homo est factus ex puluere terræ. Ergo omnia pulueris terræ in se fert***: vel: homo est factus ex sanguine vnius, vt *Paulus* loquitur: *Eua* ex facta ex costa *Adami*: *Christus* natus est ex semine *Dauid* secundum carnem. Videsne quid inde sequi possit? Quid quæso est ***generatio***? An non mutatio in substantia? Quid est *creatio*? An non ex nihilo, vel eo quod non est potentia proxima & naturali, factio? *Ex quo quid factum est, id in se gerit.* ***Mundus factus est ex nihilo***: (& quidem iuxta Crollii immanem sapientiam ex NIHILO DEALI, quasi nihil negatiuum non esset vniuersale) ***Ergo mundus in se gerit*** NIHIL. Ita conclude de cæteris: ***Ergo Eua in se gerit omnia Adami, etiam ius gladii & virilitatis. Ergo Christus in se gerit omnia Dauidis, etiam peccatum,*** Discite stultissimi Paracelsici, materiam se habere vt genus, id quod ex ea fit, vt speciem, in qua plus est quam in genere. Formam enim & qualitates, actionesque habet proprias, quæ in genere non erant, nec in semineo actu, sed tantum potentia. Si compositio ex manentibus fieret, dici posset compositum tale omnes partium componentium proprietates in se habere. At non vbi est generatio, corruptio, transmutatio, alteratio. Deinde vt ad Paralogismum respondeamus, homo factus quidem ex mundo est, sed tantum particulariter. Itaque non necesse est eum omnia mundi in se continere. Ita plantæ & bestiæ ex mundo sunt factæ: Ita mineralia, sed non omnia mundi complectuntur, & qui possent plantæ sydera continere, cum priores sunt syderibus? Lux iussa est è tenebris existere, at non in se habet tenebras. Ars multa facit ex mundi materia, at non omnia mundi suo opere complectitur. Quid si dicam aliquem ex stulto natum, euasisse sapientem. Num sapientia fuit in stulto? verum pergamus.

Nota syllogismum magicum.

Mira somnia Magorum.

19. Quod *Pauli* sententia de spiritu Thessalonicensium sit Paracelsica, & aliquis ***Spiritus sydereus*** in homine, qui sit ***vere homo***, seu homo interius inuisibilis probare conatur bonus ***Crollius***, quod mirum est. Neque enim Magiæ Paracelsicæ conuenit probatio logica, cum totam Logicam releget, & exulare à sua scientia iubeat. Procedant argumenta:

Quod homo in se habeat spiritum sydereum, qui sit verus homo.

Si Triunus summus creator voluit in homine manifestari, necesse est in eo tres essentias esse, sicut in diuina Trinitate. Est autem prius: Et potest probari, non tantum imagine Dei, ad quam conditus est homo, (quasi Deus de Deo, lumen de lumine,) verum etiam autoritate Apostoli in 1. ad Romanos. ***Ergo & posterius***; ex consequente ***homo habet spiritum astralem in se, qui est vere homo, præter animam & corpus elementare.***

Homo vere est in homine non vere.

O argutias. *Magis Paracelsicis, Tritemio, Techello, Artephio*, qui dicitur amplius mille annis, suo tamen testimonio vixisse, *Cornelio Agrippæ* &c. concedamus suos spiritus παρέδρους seu familiares Socraticos, quales incubos & succubos compertum est, habuisse plures: sed si sermo est de homine simpliciter, & eo qui ad Dei imaginem conditus, ea amissâ Diaboli imaginem induit, hacque iterum per Christum exutus ad primam renouatur, negamus connexum. Non opus est ad ***Magum*** ratione negationis, vt qui aliâs etiam affirmata non aliter probat, nisi ***dicere***. Ad discipulos nostros sermone verso, rationem esse dicimus, quia Deus manifestari quidem se voluit in homine, sed id fieri posse, vel in vna parte hominis, vt anima, sicut dicunt eundem se reuelasse in angelis. Sic ingenium artificis vel in clypeo Mineruæ conspicitur. Deinde sic ex eodem fonte argumentamur: ***Deus Pater Pater, Filius, & Spiritus sanctus manifestari voluit condito sole. Ergo & in sole sunt tres essentiæ.*** Ita de aere & aliis. Conuersim: ***Si in homine non sunt tria illa, corpus elementare physicum, Spiritus sydereus, & anima Magorum, nec in Deo erit Trinitas. Est autem antecedens. Ergo & consequens.*** Assumtum probo, quia figmentum est in homine externo esse alium hominem, verum ex syderibus factum, aut collectum ex quatuor naturis mundi. Nihil hic est nisi petitio principii. Rursus: ***Si in Deo Triuno non sunt tres essentiæ, neque in homine. Illud est. Et hoc ergo.*** Iterum: ***Si ratione manifestationis tot sunt in vno homine, quot in Trinitate diuina, tria indiuidua, & tres personæ erunt in homine sicut in Trinitate*** Nam aliâs illa manifestatio est ad essentiam nulla. ***At non sunt in vno homine tres indiuiduæ personæ. Num ergo Magus Trinitatem personalem negabit?*** Non vbi tria sunt, ibi est diuinæ Trinitatis reuelatio. Aliâs Cerberus, Geryon, Diana, seu Luna, (quæ tres habet facies) Trifolium &c. essent simulacra Dei. Non ex nostra phantasia de mysteriis Trinitatis concludendum est, sed ex principiis fidei reuelatæ. Aliâs quam facile esset Deum duabus partibus corruptibilem facere, & Trinitatem non in personas, sed materiam, formam, & organa spiritualia secare? Cum itaque futile & inane sit commentum *Magi* de spiritu sydereo, & reuelatione Triunitatis æternæ per eum, Apostoli sententia minime ista fuisse, conuincitur.

Argumentum II. ***Qui è Lumine naturæ philosophantur, ii consentiunt in homine esse tres essentias, corpus elementare, æthereum spiritum, & animam.*** Sunt ergo totidem, & ex consequente, ***Triunita-***

Tres essentiæ in homine.

Mat 10 28
Eccl 12.v.7

Ex lumine naturæ philoſophari eſt ex opinione & comparatorum, & ſpuriarum ſimilitudinum ratiocinari: more Paracelſi.

Hermes Crollij duas partes eſſentiales hominis habet.

Ante Paracelſum nullus Medicus, quia is primus.

tem diuinam homo præfigurat. Reſpondemus, *plus valere ex lumine gratiæ Spiritus ſancti philoſophari, quã ex lumine naturæ.* At Spiritus S. homini vltra corpus & animam, quod ad eſſentialem perfectionem pertineat, nil tribuit, ideq; Phyſici & Medici omnes ſapientes agnoſcunt & aſſeuerant. Deinde ex particulari nihil ſequitur καθόλου. Qui ſunt illi, quos *Magus* dicit, *ex lumine naturæ philoſophari*? Paracelſici principiis aſſertionum deſtituti. At veri Philoſophi ex natura, ſcripturaque coniunctim diuerſum ſentiunt, idque conuenienter cum rebus. Horum teſtimonium eſt fide dignum. Notandũ autem, quod *Crollius* hac in parte nullum alium habeat autorem, quã *Paracelſum. Hermes* enim, quẽ pag. 28. ſcribit, *regenerationem per fidem ſpem, amorem, &c. intra ſecreta religioſi pectoris ſui ſilentio tectam cum aliis corde mundis,* (Quis mundum inter immundos inueniat? Iob. 14. v. 4. Pſ. 50. 7.) *& vita ſanctis viris,* (iuxta Apoſt. Rom. 3.) *ante incarnatum Verbum per Spiritum ſanctum illuminatis, melius cognouiſſe, quam plurimos è Chriſtianis, hominem animal duplex tantum eſſe ſcribit,* cuius vna pars ſit *Mens*, forma ſcilicet diuinæ ſimilitudines, altera *Corpus* ex quatuor elementis, quo pars diuina circumtegatur: At *Paracelſum* pag. 67. *primum microcoſmi Medicum* vocat, qui ſolus duplex creaturarum corpus, à gentili Philoſophia præteritum, produxerit, &c. Sed Paracelſicas nugas non curamus. Si *Triſmegiſtus* ſequendus eſt, aliter de homine philoſophandum.

Nota impietatem Magi Paracelſici, & ſtultitiã.

Limus terræ Paracelſicus.

Argumentum tertium: *Si homo ex terræ limo per verbum, fiat, eſt creatus, Spiritumq; æternum, qui eſt ipſe Deus in nobis habitans ex ore Dei accepit, neceſſe eſt Triunum eſſe. Eſt autem antecedens. Ergo & conſequens.* Connexum probatur: quia *Aliud eſt limus* terræ, *Aliud Spiritus æternus, ſeu Deus hominis. Limus terræ eſt duplex, viſibilis & inuiſibilis: ex illo corpus extitit; ex hoc ſpiritus ſydereus, qui vere homo eſt, non caro & ſanguis.* Hæc *Magus* ille adeo impie veſanic & turpiter, vt mirum ſit, ſi adhuc aliquis mentis ſanæ Paracelſicæ ſectio adhærere velit. Primum negatur connexio. Finge hic eſſe factum hominem, tamen non neceſſe eſt triunum eſſe. Si enim vox, Deus, perſonaliter accipitur, vi poſitorum non ſunt niſi duo, Deus ſcilicet incorporatus, ſeu, vt loquitur Eccleſia, incarnatus, qui corpus habeat ex limo terræ, & ſpiritus ſeu anima inſpirata. Inde homo foret biunus. Proſyllogiſmus de limo terræ duplici ignorat elenchum, petitque principium. Neque enim verum eſt, quod ille puluis, ex quo Deus corpus *Adami* conſtruxit, aut illa coſta, ex qua fabricata eſt mulier, conſtiterit ex elementis partim, partim æthereo ſpiritu: & ſi etiam conſtitiſſet, tamen non neceſſe fuiſſet, inde *duos homines, viſibilem & inuiſibilem,* exiſtere, ſicut nec ex quatuor elementis, humoribus, & qualitatibus, aut ex tribus, vel quatuor, pluribuſve principiis chymicis varia conflantur indiuidua, cum ex eis generantur. Hæc de propoſitione. Secundo: Aſſumtio eſt mendacium impium. Homo corpore tenus factus eſt ex terra, vel puluere, qui Ebræis dicitur *Aphar min Haadamah, puluis aridus*, qualis eſt cinis ex combuſtis lignis, aut id, quod Ariſtoteles dicit, ex putredine tandem fieri, vbi inquit: ἀλλ' ἔτι καὶ ἐξ ἑτέρων γίνεται τὰ σπέρματα πάντα, καὶ πηλὸς γῆ, καὶ κόπρος. Terra fuit humanum corpus, in

Limus ex quo homo.

terram redit, &, licet antequam in terram fathiſcat, fimus putridus fiat, tamen finis eſt terra, vt apparet in cadaueribus ſepulchrorum. Latinus Interpres Gen. 2. v. 7. reddidit quidem *Limum*, ſed intellexit *puluerem terræ*, idque diſerte dicit cap. 3. v. 19. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: Item: *donec reuertaris in terram, de qua ſumtus es*: vbi Hebræus habet, *Adamah* & *Aphar*. Quid autem limus? *Lutum & cœnum mollius, quale in aquis ſedet*; ſeu puluis aqua dilutus, vt adhærere poſſit. Si ex arido puluere factus eſt *Adam*, non ex limo. At, inquis, variis tamen conſtare eius compagem anatomia indicat. Inquam viciſſim etiam *Eua* corpus & animalium ex variis eſt, poſtquam eſt confectum. Omnipotentia Dei ex *nihilo* quoq; varia produxit. Rurſus: *Si puluis ille aridus fuit terra ſolitaria ſicca, non fuit miſtũ ex cœlo, ſeu ſyderibus & elementis, multo minus fuit limus duplex* Hoc vnum aſſumti mendacium. Aliud

Deus hominẽ non fecit per Fiat, vt mentiuntur Magi Paracelſici.

eſt, quod dicitur factus homo, *per verbum* FIAT. Ex qua Vtopia hoc ſomniatum produxit *Magus*? Sacra Scriptura ter tantum vtitur iſto verbo, quod Ebræus enunciat per *Iehi ſet*, exiſtat, fiat; vt fiat lux: fiat firmamentum, fiant luminaria, (vbi myſterium videtur eſſe. Nam verbum ſingulare cum plurali conſtruitur nomine.) De homine ſcriptum eſt, *faciamus hominem*, vbi verbum *Aſah* & *Bara* Ge. 1. v. 26. 27. & c. 2. v. 7. *IaZar*, quod eſt formare. De fœmina Gen. 2. v. 22. verbum eſt *Banah* ædificare. Non eſt aliquid peregrini inferendum in ſacras literas. Poterat Deus itidem dicere: *Fiat homo ex terra*; ſed ſapientia illa æterna ſciuit rationem, quare non, *fiat*, ſed *faciamus*, & ſimilia pronunciandum

Impietas Crollii.

fuerit. Hoc eſt mendacium ſecundum. Tertium eſt, *quod homini inſpirauerit æternum ſpiritum*, eo ſenſu, quem poſtea explicat, *quaſi nihil aliud ſit quam Deus.* Id impium eſſe ſupra diximus. Neque enim eſſentialiter. neq; perſonaliter poteſt accipi. Tropica quidem locutio de *iudicibus* eſt, quod ſint *Elohim*, ſeu dii; ſed hoc aliud quiddam eſſe à Deo, diuinaq; eſſentia ſatis eſt apertum. Collegit autem

Tres dii Hermetis.

hanc impietatem ex *Hermete Ægyptio*, qui in ſuo *Aſclepio* ſcribit, *tres eſſe Deos, Dominum ſc. æternitatis, mundum*, & *hominem*; quem ideo *anima, ſenſu, ſpiritu, & ratione* dicit diuinum eſſe, putatq; in cœlum aſcendere poſſe, quod *humanitas ſit ex parte diuina*: Item Deus hominem fecit *ex ſe primum, & à ſe ſecundum.* Deus hominem amauit, vt *diuinitatis ſuæ partem*: *Deus hominem fecit ex æterna & mortali natura.* Hæc & ſimilia impia *Magi* iſti admirantur, & audent ſacris Philoſophis, Medicisque opponere

An caro & ſanguis homo.

tanquam ipſam veritatem. Quod autem dicitur, *ſpiritus aſtralis vere eſſe homo*, & non caro & ſanguis, id attigimus ſupra. Sane ſcriptura ex ſanguine hominem poſt protoplaſtos gignet, ipſoſq; eadem notâ deſignat: Ita enim *Adam* de *Eua*: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Gen. 2. 23. Mat. 19. 5. 6. Non ſunt duo, ſed vna caro. Præterea ſæpe carnem, ſanguinemq; pro homine diuinitus non illuminato ponit, ſeu pro homine ψυχικῷ, aut natura eius ſimpliciter accepta, qui & carnalis homo, & vetus, externuſq; cum peccatis & concupiſcentiis ſuis, & omnino qui nondum eſt regeneratus, vt Matt. 16. v. 17. Ioh. 1. 13. c. 3. v. 6. 1. Cor. 15. v. 45. 46. 47. 48. 50. Phyſice vero loquendo, *caro & ſanguis* pro materiali parte hominis ſumuntur, & carne adeo non poteſt carere integer homo, vt eam corruptam etiam neceſſe ſit reſurgere. Vnde *Iob Deum viſurus eſt in carne ſua. Ariſtoteles* maxime vni-

uocam

uocam hominis secundum corpus partem esse recte statuit. Tolle tropum synecdoches membri sc. pro integro corpus humanum certe etiam pertinebit ad integritatem hominis, licet aliàs magis homo dicatur anima, & corpus tabernaculum. Spiritus ille æthereus Paracelsicus vere homo esse non potest, quia est figmẽtum magicum, & phantasma sine essentia. *Corrumpunt bonos mores praua colloquia: videte canes, videte malos operarios, videte concisionem,* (κατατομὴν) inquit *Paulus*. Attendant Theologi ad Paracelsistarum eiusmodi in Rebuspub. conuersationem. Si caro illa, de qua *Crollius* loquitur non ex *Paulo* sed *Paracelso*, est corpus hominis sensibus conspicuum; & non est verus homo, seu vera hominis substantia, membrum nimirum eius alterum ex puluere terræ à Deo factum, & generatione naturali ex parentibus porro propagatum, sed *vere homo est sydereus spiritus*, ex astris, facile poterit fieri, vt à simplicitate fidei aliquis versutiæ Paracelsicæ imperitus seducatur. Quæ enim erit consolatio *ex articulo incarnationis Saluatoris nostri, paßionisq; & mortis, si caro non est de veritate hominis?* Noli gloriari Iudæe clamabit Paracelsicus. Non enim vere Christum hominem crucifixisti, sed indumentum saltem, & laruam hominis. Neque enim homo ille inuisibilis crucifigi potuit. Huc referatur quod *Paulus* 1. Cor. 15. 47. scribit primum hominem de terra terrenum esse, secundum Dominum ipsum de cœlo, qui & cœlestis dicitur. An non huic doctrinæ insidiatur ille Paracelsicus spiritus? Nam si hic est ille homo secundus cœlestis, non est Deus & homo simul. Hactenus de argumentis Trinitatis humanæ.

1. Cor. 15. 33. Phil. 3. 2.

20. Pergamus in examine Paracelsici istius spiritus. Dixerat *vere hominem esse illum spiritum sydereum, qui & homo internus* simul cum indumento eius externo, (vt Socrates ex *Hermete Ægyptio* scribit) ex limo terræ factus. Intelligimus itaque esse *aliquid corporeum*, licet inuisibile, iam vocat *vitam corporis*: & comparat cum *spiritu Domini, qui sit vita animæ intelligentis*. Non est ignotum, in quas tenebras, & quod sepiæ atramentum soleant irrepere *Magi*, cum deprehenduntur in mendacio. Proferunt suas *Cabalisticas* nugas, & sensus mysticos. Verum si is intellectus verborũ est in acroamatica doctrina, quem verba exhibent, & *vita nihil est corporei*, nec accipitur vt in sacris, cum Christus dicit: *Ego sum via, veritas & vita*: aut cum *Paulus*, *Christus est vita nostra*, vel vt Ecclesia: *Vita in ligno moritur*. quomodo potest esse *ex limo terræ factus spiritus olympicus, sydereus, astralis, vere homo*? Dicet *Crollius*: hoc sensu volo: *Ille spiritus est caussa vitæ corporis externi*. Inquam vicissim; de organica concedo. At sic nihil diuersum dixisti à spiritu naturali, vitali, & animali Medicorum. Deinde si *caussa est vitæ corporalis*, quî sit vere homo, homo internus, sydereus, inuisibilis? Corpus *Adami* ante *spiraculum vitæ* non erat, nisi potentia viuum, sicut & *Ezechielis* corpora ante inflatum venti. Si vnà factus ex limo terræ est ille spiritus, ante animam fuit cum corpore, & corpus vixit, antequam viuere per animam incepit. Volunt aliàs Chymici sua principia, & essentias esse *vitalium potestatum prima & proxima subiecta*, & vitam vocant vires rerum etiam aliàs non viuentium, sicut & *Cardanus*, videturque ea significatio ex Syracidis libro translata esse. Ita enim inquit c. 42. v. 23. 24. *Quam desiderabilia omnia opera eius, & tanquam scintilla quæ est considerare*, (licet nos vix scintillam de eis contemplari & intelligere possimus. Sap. 9. v. 13. 14. 15. 16.) *Omnia hæc viuunt, & manent in seculum; & in omni neceßitate obediunt illi. Aristoteles*, vt & *Hipp.* in lib. de vet. med. in humano corpore aliud agnoscit, idque magis diuinum, *quam quæ elementa vocantur, analogum mirum, elemento stellarum spiritum in semine, spumosoq; corpore, & natura in eo spiritu, qui & calor dicitur*, & 3. Gen. an. 11. dicitur *in humore esse, calore animali in vniuerso existente*, indeque ad illum spiritum & humorem perueniente. Si itaque hæc est sententia, *spiritum illum sydereum esse illam partem corporis, quæ per Chymiam extracta in se habet vires*, cum reliquiæ, seu crassamentum extractione exhaustum præter elementares qualitates nihil habeat, tolerabilis est locutio; sed tunc corrigendæ sunt aliæ, quæ huic aduersantur. Neque enim dici potest, *hunc esse vere hominem, ex syderibus venisse, esse hominem internum*, cum nihil aliud sit quàm *nobilior pars similarium corporis, non humani tantum, sed omnium mistorum*, nec faciat seorsim vel hominem, vel corpus hominis, sed simul sit de natura membrorum. Neque vero *Paracelso* primo debetur huius essentiæ agnitio, cum eam posuerint tum Physici, & Medici superiores, licet alio nomine, tum Chymici. Verum quo sensu *Magus* vitam corporis (quasi ipse corpus non sit) vocet, non est laborandum. Addit enim declarationem, sic esse, *vt Domini Spiritus est vita animæ intellectualis*. Huius *vita* est tum potentia vitalis vel rectius intellectualis, collata per spiritum omnia creantem, cuius vi factus est homo in animam viuentem. Gen. 2. v. 7. 1. Cor. 15. v. 45. tum actus secundus, intellectus nimirum motusq; eius, consideratus actu in suo vigore, secundum rei veritatem, quanquam Magus ex suo Hermete vitam essentialem decidat *ex Dei essentia*, eamq; homini inspiret, vt non sit per caussam procreantem, & conseruantem, sed *formaliter vita*, cum tamen dictio aduersatur, quæ indicat aliud esse animam intelligentem, aliud vitam eius nempe intellectum. *Anima enim intelligens per intellectus potentiam est intelligens, & cum intelligit actu, tunc vitam suam exerit.* Non autem semper actu intelligere, & intellectu moueri, sed aliquando quiescere, quisque in seipso experitur. Componantur iam similitudines. Fiet itaque spiritus ille sydereus potestas aliqua corporis, & virtus, per quam id viuum dicitur, seu potentia, seu actu, sicut anima intelligens per intellectum à Deo collatum est intelligens. Vide iam qualis sit homo, & quale corpus in corpore.

Vere homo vita corporis, & Spiritus Domini.

Vita Paracelsica rerum.

Spiritus sydereus pro Paracelsi sale, sulph. & Merc.

Vita hominis ex creatione.

Spiritus sydereus abit in potentiam.

21. Non satis. *Idem spiritus vocatur anima, eaq; mortalis in corpore, vtpote ex materia leuis producta* Si hoc ita est, nihil est aliud, quam potentia, qua corpus sic dispositum est, vt anima, quæ est primus fons, & caussa naturalis vitæ, per id vitales actiones possit exercere mediantib. instrumentis idoneis, id quod patet tum in corpore *Adami*, & restitutis apud *Ezechielem*, tum in mortuis, aut graui aliquo morbo, apoplexia, syncope, &c. occupatis. Certe nihil vitæ deprehendas anima absente. *Animam* autem appellari spiritum vitalem, vel animalem, vel etiam eum, quem spirando attrahimus, nihil est noui, modo non de essentiali forma loquaris. Si ista ita sunt, abiice corpus sydereum Paracelsi,

Spiritus sydereus fit anima.

Cur Magia iſta examinetur, cum iſta dictione ſit inanis.

celſi,quod ſit vere homo, homo internus, alterum corpus hominis, à Paracelſo primum productũ in lucẽ.22.*Spiritus eſt vita animæ: ſpiritus & anima ſunt vita corporis.*Dicat aliquis:Quorſum attinet his deliramentis fatigari? Mittantur ad coruos iſta περιτρίμματα. Huic reſpondeo, *Probandos eſſe ſpiritus etiam in Philoſophicis,ne innocentes damnemus.* Si nocentes ſunt,vtile eſt, eos in Repub. notos eſſe, vt vitentur.Non eſt nobis volupe homines inſectari; ſed *nec homines intelligimus , cum eorum ſpiritus cenſemus*.quanquam interdum permutentur vocabula,& *Paracelſus* nominetur pro *ſpiritu & doctrina Paracelſi*. Verum ad rem. Corpus per ſe non habere actum vitalem, aut vitam actu, ita tamen diſpoſitum eſſe,vt principio vitæ inſito poſſit viuere, niſi vitam tropice accipias de viribus qualibuſcunq;,euidẽs eſt. *Si iam ſpiritus eſt alterum corpus hominis,quomodo poterit' eſſe vita eius*, niſi inſtrumentaliter,& communicatiue,quomodo faber ferrum verſat mediante forcipe,vbi nec ferrum viuit,nec forceps,ſed faber,in quo artis fabrilis notitia eſt principium & forma? At nec tolerabilis dictio eſt.Inſtrumenta.n.naturalia in corpore non ſunt alterum corpus hominis. Quis vero eſt ſpirit⁹ ille,qui & animæ vita eſt?De efficiente diuina cauſa,quia eſt Theologica, Phyſicus per ſe non agit. Ea.n.ſupponitur cauſa naturalis eſt parens viuus, qui viuum gignit. Nam poſt Deum nati vitã trahunt ex parentib.Ita fit & anima naturaliter.Hæc vt viuat,quis quæſo ſpiritus naturalis facit. Num olympicus?Nequaq̃.Non.n.iſte principium animale eſt,niſi ſecundum quid,& quidem non ratione animæ,q̃ per ſe,in ſe vitæ potentiam ita habet,vt conſentaneum corpus ſecũ faciat viuere,& vitæ ſuæ argumenta per illud exhibeat.Quod ipſa per ſe vitam habeat,apparet ex immortalitate eius.Inſeparabilis.n.ab ea vita eſt,etiam cum liberata eſt corporis contagio.Quod corpori eſſentialiter cõiuncto vitæ actũ communicet,& cũ oculo,perq; oculũ videat,per pedes ambulet, per aures audiat, &c.notũ eſt.Null⁹ eſt corporeus ſpirit⁹,qui facere poſſit, vt anima in ſe viuat:vt in corpore exerceat actus vitales,inſtrumentaliter efficit ſpiritus organicus.At hic non eſt alter homo, nec Paracelſicũ iſtud figmenũ,ſed vapor,ſeu halitus,vitæ ex anima in corpore procurator.Eũ omnes Phyſici ſani,& Medici agnouerunt,nec opus fuit Paracelſica admonitione.De eſſentiis chymicis potentibus ante dictum eſt,*vitam earum eſſe metaphoricam*,nec poſſe efficere,vt corpus exanime viuat. 23. Deſcriptio

Anima.

ſpiritus iſtius ex pag.*Crollij* 36.eſt animæ magna ex parte. *Hæc.n.eſt ſpiritus viuus*, iſq; in plantis ſaltem potentia vegetabili,in beſtiis cum ſenſu & motu; in homine cũ intellectu & voluntate ſeu ratione. Hic aũt nec corpus eſt,nec deciſio à corpore.Quomodo ſit aſtrum aut corpus hominis internum, inter externũ,& animam medium,vt homo inde ſit TRIVNVS?Numerus *binarius* apud magos eſt infamis.Ideo *Crollius* binariũ quendam calumniatorem vocat,qui aduerſus *Paracelſum* ſcripſerit. Ne omnis homo ſit binario ſubiectus,ideo ternariũ faciunt : quaſi tanti ſit numerus. Ternario vtitur etiam Saga apud Virgilium;num vſq; adeo innocenter? *Pythagoræi* quaternarium celebrarunt, qui eſt bis binarius.24.*Corpora ſunt aſtrorum excrementa.*Ridicula ſtultitia pag.36. *Corpora nihil aliud ſunt, quam aſtrorum excrementũ ex operatione eorundem producta in eſſe corporeum,* Quodlibet aſtrum producit aliud aſtrũ corpore concluſũ imaginando,formando ex ſe;& per ſe per operationem, &c. Sunt ergo effecta aſtrorũ excrementa corporea.Paracelſici aliàs ab aſtris,quæ nutriri volunt, excerni dicunt Cometas,pluuias,ventos,mannæ varia genera,& traiectiones, quas vulgus pro ſtellarum purgamentis,qualia detrahuntur ardentibus lampadibus,aut candelis,habet,cum aliis multis. At corpora elementaria aſpectabilia,quæ in mineralib.plantis,& animalib.ſunt, quando fuerunt in ſtellis, aut ex eis ſunt delapſa?Homini corpus factum ex terræ puluere eſt; Phyſici ex elementis cum Chymicorum choro conficiunt.Quis ergo ſenſus?Ex Chymia perperam accommodata ſumta eſt locutio.Quando,vt loquitur *Meſues*,forma abſtracta eſt à materia, ſeu eſſentia totaliter ſeparata, remanet terra inanis,eſtq; ẽt ſegregatum phlegma aqua elementari cõparabile. Aquoſitatem elementarẽ alii vocant,vtpote diuerſam à ſucco alimentario nondũ aſſimilato, & ſubſtantifico primordiali. Cũ iſtis duob.aiunt eſſe aerem & ſpiritũ igneum,aut ſaltem cum eſſentiis exire. Ita corpora mortua forent reliquiæ extractarum eſſentiarum.Finge eſſentias illas eſſe aſtra,ſeu ſpiritus ſydereos:At elementares partes ab illis ars ſeparauit,non aſtra ipſa excreuerunt.Sed nec ex aſtris eæ prodierunt. Sũt n.corpora iſta elementaria ſimul facta & nata cum eſſentiis.Itaq; & capſulæ aliàs dicuntur, non excrementa.Verum *Magi* putant ſibi quiduis licere,ſiuè ſibi,ſiue aliis contradicant 25. Dum *ſpiritus* iſte mirificis titulis ornatur,à riſu tibi vix temperes. *Si eſt homo incorporeus*, quomodo eſt altera pars limi tetræ?Quo modo corpora poſſunt eſſe eius excrementa ? Quî eſt corpus hominis ſecundum ? Relate dices. Quia.n.ſpiritus eſt inuiſibilis,& veteres inuiſibilia incorporea dixerunt:Ideo homo dicitur incorporeus.Si,inquam,reſpectuum mutabilitas in doctrina axiomatica locũ habet,facile ex quouis feceris quid vis. Veteres quod attinet,illi etiam vacuũ dixerunt id,in quo nihil apparet oculis.Quidã omne quod eſt,corpus vocarunt.ita vt ẽt Deum & animas,angeloſq; & diabolos fecerint corporeos.Non dic quid veteres,quos parum curat Paracel.locuti ſint, ſed rem ipſam per ſe expone.Non poteſt eſſe homo.(Conſtat.n.hic ex corpore &anima)ſi tantũ eſt aliquid internũ hominis,

Gabalis,homo olympicus aſtralis conſutus ex ſpiritibus ſydereis.

& quidẽ non anima,nec virtus animæ,ſed ſpiritus deciſus ex aſtris. *Gabalis*, ſi eſt certa ratio vocis, & non purum figmentum,videri poteſt à termino, & figuratione deducta eſſe appellatio. Ebræis.n. *Gabal* ſignificat finem,& certo termino effingere,efformare,&c. Ita ſpiritus ille internus eſſet plaſticus ſeminalis fictor ſcilicet corporis,dum generatur. Sed quia *Gabaliſtica magia* inde nomen inuenit,& *Gabul* apud Rabinos ſignificat certam calcationem hominis intra fines determinatos,quidni ſit ille ſpiritus,per quem diaboli euocantur à Magis intra certũ circulum ſtantibus? Ille eſt attractiuus ſpirituũ,vt ſequetur.Hinc dicere potes:Gabaliſtica Paracelſi eſt dæmonum ex certo circulo aduocatio ad reſpondendũ de quæſitis:vel eſt ea qua *Tritemius* ſe in varias formas transmutauit,q̃ ſolẽt facere & ſagæ nõnullæ,& infames magi,qui iã ſunt ignis,iam lapis,leo,ſtramẽ,aſinus, &c. vt Prot.& Achelous apud Poetas. Paracelſus eam in paragrauo de Aſtronomia, ex aſtris ducit, & in Labyrin-

tho

tho Medicorum, ait, eam ex astris manifestare omnia arcana naturæ. Lib. 3. de orig. morb. inuisib. In spiritu olympico iacet ars Gabalistica, olympicorum spirituum conuentus probant vim imaginationis, &c. 26. *Spiritus ille est idem cum firmamento astrorum, vt rubedo vini est eadem cum vino, & albedo niuis cum niue.* Mirum vero. Identitas hæc est consensus subiecti cum adiuncto. Ponamus ergo firmamentum astrorum in homine, hoc est, omnes eas essentias, quas Chymici arte solent extrahere ex ossibus, carne, & aliis. In his est spiritus ille sydereus, vt in subiecto proprio, sicut in *oleo cinamomi*, & aqua, *spiritus cinamomi*, in *extracto Rhabarbari* spiritus Rhabarbari, atq; ita de cæteris. Res clarior fit magnete. Is lapis ferrum attrahit spiritu in sulphure hærente. Sulphur est astrum: spiritus est eius astri ætherea natura. Si hæc sententia est, male comparatur cum coloribus, qui à terminato lumine exoriuntur, seq; varie admodum & mutabiliter habent, vt verba sonant, & vis comparationis indicat, spiritus sydereus est qualitas inhærens firmamento astrorum. Non ergo substantia. Alibi ipsa astra sunt spiritus. Iam aliquid diuersum percipimus. Ita transmutant *Magi* isti Gabalistici & se & sua verba in varias monstrositates.

27. *Spiritus ille sydereus quanquam cum astris dicatur esse idem*, ea identitate, quæ simul est diuersitas, vt similia ostenderunt, ita vt astra sint corporea, spiritus in eis aliquid incorporeum; tamen mox *corpus* vocatur, quod, vt verum appareat, coniunctim oportet intelligere, sicut *Aristoteles* in 2. Gen. an. 3. corpus vocat *calorem & spiritum simul cum natura analoga elemento stellarum*, seu ætheri. Huic corpori hominis interno incredibile quid tribuitur. Cōparatur *magneti*. Astra externa in cœlo aspectabile oportet se habere, vt *ferrum* vel aliquid ferri. Inter hæc duo statuitur sympathetica familiaritas, qua spiritus magnetis spiritum ferri appetit pro alimento, quod cum exhausit, tūc relinquuntur excrementa, hoc & ferrugo inanis omni ferri spiritu & essentia euacuata seu priuata.

Hominem attrahere vires astrorū externorum.

Sic enim Magi Paracelsici de his interdum, alibi aliter philosophantur vi huius comparationis astra nostri corporis cum spiritu sydereo coniuncta, exhaurient astra macrocosmica, eorumque spirituali essentia nutrientur. Oportet autem nutrimentum abire in naturam eius, quod nutritur immutatum ab illo ipso, sicut sanguis in carnem vertitur non in osse, aut neruo, sed carne. Fabula foret, si quis ita vellet ratiocinari, minusque magicum opus. Quid ergo aliud? *Magi cœlo affingunt virtutes* & operationes admirabiles, & potentiam sapientiæ, artiumq; omnium conferendarum. Ideo *Paracelsus* videt in astris *Vulcanos* quosdam, seu *spiritus mechanicos* tanquam *Epimetheos* & *Prometheos* fabricatores & collatores ingeniorum, artium, & aliorum. Ab his spiritib. *Crollius* vult nostros spiritus vires attrahere. Sed quo fundamento? Nullo. Itaq; tota ea res est vanitas vanitatum. Astrologi quoq; ascendentes & horoscopos, aliaq; fingunt ex regulis gentium de tota vita, & fortuna, bonisq; animi & corporis nati, quod ex Chaldæorum Magia traxerunt. Sed & hi vanitatis spiritu ducuntur. Vt. n. Deus per *Hieremiam* c. 10. dicit, *Leges gentium vanæ sunt*. Ex vano principio vel nisi vanitas est. Notandum autem ista quanquam varie, tamen serio à Paracelsistis ideo disputari, vt colorem aliquem inducant *Magiæ Techelli, Tritemii, Pici, Agrippæ*, & aliorum qui *Simonis magi* artem callent, & *Tiridatis* armeni, qui magicis crinis *Neronem* frustra inhiantem arti excepit, tum Iudæorum, qui *Schemhamphoras* prædicant: tum qui *specula constellata, imagines, homunculos characteres, nummos*, & alia condiabolata faciunt, & *sigillis* omnia tribuunt. Persuadere. n. contendunt, vt & *Scotus* ille famosus magus, *talia naturales caussas habere*, & non fieri ex commercio cum spiritib. immundis, & deceptione Sathanæ, cum re vera non fiat aliud, & totum id sit à sacris literis & Ecclesia exterminatum prohibitumq; *Rogerio Bacchone* Chymico eandem artem detestante.

Cœlum magorū sapiens.

Plin. libr. 30. c. 1.
Vide Parac. tom. 6. lib. 1. de vita lōga c. 9. vbi plures magi.

28. *Vnde Gamahæos quarta species Magiæ, &c.* Hanc magiā definit *Crollius*, quod, *quæ natura sua sponte perficit*, (intellige in gemmis & lapidib. naturaliter figuratis, quib. tribuūt magi vires maximas, quale est ouum serpentinū, ceraunias, ophioglossum vegetabile, glossopetra, cornu Hammonis, &c.) *ea longe facilius queant arte inuisibiliter & spiritaliter peragi.* Verum vt studiosis inseruiamus, repetimūs ea quæ Paracel. habet de *Gabalistica* & *Gamahæa*. In lib. 1. philosophiæ sagacis *magiam* in *sex species* diuidit. Primam vocat *insignem magicam*, per quā ex supernaturalib. cœli signis, vt stellis nouis, vel Prophetis, vel apocalypsi aliquid interpretamenti proferunt; q. essent interpretes signorū diuinorū, & vaticiniorū. *Secundā* vult esse *metamorphosin* corporū viuentium in alia, sicut Christus est transfiguratus. Vocat magicā *transfiguratiuam*. Tertiam, ait, docere facere *verba*, quę omnē illam vim habent, quæ à cœlo in herbas demittitur, vt *sic medicus per verba purget pro Rhabarbaro*. Ratio huius est: *Quicquid naturalis ordo per se sua sponte efficit, id ars quoq;*. Hæc est *characteralis*. Quartam scribit docere facere *Gamaheu* (Gamacheu, Gamahey. Sic. n. scribitur: ab aliis Gamahæa, Gamahæos *Dornæus* Gamohæas dicit esse *imagines ex influentia supercœlesti conceptas Gamatheos* vero lapides, quib. cœlestes vires imprimūtur mirandis characterib., imaginib., figuris insignitos, quales aliquando & in natura extant) *quæ omnia ea efficiant, quæ naturalia instrumenta possunt*, vt feras referare, vulnera infligere, munire contra ictus, &c. id quod inuisibiliter peragat. *Quinta* species est, quæ *imagines* conficit similes his, quib. eæ destinātur, *quib. imaginib quicquid infligis, is id patitur cuius sunt*. Itaq; in imagine cerea, vel alia potest aliquis assari, configi, occidi, contractus, &c. fieri, quod sagæ alias procurant, vt & reddere aliquem impotentē, rursusq; sanare. Vocatur altera in alteram. Sexta est ars *Cabalistica*, non illa Hebræorū, sed magica, quæ & *Gabalistica, Caballa, Caballia, Gabanala, dicta ab eo qui istam exercuit potenter*, vultq; *Paracelsus* eā in *Persia* viguisse, ignotā Hebræis, & Græcis. Hæ sex species recensentur in primo philosophiæ sagacis. In tom. 10. vbi totam astronomiā declarat, *quinq; species magiæ tribuit, imagines, gamahæos, similitudines, verba, herbas*. Imagines respondent quintæ speciei, gamahæos quartæ, similitudines primæ, verba tertiæ, sed de gabalistica primum. *Gabalis* inquit Paracelsus, *est spiritus, qui de corpore ambulat in corpus*. *Crollius* spiritū sydereum hominis vocat, quem forte voluit ex hominis corpore exire, in cœlum ascendere, & inde assumere vires astrorum, attrahereq; magnetice omnem scientiam.

Gamahæos quid.

Species magiæ.

Gamaheu, Gamahæos dicta quarta magia.

Mira vis Hamahaorū Strigibus & Agmanū quando torretur aliquis occulta magia.

Gabalistica. Alia species magiæ.

Ait enim Gabalis pag.36. ſydereus, internus, olympicus, incorporeus homo, ſeu Gabalis idem eſt cum firmamento aſtrorum, quod rubedo cum vino: Eſt altera pars hominis, ſydereum corpus, hominis genius, penatis, vmbra viſibilis corporis, Lar domeſticus, homo vmbratilis, familiaris Sophorum homunculus, Dæmon bonus, internus Paracelſi Adech, ſpectrum, naturæ lumen, Eneſtrum præſagiens, & propheticum, imaginatio, omnia aſtra in ſe claudens, &c. Qui *ſuam imaginationem*, inquit, *Paracelſus, ſcit eo perducere, vt ex ea fiat ſpiritus natus*, (ein geborner Geiſt) *is poteſt regere Gabaliſticam.* Intelligimus ergo ſpiritum Gabaliſticum non inſitum, & concreatum eſſe homini, ſed debere naſci ex imaginatione, ſeu per imaginationem. Quis eſt conſenſus itaque iſtorum Magorum? *Gabaliſtæ nihil eſſe arduum, aut difficile*, pronunciat *Paracelſus*, vt qui plus magnete poſſit. Item Gabaliſticam, ait, demonſtrare, *Nos eſſe* ANGELOS, *animam noſtram æternam, corpus mortuum, & nullius precij: celeritate Gabaliſtica poſſe eum, qui eſt in Occidente, colloqui cum verſante in Oriente per aliquot millia milliarium*; & quod *perficitur aliàs longo tempore, id per eam breui confici: Item eadem id quod pro tempore apud nos natum, vel alio modo naturaliter factum eſt, transferri in alienam regionem alieno tempore*; quod eſt fundamentum vnguenti armarii, translationum magicarum, quomodo meſſes incantamentis, & ſagæ tranſuehuntur, & Tritemius cœnã ex Gallia vel Italia petiit prolato verbo, AFFER. Ratio eſt: *Si ciconia in noſtris locis natos pullos poteſt transferre in Ægyptum, & ſi corporalia effectus ſuos habent, ſeu elementaria, quanto magis ſpiritualia?* Gabaliſtica vtitur magicis & ſpiritualibus viribus (ſane confeſſæ ſunt ſagæ, ſe breui ſpacio exportatas eſſe in valde diſſita loca) verum oportet *valentiſſimam imaginationem* accedere, quam putes eſſe ſpiritum illum, qui aduocatur adiurationibus, characteribus, & aliis, quem *Iouem Elicium* appellant gentiles. Formulas vide in libello Magico; ſed quæ nihil erant niſi diabolica adiuratiò. Aliàs falſa eſt illa perſuaſio, *nihil nobis eſſe impoßibile beneficio Gabaliſticæ*: falſum quoq; ex aſtris per eam omnia peti poſſe, cum aſtra nequeant dare quod non habent. Falſum eſt fundamentum Paracelſi, hominem naturaliter per ſpiritum olympicum poſſe breui per maxima ſpacia efficere, quæ naturaliter tarde fiunt, & ſucceſſiue. Nam ne diabolus quidem poteſt omnia iſta. Vidit id *Crollius*, & bene intellexit neque *Paracelſo*, neque ſibi omnia obtigiſſe beneficio iſtius Magiæ. Ideo coniungit *Imaginationem quandam incredibilem, & fidem illam naturalem*, quæ à Theologis dicitur *miraculoſa*, cum veris ad Deum precibus, qua de re in ſequente exercitio. Cum Corem nouacula diuideret *Nauius* augur *Numa* Iouem eliceret, *Simon Magus* deciperet & dementaret Samaritanos Magicis artibus, efficeretque vt diceretur *Virtus Dei magna*, cum *Tiridates* cœnas magicas exhiberet, & noſtro tempore *Scotus* quidam Magus mira efficeret, &c. neque ſpiritu inſito, & ex æthere accepto, neque genito per imaginationem, niſi is ſit diabolus imaginando attractus, neque imaginatione naturali, neque fide illa naturali procurarunt, quicquid præſtiterunt. Remittatur ergo ars *Gabaliſtica* ad diabolum, cuius ope principali exercetur. *Gamahæa* qualis eſt? Huius primum exponitur fundamentum, *quod in cœlo ſint omnes omnium rerum vires*, quas natura aliquando vel ſponte inferioribus imprimat, eaſq; figuris admirandis patefaciat: Eas & arte debere deduci, aiunt in *Gamahey*, ſeu corpus; veluti: In cœlo eſt vis ſanandi omnes morbos. Cœlum aliquando ſanat ſponte. Medicina ergo adepta, & adeptus Medicus per artem ſuam, ſimiliter ſanatiuam cœleſtem in corpus illicit, cuius poſtea applicatione ſanet morbos omnes. Quid ni? *Natura cœleſtis vires imprimit verbis, ſignis, & Gamaheyis*, (hoc eſt, lapidibus, Sapphyro, Sardonychi, & aliis gemmis ſub certa conſtellatione figuritatis arte) *ſi id facit ſine arte, & non exorata, multo magis faciet ſolicitata.* Hoc fundamentum eſt: ſed falſum. Nam vires, quas gemmis figuratis ſponte naturæ aſſcribunt Magi, plæræq; ſunt falſæ. Deinde aſtra non habent illas vires: tertio vanum figmentum eſt illa ex aſtris deductio. *Ex homine*, inquit Paracelſus, *per naturam ſpiritualem poteſt in Magia fieri Gamahai*, vel *equus, canis, auis*, &c. in quib. aſtrales vires opus ſuum perficiant. Mendacium eſt, & tam verum, quam *armatura Achyllæa* cuiuſdam ſimilis *Magi*, cuius vi integri exercitus in fugam verti queant, &c. In lib.9. Naturalium *Gamahæas naturales*, dicit vim excipere ex ſeptem Planetis: ſed vt agnoſcatur, requiri magnam ſcientiam. Cur hîc ſilet Chymia? Hæc aliàs, *quod in re occultum eſt, manifeſtat.* Sed cum nihil talium inſit, nihil poteſt aperire, ſuntque figuræ iſtæ naturales ex aliis cauſſis. Tom. VII. de *Carlina* ſcribit, *Ægyptios per Gamahaos felicitatem ab vno tranſtuliſſe in alios, ſicut & victorias*, quomodo *Alexander M. & Iulius Cæſar*, non ſua arte, aut ſuis præſidiis vicerint, ſed acceperint victorias per *Gamahæas* aliis ſurreptas, quæ eſt *in ipſum Deum contumelia.* Conſtat enim iſtos heroas diuinitus in iſtas victorias miſſos eſſe, vt & *Cyrus*, & alii Monarchæ iuxta vaticinium *Danielis*.c.4. de Myſteriis vermium hæc habet: *Inuenta ſunt verba, characteres, ſigilla, imagines, miraſq; effigies, quas inſcripſerunt in membrana virginea, aut pinxerunt, vel metallis inſculpſerunt, præſertim Gamhæis ex Sardoniche, Sapphyro, &c. forma hominum, aut beſtiarum, quæ ſupernaturalibus viribus inſtructa fuerunt.* Excelluiſſe hac arte dicitur *Techellus* Iudæus, & *Iſraelitæ*, quibus Deus in *lumine naturæ* plurima manifeſtauerit: quanquam ſecus ſentiat in *Gabaliſtica*. Ita *contra Crocodylos, Baſaliſcos, Iacula ſerpentes dicit factas eſſe Gamaheias figura hominis ſiniſtro pede calcantis ſerpentem iuxta caput*, qua de re optime *Techellus Iudæus*. His *Gamahæis* tom.6. de vera longa remedium opponit ex *forti imaginatione. Quicquid fit in Gamahæa & imaginationibus*, (inquit) *accedentibus Planetis & ſignis debet referri ad ſuperiora ſigna; qua vi aliquis mortalis poßit immunis a morte reddi.* Hæc & alia de *Gamahæa* magica Paracelſus, vt cognoſcas, cuius ſpiritus ſint iſta, adde & cætera, quæ habet de *Berilliſtica*, quæ eſt oraculum diaboli ex Cryſtallis & ſimilibus gemmis perſpicuis, item vitris, & ſpeculis reſponſa dantis: de *Theſaurinella*, quæ eſt defoſſorum theſaurorum magica inuentio: de *Azoth magico*: de *Baſil ſcis* cœli ex infectione impuritatum muliebrium, &c. Parac. tom.4. de caduco: Gaballia Gabaliſtica non ex ſpiritibus oritur, neque incantamentis, ſed ex naturali curſu ſubtilis naturæ. Homo debet cognoſci, aperte & magice, viſibiliter, & inuiſibiliter. Vide de vita longa lib. 1.c.6. 7.&c. tom.6. Aut exercetur Magia tacite ſine externis & conſpicuis ſymbolis, aut per inſtrumenta aſpe-

Crollio non conuenit cũ Paracelſo.

Nota principia Magiæ Gabaliſticæ ſtrigum, & veneficorum

Gamahæa.

Gamahæi Ægyptii virtutum tranſlatores.

De Alexan. M. Eſai. c 23 1.12. De Cyro Eſ 44.28. & c.45.

Techelli cõmendatio.

Irritas facere vires magicas.

Berilliſtica Paracelſi.

ta aspectabilia. Vtrumque cum peragat diabolus deceptis Magis fraudulenter, quanquam aliqui bene sciant, se vti diaboli commercio, tamen prætendunt LVMEN NATVRÆ. *Lumen naturæ* est præcipere spiritibus immundis vt assint ad ministeria: *Lumen naturæ* est tempestates ciêre; fata transferre, sicut montes per fidem naturalem: capita demere homini, iterumque imponere: vnico momento cœnas magicas exhibere: affingere cornua: bibere ex cribro: sistere pridem defunctos: tribus iaculis ex arcu aut globulis ex bombarda emissis omne quicquid velis, etiam non visum, confodere: In speculis videre omnia præterita, præsentia, futura, facta, scripta, dicta, cogitata: sanare per maximas distantias: colloqui cum eo qui est in Persia, cum tu sis in Hispania: In disco lunæ legere scripta ab eo, qui per mille milliaria abest: in homine destinato absente & ignorante ea perficere, quæ in homunculo cereo, vel alia imagine, qua iste repræsentetur: ligaturas physicas inducere, & iterum demere: Inimicitias & fauores conciliare, affectusque hominum mutare ad libitum: detrahere vni vires & in alterum inferre: victorias transferre: ingentes exercitus voce, fistula, vel imaginatione in fugam vertere: mures & muscas congregare, vt & sagas: characteribus, pentaculis, sigillis, & aliis ab omni iniuria se immunem reddere: armaturas, gladios, clypeosque martios facere, quibus saltem visis, fundantur hostiles exercitus; adiurare bombardas, ne explodantur: Equos * ita afficere, vt summa celeritate etiam per præcipitia ferant, & ex hostibus saluum reportent sessorē: canes habere Gamahæos, p quos mira facias, & ita parhedros succubos succubas, ceruas, aues, &c. facere tintinnabula, quibus meretrices discernas: mutare humanam figuram in leoninam, vrsinam, lupinam, equinam, asininam, coruinam, &c. sic ludere posse tesseris, chartis, & aliis, vt nunquam succumbas: auium voces intelligere, nouacula cutem dissecare, baculos in serpentes mutare, & alia inenarrabilia patrare, qualia facta meminerunt historiæ mundanæ, estque vix aliquis in tota seu antiquitate, seu nostro seculo Magus, quem Paracelsus & Paracelsistæ non commendent, admirentur, prædicēt: Parac. Mahumetum nominat, Archeum Hippocr. quendam: Serellum: Styrum: Archasium: Tecnellum: Virgilium, & alios plures. Miseras mulierculas sagas damnant ipsi nullis non ignibus dignas: sed non raro eas excusat quoque Paracelsus, vt quæ ascendentibus vtantur, & naturaliter tēpestates eliciant, & reliqua sua agant. Melius spiritum illum Magicum agnosces & iudicabis, si leges [illegible], quæ prisca Ecclesia de *Simone Mago*, & discipulis eius, *Menandro, Basilide Alexandrino, Saturnino Antiocheno*, & aliis annotauit. Noluerunt isti Magi improbi videri, sed iactauerunt *Magistros Apostolos, vel apostolices*. Vide *Baronium* in annalium tomo 2. an. 120. temporibus *Hadriani*, sect. 5. & seq. vbi leges pene domestica Hermeticis *Crollii*.

** Tales equos Magus orientalibus in natiuitate Christi ascribit Parac. c. 9. li. 1. de lon. vita. Talem habuit quidam venator, & Cuntius ille Silesius, &c.*

Dixit *Basilides*, τὸν νοῦν natum esse à patre innato, & genuisse λόγον, ex quo φρόνησις, inde σοφία, (quam Paracelsus admiratur in Magicis, & δύναμις, ex quib. virtutes, principes, angeli sint profecti, qui angeli cœlum fabricarint. Hos mundi fabricatores principes tot esse dixit, quot sunt dies anni, qui literis numeralibus comprehensi reddunt vocem magicam, *Abrahax*, seu *Abraxas*. Vsus est *imaginibus Magicis, incantationibus* & inuocationibus. Scribit *Baronius Romæ* inuentam esse *gemmam ex Amethisto*, imaginibus & notis *basilidianis* incisam, ita vt sit *Gamahæa Paracelsica*. Gemmæ forma oualis est, in cuius vna parte hominis effigies cum literis multis, furca, & aliis, sub cuius pedibus scriptum *Abrahax*, vnde fictum postea illud magicum *Abracadabra*, quod certa literarum dispositione scriptum contra febres collo appendunt superstitiosi, sic docente *Sereno* poëta. Ab altera parte leo sculpens fuit super baculo præfixo capite tauri, quo significari creditur, *duplex cœleste signum*, pertinens ad genituram eius, qui istam *Gamahæam* esset gestur⁹, vt notat *Baronius*. Vt autem conuenirent inter se *cœlum, homo, & spiritus*, vt 365. *spiritus* finxit ille Magos, ita totidem *cœlos*, & *membra* in homine. Itaque persuasum est ob familiaritatem magneticam facile trahi posse spiritus cœlestes à spiritibus membrorum hominis iuxta expositionem *Crollii*.

Basilidis Magi dogmata.

Abrahax.

Gamahæa Basilidis.

Q. Serenus Samonicus, qui creditur Basilidis fuisse sectator.

Aliam eiusdem Magi *Gamahæam* exprimit idem *Baronius* in appendice annalium tomi secundi, quæ iniecta est tomo XII. *Fuit gemma casu Romæ inuenta itidem oualis, in cuius vna planicie seu superficie scripta fuit vox Abrahax*, (nomen scilicet principis magici 365. horoscaporum, seu cœlorum,) *in altera figura hominis armati habentis in manu dextra clypeum, in sinistra scuticam seu flagellum cum galea in capite acuta. Loco pedum duo dracones sculpti sunt, qui capita in dextrum & sinistrum porrigunt, in medio nodum seu circulum faciunt, caudis ex paludamento pendent*. Ab vtroque latere characteres sunt adiecti, vnus *duplicis crucis*, [symbol] alter q. N duplicatum, [symbol] aut stratū [symbol] qua figura *Iouem* designant, adiecta virgula transuersa. [symbol] Verisimile est, hanc *Gamahæam factam fuisse pro victoria ab hoste, & contra venena serpentum*, & alia.

Alia Gamahæa Basilidiana.

Crollius pro Gamahæa *pentaculum* docet fieri, in cuius vna parte est Scorpio, in altera serpens. Vocat *Zenechton Paracelsi* contra pestem; & morbos astrales. Vide etiam libros *Archidoxeos magicæ*, in Tomo 10. Paracelsi, vbi sigilla varia ad varios morbos, & aduersitates, item de speculis constellatis, quorum diuersam quandam configurationem à quadam *Assyluant* sectatore in hospitio alicubi relictam meminimus. Eadem est *Magia Henrici Cornelii Agrippæ*, cui etiam placuit *Basilidianum Abracadabra* mensæ Pythagoricæ figuræ inscriptum, vt & signaculum *Rabi Hama*, &c. Habet & eadem fundamenta, persuasionesque, quas ex *Paracelso Crollius*, quia & *Agrippam* commendat, proponit, additque, *quodcunque per angelos exequitur Deus, idem eundem facere per cœlum & stellas*: præsertimque nomen IESVS *prædicat, post quod Hebræi in priscis nominibus nihil amplius inuenerint virtutis*. Idem recenset plures Magiæ suæ magistros, in quibus est *Zamolxis, Numa, Hermes Ægyptius, Apollonius, Albertus Magnus, Simon Magus, Pythagoras, qui in luna literas a se scriptas* repræsentauerit, *Paseres, Serapis, Gnostici, Valentiniani, Ophitæ*, (quorum sectæ fuisse Paracelsum, tractatus de Mysteriis vermium, & serpente indicat) *Cerdoniani, Marcionitæ, Montaniani*, &c. Indubitati Magi. Idem tandem resipiscens de sua Magia scripsit, *se non esse assecutum magica sua propter curas mundanas, quod mori debeat Magus seu animam à corpore* (quod Socrates de suis Philosophis pronunciauit) *abstrahere*, id quod pauci possint. Appellat opus suum Magicum *scholam scelerum, & impias nugas. Cabalisticam Theurgiam* vehemen-

Crollii pentaculum.

Zenechton.

Iesus & Sathanæ oracula abrogauit, & vires Magicorum signorum à Diabolo fregit.

De Rogerio Bacchone nũ magus fuerit, [Nota quod Parac. in procemio lib de peſte tom.3.p 125 libros Rogerii vocet fraudulentos, vt nihil iuuare poſſit hic autor Paracelſiſtas]

hementer improbat, & exagitat, *tandemque ſe in hac vanitate profeciſſe hoc ſcribit, vt ſciat alios dehortari.* Hoc ſi feciſſet & *Crollius*, aut adhuc facerent Paracelſiſtæ hodierni, ſaperent. Vide de exulante Agrippa colloq.3. Maioli in volumine 2. vbi & de aliis.

Speculi alchymiæ Rogerii capita

Rogerio duo ſunt tantum principia.

Elixyr.

29. Inter ſuos magos *Henricus Cornelius Agrippa* refert etiam *Rogerium Bachonem Anglum*, cuius effigiem cum Salamandra *Crollius* adiecit cæteris in veſtibulo Chymicæ Baſilicæ picturis, cum Emblemate Philoſophico ex magni magiſterii aphoriſmis: *Per elementorum conuerſionem ternarius purificatus fiat monas*: qua ſententia totum artificium Chymicum comprehenditur. Num ergo & *Crollius* eum magum putauit talem, qualis Paracelſus erat, quem proxime in pictura ſubiecit? Quantum ego ſcio, tria eius opuſcula in publicum prodierunt, vnum quod dicitur *ſpeculum Alchymiæ*, conſtans VII. Capitulis, in quorum primo definitur *Alchymia ſcientia docens facere*, (quod artis) *& generare*, (quod naturæ) *quandam medicinam Elixyr nuncupatam, quæ proiecta ſuper corpora imperfecta*, (morbida vt in iatrochymia, & metalla imperfecta) *perficit ipſa complete in momento proiectionis*: In II. tractantur principia naturalia generationis mineralium duo, *Argentum viuum & Sulphur*, ex quibus principali naturæ intentione fiat aurum, cætera metalla *per accidens* pro puritate, & impuritate principiorum: Inde deſcribuntur metalla ſingula. In III. agitur de his, ex quib. materia Elixyris propinque ſit elicienda, nempe quæ ſulphure metallico & argento viuo conſtant, ex nullo vero animali, vel vegetabili, vel minerali alio, nec ex ſolis illis, ſed coniunctis analogice, ſeu vt loquuntur, anatice, quomodo iam vnà in natura inueniuntur, vt in auro, & argento naturalibus, quæ per artem oportet ita parare, vt fiant plus quam imperfecta, & ſint fermentum, cuius ignis ſit proxima potentia, facileq; in actum educatur, adhibito foris competente calore in maſſa fermentanda, quæ eadem eſt natura cũ fermento quidem, ſed ſe habet materialiter & paſſiue, ſicut fermentum formaliter & actiue. Putat autem *Rogerius inueniri rem, vel corpus ex tam mundo, aut etiam mundiore ſulph. & arg. viuo, quam eſt in auro & argento, & in quo natura parum elaborauerit, quod igne noſtro artificiali poſſit decoqui ad plusquam perfectionem.* Id dicit eſſe ex arg. viuo & ſulph. proportionaliter in maſſam ſolidam coagulatum, in quo arg. viu. mundum, clarum, album, & rubeum incompletum miſtum tali ſulphure, quæ ingenio millies milleſies fortiora corporibus naturalibus fiunt. Cap. IV. proponit agendi modum, & caloris regimen artificioſum ad concoctionem materiæ debitam, in qua *continuatio, ignis, & AZot* ſufficiunt; *Ignis* autem calor blandus, ſemper æqualis, in vna vaſe, vna via, ſepties terendo virtute ignis, vt fit infans in vtero materno, à leuioribus nutrimentis ad fortiora procedendo, & ſingulis accommodando ſuum caloris gradum, vt cibus percoquatur, & ſit calor in ſingulis quidem partibus mitis, ſed ſi conferantur inter ſe graduationes, ſequens præcedente ſit fortior propter materiam. Cap. V. deſcribitur qualitas vaſis, & fornacis. Vas artis reſpondeat vaſi naturæ, vt ſubtus adhibitus calor poſſit aſcendere, & coerceri, quo ſit diuturnus. Itaque claudi vas debet, & ex vitro fieri ſine poris, tali forma, vt reuerberet calor; quale eſt notandũ, colli parui, obturabilis ſeu quod ſignari & occludi bitumine poſſit, & ponendum, hoc eſt, in tali furno, in quo calor vas mediate, ſeu aliquo intercedente tangat, (debet enim ignis eſſe vaporoſus) & ſic ambiat, vt ab omni latere æqualiter comprehendat. *Vas triplex requiritur furnus, catinus, phiola.* Cap. VI. recenſet calores eſſentiales & accidentales; primus eſt *niger* in putrefactione, poſt quam colores accidentales, & inconſtantes ſunt, donec alter eſſentialis *albedo* vera ſcilicet, prodeat. Id autem fit materiæ motu per ſe, calore ſaltem debito admoto. Progreſſu coctionis emergit *rubedo* quam antecedet *cinereus*, ſicut albedinem præcedebat *cauda pauonis*. Ignis tunc intendendus. Hæc autem *in opere ad rubeum*. Cap. VII. attingit *proiectionem*, quanquam adhuc imperfectam, niſi ter repetas opus. *Elixyr* factum eſt *duplex*, vnum *album* imperfecta *in argentum* mutans in infinitum; alterum *rubrum*, itidem *in aurum* conuertens, & quidem propiora perfectioni facilius; remotiora difficilius. *Mercurialiora ſunt propiora*; minus mercurialia remotiora, & ſic de puritate, impuritate, &c. Vnde quædam indigent præparatione. *Natura lætatur natura, ſimilis ſimili, &c.* Si impura ſunt imperfecta, non ſufficit liquatio ſola. Neque enim ea *ingreditur puriſſima medicina.* Hanc itaq; primo oportet proiicere ſuper 1000. partes Mercurii, & vnà coquere in vaſe fixionis, vt ſupra, per gradus ignis ternis diebus aucti. Huius medicinæ iterum pars vna proiicitur ſuper 1000. argenti viui, fitque *Elixyr* vno die, quod poſtea tranſinutat cætera vna hora, vel momento.

Materia chymicæ transmutationis: quidam putant ſtibium ſeu magneſium & plumbum philoſophorum eſſe.

Ignis magiſterii magni

Vaſa artis.

Colores.

Proiectio.

Materia Elixyris.

Hactenus *Rogerius in ſpeculo*, in quo nihil vides de *Magia* Paracelſicæ ſex ſpeciebus. Miram artis & naturæ poteſtatem vides, quæ & ipſa magiæ aſcribitur, verum naturali Philoſophicæ, non autem Paracelſicæ. In *materia Elixyris* notandum eſt, ſi ita in natura inueniri à ſtudioſo poſſit, vt eam deſcripſit *Rogerius*, bene ſe rem habere; ſed ſi non poteſt, alterum conſilium ſequendum eſt, iuxta verſum:

Diſſipa rem captam per rem illi ſatis aptam.

Aqua mercurialis philoſoph.

Eſt enim concinnanda aqua ex Mercurio ſoluens, quæ ſimul ſit materia, ex qua cocta fit maſſa fermentanda. Ea ſoluit aurum, vel argentum vſque ad paruam partem *puncti* inſtar, quæ eſt inſolubilis. Sic fit prima materia ex *mercurio & ſulphure proportionatis.* Hæc coquitur *in Athanone*, vno vaſe, vno ignis regimine continuato vſque ad terminum. Poteſt tamen R*ogerius* etiam de hoc intelligi. Nam ſi reſpicimus artis potentiam in natura, re vera natura in auro ſuo adhuc molliore, & nullum externum ignem per conflatores paſſo, parum effecit. Eſt autem in eo Mercurius, & ſulphur ea proportione, quam impoſſibile eſſet homini conſequi. *Secundum opuſculum eſt de oleo antimonii ad ſanitatem, & longam vitam*, quanquam putet idem poſſe etiam *ad ſeparationem auri ex argento, & tranſmutationem adhiberi*, quod & *Monachus Baſilius* de lapide IGNI *ex ſtibio* ſcribens arbitratur, quanquam ſaltem *particulariter*. Proceſſus eſt liquidus. Primo præparanda eſt *aqua ſoluens* per artificioſam deſtillationem ex *Chalcanthi ſeſquilibra: ſalis amni. ſalis gem. an. lib. I ſtibii aluminis crudi an. lib. ß.* Miſta deſtillentur

In auro tanquam Mercurio fixo & crudo ſoluto totum eſt rubeum

Oleum Antimonii Rogerii.

ſtillentur leuiter & cautè. In aqua quæ exiit rectificata, ſoluatur *ſtibium optimum*, ſtatimque ſolutio deſcendatur, & effuſa aqua *calx* edulcoretur, ne *tinctura* pereat. Ex hac calce per acetum deſtillatum extrahatur tinctura affundendo acetum, & digerendo quadraginta diebus. Rubefacto decapulato, in reliquias infunditur aliud, ſimiliterq; proceditur, & idem repetitur tertio & quarto, vt ſic tranſeunt dies 160. digeſtio fit in balneo vel fimo. Feces abiiciuntur. *Tinctura collatæ* in balneo deſtillantur vt acetum ſeparetur. Idem tamen refunditur, ſi adhuc eſt acre, aut pro eo ſubſtituitur nouum. Deſtillatur ad ſiccum. Eſſentia relicta edulcoratur aqua ſtillatitia dulci. Inde reſiccatur, perfunditurq; *ſpiritu vini optime rectificato*. Digeritur in balneo per quatriduum. Spiritus aſſumit tincturam: ſique ſemel non totam aſſumit, effuſo priore in vas aliud, nouus affunditur. Si quid fecum reſtat, id quoque abiicitur. *Spiritus tinctus* in balneo deſtillatur tam ſæpe cohobundo, donec *aſcendant colores*, & igne aucto, *ol rubrum* in receptaculum influat. Peracta deſtillatione hac, *ſeparatur ſpiritus ab oleo rubro* per leuem deſtillationem. *Spiritus reponitur ad cauſ m valetudinis*. *Oleum rubrum* diligenter ſeruatur; & *guttatim* præbetur *ad varios morbos*. Dicitur *longæuos reddere*, ſi binæ guttæ vere & autumno quotannis *ex vino* (præpurgato corpore) potentur. *Vt metalla tranſmutet*, quidā aurum ſic præparant, vt poſſit ſpiritu vini ſolui, & per crebra cohobia in *ſuccum oleoſum* mutari. Vocant *aurum potabile*, cuius varii exhibentur modi, & eſt vnus apud *Crollium* non ſpernendus. *Rogerius* putat ſubſtituendum eſſe *calcem Mercurij ſolis*, quæ fit per mercuriale medicamentum. Huius pars vna duabus olei antimonii perfunditur; vtrūq; commiſtum in phiola clauſa in athanore coquitur primo ignis gradu per dies decem. Fit materia ex nigro cinerea. Aucto igne ad grad. 2. per alterum decendium albeſcit; tertio rubeſcit; quarto figitur. Si velis multiplicare, addis *ſolis* Mercurium, & coquis vt prius. Hæc ibi *Rogerius*. Tincturam *Monachus* volebat ex lænificato antimonio facere: ſed eum *Rogerius* refutat. Nihil hîc quoque eſt magici. Omnia enim ſunt chymica medica, naturalia, artificialia, quanquam ego vix credam tractatum iſtum eſſe *Rogerii*. Quorſum enim attinet ad tranſmutationem in aliena materia elaborare, tam alieno modo, cum philoſophicum opus ſatis dilucide ſit deſcriptum, & abſterreat à mineralib. mediis, vt magneſiis, marcaſithis, tutiis, atramentis? &c. Stibium autem *Magneſia* eſt. Eſt quidem in ſtibii tinctura auri color, qui argentum purum poteſt aureum efficere: ſed eum ſic figere vt omnia auri examina ferat, non eſt cuiuſuis.

Ol. ſtibii rubrum eſſentialiter elaboratum æquipollet auro potabili.

Tinctura Rogeriana ex ſtibio aurifica.

Sed eſtne Magus in opere tertio? Id apparebit ex recenſione. *Primo* proponit *præſtigiatores* illos, qui agilitate quadam ſolent ignorantibus mira efficere, & perſuadere rudibus ea fieri peculiari quadam virtute, cum ſit *dolus*, quanquam, cum eis accenſeat ἐγγαστριμύθους, non videatur res contemnenda.

Tertium opus Rogerij de mira naturæ & artis poteſtate.

Secundo de iis loquitur, qui *ſpiritus nefarios* in ſocietatem operis vocant, putantes ſuæ voluntati obedire & ſubiici eos, cum id ſit impoſſibile. Hoc à diametro aduerſatur Paracelſo, ſcribenti ſpiritus à Deo hominibus parere iuſſos eſſe.

Tertio vituperat alios, qui conantur *ſpiritus* ſibi *familiares* reddere per res *naturales*, aut *inuocationes, ſacrificia, &c.* cum *quicquid boni petitur à Deo vel bonis ſpiritibus ſit impetrandum*. Duplex ergo genus magorum impurorum reiicit, quorum tamen vtrumque Paracelſicum eſt, vt patet ex compendio *Crollii* de Imaginatione hominis, & poteſtate in omnia æqualiter Deo. Negat *Philoſophos iſtos modos magicos vnquam curaſſe*, quanquam diaboli præſto ſoleant eſſe ſi inuocentur.

Rogerius aduerſatur Magiæ Paracelſi in Gabaliſtica, Gamahæa, &c.

Quarto tractat quæſtionem *de vi carminum & characterum* His nihil tribuit reale. *Characteres* enim dicit, inuentos eſſe tantum occultandi gratia per ſimulationem, quaſi aliquid magni fieret, cum nihil ad rem faciant. Ita de *carminibus*. Monet reſpici tunc debere *opus artis & naturæ*, neglectis illis additamentis. *Magi*, inquit, *ſtulte confidunt characteribus & carminibus*. Alia ratio eſt precum ad Deum pro hac illaue re, vt Deus aliquid manifeſtet, vt in *examine per ferrum candens, & aquam*: quæ tamen examina ſunt ſuſpecta, & ideo parum eis tribuitur. Ita olim fiebat *aqua probatoria caſti coniugij*. Magici libri licet aliquid veri contineant, tamen ſunt arcendi propter *plura falſa*, quamuis *Salomoni* & aliis ſapientibus aſcribantur. Ita nefarii homines multos fingunt cum grandibus titulis. *Alii characteres* ſunt notæ verborum ex literis eorum implicatis: vel pertinent ad ſtellarum diſciplinam.

Contra characteres & verba admurmurata rebus: vbi tamen Croll. p. 45. putat à Rog. multū tribui characterib. verbiſ prolatis ſcriptis, ſculptis, appēſis, &c.

Examen per ferrum candēs & aquā.

Libri magici reiecti.

Quinto de ſigillis ait, quod niſi fiant *ſuis temporibus*, nullam habeant efficaciam. Hîc aliquid magici habet. Putat enim ſi fiant in conſtellationibus debitis ad vultus cœlorum, tunc *& characteres & ſigilla artis & naturæ potentia ſecundum cœli virtutem fieri efficacia* In hoc tamen multum erroris eſſe dicit, quia *pauci queant aliquid veraciter ordinare*: quo verbo multum detrahit vulgarium Paracelſiſtarum, qui vel aſinis arcadicis ſunt rudiores, arrogantiæ, quos & *Crollius* notat. Si vera eſſent ea, quæ *Rogerius* dicit, tamen impoſſibilia eſſent homini, quia aſtrologi adhuc de cœlo diſputant, ſcripſitque *Herlicius*, cœleſtem diſciplinam multa indigere correctione, quod & tanta varietas vatum, & incertitudo, falſitaſque prædictionum comprobant.

Roger. in ſigillis eſt magicus.

Sexto alium vſum *verborum & characterum*, proponit, qui eſt medicus, quando *ad excitandam fiduciam, & imaginationem roborandam*, medicus nonnihil admurmurat, aut ſigna addit per ſe nihil valentia. Sunt enim homines quidam ſuperſtitionibus adeò dediti, vt aliquid tribuant etiam tricis & apinis cum ſpecie religioſa prolatis. Eo fine & *amuleta* interdum adhibentur, & aliquid condonatur appetitui.

Sigilla nō poſſe fieri ēt ſi opinio de cœli vi vera eſſet.

Septimo ex *Auicenna* profert dogma de quibuſdam virib. extra ſe in alios emiſſis calore, & ſpiritib. exemplo *Baſiliſci. palmæ, menſtruoſæ mulieris, faſcinantium, contagio* alios afficientium, &c. vbi putat ēt ſanos, & bene habentes, lætoſq; poſſe ægrotis aliq̄ robur afferre. Infligi credit maiorē noxam, vimq; afferri fortiorē, ſi is qui nocere cupit, cogitationē fortē, deſideriū, & intentionē habeat ad nocēdū, q̄a cogitatione dirigāt ſpirit⁹ quo modo leproſus poſſit aliū inficere magis, ſi ſimul intēdat cogitationē naturali virtute in mēbris obediēte cogitatiōib. & deſideriis, idq; vt in malo, ita & in bono,

præſcitim

Auic. dogma de contagio per fixas cogitationes.

Hic Croll. habet aſtipulātem Rogeriū quodāmodo.

Ioh 14. v 4. c.15. v. 14. 15.16.

præſertim *ſi anima munda ſit à peccatis*, ſi modo mundus inueniri poſſit inter immundos. Hinc concludetur, *per verba & operationes concurrentibus dictis cauſis poſſe magna fieri*: quod verba ſint cum halitu, calore, & ſpiritu, & dirigantur cogitatione, ſeu imaginatione, intentione, & appetitu forti, &c. Hinc oſcitante vno oſcitat & alius: viua vox magnæ eſt virtutis, idque non magice, ſed naturaliter.

Paracelſica magia ex exceſſi. & hyperbole de naturalibus.

Hæc autem cum particularia ſint, & non valeant, niſi patiens quoque ſit diſpoſitum ad impreſſionem recipiendam : tamen Paracelſici transferunt ad omnia, indeque fingunt mirabilia etiam per immanes diſtantias, quod, ſi id fiat in elementis, corporibuſque magis fieri debeat in ſpiritibus. Hic exceſſus magicus eſt. Contra peccant aliqui defectu, & nihil tribuunt talibus influxibus, & deciſionibus, quorum vtrumq; improbat Bacchon. Octauo de libris ſcribit, quod aliqui ſint pure magici, aliqui cum non ſint, pro talibus habeantur. Illos improbat: quia nec naturæ, nec artis opus, ſed figmenta contineant. Nono: Dum ea probat, quæ arte, & natura fieri poſſunt, indicat concurrere debere diuinæ virtutes influentium, ſeu auxilium, & benedictionem Dei. *Omnino magiam reiicit.* Neque enim neceſſarium eſt ad hanc deſcendere, cum ars & natura ſufficiant cum Dei ope ad mirabilia.

Pure magici lib de officijs ſpirituum: de morte animæ: de arte notaria.

Mira opera artis & naturæ 26.

Decimo viginti ſex ſpeciebus declarat artis & naturæ admirandam potentiam. 1. *Facere naues*, quæ ab vno duntaxat homine celerius, quam à multis promoueantur, etiamſi ſint vaſtæ. 2. Eodem modo *facere currus αὐτομάτους*, quales putat fuiſſe *veterum falcatos*: ſed errat. Nam eos equis tractos fuiſſe, indicat *Diodorus Siculus*. lib. 17. de pugna *Alexandri* cum *Dario*. 3. Facere *volandi inſtrumentum*, quod inſidens homo gubernet. Sed hoc à quodam effectum autori ſuo fuit funeſtum. 4. Paruo *inſtrumento ſe in altum eleuare*, atque ita carcere turrium euadere, niſi ſit clauſum oſtium ſuperius. Id inſtrumentum putat latum & longum eſſe tres digitos. Quid ſi lippis & cathenis, maniciſque & pedicis teneretis? 5. Facere inſtrumentum, *quo vnus homo trahat ad ſe mille*, alios, (niſi reluctentur, patianturque ſe capi) & ſic de aliis rebus. 6. Inſtrumenta parare, quorum beneficio quis *in mari & ſub aquis ambulet*. Eam artem *Batavi* ruſtici dicuntur callere, adeo, vt ſub aqua etiam ignem accendant, & cantent. *Ægyptii* quoque & *Indi* diu ſub aquis eſſe poſſunt. Eſt aliquid hac de re in libris *Flauij Vegetij*. 7. *Pontes* efficere *ſine ſublicis* & pilis. 8. Conſtruere *ſpecula* mirifica; de quib. vide Catoptricen Ioh. Bapt. Portæ. 9. Speculorum talium ope *phantaſiam, exercitus ingentis procurare*, & hominibus terrorem incutere. Hoc eſſet aliquid contra Turcas, ſi paterentur ſe terreri. Si vero & Turcæ ea arte vterentur, nos periſſemus, etiamſi fugere vellemus. 10. Alia ſpecula, *in quibus longiſſime diſtantia videantur proxima*. Ea arte literas minutiſſimas poſſemus legere, & ſtellas aliàs latentes videre, ſicut per *Batauorum* perſpicilia, quorum vſu aliqui putant ſe vidiſſe *ſatellites Iouis*, & *maculas in ſole*. Alia confici queunt, in quibus propinqua appareant remota. *Iulius Cæſar* dicitur in ingentibus ſpeculis vidiſſe res *Britannorum*, ſi credere fas eſt. 11. Alia *ſpecula*, in quibus quantitas mutetur, & ſitus. 12. *Latentia* alicubi in rimis vel inſidiis per ſpecula manifeſtare, vt de *Socratis Dracone* narratur. 13. Efficere, vt *venenati halitus in hoſtes dirigantur*, per modum *Baſiliſci* erecti. Mirum ni huc referri poſſit etiam *ſerpens Moſis*, & ſtratagema eorum, qui in hoſtes proiecerunt ollas plenas ſerpentibus. Quidam putant ſe venenis pluribus congeſtis fumum facere poſſe, quo in hoſticum immiſſo vento ſecundo omnes pereant. Huc refertur Antri *Smellen* apud *Olaum* miraculum. Sed in fumo illo & periculum eſt, & vanitas. Ignis enim diſſipat venenum, ſoletque in aerem euaneſcere fumus. Illud melius: aquas cauſticas ex cannis muralibus in aduerſos hoſtes torquere, aut flammas acerrimas in materia bituminea.

Currus automati. Falcati. Volare aereo remigio. Eleuatorium ponderum. Attractoriũ mirificum Andehulcũ Incedere per mare, & ſub aquis. Pontes. Specula. Exercitus. phaſma.

In hoſtes halitus venenatos immittere.

Spectrum ornatus aurei & gẽmei.

14. Plaſma ſeu *apparentiam auri, argenti gemmarum*, in aliquo conclaui procurare, quod per ſpecularem reflexionem fieri poſſit, vt parua auri partio, & vnica gemma totum triclinium exornet.

Cœlum factitium.

15. Specula incendiaria. 16. *Cœleſtem familiam transferre in globum terrenum*, & totam œconomiam exacte repræſentare, quale quid feciſſe dicitur *Archimedes*, *Drebelius*, & alii. Non vero tanti eſt deſcriptio, quanti motus, ad quem ſingularis materia & artificium requiritur, vt ſic incedant apud nos ſtellæ, ſicut in cœlo. Arbitratur *Rogerius* materiam poſſe inueniri, quia quædam apud nos ſic mouentur vt cœlum, veluti Cometæ, maris æſtus, &c. Verum hæc opinio eſt. *Drebelius* aliud videtur excogitaſſe, ad exemplum motus, qui fit in arcano lapidis vitro incluſi, &c.

Ignes à longinquo accendere.

17. Pyrotechnica ad *accendendum ignem ex omni interuallo*: vbi materialia ſunt halinitrum, petroleum, ſuccinum, naphtha, ſulphur, &c. Inde ſtratagema effuſi ignis in hoſtem muros tentantem, & *Ignis Græci*, quo naues ſub aqua per canales incenduntur, quales ſunt & *Petardæ* dictæ, & multa ſimilia. Nam & fiunt pyroboli, qui in aerem ſublimem emiſſi ibi primum intonant, & explodunt globos q. ictu fulmineo.

Lumina perpetua. Vide Societatis Ros. crucis famam.

18. Facere *lumina perpetua*, qualia leguntur apud *Triſmoſynem*, inuenta memorantur in ſepulchris *Olibrij* & *Tulliæ* filiæ Ciceronis, quanquam *Guibertus* craſſus ille apud Lotharingos Galeniſta, fugitiuus ex Paracelſicis furnulis, non credat.

19. Facere *balnea perpetuo calida*, ad inſtar thermarum naturalium. Quidam putant per calces viuas, & ſimiles materias, quæ aquis ferueſcunt, parari. Ita & cubicula calefaciunt. Sed ardentia perpetuo non carent bituminea materia & ſulphurea, calcoſaque, vt Ætnæ crateres, &c.

Tonitrua facere. Iob. 26. 11. c. 38. 25. 34. 35.

20. *Tonitrua in aere maiora naturalibus facere*: quod ego non credo. Nam ſacra Scriptura in *Iobo* & alibi id *ſoli Deo* aſſcribit. Quando vero ope dæmonum ſagæ id procurant, non fit ſine natura, quam diabolus cogit. Sumit autem coniecturam *Rogerius* à modica illa materia, quæ incenſa horribilem facit ſonum. Ea eſt *puluis auri* vel *ferri*, Ceraunius per aquas cauſticas ex ſale amni præparatus. Si tantus ſonus fit in paruo, quantus fiet in magno? Videtur hoc artificium attingi circa finem libri, vbi nominatur halinitrum & ſulphur: cætera occultantur abbreuiatione per Lu ru vo po vir can vtriet: quæ quid ſignificent, diuinare nolo.

Coſroes

Coſroes rex Perſarum tempore Heraclii habuit cœnacula, ex quorum tectis tonitrua fulmina & imbres conuiuis exhibuit. Hodie fiunt tales machinæ à ſomniis regibus: Sed cogitare debuit non ſi in conclaui, ſed paruo loco fieri poteſt arte magnus ſonus, eundem conciliari poſſe in nubibus vaſtis, ampliſſimoque aere eo modo, quo Deus tonat.

21. Vſum huius putat eſſe *Ciuitates & exercitus deſtruere*, citatque exemplum *Gedeonis*, Iud. 7. quaſi is comploſis ollis, & lampadibus cum ineffabili fragore ſtrauerit *Midianitas*. Verum bonus ille *Rogerius* non recte legit hiſtoriam. Trecenti illi viri tubas inflarunt, & claſſicum cecinerunt, ollas fregerunt, lampades ſiniſtris tenuerunt, & conclamarunt, *Hic gladius Domini & Gedeonis.* Quid factum? *Dominus immerſit gladium in hoſtes mutuos.* Non itaque tanti fuit ollarum concrepitus. Sed *Rogerius* agnoſcit ſuum φαντασιῶδες, cum inquit, *Mira eſſe, ſi quis ſciat vti ad plenum in debita quantitate & materia.* At quis eſt qui poſſit? Dominus poteſt ſolus, vt eſt Pſ. 18. v. 8. & ſeq. Ex. 14. 20. Exod. 19. v. 16. Magia, quæ diuina imitari cupit, irridetur Sap. cap. 17. v. 7.

Ciuitates & exercitus tonitru deſtruere.

22. Aliud genus miraculorũ ponitur *Magneticum* non multæ vtilitatis quidem, ſed tamen miræ iucunditatis. De his liber conſcriptus eſt à *Ioh. B. Porta.* Item aliqua enarrauit *Anshelmus Boetius* in Gemmario; Item *Scaliger. Cardanus, VVecKerus, &c. Paracelſus* aliqua vera dixit; aliqua mentitus eſt. *Crollius* ex illius ſententia tranſtulit *ad mirabiles cœleſtium & terreſtrium cognationes*, indeque plæraque magica non ſine vanitate ſtultiſſima extruxit, quæ ſi vera eſſent, omnes impura Magia poſſet defendi. Patet autem vanitas impotentia eorum, qui talia magnis cum ampullis deprædicant. *Rogerius Lapide auri & argenti dicit attrahi poſſe* ſimiliter *omnia metalla.* Id nos ſic accipimus, quod Philoſophicus lapis imperfecta metalla ſimilitudine quadam ſubſtantiæ amplectatur, quæ ſunt mercurialia, eaque tranſmutat in ſui naturam. *Natura enim lætatur natura ſimili*, eamque ſibi vnitam cupit, & ſi fortior eſt, etiam vertit in ſui naturam. Hac concordia multa coniunguntur, vnde *Rogerius* ſcribit, *ſibi nihil difficile eſſe creditu*, nempe ſi quis ſciat agentia patientibus proprie affecta debito modo applicare.

Magnetica miracula.

Metalla attrahere.

23. Mirabile aliud producitur, non tantum cœli œconomiam in globo terreno deſcribere, ſed & *motum addere* congruum, de quo ante. 24. *Auri & arganti copiam ad libitum facere.* Hoc eſſet ſumma votorum apud plæroſque, ſi ars reſponderet appetitui. Procedit autem ex *fundamento graduationis.* Aurum naturæ perfectum eſt 24. caractarum. Si quis poſſet graduare ad 30. & plures, is poſtea miſcuerit æs vel argentum, donec fieret aurum, cuius in vna marca eſſent caractæ 12. 13. 14. & ſic deinceps vſq; ad 24. quæ foret naturæ perfectio. Quis autem ſic graduare poſſit aurum? Multæ ſunt graduationes Paracelſicæ: ſed omnes inconſtantes. Itaque hactenus contemtæ. Si quis per lapidem Philoſophorum graduare velit, ei prius lapis eſt conficiendus. Sed tunc ego non ſtuderem graduationibus, verum tranſmutationibus.

Aurum & argentum ex voto augere.

Miraculum 25. *Afficere homines ex ſententia:* Hoc eſt, tales affectus in eis producere, quales nobis maxime ſint vtiles, vt facere *beneuolos ex maleuolis, mites ex iracundis, iratos ex ſedatis, timidos ex fortibus*, & contra, idem etiam in voluntate, vt qui deneget nobis multa talenta, cum reddamus facilem ad præbendum, ſi habeat. Ita poſſent amores, & odia mutari. Vult *Rogerius* non in ſingulis tantum hominibus id fieri, ſed & *totis exercitibus.* Veteres multa tribuerunt *eloquentiæ. Magi* imaginationes, intentiones, fidem naturalem cum aſpiratione cœli fruſtra aſciſcunt: alii fiſtulas, muſicos concentus, & ſimilia iactitant. Ita *armaturam Achilleam*, quidam putat poſſe factitari. *Fiſtula & cornu militari* inflato hoſtes in terrorem & fugam nonnulli coniicere ſtudent; alii aliud comminiſcuntur; omnia vana, & nullius experientiæ certæ. Magna vis eſt *eloquentiæ, muſicæ, obſequii:* ſed maxima *Dei potentia*, qui inclinat animos quo vult, ducitque per ſuos angelos. Is ciuitates & exercitus proſternit, idq; factis admirandis præſtitit, quæ nullus Magorum ſiue naturalium, ſiue ſpiritualium potuit imitari.

Mira ars qua affectus hominum conciliantur vel alienantur.

Totus exercitus mutare.

26. Miraculum eſt, *vitam vſq; ad terminum decreti diuini producere.* De potentia artis hac in re multus eſt *Rogerius*, nec eſt vllus Paracelſicus, quin ad oſtentationem vſque profuſus ſit promiſſionibus. Argumento proferuntur particularia à quibuſdam longæuis; ſiue regimine; quod impoſſibile eſt eſſe perfectum, ſiue Medicinis, vt *ol. antimonii, auro potabili, lapide Philoſophorum*, &c. Quid opus multis? Deficit ars in ipſis Profeſſoribus: Si abiicias hoc illis, prætendunt *terminum naturæ*, defectum medicinæ talis, & alia friuola. *Crollius* ridicule *Paracelſum* ad longam vitam peruenire potuiſſe negat, *quia veneno ſit ſublatus.* At ſi promiſſa chymica ſunt vera; debuit & contra venena fuiſſe munitus, vt *Mithridates.* Cur breuis vitæ ſumus? Reſp. Moſes Deut. 30. v. 20. Dominus eſt longitudo dierum tuorum: & Pſ. 90. v. 7. deficimus in ira tua; & in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, &c. Ex. 20. v. 12. Honora parentes, vt ſis longæuus, &c. Pſ. 71. 18. 19. Pſ. 49. 11. Pſ. 31. 16. Hæc ſunt opera Rogeriana ſpecialia, quibus declarare voluit, non eſſe neceſſe ad Magiam aſpirare cum natura, & ars ſufficiant: Deinceps vſq; ad finem quædam ænigmatica adeo perplexe *de lapide non lapide*, & aliis ſcribit, vt non facile quis ſit explicaturus, & reddet rationem perplexitatis, quia *arcana non ſint vulganda.* Mortuus eſt ergo cum arcanis ſuis, & tamen viuit Mundus Dei beneficio, ſicut vixerat ante natum *Rogerium.* Vbi iam eſt ille *Magus Henrici Cornelii Agrippæ, aut Paracelſi, aut Crollii?* Nullibi. Quamuis enim quædam valde conſentanea verbis Magorum poſuerit, tamen adeo nunquam delirauit, vt *Paracelſicam Magiam* approbauerit.

Vita longa breuis valde his, qui eam promittunt.

30. Ad Crollianum ſpiritum reuertamur. *In aſtris firmamenti* (inquit) *latitat omnis ſapientia animalis* (hominis pſychici, vt ex Paulo Tertullianus vocat. *Crollius* omnem intelligit excepta *Theologica & iuridica*) *artes, ſcientiæ, omniumq; rerum cognitio. Hanc homo ſydereus, ſeu ſpiritus olympicus in homine attrahit, ita vt & ipſe accipiat ſcientiam, &c. Cœlo enim omnia ſunt notiſſima: omnes actiones & euentus hominum ſunt depicti in aſtris.* Hæc ille, qui mendacium vomit vt aquam:

Primum quo argumento firmo doceri poteſt, cœli *aſtra omnia noſſe*? Quo principio oſtendi

Mendaciſſima mendacia Paracelſiſtarum de cœlo omniſcio, & hõie inde trahẽte omnem ſciẽtiam & artẽs

omnia

omnia acta humana inscripta esse cœlo? Qua idonea ratione demonstrari, *in cœlo esse artes, sapientiam, scientiam omnem?* Secundo, si detur inesse, quî conuincet, *Magus ab homine posse attrahi?* Audio de *Magnete & familiaritate.* At quî credam istam familiaritatem inter cœli astra & hominem intercedere, cum astrologi totum cœlum nobis infestum, & dirum plærumq; reddant, & Deus illud subiecerit maledicto, & vanitati propter peccata hominum? Tune *Crolli* portentosis mendaciis voluisti aliis persuadere, quod nec tu ipse credidisti? Age vero si verum credidisti, quia *Magus Paracelsicus* fuisti, cui notum fuisse patet ex scripto, *quomodo imaginationes essent spiritibus sydereis iungendæ, quo pacto intentio dirigenda, qui fides naturalis addenda, cur non omnem scientiam medicam physicam, chymicam, præsertim q; auri potabilis & lapidis Philosophorum es consecutus?* Potesne docere vllum vnquam Magum suo sydereo spiritu ad sapientiam omnem humanam peruenisse? Cur verbis vanissimis asserit, id quod toti naturæ est derogatum. Cornelius Agrippa cum eadem asseruisset, negauit tamen se potuisse fieri capacem promissorum, quia præ multitudine aliarum curarum non posset totus in attentione esse vel potius, diabolus noluit se totum ei dedere. Ita scilicet nec Nero à Tyridate potuit artem magicam discere. Dicis, accedere *deuotas ad Deum preces debere.* At, inquam, vel solæ hæ sufficiunt. Ita enim Salomon sapiens factus est sine cœlo per naturalia media & disciplinam ordinariam. 3. Re. 3. ℣. 9. 11. 12. 2. Paral. 1. ℣. 10. 11. 12. Sap. 7. ℣. 7. 13. 14. & omnino per totum, vbi non cœlo inesse dicuntur omnia, sed Deo, qui dat sapientiam, vt est ℣. 16. 17. & seq. Ita c. 8. ℣. 19. 20. 21. & c. 9. ℣. 4. 9. 11. 13. 14. & seq. vbi vide quid homo possit cogitationibus suis. Sic & Christus concionatur Matth. 7. v. 7. 8. 9. 10. 11. Luc. 11. ℣. 13. Iacobi 1. 5. 6. 7. Sed cur cum istud medium sciuisti, non orasti deuote? Cur non orant cæteri Magi Paracelsici? An non ita est, quia etiamsi oraretis, tamen nihil consequeremini, quia non oraretis secundum Dei voluntatem in spiritu & veritate? Deinde polluta est vestra oratio, quæ partim respicit diabolica media, partim Deo se accommodat, cum tamen nec Deus diabolum in societatem admittat, nec diabolus coram eo possit consistere. Recte orãt ii, qui iuxta Dei voluntatem postulant sapientiam: & hi non impetrant, quod petunt, sciunt voluntati diuinæ acquiescendum esse. Spiritus enim diuidit sua munera vti vult. *Sapientiam psychicam Paulus* adeo attenuat, vt vocet stultitiam. *Ieremias* c. 10. *Leges gentium, Hermetis*; & & cæterorum, pronunciat *vanas. Esaias astrologos irridet* c. 47. ℣. 10. *Sapientia & scientia tua (Babylon) eiecit te.* ℣. 12. *Sta cum magis tuis, &c. Saluent te vates cœli.* &c. En vobis Paracelsistæ. Quo magis prædicatis ista vestra magica, eo magis violatis primam tabulam, & iniuria afficitis, calumniaminique diuinam Maiestatem. Vide Es. 44. ℣. 45.

Ridicula permissa magorum, quorũ ipsi scientes, vt videri volunt, omnem modum applicationis, tamen non possunt fieri participes.

31. Sunt plura apud *Crollium* abominabilia in magica sua præfatione pro desipiētia *Paracelsi* & magorum cæterorum: sed satis est ista pauca saltem attigisse, vt nostri Paracelsistæ *Scheuneman, Hartman, Graman*, & alii videant quali Monarcha glorientur. Vsi vero sunt nominibus *Animæ, spiritus, corporis*, etiam Philosophi *in magno magisterio lapidis mystici.* Sed neq: sensu Theologico *S. Pauli*, neq; magico. Duo vero sunt modi huius vsurpationis in magisterio. *Primus* est, cum vel partes compositionis comparas inter se, vel progressum exaltationis. *Vna pars corporea est, altera spiritualis, tertia quasi animalis.* Ita in principio omnia sunt rudia, & corpori similia: elaborata fiunt spiritualia, & tandem animæ instar motiua. *Altera ratio* est secretior. Cum enim in suo vitro conclusa materia agitatur *in fundo est corpus*; inde *assurgit spiritus, qui animam portat in ventre suo.* Cum hic ad superficiem peruenit, *reflectitur super corpus suum, animamq; iterum defert.* Hoc fit innumeris reciprocationibus, donec tandem corpus animam suam, & spiritum receperit, & omnia tria *ex monade facta in monadem reuertantur.* Sic ab vno sunt tria, & iterum in vnum redeunt, quod si non potes probare magisterio magno metallico, proba saltem per elixyria vegetabilia, animalia, & mineralia alia, vbi prius naturæ compositum dissolueris, partes mundaueris, & exaltaueris. Nam demum in vitro Hermetis iterum coniunguntur industrio caloris, & vasorum regimine. Cum ascendit spiritus & anima, dicitur corpus mori: cum redit, vitam recipit. Arnoldus aerem ablutum vocat oleum, tincturam, aurum, & vnguentum Philosophorum, quod colorat, tingit, figit, & fluere facit: & aliàs sane Chymici de anima auri sunt multi, estq; nihil aliud quam medicina & lapis ipse perfectus in magisterio magno, qui iam potest transmutare. Id quod hanc animam extrahit ex corporib. dicitur *spiritus*, quem vide vt in operis parte debita agnoscas. Neq;.n. talis res est, qualis spiritus vini, quo extractiones fiunt vulgares, licet ex analogia nomina ista ad has quoq; accommodentur. *Corpus* quod sit, iam patet, nimirum id, ex quo *per spiritum anima* elicitur; verum non est abiectile. Debet enim recipere *& spiritum & animam* per crebras ascensiones, descensiones, reuerberationes. In *Rosario* Philosophorum lapis dicitur habere *corpus, spiritum, & animam.* Per *corpus* intelligitur *corpus immundum*, (inquit autor, qui *Bernhardus* fuisse creditur) per *animam, fermentum*; per *spiritum*, qui se habet in proiectione, & dicitur *Quinta essentia*, habens virtutem conuertendi, &c. Hæc alia est sententia, pertinens ad actum transmutationis. Tinctura perfecta est anima. Hæc prima protectione super Mercurium fit spiritus. Is in corpus imperfectum proiicitur. Aliter *Bernardus* in suo libro in lapide philosophico *terra* habet nomen ossium: *aqua & aer, spiritus*, in quo *anima* est, quã *ignem & aerem* continet. In *turba: corpus non potest tingere seipsum, nisi spiritus occultus extrahatur è ventre eius & sentit corpus & anima ab q; spiritu*, h.e. spirituali tinctura, cuius vi calores apparent. Exercitatio in turbam: *Elixio fit ex corpore, anima, & spiritu conglutinatis: Anima viuificat, & dat esse corpori & spiritui.* Vide ibi plura, quæ tamen non sapiunt Philosophicum sensum. Alibi *Anima est fermentum* corporis imperfecti. In turba etiam iubentur *corpora incorporea reddi instar spiritus*, si volumus extrahere animam tenuissimam & tingentem. *Anima est spiritus tingens. Corpus stat*, (est pars fixa) *spiritus tingit, Anima viuificat*, &c. Verum de his alibi.

In lapide Philosoph. anima, spir. corpus.

Ex quinario absice binarium, & ternarium reduc ad monadem essentialem. Ita ab vno per quinq; duo, tria, fit regressus ad vnum.

Exercita-



EXERCITATIO ALIA

De

ABOMINABILI IMPIETATE MAGIÆ PARACELSICÆ PER OSWALDVM CROLLIVM AVCTA.

SECTIO I.



CHRISTO deditos homines ne in animum quidem admittere debere aliquid magicæ vanitatis, nedum per typographiam in publicum ſpargere, ſatis docet lex primæ & ſecundæ tabularum diuinarum de Deo ante omnia diligendo totis viribus, mente, anima, affectu, & non offendẽdo proximo. Omnis ratio noſtra non debet captiua duci ad deſideria regis tenebrarum, & magorum principis, ſed in obœdientiam fidei ſacris literis comprehenſæ; & à Chriſto, vero filio Dei, ex ſinu patris prolatæ, vltra quam non ſapiendum. Magica olim tam ſubtilia fuerunt apud Chaldæos, & Ægyptios quam ab vllo Paracelſiſta poſſunt excogitari: At omnes gentes perhibentur in tenebris ſediſſe; apud ſolum Dei populum electum lux orta fuiſſe, gentiumq; leges vanæ. *Sectiones. Matth. 22. 37. & ſeq. Deut. 6. 5. Leuit. 19. v. 18. Matt. 18. 7. 2. Cor. 10. 5. Vide Hermem, & Platonicos, tum Cornel. Agrip. Eſa. 60. v. 2. Hier. 10.*

Ergo & ſubtiliſſima magia fuit in abominabilibus, ideoq; tot legibus interdicta, quo magis mirandum eſt non tantum olim *Paracelſum* tantopere ſibi indulſiſſe vt *Magiam* docuerit, ſed &, cum dogmata eius, quantum ad magica attinet, à plærisque ſint hactenus execrata, inuentos recente memoria eſſe, qui tum repetant eà tum illuſtrent, augeantq; & magno conatu defendere conentur. Diaboli potentia & quantum ei permiſſum ſit vltimis ſeculis, in hoc apparet. Paracelſici quidam audire gaudent partim ex toto, partim tantum ratione chymicarum præparationum, principiorum, chirurgicorum, remediorum mineraliumq; & membrorum tartareorum, quæ nec apud *Hipp.* nec *Galenum*, aut alios medicinæ principes ſic leguntur. *Primi Paracelſici* proculdubio ſunt filij Belial à ſacris literis & Eccleſia damnati, licet eorum ſcripta etiam cum priuilegiis in publico legantur, legibus conniuentibus, & expurgatoribus librorum tacentibus. *Secundi quare Paracelſicos nominatos velint*, non ſatis digno ſufficientq; docent argumento. *Chymica* ab Arabibus repetuntur, & ab Europæis ſic ſunt exculta, vt facilè Paracelſi ſcriptis carere poſſimus. *Morbi tartarei* præter nomen nihil afferunt noui. *Principia* ex chymicis reparationibus melius parent quam ex *Paracelſo*. Non quidem de nomine laborandum cenſemus: ſed quod vſum attinet in omnibus Philoſophiæ totius rebus, excepta iuriſprudentia, & Theologia Scripturæ, quaſi vniuerſa Philoſophia naturalis ſit ex chymica ſpargiria explicanda, nimis extenditur, reuocandaq; eſt principiorum tractatio ad ſuos carceres. De numero eorum nihil eſt certi, quibusdam plures, aliis pauciores eſſentias efficaces ex miſto extrahentibus, adeo vt de *Trinitate* non magnopere ſit curandum, cum & quaternarius, & quinarius, aliiq; numeri eliciantur. *Crollius* pag. 65. ſuæ præfationis libertatem verbis profitetur: Vult enim medicum non debere eſſe ſectis alligatum: At quis eſt Paracelſo, Hermeti, Seuerino, Aggrippæ, Rogerio, & ſimilibus addictior Crollio? Quis vnquam tantum tribuit Paracelſo, & Lullio, qui tamen in multis diſcrepant? Hocne eſt liberè Philoſophari? Quidam arbitrantur *principia medicinæ Hippocratica* eſſe aut imperfecta, aut noſtris temporibus, quibus noui morbi noua remedia ex claſſe mineralium deſiderent, non accommodata, & *Galenica* minime vera. Sed ſi glaucoma detergerent oculis, & inuidiam, odiumq; ponerent, rectius viderent, & iudicarent ſyncerius. Nos de hoc argumento in ſequentibus agemus. Primi Paracelſiſtæ, præſertim *Seueriani*, acerbè perſequebantur generalem medendi ſcopum *de contrariis*. Hodierni, *& ſimilia & contraria* recipiunt, *Galeni* ſaltem *qualitates* ferre nequeunt, quas tamen calumniantur potius quam intelligunt. Elementa, honores, & qualitates Galenica repudiant: at ipſi etiam amplificant elementa, & ab humoribus nomen trahunt, qualitatesq; nolentes volentes coguntur amplecti. *Duplices Paracelſiſtæ.*

Omnino non apparet idoneum argumentum, *cur vir modeſtus velit Paracelſiſta* nominari. Quantum inſit in ea profeſſione ſuperioribus exercitiis declarauimus, vt vberius, illuſtriusq; pateat, etiam ſequentes adiiciamus.

Sectio II.

Imaginatione poſſe res macrocoſmi eaſdem produci. Imaginatio naturalis.

QVicquid oculis videmus in maiore mundo, inquit *Crollius*, pag.38. *hoc idem imaginatio quoq; poteſt producere. Sic omnes herbæ, omnia creſcẽtia, omnia metalla per imaginationem, & veram Gabaliam poſſunt produci, &c.* Mira poteſtas phantaſiæ. Eſt hæc ſenſualis quædam interior facultas communis homini & beſtiis, quæ à ſenſu communi perceptam ſpeciem accipit, & in phantaſma, ſeu imaginem, quæ poſtea in homine fit ſubiectum intellectus, conuertit. Variè autem fingit, varieq; concitatur. Sæpius intus impulſa repetita materia ex memoria, aut etiam diuinitus, vel alio principio mota agitatur, vnde fit vt non tantum exiſtentiam imagines, quas à ſenſibus externis accepit, voluat, verum etiam non exiſtentium, & eorum quæ occulto modo reuelantur, ſicut Deus, Num.12. v.6. dicit, *Si quis fuerit inter vos propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. &c.* Hæc facultas mirifica eſt in affectis morbo maniaco, melancholico, phrenetico: Item in ſuſpicacibus, timidis, mala conſcientia cauteriatis, amantibus, & ſimilibus, ſicut & in ſomno per inſomnia varie mouetur, & falſis imaginibus ſępe terrorem incutit. Notandum tamen non ſemper iſta voce phantaſia intelligi ſolum ſenſum internum, qui imaginandi dicitur: ſed ſæpe complicari cum cogitatione in intellectu agente, & patiente. Non eſt arduum intellectu, quod, quicquid oculis videmus foris, aut aliis ſenſibus percipimus, eius imaginem intus faciat imaginatio, cùm idem eueniat & in brutis ſecundum naturam. Si iam omnes herbas videremus, omniaq; creſcentia, & metalla, ſeu ſi omnia corpora mandana, ſimplicia, miſta, cœleſtia, elementaria, omnes qualitates, &c. ſentiremus, imaginatio omnium imagines intus gigneret. Verum tanta poteſtas homini non eſt conceſſa. Neq; enim omnium ſenſus eſt, ſiue actu, ſiue potentia. *Ea quæ ſcimus ſunt minima pars eorum quæ ignoramus*: Et quo ſenſu ſpiritualia, eaq; quæ ſunt meri intellectus & ſub rationem vel ex toto, vel parte cadunt, comprehendas? Si igitur phyſicè loqueretur *Crollius*, verba vt plurimum inania funderet. At magicum quid, & abſtruſum proponit, quod per veram *Gabaliam* efficiatur. Quanquam ergo in præcedentibus de *Paracelſica Gabalia* egimus, tamen adhuc de ea videndum eſt, ne fortaſſe decipiamur permutatione veræ & falſæ: videndum etiam de imaginatione illa magica, vel potius Sathanica, cum naturalis eſſe non poſſit.

Vis imaginationis.

Vera Gabalia Crollii, & imaginatio magica.

Sectio III.

Nota columnas magiæ falſas quibus ſe & alios decipiũt magi: vnica columna eſt conſpiratio cum Diabolis ad aliquid ex ſententia faciẽdum. Amphitheatrum Traſybuli. Omnes magi quæcunq; efficiunt ope Diaboli poſſunt iiſdem argumentis quibus Crollius magiam excuſare.

VEra Gabalia eſt pars Magiæ Gabaliſtica dicta, inquit, *quæ tribus columnis innitur, primo veris precibus in ſpiritu & veritate factis, vbi in ſancto ſanctorum fit vnio Dei, & ſpiritus creati, vbi Deus interno ſpiritu, non vi vocabulorum, ſed in ſilentio ſacro abſq; oris apertione & anhelitu compellatur: Secundo fide naturali, ſeu ſapientia in creatione omnibus hominibus ÆQVALITER ceu peculio & patrimonio communi à Deo patre cõmunicata & ingenita: Tertio imaginatione fortiter exaltata, cuius quanta, & quam mira vis ſit, Naturæ lumen tam in baculis Iacobi à Moſe commemoratis, quam in prægnantibus fœtui rei deſideratæ notam imprimentibus manifeſte oſtendit*, &c. Henricus Kunrath edidit ante hac amphitheatrum quod vocauit *Chriſtiano-Kabaliſticum, diuino-magicum*, in cuius primæ paginæ apice nomen Dei eſſentiale *Iehouah* in triangulare ſchema ſic cooptatum eſt, vt *Serenus* & alij magi ſcribi volunt *Abracadabra* figura menſæ pythagoricæ, aut pyramidis inuerſæ, vnde conſenſum agnoſcas magorum à *Simone illo* in actis, *Menendro, Baſilide*, imò à Zoroaſtre, Oſthane, *Ianne & Iambre, Hermeteq;* Ægyptiis & vlterius ex Babylonis primordio, deductorum. Quando ergo *Crollius* in ſua *Gabaliſtica* coniungit vnitq; Deũ precibus tacitis ſolicitatum phantaſiæ, & fidei naturali, & putat horum coniunctorum vi omnia à mago poſſe produci, idẽ ſentit cum diuinomagico Kunradij. Hinc intelligimus, quando Exodi.7. *Pharao ſapientes ſuos & maleficos* vocauit ad baculos in ſerpentes mutandos, & incantationibus aquas in ſanguinem vertendas, ranasq; producẽdas, cenſendum eſſe, id eos effeciſſe per *Gabaliſticam Crollij*, niſi forte velint Paracelſici etiam *Aaronem, Moſen, Prophetas, Chriſtum, & Apoſtolos* eadem arte ſua miracula ſua feciſſe.

Gabaliſtica die Gabelkunſt/ars furcarũ quibus ſtriges euehuntur. vide colloq. 3. voluminis 1. canticularium maioli.

Omnia.n. *Crollius* per ſuam *Gabaliſticam* producit. Cum poſtea Num.22.23.& 24. *Balaam* excãtare vellet Iſraëlitas ope Magorũ, hanc ipſam ſciẽtiam reſpexit, eamq; in multis aliis prius exercuit, vt & *Pharaonis* malefici, vnde ſibi famam illam & autoritatẽ cõciliarant. Qui.n.alias nouiſſent reges *Magos* iſta poſſe? Idem ſentiendum de *Simone Mago* Act.8.v.9.10.11. Idem de *Elima Bariehu mago Pſeudopropheta*. Act.13.v.6.7.8. Item de Ægyptio illo. Act.21.38.& apud Ioſeph. lib.20.antiq.c.14. & lib. 2. de bello Iud.c.12. Cum *præſtigiatores* oculis obiiciunt mira, quæ videntur eſſe, at non ſunt, id eſt *Crollio* producere per *Gabaliſticam diuino magicam*. Ita ſtatuẽdũ de *Tritemij* tranſmutationibus, de *Tiridatis* cœnis magicis, de vineis & vuis magicis aliiſq; plurimis. Si quæras qua arte *Theſſalæ Sagæ* ſiſtãt defunctos, ſicut & de *Tritemio* narratur, & qua *Samuel* ſit reductus in vitam 1. Reg.28. habes reſponſum ex *Crollio*. *Gabaliſtica* omnia producere poteſt quæcunque in mundo ſunt aſpectabilia. Nouit & *Rogerius Bacho* iſtam repræſentatiuam: ſed non putauit ad eam opus eſſe magica impietate, cum *per ſpecula* poſſit peragi, niſi fefellit eum τὸ φαντασιῶδες. Gaudete *magi*, & audacter exercete artem veſtram. Habetis patronum *Crollium* priuilegio quoque publico munitum: Habetis totam *Paracelſiam*, *& Amphitheatrum Thraſybuli diuinomagicum quod Crollius cedro* dignum iudicauit, nos ignibus addicimus hæreticis. Mirum autem eſt ſi iſta ars eſt vera, cur magis Pharaonicis, Babylonicis, Simoni, Elymæ, Bileamo, & cæteris nõ permiſſa fuerint omnia. Neq; enim dicere poteſt *Crollius* eos contra Deum aliquid feciſſe, quia *Gabaliſtica illa ex Deo & homine Gabale vnum facit*. Sed neq; illam Gabaliam falſam, ſuam verã poteſt affirmare, quia nunquã ipſe hæc produxit, quod iſti magi,

Si omnia produci poſſunt per fidẽ Gabaliſticam, Gabaliſta aliquis fuit, qui omnia produxerit ſua ante primum ſpiritualiter, mox corporaliter. At nullus

magi, pro ſapientibus ab omni mundo tunc temporis habiti, vt patet Geneſ.41.v.8. *Chacamim*, qui Daniel.2.v.2. *Arioli, Magi, Malefici, Chaldæi* & v.12. *Sapientes Babylonis*, vt & v.13.24.27. *Chartymmim, Aſchaphim, Mecaſchephim Caſdim. Chakkimei Babel.* *Chartam* magus eſt & Genethliacus, quem & Phyſicum, ſapientemq; naturæ vocant. *Aſchaph* Philoſophum, & Aſtronomum ſonat. *Schindlerus Strabonem* adducit, qui & ipſi Philoſophos Chaldæos appellat. Sunt iidem & medici. *Mecaſcheph* eſt præſtigiator, Ariolus, quod genus Deus viuere prohibuit: Leuit.19.26. cap.20.v.6.27. Deuter.18.v.10.11.12. 1.Reg.28.9. 4.Reg.23.24. Eſa.19.3.11.12.13. cap.44.v.25. Tales fuerunt Iuhani, & Mamre contra Moſen. 2. Tim.3.8. Radix eſt *Caſchaph* magiam, maleficia, præſtigias exercere. *Caſſedim* ſunt Chaldæi, qui Mathematicam, Genethliacã & magiam ſunt profeſſi. *Chacam* ſapiens eſt, doctus, artifex, Philoſophus, artium profeſſor, ſtudioſus, medicus quem *Auicenna Galenum* vocat. *Chakamim* ſapientes tales, à radice *Chakam* ſapuit, nouit, &c. Ex quibus palàm eſt, qui à veteribus fuerunt pro magis habiti, eos etiam *Gabaliſticæ Paracelſicæ*, vt plurimum opinione vulgata, tunc fuiſſe peritos. Ideo & Græci, qui à Chaldæis, Ægyptiis, & Gymnoſophiſtis didicerunt, magiæ non fuerunt imperiti: vt: *Socrates Plato Apollonius. Manethon, Democritus, Pythagoras, &c.* Cum autem iſtis non omnia productu fuerint poſſibilia, arbitrandum eſt *Crollium*, & ſimiles Paracelſicos, aut mentiri impudentiſſime, id quod res ipſa loquitur: (neq; enim poſſunt quod profitentur) aut in excellente gradu artem callere, ſed *quæ quo eſt excellentior eo apud Deum eſt abominabilior.* Moſes eruditus fuit in omni Ægyptiorum ſapientia Act.7.22. Sed proculdubio vanam, & iudicauit, & abominatus eſt. Magiam, vt ſapientiæ quidem ſtudioſus eſſet, ſed non magiæ in lege vetitæ. Neq;. n. vnquam iſta magica ſtudia legitur exercuiſſe; Et ſi vera putauiſſet, aliqua fundamẽta in ſuis libris propoſuiſſet ex quibus Crolliana principia poſſent deduci. Ita *Solomoni tribuitur magia.* Sed neq; hic vlla habet Crollianis ſimilia. Legatur Prou.1. caput: Item, 8. & 9. cum c.7.8. & 9. libri Sapientiæ, qui eidem aſſcribitur. Nec *Paracelſi*, nec *Crollij*, nec *Hartmanni* aut aliorum magia in eis reperietur: vnde mirum eſt magos Paracelſicos Salomonem inter ſuos referre, cum ne vnicum quidem principium ſuæ artis ex libris Salomonis poſſint oſtendere. Narrant aliqui *libros quoſdam magicos* ad eum relatos fuiſſe, quos cum æneo ſerpente Rex *Ezechias* combuſſerit, recenſeturq; quoddam eius axioma: *In herbis, verbis, & lapidibus, magna virtus.* Fieri poteſt, vt qui non abſtinuit alienis mulieribus, & ſacris, etiam magiæ apud ſe locum reliquerit: ſed vt *Cornelius Agrippa* vanitatem ſuæ magiæ deteſtatus eſt, ita videtur & *Salomon*: qui *propoſuit animo ſuo quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole: viditq; cuncta; & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Cunctæ res laborioſæ: non poteſt eas homo explicare ſermone.* Diabolus ſuperbiam iſtam ex *Eua*, & *ſeipſo tranſtulit in Paracelſiſtas.*

Paracelſici magi in maxima apud Deum abominatione.

Ecclеſ.1.13.14.

Salomon vidit quidem magica, ſed vana inuenit, vt & Nero. Italibri fors apud eum magici ſunt inuenti, at non ipſo autore.

Sectio IV.

NVlla execrabilior impietas eſt quàm adeo licenter in medio Chriſtiani populi cœtu, quaſi cum iactantia quadam, & ſapientiæ abſtruſæ præſumptione *horribiliter Dei nomen profanare, & diabolicæ perſuaſionis de magia Gabaliſticâ Paracelſi columnam primam facere Veras preces ad Deum in ſpiritu & veritate factas vbi in ſancta ſanctorum fiat vnio Dei, & ſpiritus iſtius magici quem Olympicum, ſydereumq; vocat.* Veræ ad Deum preces nihil ſunt aliud quam cultus *ſoli Deo* debitus, quo Dei omnipotẽtiam, omniſcientiam, & omnipræſentiam agnoſcimus, & ab eo tanquam beneuolo *omnium donorum præſtantium* autore ſpiritualia, & temporalia petimus, non tantum in ſpiritu & veritate, ſed & *ſecundum promiſsionem & voluntatem* Ioh.4.23. vbi per *ſpiritum* non intelligitur *Magicus Crollij*, quem hominem internum vocat, ſed *Spiritus ſanctus*, & per *veritatem* accipitur tum *nomen filij Dei*, qui iubet *in nomine ſuo orare* & ſe viam quoq;, vitam, & veritatem appellat, tum *verum Dei verbum & Spiritus*, quæ & ipſa veritas dicuntur. 1.Ioh.3.22. *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quia mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus:* Et cap.5.v.14. *Hæc eſt fiducia* (παρρησίαν) *quam habemus ad Deum quia quodcunq; petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Ex his contra impietatẽ Paracelſicã ſic argumentamur: 1. *Si is Spiritus in quo Deus eſt adorandus eſt, eſt ſanctus ipſeq; Deus, qui adiuuat infirmitatẽ noſtram, & poſtulat pro nobis* Rom.8.v.26.27. *non eſt ille Crollianus magicus.* Neq; enim poteſt Deus ſpiritus eſſe ille fictitius magorum, vti à *Crollio* deſcribitur. *Illud eſt*: vt per Apoſtolum probatum eſt, & interpretes ſacri Ioh. 4. eundem intelligunt, qui & Chriſto teſte ſuggerit piis omnia dicta, interq; ea etiam hoc: in nomine filij patrem inuocandum eſſe. *Et hoc ergo*: per conſequens, profanat nomen Dei quicunq; verbum Dei in ſenſum à genuino alienum detorquet, eſtque blaſphemus in Spiritum ſanctum. 2. *Si Deus adorandus eſt in vero verbo Dei, nomine Chriſti, & Spiritu ſancto, magia Gabaliſtica preces veras pro columna non habet.* Neq; enim vt à vobis producantur omnia, quæ ſunt in maiore mundo per Gabaliſticam magiam, eſt oratio in Spiritu ſancto, nomine Chriſti; & vero verbo. Probetur ſaltem vnico dicto Scripturæ quo pateat Deum velle vt talem productionem ab ipſo petamus, aut cum magiæ Gabaliſticæ ignotæ etiam ipſa voce literis canonicis, adiutorem inuocemus. Diaboli promiſſio eſt: Hæc omnia tibi dabo, &c. Matth.4. v.9. vbi crux eſſet Eccleſiæ, ſi iſta vota apud Deum eſſent rata? 3. *Quæ veris ad Deum precibus in Spiritu S. rogantur habent promiſsionem exauditionis*, quia *ſecundum Dei voluntatem fit adoratio.* At effectus magiæ Gabaliſticæ nullam habet promiſſionẽ exauditionis, quia nulla Dei voluntate eſt mandata. 4. *Tentatur Dominus iſtis orationibus.* 5. *Negata eſt iſta productio humanis viribus*, cumq; vel bona ſpiritualia à Deo ſint petenda, vel temporalia licita, poſſibilia, honeſta, Dei honorem, & vtilitatem proximi ſpectantia, iſta magica omnibus ſunt aduerſa. Quid enim quæſo magica omnium, quæ oculis cernuntur in maiore mundo, productio aliud eſt quam temeraria perſuaſio, & pars arrogantiæ Diabolicæ, tentatio nominis diuini, & diuinitatis cuiuſdam æqualitatiſq; cum Deo cupiditas? *Vnio* voca-

Horrenda impietas Crollij qua Deum & diabolum iiſdem magicis immiſcet, & veritatem mẽdaciis copulat.

Ioh.16.23.24.

Ioh.14.6.

Ioh.16.13.14. cap.14. v.26.

tur *cum Deo.* Et magus petit *vt omnia poßit producere quæ Deus*, cœlum & terram ex Nihilo facere, lucem & ſolem creare cum toto firmamento, arbores, pecudes, homines, aues, piſces, aurũ, gemmas, & quid non efficere? Iſta.n.omnia in maiore mundo conſpiciuntur. Cogitet iam mens pia an non hoc ſit illud Luciferi Eſa.14.v.12.13. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum (Agnoſce exaltatam Crollij imaginationem) ſedebo in monte conuentus, in lateribus Aquilonis (expanſi ſuper Nihilum ſeu vacuum Iob.26.7.) Aſcendam ſuper altitudinem nubium) vniar Deo, omnia producam ſicut ipſe) ero ſimilis altiſſimo? Adde & hoc à Deo petenda eſt vera ſapientia, & bonũ perfectũ. Magia Gabaliſtica eſt ſtultitia, & mera deceptio, malignitasq; diabolica. A Deo ergo peti non poteſt. Aſſumtio probatur collatione cum actis famoſiſſimorũ magorum, & ſtrigum. Deinde ſi eſſet diuinum quid quod Deus petentibus concederet, cur ipſi magi ſine diabolo nihil poſſunt? Hæc abominanda, & execrabilis cum profiteatur Magia Paracelſica, adhucne eſt aliquis, qui ſe audeat Chriſtianum profiteri, & magiam iſtam tam docere, quam defendere, & in publicum cum priuilegio emittere? Eſtne aliquis, qui glorietur ſe Paracelſiſtam eſſe? Tantumne ſcandalum poteſt tolerare vlla Eccleſia, quæ Chriſtiana vult videri? Cur non comburuntur tales libri, vt Salomonij, & Epheſini Act.19. An plus eſt corpora de medio tollere, quàm animas diabolica Paracelſi Magia perdere? *Cornelij Agrippæ magica* prohibent, *Crollij cum priuilegiis diuulgant*, cum hæc ſint illis execrabiliora. *Sacrilegium* eſt veras preces piorum transferre ad impiam magiam Gabaliſticam Paraſiſtarum. Itaq; *Crollij* illa columna prima à patre mendaciorum Sathana prodiit, non à ſpiritu vllo bono.

Nihil execrabilius magia Paracelſica.

Paracelſiſtæ ſacrilegi.

SECTIO V.

Vnio Dei cũ ſpiritu Gabale.

VBi *in ſancto ſanctorum fit vnio Dei & Spiritus creati*, inquit magus. Sanctum autem ſanctorum in quo Deus habitat primum eſt *templum æternitatis* Eſ.57.v.15.1. Tim.6.v.16. Deus ſolus habet *immortalitatem, & lucem habitat inacceßibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Pſal.123.v.1. Deus habitat in cœlis Pſ.2.4. In altiſſimis ſapientia: Syr.24.7. Ioh.14.v.23. Sancta Trinitas venit ad ſeruantes verbi Dei, & manſionẽ apud eos facit. Eph.3.v.17. *Chriſtus habitat per fidem in cordibus piorum.* Corpus eorum eſt templum Spiritus S. qui eſt in ipſis.1.Cor.6.v.19.c.3.v.16.2.Cor.6.16. Habitat & in Eccleſia publica, quæ præfigurabatur per ſanctum ſanctorum templi *Salomonis*, vnde reſponſa dabat, ſicut hodie ex Bibliis ſacris. Pſ.123.13. *Elegit Dominus Sion in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: Hic habitabo, quoniam elegi eam* 3.Reg.6.v.12.13.19.c.8.v.12.13.27. Chriſtus promittit ſe in medio fore duorum, triumve in nomine ſuo congregatorum Matth.18.v.20. Dicitur & in *Synagoga Deorum*, ſeu iudicum eſſe, ſtareq; Deus Pſal.82. *Vbicunq; Deus habitat, in ſancto habitat.* Pſal.22.4.&c. Non immerito quæritur quodnam ſit illud *Sanctum ſanctorum* in quod penetrãt preces magi Gabaliſtici. Sacræ literæ agnoſcunt nullum. Piorum preces aſcendunt, peruaduntq; nubes in cœlum & ad aures Dei perueniunt: At de *Gabaliſtæ* oratione ne verbulum quidem eſt in ſacris, nec poteſt eſſe, cum ſit impia, & auſit poſtulare Deo aduerſum productionem omnium eorum quæ in mundo videntur. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?* Vnus eſt tantum *Michael Ieſus Chriſtus filius Dei* Cæteri omnes ne cõparari quidem cum Deo poſſunt, vt eſt in *Iobo* tum alibi, tum cap.38.39.&c. vbi Deus *Iobum* ipſum de hac re compellat. De *Magis* autem quid ſcriptum ſit, habes apud Eſaiam c.47.v.10. & ſeq. Ex dictis argumentum eſt: *Si nullum vſpiam eſt Sanctum ſanctorum in quod ingredi poſſint preces magi Gabaliſtici, falſum eſt quod Crollius de iſtis precibus ſcribit. Prius eſt: Ergo & poſterius.* Aſſumtum probo, quia eſſet immortalitas & æternitas & lux Dei: at hæc eſt omni creaturæ inacceſſibilis: aut foret Eccleſia Dei, verbum Dei, cor fidelium, tribunal iuſtitiæ: At nec horum vllum eſt. *Magica* in Eccleſia & verbo Dei ſunt prohibita: In cordibus fideliũ nihil eſt magici: In tribunali iuſtitiæ leges aduerſantur. Dices: *Deus facit voluntatem ſe timentium, & prope eſt omnibus inuocantibus in veritate* Pſal.145.v.18.19. Reſpondeo: Pſalmus loquitur de Deum timentibus, & non curioſis, qui diuinitatem per magiam affectant, cupiuntq; producere res omnes quas Deus viſibiles produxit. Deinde loquitur de veritate quæ eſt Chriſtus, & verum eius verbum, & nomen Chriſti quod continet non ea quæ nobis nõ ſunt mandata, ſed quæ officium Deum timentium ſpectant. Tertiò, cum Pſalmus promiſſionem habeat ſalutis, de hac inuocatione differit, quæ eſt afflictorum, quiq; ſalute indigent. At Magus ſibi ſomniat omnia beata, & productiones ſecundum Dei potentiam ad oſtentationem virium. Hic ergo inuocando Deum pro ſuo inſtituto nihil habet ex promiſſione Pſalmi præſidij. Altiora enim ſeipſo appetit, & ſcrutatur maieſtatem, nec ſapit ex officio, verum vltra id quod debet occupatus circa ſublimia. Nõ facit τὰ ἑαυτοῦ, ſed eſt πολυπράγμων contra regulas & principia Chriſtianæ pietatis. Rom.12.16.Gal.6.3.1.Pet.4.15. Deinde cum iſta *Gabaliſtica magia* in fundamentis eadem ſit cum *Hermetis Ægyptij, Cornelij Aggrippæ, Tritemij, Chaldæorum, Tiridatis, Baſilidis, Menandri, Simonis, Elimæ* & ſimilium, qui itidem omnia producere ſtuduerunt, vt & *Iannes & Mambres*, & *Nauius* augur, qui & cogitata putauit ſe implere poſſe; apparet ſi preces *Crollij* iuſtæ eſſent, & in Sanctum ſanctorum Dei penetrarent, etiam iſtorum fuiſſe, & penetraſſe. At hoc non eſt. Neq; ergo illud Iohannes Hartmanni in ſua vitali Philoſophia aliud proponit Sanctum ſanctorum: quod quia phantaſticum eſt figmentum, nec Deum habet, nec alium admittit.

Deut.16.6. 2.Par.6.18. Pſal.22.4. Syr.24.13.

Sanctũ ſanctorum magicum.

Pſal.113.5.

Pſ.75.6. Nolite ex tollere in altum cornu veſtrum.

Pſ.81.v.8 Pſ.91.14.15. Pſ.50.v.15.

Liu.lib.1. de Accio Nauio augure, qui cogitatum Tarquinii executus eſt.

SECTIO VI.

VNio *Dei & Spiritus creati in ſancto ſanctorum.* Extrema impietas eſt Deum ſacris magicis ita admiſcere vt cum execrando, abominandoq; Magi ſpiritu fiat vnus. Non putauerim adeo inſanire

nire

nire *Magum Crollium* vt voluerit vnionem essentialem fieri, tametsi non erubuerit scribere *animam inspiratam in faciem Adami nihil aliud esse quam Deum ipsum*, & hanc ęternam facere, quasi aliquid aliud possit esse æternum, aut essentia Deus, quam sacrosancta trinitas creatrix omnium rerum, quam esse omnino beatam & increatam, animam autem humanam creatam, & sic subiectam omnipotentiæ diuinæ, vt cum suo corpore possit in ignem æternum ad tormenta, & cruciatus coniici, constat. De vnione ergo voluntatis credo eum voluisse, vt ex *vtraq; Dei & magi, voluntate* sequatur operatio, & productio omnium, quæ in magno mundo producta conspiciuntur. Verum cum Dei voluntas præcedat, sicut oramus: *Fiat voluntas tua*; & Christus in Agone: *Non quod ego, vel sicut ego, sed sicut tu vis*, Matth. 26. v. 39. Oporteatq; nos nihil velle *nisi quod reuelatum est Deum velle*: alias non secundum Dei voluntatem rogabimus: nulla autem vnquam reuelatio facta sit *de voluntate productionis magiæ Gabalisticæ*, sed potius prohibitio & seuerum interdictum non vno in loco verbi Dei extet; consequens est *vnionē istam magicam esse diabolicum commentum*. Non enim est medium inter Christū & Belial. *Si vnio non fit cum Christo*, qui est Deus benedictus in secula, per quē pater mundū creauit, *fieri necesse est cum Beliale*, nisi ficta tota est, & vanissimum hominis mente decepti deliramētum. Atqui nolunt deliramentū esse. Iam enim Magi Ægyptiaci aliquid produxerunt, & notum est de cœnis, vincis aliisq; magicis & transformationibus *Tritemij* coram *Pico* vt scribit *Crollius*. Si ergo sit duorū spirituū vnio, quia alter non est bonus, diuinusq;, necesse est vnionē mali cum malo esse, & sic Sathanicam tam elusionē, quam conspirationem. Sathanas. n. quod ipse facit, *Magus* persuadet ab his fieri, sicut & miseras sagas decipit trāsmutationibus mirificis, tēpestatū coactionibus & aliis. Quam bene actū fuisset cum Adamo si istam vnionem sciuisset. Frustra dictū esset, maledicta terra propter te, & reliqua frustra dictum esset ad Cain magorū patrem; cum operaberis terrā, &c. Gen. 4. 13. Comminationes Dei in Deut. 28. forent irritæ, si vllus homo carnalis posset id quod Crollius vult posse, cum ipse nihil potuerit hac in re nisi mētiri. Cogit pius animus, si vnus tantū homo esset, qui posset facere omnia quæ videt, quātū detraheretur de gloria Dei altissimi, qui solus omnia quæ vult facit. Quale iam est *sanctum sanctorū in quo diabolus, & spiritus Gabalistæ magi conueniunt?* Non est semper raptus Enthusiasticus ad loca extra hominē nec de hoc loquitur Crollius: sed conuenticulum, & officina, vel potius cloaca immundorum spirituum in ipso Mago intelligenda est. Miser ille putat suum spiritū ex se egredi in altitudinem cœli: at non animaduertit iam diabolū intra se habitantē, sicut intrauit in *Iudam* proditorē. Ioh. 13. 27. & in *Saulem* 1. Reg. 16. 14. Et qualis fuit vnio inter *Simonem Magum*, aut *Elimam & Sathanam*. Cor magi impurissimum est illud *sanctum sanctorum Gabalisticum*. Nam tali habitaculo gaudet Sathanas: Matth. 12. 43. 44. De sancto sanctorum Hartmanni suo loco dicemus. Nam in eo conueniemus more nostro, non magico Crollij.

SECTIO VII.

VErum *de vnione Dei & hominum aliquanto plura*. In integritate prima Dei filij eramus. Itaq; cum Deo vnum quoq; eramus dilectione & iustitia, sanctitateq; & imagine perfecta. Vt filij vnum sunt cum parētibus, ita nos cum Deo. Ab hac vnitate viua decidimus per mortē ex peccato, factiq; sumus ex amicis hostes, ex filiis amoris filij iræ, & mācipia Sathanæ, qui nos carceribus suis inclusos ad pœnam detinebat. In hac alienatione quid potuit esse vnū? Impij similiter visione Dei, qua fruentur pij, in æternum destituētur. Nulla hic vnio. *Christus Iesus filius Dei assumta carne humana nos Deo patri reconciliauit.* Hic homo per ipsum primum *Deo vnitus est personali vnione humanitatis Christi cum* λόγῳ *Deo creatore omnium*: qualis vnio cæteris omnibus est denegata. Nos fruimur ista vnione per gratiam redemtionis, iustitiæ reparatæ, fidei sanctitatis, & cætera quæ Christus nobis recuperauit donec in hac vita inchoata instauratio perficiatur in altera, vbi imago Dei amissa quidem peccato nostro, sed Christi iustitia instaurata plene in nobis lucebit, atq; insuper etiā gloria inenarrabili decorabitur. Vinculum arctissimū vnionis est amor patris erga filium in quo sic dilexit mundum, vt eum daret pro vita huius. Is in assumta carne consedit ad dextram Dei, nosq; protegit, & pro nobis interpellat. Deinde est *nodus fidei in Christum constantis*, per quam Deus in nobis habitat, & nos Deo placemus. *Quicquid ex fide non est, peccatum est. Impossibile est placere Deo sine fide.* Ebr. 11. v. 6. *Credere. n. oportet accedentē ad Deum.* Quid? *Quia est, & inquirentibus se remunerator est*, seu vt Christus in Iohanne exponit, oportet Deum diligere, & mandata eius seruare. *Hæc est vita æterna vt te cognoscant solum verum Deum, inquit*, Ioh. 17. 3. & quem misisti Iesum Christum. *Neq;. n. in alio nomine est salus* Act. 4. 13.
Qui adhæret Domino vnus spiritus est. Vera. n. fiducia amplectitur Deum in se habitantem per fidem E- *1. Cor. 6. 17.*
phes. 3. v. 17. τῆς θείας κοινωνοὶ φύσεως efficimur, inquit Petrus 2. Pet. 1. 4. per preciosa promissa in cognitione Dei & Iesu Domini nostri, quo modo omnia nobis diuinæ virtutis suæ ad vitam, & pietatem donauit per cognitionem eius, qui vocauit nos per gloriam & virtutē, vt fugiamus mundanæ concupiscentiæ corruptionem. Nunc quidem filij Dei sumus, inquit Ioh. Epist. 1. c. 3. v. 2. *Sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quod quando apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicut est. Et omnis, qui habet hanc spem sanctificat se sicut ipse sanctus est.* Eam similitudinē cum hæresis Feliciana interpretaretur de adoptione, conciliū Francofurdense *ad interiorem hominem* retulit, qui renouatum in agnitione Dei, & charitate donec perfecta restituatur imago: Coloss. 3. 10. 2. Cor. 4. 10. 16. Deus erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. v. 28. Ex dictis homo pius & Christianus hæc argumenta colligit.

1. Ante lapsum in integra Dei in homine imagine nulla erat talis cum Deo vnio quæ tenderet ad productionem operum mundi aspectabilium. Deus. n. creator solus gloriam suā alteri dare recusat. Fiet autem restitutio ad eam imaginem per Christum, quæ complebitur in tempore refrigerij, & restitutionis omnium, in hac vita saltem inchoatur. Ergo nulla nec est, nec erit vnio talis, qua

Productionem Gabalisticā esse nullam

producere homo poſſit opera mundi aſpectabilia: & ex conſequente Gabaliſtica Magorum vaniſſimum eſt commentum, & in Dei gloriam blaſphemum. Apertum eſt, ſi in altera vita nulla erit talis, multo minus poſſe eſſe in hac vita peccatorum.

2. Si qua talis eſſet vnio, in Chriſto eſſet, in quo completi ſumus, & in quo habitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Coloſſ.2.9. At in Chriſto non eſt. Comprehenderetur enim fide Chriſti, quæ prædicata eſt in mundo. At nihil tale fides Chriſti continet; imo veteris & noui Teſtamenti principia ei aduerſantur, noſque præmonent, vt caueamus ab illa Philoſophia, quæ nos ad aliud fundamentum abducere conatur.

3. Si peccata noſtra diuidunt inter nos & Deum noſtrum, nemo in quo eſt peccatum, perfecte vniri Deo poteſt, ſed neceſſe eſt deſtrui corpus peccati, & nos reconciliari Deo per Chriſtũ. Magi Gabaliſtæ hoc ipſo peccant abnormiter, quod & ſibi perſuadeant fictitiam illam vnionem, & cum publico ſcandalo alios doceant, atque ita à Deo longiſſime diſcedunt. Quomodo ergo Deo vnientur ad producenda opera aliqua creatorum ſimilia?

4. Qui nec Deum ſcit, nec viam ad Deum, nec fidem habet, per quam Deo reconcilietur, is non poteſt vniri Deo. Gabaliſticus Magorum ſpiritus noſcit Deum: quia Filium Dei neſcit, & hunc qui neſcit, Patrem neſcit. Matth.11.27. Ita qui non permanet in doctrina Chriſti, nec Patrem, nec Filium habet. 2.Iohann.verſ.9. Quod autem Filium Dei neſciat, palàm eſt, quia iſta magia tota eſt gentilis, & ad Eccleſiam non pertinet, ortumque ſuum, & præcepta habet à Chaldæis & Ægyptiis Mathematicis, Ariolis, &c. Vnde & *Hermetis* doctrinam tam *Crollius*, quàm *Kunrathus* commendat. Ignorat & viam ad Deum, quæ eſt Chriſtus, in quo & Pater videndus eſt. Iohann.14.verſ.6.7.9. Non habet fidem, per quam comprehenditur oſtium ad habitationem Dei, quod eſt Chriſtus. Gloriatur quidem de fide aliqua naturali ſed hæc non eſt illa, per quam Chriſtus apprehenditur, & ad Deum acceſſus eſt. Si quis Deo vult vniri, is debet per viam ad Deum & oſtium incedere. Id nihil aliud eſt, quam Chriſtus, & Spiritus Chriſti. Non ergo Gabaliſticus Crollii. Conſequens ergo eſt, Gabaliſticum ſpiritum vniri Deo non poſſe.

Ioh 14.v.7.

5. Non vnitur Deo eſſentialiter, non perſonaliter, non per imaginis perfectionem, non per fidem, non per dona Dei ſanctitatem, perfectionem, iuſtitiam, miſericordiam, & alia quæ Spiritus Sanctus operatur in cordibus fidelium, & in hac vita incipit, ita vt ſaltem non nudi reperiamur, ſed per imperfectionem ad perfectionem contendamus, qualis eſt dilectio tum Dei, tum proximi, & obſeruatio mandatorum Dei. Quà fronte ergo dicere poſſunt, *Magi ſuum Gabaliſticum ſpiritum vniri Deo*? Si putant antecedens falſum eſſe, demonſtrant, vbi & promiſſio ſit operationis diuinæ, & operatio ipſa, S.Petrus recenſet varia Spiritus ſancti opera; recenſet & Paulus inter ea, non legitur vnio magica cum Deo. 1. Corinthiorum capite duodecimo, verſu quarto, & ſequenti.

6. Promiſſiones de acceſſu ad Deum vero, veraque vnione ſunt vniuerſales, & communes omnibus fidelibus. Illa vero magica non tantum non eſt communis, verum etiam figmentum, & deceptio ſtultæ opinionis, qua *Magi putant ſe Deo vniri, cum vniantur diabolo*. Quomodo ergo ſit vera vnio?

7. Sapientia mundana eſt ex gentilitiis fraudibus & erroribus, extatque in literis profanorum hominum, qui licet dicant ſe amicos eſſe Dei, & Deos quoſdam, imo magna miracula, tamen re ipſa longiſſime à Deo abſunt. Sapientiam autem talem S.*Paulus* vocat *ſtultitiam*, per quam mundus aut vllus ſeculi princeps, ſiue ſemel, ſiue bis, ſiue ter maximus, Deum non poteſt cognoſcere.

1.Cor. 1. 20. 21. c.2.8.9. 10.

8. Mirum eſt, Magos iſtos impios in hac vita ſibi talem vnionem polliceri, cum tota vita ſit imperfectionis. 1.Cor.13.9. Is qui peccat, non videt Deum, nec cognouit. 1.Ioh.3.6. Peccare autem magos, dum hoc ipſum docent, quis neget?

9. Si maxime talis vnio in hac vita inter ſpiritum creatum hominis & Deum poſſet eſſe, qualem Magi proponunt, interceſſiſſet inter Deum, & aliquem Sanctorum veteris aut noui Teſtamenti. At ne exemplum quidem legitur. Sanctique *Magis* talibus ſe oppoſuerunt, eoſque ſunt execrati, vt de *Simone Mago* legitur, qui ſuis incantamentis effecerat, *vt magna Dei virtus* diceretur, quod non aſſecutus eſt nec *Paracelſus*, nec *Crollius*, nec *Kunrathus*, nec *Agrippa*, *Tritemius*, *Artephius*, *Techellus*, & ſimiles. Vt plenius intelligatur, quid ſibi velit illa vnio magica, repetantur verba Triſmegiſti ex Pimandro, quæ Kunrathus in ſuo amphitheatro Hermetis tabulæ Chymicæ ſubſcripſit:
„ Cum de rerum natura cogitarem, (inquit Hermes) ac mentis aciem ad ſuperna erigerem, ſopitis
„ iam corporis ſenſibus, quemadmodum accidere ſolet iis, qui ob ſaturitatem, vel defatigationem
„ ſomno grauati ſunt, (rectius qui ecſtaſin, & raptus patiuntur tales, quales ſagæ cum poſt vnctionem exportari ſe credunt, concidunt autem tantum, tanquam mortuæ, niſi quod ſubſultent q.equitarent aut volarent,) ſubito mihi viſus ſum cernere quendam immenſa magnitudine corporis, qui me
„ nomine vocans in hunc modum clamaret: Quid eſt ô Mercuri, quod & audire, & intueri deſide-
„ ras? Quid eſt, quod diſcere atque intelligere cupis? Tum ego, quiſnam es, inquam? Sum, inquit
„ ille, Pimander, *mens diuinæ potentiæ*, ac tu vide quid velis. Ipſe vero tibi *vbique adero*. Cupio, inquam,
„ rerum naturam diſcere, Deumq; cognoſcere. Ad hæc ille: Tua me mente complectere, & ego te in
„ cunctis, quæ optaris, erudiam. Cum hæc dixiſſet, mutauit formam, & vniuerſa ſubito reuelauit. Hactenus ex Hermete. *Kunrath* ſubiicit: *Sic & cuiuis doctrinæ filio fideli: Amen.* Nos qui Chriſtiani ſumus, non ſic: ſed cum Iohanne, *Probate ſpiritus num ex Deo ſint*: Simulat.n. Sathanas angelum lucis. Itaque examen inſtituimus. Apoſtolorum temporib. iam erant iſta Hermetica in mundo inter gentes, & vigebant in ſcholis Magorum & Platonicorum. At quid Petrus? *Non doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis D.N.I.Ch. virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius maieſtatis vocem nos audiuimus de cœlo allatam;*

Simonis magi exiſtimatio longe fuit maior vllius alterius Gabaliſtæ. Magicus ſpiritus Gabaliſta, & Deus Hermeticus, inter quos vnio magica, fieri debet. Sathanas pro angelo lucis.

1.Ioh 4.1. 2.Cor.11.14.

allatam; *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem cui attendentes bene facitis*, &c. Ita Iohannes: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod videmus oculis & manibus contrectauimus Verbum vitæ annunciamus vobis*: Ita Abraham Luc. 16. 30. *habent Moſen & Prophetas*,&c. Ita Chriſtus: *Scrutamini ſcripturas*,&c. Adde Dei mandata Deut. 18. ℣. 15. Act. 3. 22. & cap. 7. 37. Matth. 17. 5. Cum ergo *Crollius*, *Kunrath*, *Hartman*, & alij Paracelſi velint eſſe Chriſtiani, quid obſtat vt non audiant Chriſtum, & diſcipulos, ſed *Hermetem gentilem magum* in cauſa ſupercœleſti de vnione cum Deo ad mirifica perpetranda? An eſt illud Pauli 2. Corinth. 3. ℣. 3. *Si Euangelium noſtrum opertum eſt, in his qui pereunt eſt opertum*? Item 2. Theſſal. 2. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio?* Hermeti credidit tota Priſcorum philoſophia gentilis, & ſe ſtrenue oppoſuit doctrinæ Eccleſiæ. Sed quid Deus de cœlo? *In hoc filio meo dilecto mihi complacitum eſt: hunc audite. Agite pœnitentiam, clamat filius: & credite* (non *Hermeti* ſed) *Euangelio*. Legimus etiam libros Ethnicorum: ſed iudicium adhibemus ex principiis diuinis. In quæſtione de Vnione cum Deo ad perpetranda iſta mirabilia, ne audienda quidem ſunt Ethnicæ diſciplinæ. Dic ergo tu, *Hartmanne*, niger Philoſophe, qui *intelligentias magicas* amas, loco iſtorum, an non deſeruerunt Chriſtum *tui magi*, & ad diabolum ſe contulerunt? Hoc oportet & te, *Scheunemanno*, agnoſcere cum *Gramano*, qui vultis eſſe *Para'elſiſtæ*, & in verborum explicatione portenta magica *Paracelſi*, reponitis. Sed examinemus *Spiritum* illum *Pimandricum* à *Crollio* & *Kunratho* in ſcenam reductum.

1. Iohan. 1. 1.

Iohan. 5. 39.

Primo nouimus Reuelationes aliquas in ſacris literis, quibus Deus ſe manifeſtauit Patribus, Prophetis, & Apoſtolis ſiue ſpecie viſibili, ſiue voce, & aliis modis. Apparuit enim protoplaſtis in paradiſo, & poſt: Locutus eſt Caino, & proculdubio etiam Enocho, Inde Noe ante & poſt diluuiū: Abrahamo quoque ſæpius, Abimelecho Gen. 20. 3. Iſaaco Gen. 26. 2. Iacobo Gen. 28. 13. Labani Gen. 31. 24. Moſi Exod. 3. 2. & inde frequentiſſime loquens cum eo facie ad faciem, vt homo cum homine Num. 12. 6. 7. Idem patitur ſe videri Exod. 24. 9. 10. Ioſuæ apparet forma viri cum gladio Ioſ. 5. 13. viſiones Prophetarum notæ ſunt. *Si aliqua comparanda eſt cum Pimandræa illa, Gabrielis eſt* Dan. 9. 21. aut cap. 10. ℣. 5. filij Dei qui & *Iohanni* in *Pathmo* ſimili ſpecie ferè apparuit Apoc. 1. ℣. 13. 14. vbi *Iohannes* ait ſe in ſpiritu fuiſſe, & audiuiſſe poſt ſe vocem, quod interpretantur de Ecſtaſi, ſicut & *Paulus* in templo Hieroſolymitano fuit in cœlum raptus. Ita de Petro Act. 10. ℣. 10. ab angelo liberato legimus. Poſſumus itaque concedere talem raptum etiam *Hermeti*, quem & quæſiuiſſe, quis eſſet, qui appareret, veriſimile eſt. Nam & *Paulus* interrogabat Actor. 9. ℣. 5. Et *Ioſua*. Verum cum Sathanas ſit ſimia Dei, & ſe transformet in angelum lucis, oportet ſpiritum diſcernere. *Si eſt ex Deo, verba Dei loquitur, nec aliud præcipit quam conſentaneum fundamentis Propheticis & Apoſtolicis*. Aliud quid ſi profert, non audiendus eſt. etiamſi miracula faciat: Deuter. 13. Maxime vero dignoſcitur, *ſi ea proponit, quæ Deus prohibuit*, & quæ in Ægypto docuerunt ſapientes Ethnici, quæ *doctrina diabolica* fuit, & Deo abominabilis. *In mandatis meis ambulate dicit Deus: iuxta vias gentium non incedite*. Ezech. 20. ℣. 7. 11. 12. 18. 19. 20. Deut. 4. 1. 5. 6. &c. Atqui quæ Pimander Hermeti ſuo proponit in apparitione ſunt *dogmata magorum Ægypti*, quæ Deus prohibuit. Neutiquam ergo apparitio fuit veri Dei, ſed dæmonis fraudulenti. Idne eſt ex lumine naturæ, & Gratiæ, ſeu ſcripturæ petere doctrinam? Gloria Paracelſi, Crollij, Hartmani, & ſimilium eſt vtrumque lumen coniungere. At illi Belialem pro Chriſto ex Ægyptio idololatra, & Mago naturæ lumini addunt, ô bellos Philoſophos qui Chriſtiani eſſe volunt. Hoc primum.

Dei reuelationes.

1. Pet. 4. 11.

Secundo: *Mercurius iſte dicit ſe de natura rerum cogitaſſe*. At huius cognitio *non eſt ex raptu ecſtatico*, ſed tum ex mundi inſpectione, & experientia practica per ordinarium modum, quo vel ipſi ſenſuum, & rationis adminiculo Dei creaturas, maximeque noſmetipſos agnoſcimus, vel ab aliis cognita & probata diſcimus: tum ex creationis tractatu, & doctrina, à maioribus per manus, aut ſcripta accepta. Ita *Paulus* Apoſtolus ad Roman. cap. 1. diſſerit, & ſic *Paulus Eremita* iudicauit, eſtque eadem adhuc hodie ordinaria via. Quorſum etiam Paracelſiſtæ commendant *Naturæ lumen*, *Chiromantias*, & *anatomias Chymicas* ſi natura eſt ex raptu diſcenda?

Tertio dicit *Hermes ſe aciem mentis ad ſuperna erexiſſe*, qui debuit prius videre ea quæ in præſentia ante pedes erant. At quæ ſuperna? Abſtractiones illas *Enthuſiaſticorum Philoſophorum* quales in *Platonis* ſcriptis occurrunt de *Idearum*, & veri ſupercœli dorſo-contemplatione. Aſt ea ſpectra, & falſa & erronea eſſe nimis patet. Si etiam dicas intelligi res æternitatis, & exemplaria in Deo, te ipſum & alios ſefelleris, cum Deum introſpicere nemo poſſit, & quæ contemplanda ſunt, ſenſibus ſint obnoxia. *Nolite in ſublime tolli*, & de his ſoliciti eſſe quæ captum excedunt. Neque enim comprehendetis. Luc. 12. 29. Roman. 12. 16. cap. 11. 33. 34. Et *Deus ſtultos fecit ſapientes tales* Eſa. 33. 18. 1. Corinth. cap. 1. verſ. 20. Ita philoſophabatur & *Plato*. Sed Eccleſia Dei iſtam Philoſophiam non agnoſcit.

Syrac. 3. 21. Altiora te ne quæſieris

Prou. 25. 27. lege & ſeq.

Quarto, *Genius* ille qui Gigantæus apparuit quæſtione ſua indicat ſe non eſſe Deum, aut mentem Dei. Quorſum enim quærere oportuit quid Mercurius audire & videre vellet? Non à voluntate humana pendet diuinorum auditio, & viſio, & iam dictum erat homini in Dei Eccleſia, quid deberet audire, & videre. Si non intellexit deſiderium *Hermetis*, palàm eſt, non omnia intellexiſſe, & ſic non potuiſſe deſiderio eius ſatisfacere. *Sapientia diuina præmiſſis precibus acquiritur*, non offertur otioſe dormientibus, aut ſomno profundo occupatis. Si talibus apparitionibus aliquid tribuimus, iam credendæ ſunt viſiones *Tundali, Ludouici Imperatoris*, & aliorum fanaticorum & Ecſtaticorum magorum, vel ſuperſtitioſorum. *Somniaui, ſomniaui* dicebant Prophetæ falſi Hierem. ca. 23. verſ. 25. Sed quid Deus? *mendacium* vocat, & vult ſua verba proponi. Ita credendum fuiſſet Enthuſiaſtis ſeu Anabaptiſtis ſuperiorum temporum, Iohanni Leidenſi,

Eſ. 8. 19. Deut. 12. 1. 2. 3.

MüntZero, & ſociis, qui ruſtico tumultu Germaniam implebant. Non eſt anicula quæ ſomnia ſua non magnificiat: Non ſaga, aut maleficus.

Pimander vel ποίμανδρος.

Quintò interrogatus genius qui eſſet, ſe *Pimandrum* vocat. Id nomen vero Deo, aut angelo eius nuſpiam legimus attributum. Sonat autem idem quod ποιμάνταρ ἢ ποιμήνωρ Rex, paſtor. Regis non eſt naturam rerum profiteri. Itaque intelligimus eum alienam functionem ſibi aſſignaſſe, & propria deſeruiſſe. Phyſica à Phyſicis eſt diſcenda, non à virorum paſtoribus, ſeu Rerumpublicarum præſidibus. Noſtri ergo *Magi* dum iſtam ſcriptionem admirantur, oſtendunt ſe demendatos eſſe ſuperſtitione vana, & non cogitare qui ſit ſpiritus quem ſequuntur.

Sextò mentitur *ſe mentem eſſe diuinæ potentiæ*. Quanquam autem inconuenienter ſacris dictum ſit, quia *diuina potentia & mens Dei ſunt diſtinctæ Dei proprietates*: tamen ſi mens foret, ſapientia Dei foret. Huic enim tribuitur quicquid eſt vſpiam doctrinæ ſapientis primùm, vt Prouerb. 1. & cap. 8. cap. 9. Sapient. 6. & cap. 7. cap. 8. cap. 9. & alibi. Pſalm. 104. 24. *Deus omnia in Sapientia*, hoc eſt, *filio*, qui factus eſt nobis ſapientia, fecit. Coloſſ. 1. 16. Iohan. 1. 3. 1. Corinth. 1. 30. Ipſe Hermes ait: *Verbum eſt Imago & mens Dei. In eo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ. & ſcientiæ abſconditi* Coloſſ. 2. 3. *Ipſe dat hominibus quæ ſciunt*: Pſalm. 94. 10. qui etiam ſcit *quod cogitationes hominum* (Hermetis) *ſint vanæ*, ibid. verſ. 11. Iam autem Chriſtus filius Dei non poteſt intelligi in illa apparitione. Ratio eſt: quia cum ipſe nobis reuelauerit arcana Dei ad ſalutem pertinentia, nihil talium indicauit: *Nihil dixit de tali cum Deo vnione, aut coniunctione*. Præterea quæ in *Pimandro* habentur, aduerſa fronte pugnant cum myſteriis Eccleſiæ reuelatis: ſaltem hæc ex Dialogo XII. videantur: Maxi-

Impia Pimandri dogmata.

,, me omnium (inquit ille diabolicus Pimander) immortalis eſt homo qui Deum capit, & diui-
,, næ conformatur eſſentiæ. Huic enim ſoli ex omni viuentium genere Deus ipſe congredi-
,, tur, nocte quidem per ſomnia, die crebrius per portenta, per quæ omnia ſibi futura prænunciat
,, PER AVES, (Auguria) INTESTINA (Extiſpicia) Spiritum (Pythonem) & Sibyllam, propter quæ
,, verè homo dicitur ſcire, quæ ſunt præterita & futura. Item: Mens eſt Deus in hominibus. Ideo
,, nonnulli ex hominum numero ſunt dij, eorumque humanitas eſt diuinitati quam proxima. Ma-
li fato peccant, & patiuntur vt patiantur, ideo turpe committitur (quæ eſt *Prædeſtinatianorum* fides) Humanus animus fato ſuperior eſt. Non eſt vitæ expers in mundo quicquam. Deus voluit *mundum eſſe viuentem*. Vnde *mundum neceſſe eſt eſſe Deum*. Verum non opus eſt pluribus. Pie eruditus ſtatim deprehendit mendacia diabolica, & Ethnicæ religionis dogmata à Deo ſæpe prohibita.

Paracelſica omnium rerum vita, & Platonis mūdus.

Septimo: *Hermes* cupit diſcere naturam rerum, & cognoſcere Deum. Si *Pimander* fuiſſet ſpiritus veritatis incepiſſet à creatione Mundi vera, & docuiſſet *de integritate & lapſu hominis*, quem ſi deſcripſiſſet vti eſt à peccato, certe non feciſſet *Deum tertium*, & *magnum miraculum*, multo minus in ipſum Deum eleuaſſet. Fuit in Ægypto etiam *Syracides*. At quid ille de homine ſentiat, habes cap. 10. verſ. 9. & ſequent. vbi *terra, cinis, mancipium medicorum, mortis ſpolium, cibus vermium, ſerpentum, & bufonum* vocatur. Homo quid Deo iudice? Pſalm. 78. verſ. 39. Recordatus eſt, quia *caro* ſunt, *Spiritus vadens*, & *non rediens*. vide Pſalm. 90. 7. & ſeq. Pſalm. 103. 14. 15. 16. Pſalm. 39. 5. 6. & ſeq. Iob. 7. verſ. 7. cap. 10. verſ. 9. 10. cap. 11. verſ. 11. cap. 13. 28. cap. 14. per totum, cap. 15. 16. cap. 17. 14. cap. 20. per totum. cap. 21. 26. cap. 25. 6. Ecce miraculum magnum Hominem. Vbi tu *Hermes*? Vbi tu *Crolli*, qui iſtud repetiuiſti ex *Hermete*? *Initium ſuperbiæ eſt apoſtatare à Deo.* Ita cecidit Lucifer, & protoplaſti. Hæc debuit docere *Pimander*, & ſuo *Hermeti* monſtrare remedium ex Deo reuelato, non ex Deo abſcondito. Sed vt ſerpens antiquus ſeduxit *Euam*; Ita *Pimander* ſuum *Mercurium*: qui cum Deum noſſe cupiat, à Deo longiſſime abſtrahitur ad auguria gentilitia, & cultus dæmonum.

Octauo: *Pimander* iubet *ſe mente comprehendi*. Ipſe ſe diuinæ potentiæ mentem dixerat: mente iubet ſe capi: vt ſimile capiatur ſimili. Quis ſit modus Dei capiendi & intelligendi, explicat Dialogo 11. *Contemplare*, inquit, *Deum in ſe ipſo intelligentias omnes habentem. Niſi te Deo æquaueris, Deum nunquam intelliges. Nam ſimile ſemper à ſuo ſimili cognoſcitur*, &c. Vides fraudulentum genium. Id ſuadet quod homini eſt impoſſibile. Ita certe nunquam ad Dei notitiam perueniet miſer ille *Pimander*; Et quia in Dei, Chriſtique notitia eſt vita æterna Iohan. 17. Concludendum eſt, homuncionem iſtum, quem *Crollius* Philoſophis noſtris anteponit, atque etiam Theologis quibuſdam, mortis æternæ eſſe mancipium cathenis tenebrarum æternarum ligatum. Qui ergo placet vobis ô *Magi* Paracelſici hæc veſtra *Magia Gabaliſtica Hermetis*?

Notare hoc debuit Crollius qui per ſuum ſydereū ſpiritum putauit attrahi ex omniſcio cœlo omnem ſapientiam, artes, ſcientias, &c. Quid opus ergo ſpiritus Pimandro, & aliis medus.

Nono: promiſſio vana eſt. *Ego te*, inquit, *in cunctis quæ optaueris erudiam.* Mendacium inquam eſt. Neque enim Deus omnia homini in hoc ſeculo manifeſtare vnquam decreuit, ſed tantum ea, quæ in libro naturæ, in quo tamen maxima latent, & ſcripturæ ad ſalutem pertinentia propoſuit. Quid de futuris dicendum? Eſa. 64. verſ. 4. In 1. Corinth. 2. 9. *Paulus principibus ſeculi veram ſapientiam adimit*, piis autem *Chriſti* miniſtris aliquid tribuit propter reuelationem ſpiritus, & mentem Chriſti; ſed quam paucum id ſit, docet Roman. 11. circa finem: & in 1. Corinth. 13. 9. 10. &c. *Chriſtus* promittit ſuis diſcipulis Spiritum Sanctum in *Iohanne*, ſed qui non ſit dicturus quicquam aliud præter doctrinæ Chriſti conſentanea: Et ne *Chriſtus* quidem alia docebat, quam quæ a patre audiuerat, & in mandatis habebat. *Pimander* vero liberaliſſimus & profuſiſſimus promiſſor hoc ipſo arguit ſe non eſſe ſpiritum ex Deo.

Decimo *Infelix iſte Hermes* ſcribit ſibi vniuerſa (quæ optaſſet de natura, & Deo) *ſubito reuelata* fuiſſe: ſed miſere deceptus eſt. Nondum enim ſeipſum noſſe didicit, & à ſpiritu ſuo in barathrum æternæ damnationis eſt præcipitatus, vt intelligere eſt ex tot impietatibus & ſtultitijs *Pimandri & Aſclepij*. Atque hæc hactenus ex *Pimandro*. Qui *amphitheatrum Kunrathi* habet, is in ſexta

imagine

imagine videre poteſt globum in medio, triangulo, & quadrato conſtantem, ambitu tres ſphæras exhibentem in quarum media eſt ſcala vnionis, quæ complectitur *fidem meditationem, cognitionem, amorem, ſpem, orationem, coniunctionem, frequentiam, familiaritatem, ſimilitudinem*; quæ ille proculdubio putauit ſpectanda eſſe etiam in *vnione illa Gabaliſtica* cum Deo. Si explicatio reſponderet diuinis ſcripturis, nonnihil dictum eſſet. In ſphæram primam *gradus cognitionis* retulit, qui ſunt: *obiectum, medium, ſenſus exteriores, ſenſus interior, communis, phantaſia, iudicium inferius & ſuperius, Ratio, intellectus, mens.* Si iſto modo putauit aſcendi poſſe vſque ad *Archetypon Iehouam*, non cum ſcriptura Euangelica putauit, quæ *oſtium verum, veramque ſcalam Chriſtum*, & ſpiritum ducem per doctrinam fidei monſtrat. *Ad Chriſtum nemo peruenit niſi cui datum eſt à patre, & quem pater trahit.* Iohan. 6. verſ. 44. Mirum autem eſt ei defuiſſe memoriam.

Thraſybuli Magia.

Gradus cognitionis magica.

In præcedente figura, cui *Decalogum* Hebraice inſcripſit cum *Dei nominibus*, & aliis, per *Enſoph* ad *triangulum magicum Iehouah aſcendit.* Magi etiam 50. portas habent intelligentiarum ex quinque prædicabilibus & 10. prædicamentis inter ſe multiplicatis. In 2. libr. *Cælij Aug.* qui adiecit nonnulla hieroglyphicis *Pierij*, eſt imago *Capricorni ex domo quadam proſilientis.* Ea dicitur vocari à *Platonicis Deorum porta*, quia per eam tradunt *animas corporis vinculis ſolutas in cœlum aſcendere, vbi diuinæ naturæ fiant participes.* Hoc quoque magicum eſt ſomnium ad Gabaliſticam vnionem pertinens, & ſolet *dæmon forma capri* euehere *ſagas*, & *magos* ad ſuas ſolennitates. Sed verendum ne à *Mercurio* ad inferos ducantur. Tantum de vnione *Gabaliſtica ſpiritus creati cum Deo increato*, ſpiritus finiti cum Deo immenſo, miſeri homuncionis, & ſtraminis, ſtipulæque cum Deo igne conſumente, figmenti magici cum veritate, Belialis cum Chriſto, &c. pergit Crollius.

Porta Deorum magica.

Qui plura cupit legat tractatum Iacobi Heilbronneri de Dæmonomania Magica, & Cabaliſtica Piſtoru, &c.

Sectio VIII.

DEus interno ſpiritu, non vi vocabulorum ſed in ſacro ſilentio abſque oris apertione atque anhelitu compellatur.) λόγον duplicem etiam Philoſophi agnoſcunt. Eſt enim ἔσω, qui & ἐνδιάθετος: eſt ἔξω qui προφορικός, quando mente concepta ſpecies formalis ſono materiali commiſſa in aerem profluit, ibique multiplicata ob aeris diuiſibilitatem ad aures præſentium fertur, & ſentitur. Ad Deum per ſe non neceſſe eſt clamores edere, Ipſe enim & cogitata καὶ τὸν ἔσω λόγον intelligit, vt *Moſis* exemplum docet Exod. 14. verſ. 15. Exprimunt vero & vocem animi affectus, & circumſtantiæ. Magi quantum alias tum verbis, tum characteribus, alijſque ſenſibilibus ſignis tribuant, notum eſt. Non raro dæmones ſuos alijs admouent notis ex quibus facile quid velint, intelligunt, quanquam vna captent gloriam cognitionis cordium.

Logos duplex

Vide pag. 44 Crollii.

Impium id quidem eſt, & diabolicum: ſed *Crollius* cum cæteris Gabaliſtis audet in ſacras preces, ſacrumque ſilentium conuertere; *quaſi cum mira videntur producere magi, id fiat tacitarum ad Deum precum poteſtate.* Pars ea eſt *Pythagoricæ Magiæ* quam ἐχεμύθειαν vocant. *Chaldæorum* ſententia eſt, ſcribit *Agrippa, mentem in Deum tota acie defixam poſſe impleri diuino numine, & ſic lumine impletam effuſis radiis per ſingula media vſque ad hoc craſſum corpus, ipſum quoque copioſo lumine circumfundere, & reddere ſtellis ſimile, leuitate in altum tollere, & interdum per longum ſpatium transferre: alios clauſas portas tranſire:* Deum inuocandum eſſe per *mediatores, animas, intelligentias, dæmones: Orationem claram inutilem eſſe.* &c. *Crollius* pag. 34. *Mens eleuata* in Deum altiſſimum & cum ipſo vnita conuerſatur cum Deo, & *eadem opera efficit*, nec reperitur aliquid in homine, non vlla diſpoſitio (Num etiam peccatum, & inde orta mala?) in quo non fulgeat aliquid diuinitatis, *nec quicquam eſt in Deo, quod ipſum non repræſentetur in homine.* pagina 71. *Anima ſi recurrit intra ſeipſam, & conuertitur in mentem, appropinquat Deo, omnia videt*, nec *opus habet externa diſciplina, more angelorum qui omnia ab intra diſcunt*, &c.

Fundamentum diabolica magia der Gabel-fahrt/ hoc eſt Gabaliſtica.

Hoc eſt illud Pimandri præceptum, quo mandat Hermeti, vt ſe ſua mente complectatur, accipiatque omnium quæ velit, informationem. *Mens* eleuanda eſt per *portas intelligentiarum quinquaginta in ſcala Magica in Enſoph*, indeque deferenda viciſſim virtus, vt aliis Magis placet. Hoc totum fit non orali, ſed mentali inuocatione. Sic *Simon Magus* Samaritanus tacendo miracula peregit. Sic *Tritemius, Laurentius* Hildebrandi Papæ, vt ſcribit Benno Cardinalis, in arte Magica magiſter, *Michael Sicidites* Conſtantinopolitanus, autore Niceta Choniata, *Zython* Bohemus, vt refert *Dubrauius, Diodorus Siculus Catanenſis*, referente Facello, *Paſetes* Magus, *Zedechias* Iudæus, qui fuit tempore Ludouici Pij, *Eon* hæreticus, *Caupona Apulei, Apollonius Tyanæus*, & alij innumeri Magi procurarunt mirifica, quanquam non ſemper ſine voce. Qui ergo vult ſcire quodnam ſit illud *ſacrum Crollij ſilentium*, inde diſcit diabolicum eſſe abominabilis, & execratæ magiæ prætextum, vt perſuadeatur ſimplicibus vi precum interiorum fieri quod iuſſu magorum diabolus exequitur. Tale ſilentium execrabile eſt, non ſacrum. Deus in ſe inuocando etiam expreſſa verba requirit in ædificationem aliorum, vti fit in Eccleſia præeunte ſacerdote; Et in claritatem gloriæ ſuæ etiam apud angelos, inque formidinem & fugam diabolorum. Negabit fortaſſe *Gabaliſta Paracelſicus* ſua, ex precibus mutis facta, ſimilia eſſe magorum iſtorum diabolicorum, imò dicet ſuum ſilentium eſſe per eſſentiam ſacrum; illorum vero per ſimulationem. Diabolus enim ſolet Dei, & Sanctorum facta imitari. Verum hiſtoriæ verorum miraculorum à Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis peractorũ non meminerunt iſtius ſilentij ſacri, ſed plerumq; verba, aut geſtus externos additos fuiſſe indicãt. Fatētur Magi ipſi Deum per verbũ FIAT creaſſe omnia. Quanquam Dei dicere differat ab hominũ ſermone, tamen argumento eſt ad miracula etiam elocutionẽ facere. Quis etiam patiatur ſibi perſuaderi illud ſilentium eſſe ſacrũ cuius fundamenta, & effecta eadem ſunt

Sacrum ſilentium Crollii, 1. Cor. 4.

sunt cum Chaldæorum, Ægyptiorum', aliorumque populorum & temporum Magorum principiis, prætextibus,& factis? possuntne illæ esse veræ ad Deum preces quæ ab istis Magis proficiscuntur? *Samaritanus* erat Simon Magus. De Samaritanis Christus dicit Ioh. 4.22. *Vos adoratis quod nescitis.* Si nesciunt Magi verum Deum, qui eum precibus suis secretis possunt impellere? Is autem est Deus verus, qui se manifestauit condito mundo, verbo cœlitus misso, & filio generis humani redemtore promisso, & exhibito. Hic Deus magiam Ægyptiacam, & *Gabalisticam Paracelsi* odit, & abominatur, serioque prohibuit, tantum abest vt amet, aut iussu aliquo, vel promissione exauditiones firmauerit. Ecce tibi bellam *Crollii*, & aliorum Paracelsistarum Magiam: En *Hermetem* corde mundum, sanctum, & per Spiritum Sanctum illuminatum, vt dicitur pag.28. Crollij. Talis est prima columna Gabalisticæ.

SECTIO IX.

Fides naturalis.

SEcunda columna vocatur FIDES NATVRALIS. De hac dicitur quod sit *sapientia in creatione omnibus hominibus æqualiter, ceu peculium, & patrimonium à Deo patre communicata, & ingenita:* Item: pag. 38. *per fidem naturalem ipsis spiritibus purificamur* (pares efficimur) & per *eam accedente imaginatione omnes magicæ operationes, atque omnia mirabilia efficiuntur.* pagin. 46. ita delirat Crollius: *Verus Cabalista, quem Paracelsus vocat naturalem diuinum, qui prophetis æquiparatur, & cuius mens vnita, & coæquata Deo* FACIT OMNIA QVÆ VVLT, *vult autem quæ ipse Deus,* DEALITER *supra naturam, fiducia firma, & fide mirifica miraculorum, Ianua vnico Diuinissimo nomine* IHSVH *in quo recapitulantur, & continentur omnia*, id est, *in verbo mirifico, per* MENTEM (tertiam columnam Gabaliæ) FIDEM (secundam) *& orationem* (primam *preces scilicet in spiritu & veritate factas in momento exequitur* (vt paulo post: Nam in his tribus punctis principalibus consistit totum fundamentum Magicæ & Cabalisticæ artis, vt videre est apud Paracelsum lib. 3. de signatura rerum quanquam *Crollius* paulo ante etiam characteres, & lapides Gamaæas eadem vi donauerat:) *quicquid Medicus naturaliter* (vt paulo ante scribit) *per moram temporis successiue operantibus herbis efficit*, &c. pag. 83. *Firma credulitas, spes indubia, amor & confidentia erga medicum & medicinam ad sanitatem plurimum conferunt. Fides naturalis*, ingenita à Deo patre in prima creatione, *Imaginatio* videlicet *nostra*, ita *potens est, vt morbos sanare & excitare valeat.* Et paulo post: *Fideli omnia possibilia* (istam fidem tribuit sydereo spiritui in homine) *Fides omnia certa certificat. Deus nullo modo potest vinci nisi per fidem* (non tamen, vt ait, vult loqui de fide Gratiæ ex Christo) *Qui in Deum credit, ille operatur per Deum, & Deo omnia sunt*

Nota horribiles blasphemias

„ *possibilia.* Quomodo vero id fiat, perscrutari non potest. *Fides est* saltem *opus* illius in quem creditur.
„ *Cogitationes superant astrorum, & elementorum operationes.* Dum enim cogitamus,& cogitationibus fidem habemus, tunc fides perficit opus,& sine fide nil fit. *Fides dat imaginationẽ, Imaginatio dat sydus, sydus dat effectum* vel opus. Fidem adhibere medicinæ dat spiritum medicinæ, spiritus dat cognitionem medicinæ, medicina dat sanitatem. Inde sequitur *medicum ex fide oriri*: pro vt credidit, promo-
„ uet,& adiuuat ipsum *spiritus naturæ*, seu *sydus medicinæ*,&c. Lege ibi plura. Ista omnia de fide naturali fustibus, scutica, aut flammis digna effundit impudentissime & intricatissime ille magus.

Gradatio Magica. Medicus ex fide.

Fides naturalis ex illis elicitur primum *vniuersalis* in Gabalistica, per quam cum oratione, & imaginatione omnia effici queant quæ Deus operatur, quasi captiuum teneat Deum, eumque ad omnia, quæ vult magus, detrahat. Deinde est *particularis* in medicina. Hæc est duplex: *vna in medico; altera in ægroto.* Hinc mirabiles sanationes procurari docet, vt in *Panacea Assyluani*, &c. quę fides si deficiat, tunc fieri impedimentum, & non sequi efficaciam ex medicina speratam asserit. Si dicas: qui fit vt ista fides adeo sit rara? Responsionem accipimus, quia *ad eam requiritur animus purus* pag.27. Ex homine facit *omniscium*,& *omnipotentem*, sed qui peccatis inquinatus vim illam exercere non possit. Ita enim (blaspheme) ait: *Sumus ex omnibus, & omnia in nobis portamus,* NON ALITER vt (ac) ipse *Deus pater noster. Filius* (homo) *æqualiter possidet omnia cum patre suo. Omnia ergo bona naturalia, & supernaturalia antea sunt in homine:* Verum vt per peccatum in nobis obtenebratur diuinus ille character: sic expurgato,& expiato peccato rursus ille magis, magisque illucescit. In meditullio spiritus latent cuncta: sed per peccatum obdormiuimus in donis à Deo oblatis, *vt nec videamus, nec sentiamus, aut credamus illa bona esse in nobis præsentia.* Intellectus corpore oppressus latet, vt ignis sub cinere, &c. Nihil audimus aut videmus nisi mera deliramenta, & blasphemias. Inde argumentamur: *Si obstat peccatum quo minus bona in nobis sentiamus, & possimus per ea peruenire ad effecta mirabilia, in hac vita Magia vis est nulla.* Neque enim homo totam exuit in hac vita carnem peccati. *Prius est*, vt *Crollius* ait. *Et posterius ergo.*

Fides naturalis magorum Paracelsicorum.

Homo Deus ex creatione & relatione ad Deum. Peccati vis.

Contra magiam Crollii ex Crollio.

II. *Si nullus animus impurior est animo magi, & nullus cæcior: Magi Gabalistæ* nihilomnino ex se possunt. Ratio est, quia ad opera *Gabalistica* requiritur puritas animi, quæ quo maior est, eo perfectiora opera existunt. *Est autem antecedens. Ergo & consequens.* Assumtum probo: quia id sibi tribuit quod ignorat, & scire propter peccati tenebras, torporem, & soporem non potest, cumque notitia secundum naturam ratione potentiæ quidem sit concreata, sed tum labefactata adeo vt vix vmbra restet, & in diuinis seu spiritualibus sic nihil, vt à Spiritu Sancto stultitia appelletur totum illud quod homo psychicus se scire putat: tum opus habeat actuatione per sensus, quibus magus nihil tribuit; Insuper etiam dicat corpus obstare intellectui, iuxta *Socratem* apud *Platonem*: Præterea in Deum contumeliosa loquatur, dum ei *exæquat hominem* tanquam patri filium: necesse est *magi* animum plusquam cimmeriis tenebris obscuratum, & tartareis fecibus pollutum esse.

Stultissima, & maxime temeraria præsumtio est hominem omnia diuina in se habere. Mendacium

dacium impium eſt, quod iſta bona in ſe præſentia geſtet, & ſaltem neſciat ſe geſtare. Certum enim eſt plæraque ad Dei imaginationem pertinentia eſſe amiſſa, & ita perdita vt in hac vita inſtauratio perfecta nulla detur. Cum etiam iſta magnifica de homine ſimpliciter dicantur, vbi erunt cum maxima pars in inferno morabitur? Quid de Spiritus Sancti dictis: ô homo mendax: (vide Rom. 3. & 4.) pronunciabimus!

III. Inde porro & hoc concludimus; *Si iſta obſtacula, peccatum ſcilicet, & corporea craſsities, ſenſuumque impotentia, faciunt vt homo nequeat exercere perfectos actus magicos, & omnia efficere, quæ Deus, vitæ mundanæ Magus eſt nullus.* Illud eſt. Et hoc ergo. Dicis: at vitæ ſanctimonia mens expiatur, & illuſtratur à Spiritu Sancto, vt in *Hermete*: Reſpondeo quantum attinet ad operationes magicas, peti principium, & committi in Spiritu Sancto mendacium. Nam Spiritus Sanctus iſta opera Gabaliſtica non procurat, nec ad ea edenda vllum illuminat. Expiatio quoque non huius gratia eſt, ſed ad ſalutem æternam, recuperationem imaginis diuinæ, & reconciliationem cum Deo, fitque per ſanguinem Chriſti quo mundamur, & reputamur iuſti per fidei iuſtitiam, à Chriſto acceptam. Itaque etiam renati, & iuſtificati homines non peragunt, ſed abhorrent iſta magica. Adde, ſi expiatio etiam hactenus fieret, non tamen poſſe eum in hac vita eſſe niſi imperfectam, cum ſpiritui ſemper obluctetur caro, &c.

Fidei naturalis examen ſpeciale.

Sed conſideremus illam *naturalem fidem* ſpecialius I. Verum eſt quidem quod *Chriſtus* aliquoties commendet *fidem miraculoſam*, vt Matth. 17. v. 20. *Si habueritis fidem, nihil impoſsibile erit vobis*: capit. 21. verſ. 21. vbi tamen verſ. 22. additur *oratio* cum fide coniuncta, vt pateat non credendum tantum, ſed prius orandum. Marc. 9. verſ. 22. *omnia poſsibilia ſunt credenti.* Sed obſtat Pſalm. 136. verſ. 4. Pſalm. 86. verſ. 10. Pſalm. 72. 18. vbi *ſolus Deus dicitur facere magna mirabilia*: & vt dictum eſt, ſi oratione impetranda eſt miraculorum effectio, *non eſt concreatum donum*, & omnibus communiter conceſſum. Adde quod Sanctus Paulus 1. Corinth. 12. ℣. 9. & 10. Item ℣. 29. & 30. neget omnibus conceſſam eſſe fidem miraculoſam, gratiam ſanationum, & operationem virtutum. Hinc forte argumentum contra Magorum concreatam, & naturalem fidem: *Si ſolus Deus eſt effector miraculorum: Si operatio virtutum eſt ſingulare opus Spiritus Sancti non omnibus conceſſum, idque ſuperueniens ex Gratia, & non ex natura: Si id non generatione, ſed creatione impetratur: Si donum hoc Deus per ſuos Prophetas, & Apoſtolos ſic operatur vt fidem facere poſsit verbum prædicatum ex Deo eſſe: Si*, vt Nicodemus ait, *Nemo poteſt ſigna iſta facere mirabilia, niſi cum quo eſt Deus: Si Iohannes Baptiſta fideliſsimus alias, & Salomon ſapientiſsimus, & Dauid vir & cor Dei, imo & Prophetæ, Apoſtolici non potuerunt pro arbitratu miracula procurare: non eſt Naturæ omnibus hominibus commune donum.* Prius eſt: Et poſterius ergo. Connexio patet: Communia naturæ per ſe ſunt perpetua, & omnibus omnino hominibus naturaliter procreatis inſunt, niſi accidens impediat. Si natura adeſſet, cur non *Adam*, & *Eua* in integritate fidei iſtius ſpecimina dederunt? An vero in altera demum vita edemus mira? Quid dicendum de angelis bonis? Hi miniſtri ſunt miraculorum quidem, ſed per ſe, & ex ſua natura nulla poſſunt præſtare. Si etiam poſſent, imbecilli argumento vteretur Saluator à miraculis Iohan. 5. 36. cap. 10. 37. cap. 14. ℣. 12. cap. 15. 24. Imo ipſe *Chriſtus miracula ſua ad patrem refert.* Agnoſcamus ergo ſpiritum iſtum Paracelſicum, & execremus, vt qui Deo detrahere gloriam, & homini vult conferre. Iſte erat ſpiritus malus, qui in paradiſo protoplaſtis promittebat æqualem cum Deo ſapientiam.

Contra naturalem fidẽ Magorum.

Fides miraculoſa non eſt naturalis nec communis.

Paracelſici Deum gloria ſua exuere volunt.

II. Definitio fidei naturalis eſt ſtulta. Cum enim ſit *poteſtas faciendorum operum mirabilium*, non poteſt eſſe ſapientia, quæ in contemplatione, & non in praxi conſiſtit.

III. Omnibus hominibus in creatione inditum eſſe, falſum eſt. Etenim vera, & vniuoca *miracula ſunt proprium donum Eccleſiæ*, idque determinatorum temporum. Quantus numerus eſt hominum extra Eccleſiam? ſed nec omnibus Eccleſiaſticis, etiam alias pientiſſimis datum eſt mira peragere. Sæpe Deus operatur etiam per impios, per angelos, & alias creaturas pro arbitratu. Diabolus extra Eccleſiam miracula dicitur edidiſſe: ſed ea non ſunt abſoluta, & per eſſentiam miracula, verum relate, & modo dicendi. Talia & pſeudiprophetas, pſeudochriſti, & antichriſti, permiſſu Dei, cum magis, & diabolo ipſo procurant. Paulus vocat σημεῖα ϗ τέρατα ψεύδους, quæ Chriſtus ad ſeducendum comparata eſſe indicat Matth. 24. Ridiculum ergo eſt *Crollii patrimonium*, qui cũ miracula nulla fecerit, vti nec Paracelſus, ſua ſe impotentia confundit. Iam duobus columnis deſtructis an non collabitur *Gabaliſtica* Paracelſis.

Ruina columnæ ſecundæ Paracelſ.

IV. Stultum effatum eſt nos per fidem naturalem; ſi miraculoſa intelligitur, ſpiritibus pacificari. Spiritus puri donum miraculorum tantum miniſterialiter habent, nec ingenitũ, aut concreatum, vti nec ſpiritus immundi. Si congenitum eſt hominibus, vbi paritas? Fors in hoc eſt cõparatio à pari, quod vt homines ſancti, ita & ſpiritus mundi donum id particulariter, & à Deo accipiant. Immundi vero ſpiritus per ſuos Magos & Antichriſtos prodigia mendacia producunt, vt ſcriptum eſt 2. Theſſ. 2. ℣. 9. Nonne his pacificantur Magi? ſi ita placet, ſint pares cum bona noſtra venia.

V. Commentum vaniſſimum eſt *imaginationis acceſſu per naturalem fidem* OMNIA Mirabilia effici. Neq; enim Prophetæ, neq; Apoſtoli, neq; Chriſtus imaginando, & naturaliter credendo miracula effecerunt; ſed omnes iſti ad Deum autorem effectionem referunt. De Chriſto habes Ioh. 10. 38. c. 14. ℣. 10. *Pater in me manens ipſe facit opera.* De Apoſtolis Marc. 16. ℣. 20. *Domino cooperante*, & ſermonẽ confirmante ſequentibus ſignis: Ita Act. 3. 12. 13. c. 4. 10. 30. Vbi vero ſunt iſti Paracelſici Imaginatores, & naturaliter credentes? cur nihil poſſunt, aut ſi poſſunt, cur nõ ſine malo genio per fraudẽ.

Miracula Magica.

V I. Recenſeantur quidam iſta mirabilia. Simonis Magi: *creare nouum hominem ex aere: Saxa inſtar luti penetrare: ſtatuas animare: ignem ingredi illæſum: duabus faciebus apparere: mutare ſe in ouem, capram, &c. volare: aurum plurimum repræſentare, & vt Pythagoras*

** Hoc ſimile eſt illi, quo magus fuſti impoſuit vas aquarium, & carmine lecto aquam iuſſit inferre domo. Cum herus abeſſet, curioſus famulus idē fecit, ſed cum non poſſet recantare verba, & arrepta ſecuri fuſtem diuideret, pro vno aquatore habuit duos totam pene domum aqua implentes.*

femur aureum**: **falci præcipere vt eat meſſum, idque efficiat ſola copioſius quam ſi recta fuiſſet à meſſoribus: * eandem ſpeciem multiplicare ita vt ex omnibus feneſtris ſimul eadem proſpiciat: animas defunctorum carminibus euocare: ex ſaxis panes facere: in columnam & varios vultus ſe transformare: efficere vt clauſæ ianuæ ſua ſponte aperiantur: vtenſilia domeſtica ſua ſponte venire ad ſuos vſus: vmbras multas præuias habere: fugere mutata forma: canem præ foribus habere deuorantem omnes qui iniuſſi accederent (canibus delectari Magos indicatur cane magico Henrici Cornelij Agrippæ; Et Khünrath canem ſibi appingi in amphitheatro curauit) qui canis etiam loqui potuit: in aurum, & ſerpentem ſe mutare: in conuiuijs ſpectra omnis generis exhibere, &c. *Michael Sicidites* effecit, vt is, qui fictilia in naui aduehebat, putaret ſe videre immanem ſerpentem ijs incumbentem à quo eſſet deuorandus. Is ergo fuſte correpto cum ſerpentem verberaret, omnia fictilia comminuit, euaneſcente mox ſerpentis ſpectro. *Zytho* Bohemus nunc ſua, nunc aliena facie ſtaturaque apparuit: iam in purpura & ſerico ſpectabilis, iam in panno ſordido: ambulanti in terra regi adnauigauit: Rhedam ſuam à Gallis gallinaceis trahi fecit: conuiuis regijs mutauit manus in boum aut equorum pedes: proſpicientibus de feneſtra affixit cornua ceruina: triginta fœni manipulos in pingues ſues transformauit, quas cum lotum piſtor ageret, in manipulos reſtituit, cumque peteretur ad iudicium in caupona ſimulato ſomno, piſtori pedem prehendenti totum extractum liquit, & actione prætoria coegit pro pede euulſo ſibi ſatisfieri. *Laurentius Hildebrandi* prophetare viſus eſt ex improuiſo, & cantus auium interpretari: retulit quid pridie, vel nudius tertius in varijs mundi angulis eſſet geſtum. Talia leguntur etiam in *aureo aſino Apulei*, Turcæ & veſtales virgines carminibus fugitiuos redire faciunt: *Diodorus Latanenſis* vi Magica in longe diſſitis regionibus homines ſitos attraxit, ſicut ſagæ per capros: Idem per aerem euaſit lictorum manus catana Bizantium auolans. *Simon Samaritanus* gloriatus eſt ***nihil non, quod velit facere, ſe poſſe, ſibique obtemperare omnia***, quæ eſt ipſa vox etiam Crollij. *Zedechias Iudæus* hominem in aerem iactabat, & in membra diſcerptum reſtituebat, ſicut alius qui decollabat adoleſcentes, capitaque eis iterum imponebat, cumque alius reſoluiſſet nodum magicum, producto ex menſa lilio, & præſecto, ſimul aduerſario ſuo caput reſecuit ſine remedio. Quidam vorant equos, plauſtra, & fœnum: alius pocillatorem vorauit, & poſt fornacem excreuit, cumque vas plenum aqua mox abſorpſiſſet, miſerum iſtum totum perfudit, qui ſemianimis tandem repertus. Tali arte Zyto Bohemus alios Magos tractauit. Eſt enim alius alio potentior. Alij præbibitum eſt ex corbe caſeario, cumque is vellet ex eodem reſpondere, reſoluto vinculo magico totus prolutus eſt vino. *Tiridates* cœnas magicas Neroni exhibuit: De *Tritemo* ſcribit *Crollius* ex *Pico* quod ſe verterit in varias formas; alij aliud narrant. ***Eon hæreticus, & magus effecit*** vt videretur regio apparatu cœnare, & magna virorum turba ſtipatus eſſe: vide canicularium Maiolij tom. 2. colloq. 3.

Canes magici.

Sicidæ præſtigia

Zythonis Bohemi magia.

Papæ Magus.

Transmutationes variæ apud Apuleium.

Vide & to. 1. horarum ſubciſiuarũ Camerarii ca. 70. & ſeq.

Apud *Homerum* habes de *Circe*: apud *Virgilium* de Mœri cœlo lunam deducente, & ſatas meſſes transferente. In dæmonomania *Bodini* non ſunt pauca, vt & in aliis libris de examinibus, & iudiciis ſagarum. Liber *Azoth* Paracelſi, & *Cornelii Agrippæ*; Item *panoplia Achillæa*. Liber Adami à Rhaziele traditus, & ſimiles adundant promiſſis magicis cum veterum magorum diabolicorum factis planè ijſdem. Hæc omnia *Crollius* pulchro colore fidei naturalis, & imaginationis ſcit inducere, quanquam alibi in *miſeras ſagas* valde ſæuiat, vt & *Paracelſus*, qui interim ***ſpecula condiabolata, homunculos, characteres, ſigilla, Gamahaas***, & ſimilia innumera fabricat.

Pſalm. 77.

Cabaliſta verus æqualis diabolo.

VII. Verum Cabaliſtam prophetis diabolicis æquiparari, indeque vocari *diuinum* facile admitti poteſt. Nam tales & in ſacris inueniuntur. I. Reg. 28, ℣. 8. *Saul* ad *Pythoniſſam* ait: ***Diuina mihi in Pythone***: Tales ℣. 9. vocantur *Arioli* & *Magi*. 1. Reg. 6. ℣. 2. Palæſtini *diuinos* conſulunt. Hierem. 27. ℣. 9. ***diuini, prophetæ, ſomniatores, augures***, & ***malefici*** pro ijſdem habentur: cap. 50. ℣. 36. de magis Chaldæorum ſcribitur: gladius ad *diuinos* eius qui ſtulti erunt. Micheæ 3. ℣. 5. ***Prophetæ ſeducentes populum*** ℣. 7. appellantur *diuini*, quorum diuinationes tenebræ. Zach. 10. ℣. 2. ***Diuini vident mendacium***, & ſomniatores loquuntur vana 2. Paral. 18. ℣. 21. 22. quo ſpiritu tales prophetæ agantur expreſſum eſt, nempe non illo quem ſibi ſuauiter fingit *Crollius*, ſed mendacij, quem *Chriſtus* Iohan. 8. vocat *diabolum*, quanquam nolebant illi Prophetæ audire ſe pro ſpiritu Domini agitari à ſpiritu malo, atque ideo *Sedecias Michæa* colaphum impingebat. Ridiculum autem eſt iſta confirmari ***Paracelſi Magi*** autoritate: quaſi diabolus diabolum, mendax mendacem ſuo teſtimonio deſtitueret.

Cabaliſtæ ſunt diuini, quia Paracelſus dixit.

VIII. Quid eſt autem ***Naturalem diuinum*** eſſe? Aliud principium eſt *Natura* à Deo inſtituta, aliud illud vnde *magi* vocantur ***diuini***, nempe, ***ſpiritus malus***. Num ergo Paracelſici magi natura ſunt tales, & ad hac nati vt diabolorum ſint cloacæ?

IX. Mentem ***magi*** talis ***vniri, & coæquari Deo ſuo*** concedere poſſumus. Totos enim ſe diabolo, qui Deus eorum dicitur, proſtituunt *magi*, & ideo diaboli deſideria exequuntur. Vero Deo, qui cœlum, & terram implet, nulla creatura poteſt exæquari, & ſi vult Paracelſiſta hunc intelligi, *blaſphemus* eſt. Quo modo autem adhærentes Deo vero fiant ***vnus cum ipſo ſpiritus*** per dilectionem, obſeruationem mandatorum, veram fidem, perfectam ſanctimoniam & alia ſupra dictum eſt. Non ſi vniuntur Deo per adhæſionem, ſeu ſeruitia, cultum, amorem, &c. eidem exæquantur magice.

X. ***Mens magi facit omnia quæ vult***, Nimirum hæc vox eſt *Simonis Magi*, cuius diſcipuli, aut poſteri ſunt magi Paracelſici: Ita & *Actius Nauius* putabat ſe poſſe efficere quæ cogitabat *Tarquinius*.

XI. ***Vult autem quæ Deus***: Nimirum Deus magicus, ſeu diabolus, qui Magos qui captiuos tenet ad nutus ſuos, ſeu voluntatem. 2. Timot. 2. ℣. 26. Cuius quis ſeruus eſt, eius voluntati debet obſequi. ***Si veri Dei voluntatem obſeruarent Magi, non diſcederent à mandatis eius, neque ad dexteram, neq; ad ſiniſtram***.

ad ſiniſtram. In toto codice ſacro nihil inuenitur de magia Paracelſica. *Si eſſet de voluntate Dei, reuelata fuiſſet.* Vos dixi amicos, inquit Chriſtus Iohan. 15. verſ. 15. quia *omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*: Et Actor. 20. verſ. 27. *Paulus* non ſubterfugit quin annunciarit *omne conſilium* Dei: Et Spiritus Sancti ducturus erat Apoſtolos in *omnem veritatem* Iohan. 16. verſ. 13. *Si magica iſta eſſet de Dei voluntate, conſilio, aut veritate, neutiquam tacita manſiſſet.* Non autē eſſe tum hoc argumento patet, tum quia potius prohibita, & execrata, nec eſt *Spiritus Sancti*, ſed diaboli improbiſſimi nequam, qui iſtam perſuaſionem protoplaſtis ſuggeſſit, quaſi poſſent eſſe Deo ſimiles, ſeu vt loquitur Magus Deo vniri & exæquari, omniaque ſcire & poſſe quæ Deus.

Quaſit Dei voluntas, habes Matth. 11 25. 26. cap. 18 14. Ioh 6. 39. 40. 1. Th ſ 4. 3.

XII. *Mentem magi Dealiter ſupra naturam*, fiducia firma, & fide mirifica miraculorum facere *omnia quæ vult*, per ſe quidem diabolicum mendacium eſt, quod & experientia ipſa refutatur: veruntamen etiam ridicula fatuitas, & ſtulta perſuaſio. Si *ſupra naturam* agit Magus, quomodo eſt *Naturalis diuinus*? Si *Dealiter* operatur, quî *naturaliter*? Num Deus eſt naturalis? Si ſupra naturam, qua ratione fides miraculoſa eſt fides naturalis?

Magus à ſe ipſo confuſus.

XIII. *Ianua vnico diuiniſſimo nomine* IHSVH. Nimirum & hîc ſpiritus mendacij ſe prodit. Magi Iudæorum, vt & alij quibus nota ſunt diuina, omnia tribuunt Tetragrammato Dei nomini. Crollius vnicum nomen IHSVH ſubſtituit, nec minus contra ſecundum præceptum peccet quam Magi Schemhamphoriſtæ. Sed ſi vnicum eſt *Ianua*, quî *Hermes* ille Ægyptius potuit eſſe is, qui à *Crollio* prædicatur? Ignotum ei nomen Saluatoris noſtri fuit, vt & *Zoroaſtro* principi omnis Magiæ diabolicæ. Si vnicum hoc nomen eſt ianua, quorſum quinquaginta intelligentiarum Portæ in ſcala Pici, Piſtorij & ſimilium.

IHSVH.

XIV. Mira eſt vero eſt ſcriptio IHSVH. Hanc quidem tranſtulit *Crollius* ex amphitheatro magico *Kunrathi*: ſed qui legenda vox eſt? Latine, an Græce? ſi latine, jhſuh legetur: ſi Græce, ἰησυη. Eo vero nomine *Chriſtus Ieſus, Dominus & Saluator noſter* nunquam eſt appellatus, fitque magica deprauatio in contumeliam, & ignominiam eius. Eſt autem Ieſus verum nomen impoſitum Domino ab effectu, & officio proprio, quia *ſaluum facit populum ſuum, & à peccatis mundat* Matth. 1. 21. neque vnquam ad *Magiæ vſum* deſtinatum, ſed ad diabolum, tanquam *gladio ſpiritus* feriendum, atque ita opus eius magicum deſtruendum, quanquam non ſemper nomen curet, vt videre eſt Act. 19. 13. 15. Ebraice *Ieſus* ab aliquibus deducitur ab עסא: vnde עיסי in Alcorano *Iſaj Ieſus.* Sic *Schindlerus* in Lexico: qui putat ignominiæ cauſſa tranſpoſitas eſſe à Mahumete literas: ſicut & Iudæi litera Ain detracta ſcribunt jeſchu ישך. Sed angelus apud Matthæum à ſaluando deducit, quod eſt ישע: inde *jeſcha* & *jeſchuah* ſalus, redemptio: &c. & *Noſcha* Saluator, *Moſchia Seruator Meſſias. Iehoſua*, & *Ioſua*, & *Ieſchua* Saluator, ſalutis autor; vt idem Schindlerus in radice ישע; vbi nullum eſt He, vti nec in Arabico *jaſò.* vnde ergo in mentem venit iſtis Magis Hebraiſſantibus vt ſcribant IHSVH, niſi quod vel diabolus, Deus ipſorum, voluit illudere Chriſto: vel quod *Ieſus noſter* eos confundere in ſua ſapientia, vt ſcriptum eſt 1. Corinth. 1. 19. 65. 29. 14. aut etiam cauere nominis ſacratiſſimi profanationem, vt dum putent ſe *Ieſum* habere, habeant peregrinum aliquod, & ſathana autore ſuggeſtum nomen? Nam Ieſus noſter non vocatur IHSVH. Eſt radix obſoleta jaſchah! vnde jeſch ὄντα res, exiſtens, τὸ ὄν, Itē εἰσί, εἰσί ſunt, eſt Thuſchyah eſſentia Sapientia, Virtus. Conſeruat radici hajah, fuit, & hauah vnde nomen Dei eſſentiale tetragrammaton *Iehouah* ὁ ὤν, qui eſt Ens abſolute, & entium aliorum cauſſa, quod Rabini vocant nomen expoſitum *Schem hamphoraſch*, per quod Iudæi infideles mentiuntur Chriſtum edidiſſe miracula, pronunciato illo *nomine* ſuper mortuis, & ægrotis, cuius vi etiam Magus *Dauid Elui* dicitur vno die dierum decem iter feciſſe, & quo *ſuo baculo inſcripto Moſes fecerit prodigia in Ægypto.* Vt ergo Magi iſti *Crollius*, & *Kunrathus* aliquid ſimile in voce *Ieſus* effingerent; quod paris virtutis opinionem ſuſtinere poſſet, aſpirationem latinam ex Ebræo tranſlatam adiecerunt, non meliores hac in parte impiis Iudæis vnde agnoſcas ſpiritum Paracelſicum. Dicant autem hoc quoque cum multi Ioſuæ & Saluatores ſeculares Chriſti typum geſſerint, quis ex ipſis nomine illo vſus ſit ad Magiam? Nullum inuenient.

De prauatio nominis Ieſu, vel potius pro vero Ieſu Magici cuiuſdā Idoli aſſumtio in confuſionem magorum.

Iehouah.

XV. *In verbo illo* IHSVH *recapitulantur & continentur omnia.*) Sumtum hoc eſt ex cap. 1. ℣. 10. S. *Pauli ad Epheſios* vbi dicit; *Deum notum feciſſe nobis myſterium voluntatis ſuæ ſecundum ſuū beneplacitum quod propoſuit in Chriſto in diſpenſatione plenitudinis temporum vt ſub vnum caput reduceret omnia in Chriſto quæ in cœlis ſunt & in terra in ipſo.* &c. Loquitur Apoſtolus de Electione & prædeſtinatione in Chriſto facta; vt per ipſum, & in ipſum colligeretur Eccleſia Sanctorum, & tum homines in terra viuentes, tum angeli in cœlo cum ſacroſancta Trinitate in vnam Sanctam communionem; Chriſto capite Eccleſiæ exiſtente conuenirent. Terminus *omnia* non poteſt ad ea extendi ad quæ beata illa Sanctitas non pertinet, nec quicquam comprehenditur enunciato, quod non ſub Chriſtum, caput Eccleſiæ, cadere poſſit. Patet ergo quam blaſphemus ſit magus ille, qui audet ſententiam Euangelicam ad ſuam impiam magiam traducere, quaſi velit Paulus in nomen *Chriſti* omnia conuenire; & per id Magos poſſe facere quæcunque volunt, quia omnis omnium poteſtas eo contineatur. Sed & iſto illa ſententia; tum Cabaliſtarum iudicio in nominibus ſit iſta poteſtas: ibi autem non ponatur neque Ieſus, neque IHSVH, ſed Chriſtus, huic nomini, non illi aſcribenda vis erat. Refutatur autem primum ſtolidas, impietaſque eius, quia *Chriſtus nomen Ieſus accipit*, non quod ipſi vis magica inſit, ſed quod denotet *officium eius, & omnibus fidelibus ſingularem afferat conſolationem.* Eſt quidem illud tantæ maieſtatis vt prolato genua flectere debeat cœleſtia, terrena, & inferna: *Eſt enim ſupra omne nomen*, Philipp. 2. ℣. 9. 10. 11. *nec poteſt ſpiritualiter enunciari ſine Spiritu Sancto*: 1. Corinth. 12. ℣. 3. Sed inde non efficitur abuſus magicus ad ea producenda quæ magi ſolent. Vt enim ſupra diximus, diaboli. Actor. 19. non poterant vi nominis eius expelli, neque *Crollius*, *Kunrathus* & alij magi ſibi vitam vſu eiuſdem longam, aut alia ex voto magico comparare:

Deprauatio ſententia Paulina.

parare valuerunt. Et quid de sacro illo silentio Crollij dicendum? Nomen *Iesus* signat eum qui est *Rex regum*, & *Dominus Dominantium, Saluator mundi*, & *Creator* in cuius manu, & potestate sunt omnia; vt *Paulus* loquitur ad Coloss. cap. 1. & 2. Sed sonus vocis pronunciatæ, characteresque & literæ eam vim non habent, vti nec signum Crucis, cui non inferiora asscribunt Magi, putantes virtute eiusdem hostes debellari, *vt Constantini Magni* tempore (qui ideo Labaro suo adiecerit characterem  quo Christus signatur) & alia mira perfici. Vide annales Baronij in quibus multa de cruce. Maiol. tom. 1. canic. colloq. 21. &c. Sed confunduntur omnes qui creatis rebus id tribuunt quod solius est Dei.

Crucis signũ.

XVI. Iam *Medicus* assumitur. Is dicitur in illo verbo mirifico IHSVH magice *in momento exequi omnia qui naturalis medicus ordinaria vi herbarum successiue, & naturaliter, adhibendo simul mentem, preces, & fidem, quasi per hæc instrumenta virtus ex nomine Iesu attrahatur efficit.* Ridicule. Sic argumentor: Medicus naturaliter per naturalia media operando, nec in morbis omnia potest, nec in sanitate, vt taceam, extra hæc ipsum aliquid memorabile non solere suscipere per sua medicamenta. Ergo nec Magus virtute nominis IHSVH omnia poterit momento. Si etiam omnia potuit Magia sua *Crollius*, quid attinebat octo caussas incurabilium morborum describere? Quam superuacaneum est Chymicam medicamentariam conscribere?

Medici operatio miraculosa.

XVII. Rursus *fides naturalis in morbis vocatur Imaginatio.* At inquam vna columna magicæ Gabalisticæ erat *fides naturalis* (qui nihil est aliud quam naturalis potentia in voluntate, qua credimus, & pro vero aliquid asserimus) alia Imaginatio. Nunc ergo duæ erunt tantum columnæ, seu fundamenta, & Magia claudicabit.

Fidem esse Imaginationem.

XVIII. Illa *fides in creatione à Deo patre dicitur Ingenita.* Vnde ergo ad Magos, qui in creatione non fuerunt, peruenit? Dices: à suis parentibus acceperunt. At inquam impossibile est omnes parentes, auos, proauos, vsque ad *Adamum* fuisse Magos. An soli Paracelsistæ sunt filij naturales Adami? Si non soli, cur tanta multitudo hominum non habet naturalem illam mirificam fidē? *Quod Adam non habuit, non potuit in posteros transmittere. Fidem miraculosam Adam non habuit.* Nihil enim tale tribuit ei sacra historia. Ergo. Deinde *si habuisset in integritate, perdidisset, aut saltem extreme labefactasset peccando.* Vnde ergo tantæ ei vires? *Dono Spiritus Sancti*, inquis. Ergo inquam *nec ingenita est, nec communis.* Præterea Magica opera perhibentur esse *supernaturalia*; Et sane necesse est esse, si vera sunt quæ Paracelsistæ proponunt. *Ergo per fidem naturalem non poterunt peragi.* Nihil enim operatur vltra genus suum. Si est concreata, ex præternaturalibus erit, quæ quia amisit homo, temere est da ea gloriari. Dum autem dicitur à Deo patre ingenita, an nihil filius & Spiritus Sanctus in ea potuerunt? At *per filium Deus omnia condidit*: Iohan. 1. 3. Coloss. 1. 16. 17. An Deus essentialiter dicitur respectu Adami creati tanquam filij? Male vtebatur sua fide *Eua* credens diabolo plus quam Deo. Non fuit illa fides tunc tantæ potentiæ.

XIX. *Firma credulitas, & spes indubia erga medicum ad sanitatem plurimum conferunt.*) Notat in dæmonomania Bodinus Magum quendam promisisse sanitatem cuidam ægroto si in se crederet. De Tritemio legimus, voluisse quendam iuuare si is crederet, quod posset id facere. Quid aliud hic exigit *Crollius*? Cur non vult etiam adorari, &, vt *Simon*, Magnus Deus haberi? Principia religionis Christianæ *firmam fiduciam & spem indubiam Deo vendicant*, non sanatori Mago. Sap. 16. ℣. 12. 13. Syrac. 38. 2. 9. Iacobi 5. 15. Es. 38. 3. 2. Paral. 16. 12. 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2.

Magi sanatores volunt in se credi.

XX. *Deus non potest vinci nisi per fidem.* Protestatur autem se non loqui de fide gratiæ. Ergo intelligendus est de *fide naturali*. Si hoc verū esset, nō opus fuisset tanto opere in redimendo genere humano, & magi Paracelsici proxima Deo subsellia occuparent, aut forte etiā in locum victi Dei conscenderent. An non pudet blasphemiarum plus quam diabolicarum? 1. Ioh. 5. 4. *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* Iam *Christus vicit mundum* Ioh. 16. 33. Necesse est ergo *fidem victricem esse gratiæ.* Ea enim Christum comprehendimus. Qui filium habet, habet & patrem; qui Christū, etiam spiritum Christi. Sic possumus Dei amici & filij esse, patremq; nostrū orationi fideli impellere vt iuxta promissionem beneuolæ voluntatis suæ faciat voluntatem nostram, si ea congruat cum voluntate Dei: Ebr. 13. 21. 1. Ioh. 5. 14. Præclara sunt quæ autor Epist. ad Ebr. c. 11. de virtute fidei prædicat. At nihil habet de magicis per fidem effectis, nec de Deo victo. Orationis quoque vis est magna si fit ex fide erga Deum. Iacobi 1. 5. cap. 5. ℣. 16. 17. At nullus sic vincere Deum potuit, vt eius Magiam seu probaret, seu iuuaret. An autem nullius alius modus sit Dei fauorem consequendi, quam *fides illa magica, quæ tribuitur spiritui hominis interno*, seu *homini sydereo*, hoc est, puro puto figmento Paracelsico, facile est iudicare. Quod nihil est nisi magicum deliramentum non potest Deum vincere. Si ita loquendum de Deo est (vt aliquando fit) *Deum vicit misericordia, clementia, amor* erga mundum promissiones gratiæ per filium, *filij item intercessio, & meritum.* Quid enim immensum Deum aliud vinceret quam ipse seipsum? Eius victoriæ nos participes euadimus per fidem in Christum. Hoc conciliato, num omnia possumus magice, iuxta Paracelsistas? Imo nihil. Neque enim huius gratia in Christum creditur, nec Christus tale quid nobis promisit, aliud longe significantibus verbis eius de possibilitate fidei miraculosæ, quæ est donum singulare Spiritus Sancti minimeque naturæ in prima creatione insitum vlli, ne dum omnibus hominibus commune.

Deum naturali fide vinci posse, mendacium est. Ea fides est victrix qua Christum victorem habet: Gen. 32. vers. 28.

Vincentia Deum.

XXI. Ex dictis iudicatur argumentum: *Si Deo omnia sunt possibilia, etiam in Deum credenti.* Illud est. Et hoc ergo. Connexio roboratur, quia credens operatur per Deum. Qui adiunctum cooperatorem, aut ministrum habet omnipotentem ille omnia potest: quod fortasse & *Paulus* voluit, cum scripsit *se omnia posse per eum à quo confortatur*, de Christo loquens: Philipp. 4. ℣. 13. Verum respondet ad connexum, Deo quidem omnia absolute esse possibilia, quæ non euertunt veritatem eius, aut voluntati sunt aduersa: *quod enim placuit esse, id non simul non est, & quod placuit sic esse,*

sic esse, id aliter se non habet: Verum in homine credente illud OMNIA valde est concisum. Nihil enim comprehendit vltra concessa, & promissa à Deo, * cui possibile erat creare mundum est nihilo, & vocare ea quæ non sunt, tanquam sint: cui item potentia est conseruandi, iterumq; destruendi mundum: qui potest in infernum conijcere, & inde reducere, &c. at non homini. Probatio connexi elenchum ignorat. Quid Deo comitatius erat quā *Protoplasti* in integritate, & post peccatum inuectum *Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauide, Salomone, Daniele, Iobo,* & aliis Dei amicis? An non potuerunt omnia. Ne Imperator quidem aut princeps se tam præbet suis, vt tantum possint quantū ipse. *praeter Dei voluntatem. Datur enim homini gratia secundum mensuram spiritus: filio hinc mensura. Ideo Moses nec tunt, nec in omnibus, quæ rogauit, est exauditus, vt de transitu in terram sanctam. Ita Paulus non impetrauit ablationem*

** Qui homo omnipotentē Deum sibi ità familiarē habet, vt Moses, neque tamen quicquam omnia potest ... tortoris.*

Quocirca à comite vel socio omnipotente nemo fit omnipotens nisi ipsum aut astipulantem, consentientemq; aut in potestate habeat, possitq; ad nutus suos cogere. *Moses* volebat intrare terrā sanctam: sed repulsam referebat. *Iohannes* cum fratre igni cœlitus elicito perdere volebat inhospitales: sed non permittebat eis hoc *Christus* qui cum esset in forma Dei, totamq; plenitudinem Deitatis in se inhabitantem corporaliter gestaret, tamen clamabat in cruce: *Deus meus quare me reliquisti;* Et in horto: *Non quod ego, sed quod tu vis. Quem diligit Dominus castigat, & flagellat omnem filium quem recipit.* Hebr. 12. 6. *Dum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur* 1. Cor. 11. v. 32. At quam vellent *Sancti* vt *Calix afflictionis* ad se non perueniret? Considera eductionem Israelitarum ex Ægypto per *Mosen* ducem cum quo facie ad faciem loquebatur Deus, qui portauit egredientes, vt solet homo portare paruulum suum in omni via: Deuter. 1. 31. vbi vero omnipotentia magica? Quid opus erat tam sæpe seditionem, & murmura excitare si omnia potuissent Israelitæ per comitem Deum? Monet quidem Crollius magum suum Gabalisticum, nihil velle nisi quod Deus vult, vt sic omnipotentia limitetur voluntate: sed falsum esse quod dicit patet ex re ipsa. Si enim vellet id tantum quod vult Deus, Magus non esset, nec quicquam expeteret vltra licita in scripturis. Quid dicendum de carnali nostra concupiscentia, & imperfectione voluntatis? Cui tota Dei voluntas patet?

Deut. 1. 25. 26.
Luc. 9.
Philip. 2. 6
Coloss. 2. 9.
Matt. 27. 46
Matt. 26. 39

XXII. Non potest perscrutari (peruestigari) *quo modo credens Deo per Deum omnia operetur.)* Nimirum quod falsum est, quia essentiam non habet, non potest inuestigari. Alias quod Deus operatur per Sanctos, patet per effecta. *Virtus sanatiua è Christo exibat in credentes, eosque sanabat.* Interdum verba adhibebantur; aliquando & aliæ ceremoniæ. In Dei voluntate situm est, quo modo velit per suos efficax esse. *Imperscrutabiles sunt viæ eius:* Et quid refert scire modum, si certus sis de potentia? Veruntamen quod *Magus* imperscrutabile dixerat, id mox tam præcise, diserteque describit, vt putes eum *inter arcana Dei aliquot annorum millia sedisse, & totam Deitatem intus perspectam, exploratamque habuisse.* Non est *Nicodemus* interrogans qui vel homo renascatur, vel ventus oriatur, & dispareat. Sed *spiritum habet familiarem*, quo scrutetur omnia etiam profunda Dei, nisi fallit opinio: 1. Cor. 2. 10. vbi tamen Spiritus Sanctus quidem est omnium scrutator, sed homini non manifesta sunt omnia, cum tantum ea sciat quæ per Christum sunt donata, & reuelata; quæ & eloqui conuenit, non verbis magiæ humanæ, sed doctrinæ Spiritus Sancti. Quid tamen est rei? Expone modum tuum *Mage*: Primo instituendæ sunt *cogitationes*, seu imaginationes eæque *in altum eleuandæ* super Elementa & astra. 2. oportet *fidem habere* cogitationibus illis, seu credere certo futurum « id quod cogitamus. 3. *Cogitatio illa* seu imaginatio *inuadit astrum*, & in potestatem redigit: 4. *Astrum* « *captū opus edit ex sententia*, & sanat quem volumus sanatum. Hæc sunt in medico. An ægrotans ni- « hil agit? Imo aliquid. 1. est aliquis *spiritus medicinæ*. 2. *spiritus ille affert notitiam* quid, & quomo- « do debeat sanare. Nam *medicinæ sunt scientes*. 3. Inde sequitur *sanatio*: 4. Oportet autem *spiritum* « *illum capere, dirigere, & applicare fide quæ est opus Dei.* Sic tandem sequitur quod volumus. Ne Archi- « medes quidem tam ex acte supputauerit, nec *Archytas*, licet ille cœlum in terras deduxerit; sicut *Drebelius*; hic dicatur arenas potuisse numerare. Sane ille Magus qui armaturam Achillæam ex septem metallis procudit, cogitando & imaginando etiam in cœlum inuolat, ibiq; *mortem* in optima statione quę tamen nondum est omnino inuestigata etiam *Tychoetricis* instrumentis, comprehendit: *comprehensum spiritaliter in massam metallicam*, dum formatur, non tantum intentione animi *fortissime dirigit*, verum etiam *verbis* & *characteribus immittit, & inhalat*. Inde fit vt sic armatum integri exercitus (forte muscarum) fugiant. Pertinet huc quæstio ex pag. 44. quo modo Deus sanet verbo per Cabalistas. 1. viuit Deus, 2. viuit Dei nomen: 3. *viui nominis* sunt *literæ viuæ*. Vt Deus viuit in seipso, ita & *nomini dedit viuere in seipso, nomenq; literis*. Hinc vis verbo scripto, characteribus, & sigillis. Talia *nomina sunt numina* quæ vires habent ratione virtutis à Deo vel natura ad tale nomen, vel charactere ordinatæ, &c. Quid quæso vanius est ista vanitate? Tamne aniliter delirare istos sapientes, vt hoc vel credere ipsi possint, vel aliis persuadere, & per Typographiā vulgare ausint? Mittantur ad cynosarges. Ita secundam columnam Magiæ subruimus, & in vmbræ somnium redegimus. Sequitur tertia.

Ridicula Magi amentia de modo omnipotentiæ magicæ.
Nota magi medici operationem.

SECTIO X.

HÆc est *Imaginatio*, quā nihil est mirabilius in toto Magia. Ita enim describitur à Crollio pag. 39. *Imaginationis fortiter exaltatæ vis magna est & mira:* argumento: quia *oues Iacobi, & mulieres prægnantes per eam fœtus suos afficiunt:*

De Imaginatione columna Magiæ tertia

2. Imaginatio, seu Phantasia hominis est in sua natura vt *Magnes*: Argumento: quia attrahit Phantasias aliorum hominum. Nam *vno oscitante alter id videns etiam oscitat.*

3. *Vehemens imaginatio & proprium corpus transsinuiat & interdum etiam alienum*: Argumento: quia stridor limæ, vel serræ dentes audientis afficit stupore, & facit vt & ipsi strideant.

Quomodo limæ stridēdentes strideant.

4. Qui fit istud? virtute quadam *per modum imitationis*: Virtutem autem istam habet *similitudo rei*

tudo rei ad transmutandam rem quem mouet vehemens imaginatio: hoc est, Qui audit stridorem ferri ad ferrum astricti, is imaginatur sibi similem astrictionem, & vi huius imaginationis dentes collidit. Ia similitudo transmutatoria est. Idem callide.

5. Probatur & aliter *vis imaginationis*. Nam in tristitia, & diffidentia *imaginatione sua aliqui diabolos accersiuerunt*, seu attraxerunt ad se tentandum, vel regendum.

Quomodo efficiendũ vt subito concipiamus Deũ, & prophetemus, sicut Saul inter Prophetas: 1. [illegible] 19. v. 9. [illegible] S. v. 10. [illegible] imaginatione q. totũ [illegible] Magiæ [illegible]

6. Plures *imaginandos effecerunt vt subito sint facti templum Dei* (forte vt Enthusiastæ, & Ecstatici qui se raptos in paradisum fingunt.) Hoc qui fit? 1. *Suspitio* impotentiæ est demenda: 2. *Imaginatio* intendenda: 3. *fides* in Deũ constans & firmissima est habenda: 4. *mens altissime eleuanda*. 5. *Spes* infallibilis concipienda. 6 assidue & ardenter *orandum*. 7. *Deus colendus religiose* vt sciunt *secretiores Theosophi*. 8. Sunt *intelligentiæ separatæ*. His mens religioso amore flagrans iungitur per intentionem inuocantis cum timore & tremore ardentem deuotamq; : Imo *oratio interna*, ex pia mente orta, nimio affectu, ardentiq; desiderio continuata *vnit mentem cum Deo*, *omniaq; discit, & cognoscit ex Deo*. 9. Ad hoc opus est *supernaturali influentia*, &c. Sed plura de *imaginatione*. Est enim in hac caput & cauda, totusque cardo Magiæ.

7. Hominis *Imaginatio tota ab astris firmamenti pendet*, pa. 38. imo eadē est & manet cum astris; Ideo & *firmamentum habet Imaginationem*, quanquam sine ratione, cũ hominis imaginatio sit cũ ratione.

8. Imaginatio in homine operatur *instar solis*. Vocatur autem *incorporea cogitatio*, quæ vt solis radij collecti intenduntur adeo vt data materia in flammam euadant, & comburant, ita & ipsa operatur in subiectum spiritu, ceu visibili instrumento. 9. *Imaginatio* hominis est *Magnes* attrahens *vltra mille milliaria*, & in exaltatione sua attrahit ex Elementis IV. *quicquid vult*.

10. Quid id fit? Imaginatio per suam vim attractiuam debet rem conceptam attrahere, vt *ex se procreet spiritum natiuum*, architectum imaginationis: postea imaginatio quasi *ingrauidata* imprimit, quæ tangibilis quidem non est, attamen corporea instar venti. (credo sensum esse: quod imaginatio in homine debeat parere ex se spiritum quendam, qui item vocatur imaginatio, & habet vim attractiuam. Hic spiritus corporeus est, sed subtilis vt aura: Emittitur autem ad illam rem quam imaginamur. Huius spiritum astralem assumit, & secum reportat ad imaginationem internã Imaginantis. Ista est impragnatio, qua Idea rei imaginatæ concipitur, &c. Vel quia tribuitur Imaginatio irrationalis firmamento astrorum, fortasse putandum est Imaginationem hominis rationalem in se reflexam gignere attractiuam, quæ imaginationi firmamentali iuncta inde assumat astrum, & ad hominem perueheat, sicut *spiritus magnetis quasi manu arripit ferrum, idque ad magnetem mouet*.

Prætextus homunculorũ, sigillorum, Gemmahaarum, &c. Magicorum.

11. Verus magus per imaginatoriam potest operationem astrorum trahere in imagines, lapides, gemmas, *vt eandem cum astris exerceant potentiam*. Quo argumento? Speculi incendiarij. Nam per id radij solis cum calore ad nos trahuntur. 12. Quicquid in maiori mundo oculis videmus; hoc idem *imaginatio quoque potest producere*, vt *omnia vegetabilia*, *& metalla*.

Astra quid? Notitia omnium.

13. Pag. 36. *Imaginatio* in se *claudit omnia astra*, est omnia astra, & eundem cum cœlo retinet cursum, naturam & potentiam. Non vnam sed multas producit operationes. *Astra vero sunt virtutes angelorum qui sunt sapientia Dei creata*: pa. 46. *Verbum Dei incarnatum* repertum in creaturis à Paracelso. Astra qui cognouit, Deum cognouit: qui Deum cognouit etiam astra: & qui astra etiam macrocosmum, qui hunc, microcosmum.

14. Imaginationis nomina varia sunt, vt *Sydereum corpus hominis*, *Genius à firmamento ortus*, *Penatis*, *vmbra visibilis corporis*, *Lar*, *Homo vmbratilis*, *homunculus familiaris Sophorum*, *Genius bonus*, *Adech*, *Spectrum*, *Lumen naturæ*, *Euestrum præsagiens*, &c.

15. Licet *imaginatio* sit incorporea, & inuisibilis, exaltata tamen, & firmissimæ fidei naturali, instar miraculorum ianuæ, coniuncta, *est fons omnium Magicarum operationum*, *habens potestatem gignendi corpora visibilia*, & quascunq; operationes præsenter absenter supra humanæ rationis captum proferendi. Declaratur pag. 37. sicut cœlo sereno mox apparent nubes, pluuia, &c. & vt Deus ex Nihilo diuino produxit omnia ex tenebris inuisibilibus.

16. Imaginatio efficit pestem, astralesq; morbos similes: inducit morbos & sanitatem, dum spiritus sydereus & animalis hominis imaginatur.

17. *Imaginatio quinque spirituum* Elementis inclusorum est in homine quoque, sed nihil potest, quia *vsu rationis spiritus illi ligantur*, vt cum sua imaginatione quiescant: pag. 34.

Pestis ex affectu in constitutionibus Epidemiis.

Pagin. 83.

18. Pag. 83. de septima insanabilium causa, *Imaginatio nostra est fides naturalis morbos sanans, & excitans*: Argumento: quia *pestem excitat*. Quo modo? Homo perterrefactus ex sua propria imaginatione generat *Basiliscum cœli sui*, qui illud cœlum seu firmamentum microcosmicum intoxicat è sua superstitione pro vt fides adiuuat. Vide ibi de ortu *pestis generalis ex Iliastro seu Euestro solis peccatis hominum ad iram commoto*, quod participans singulariter cum Euestro hominis per influxum stellarum inficere dicitur, vnde pestis supernaturalis *cui nulla medicina resistere possit*. 19. Quorsum sydereus spiritus somniat & Imaginatur, corpus ipsum simul tollit, & traducit, argumento *Noctambulonũ*.

Pagin. 84.

20. Fides dat imaginationem, Imaginatio dat sydus (dicitur matrimonium syderis & Imaginationis quæ & cogitatio vocatur) sydus dat opus. *Per fidem imaginationis ægrotus sæpe id facit quod optimus medicus non potest*: Argumento: *Panaceæ Amvvaldinæ*, *& fontis Misnensis*. Anima enim excusso metu vel sinistra imaginatione fertur in magnum excessum sui desiderij, & *ipsam naturam superat* vehementi imaginatione accensa, & tam *in proprio quam alienis corporibus sanitatem & morbos excitat*: vt in prægnante infantem notante, & lissodictis sibi imaginantibus canes in aqua.

Formatio infantis.

21. Mater prægnans sua imaginatione format infantem *vt figulus argillam*. Hæc Imaginatio oritur à timore & appetitu. Cum *illa astra microcosmica* mouentur, ascendunt, descendunt, & faciunt impressionem, sicut qui pistillo formas imprimit. Ita infans signatur.

22. Cum

22. Cum animus imaginando fortiter exaltatur *conſtans credulitas*, (fides naturalis qualem habuit hæmorrhouſa, & Centurio) *miracula operatur* in opinionibus, & intenſis operationibus falſis *Imaginatio fide coniuncta omnia poteſt* pag. 85. Hæc fere ſunt quæ Crollius de Imaginatione ſibi imaginatur: quæ cuius ſit ſpiritus, iam iudicandum. *Miracula facere.*

SECTIO IX.

Mire confuſum eſſe iſtum magicum Imaginationis diſcurſum, adeo inconuenientem, vt indignus ſit in quo iudicando tempus conſumas, cuiuis ſiue Theologo, ſiue Philoſopho patet. Argumenta quibus vtitur partim principium petunt, partim à particulari procedunt, partim falſum accidente. Autoritas qua nititur eſt hominum impiorum *Paracelſi, Cornelij Agrippæ* & ſimilium delirantium, nec cogitauit infatuatus ille *Crollius Agrippam* damnaſſe ſua magica, & omnes præmonuiſſe ne ſe paterentur inſidiis diabolicæ iſtius profeſſionis circumueniri. Quæ enim pro ſumma, & abſtruſa ſapientia habent illi magi, ea nihil ſunt niſi *deliramenta ſathanica, in Deum ipſum iniuria*, contumelioſa & blaſphema eò magis quo confidentius nomina, enunciata & res diuinæ ad magica Gabaliſtica attrahuntur. Si totam naturam circumſpicias, Imaginatio, ſeu Phantaſia vel circa ſenſum eſt, vel circa rationem, vbi cogitatio quoque & deliberatio, vel meditatio appellatur. At magus noſter vnam habet dextram, alteram ſiniſtram: vnam brutam & rationis expertem in maiore mundo (non ratione beſtiarum, ſed firmamenti & mundi Platonici quod animal eſſe perhibetur) alteram cum ratione quæ ſit in firmamento hominis, ſpirituq; eius ſydereo: tertiam beſtiarū quartam geniorum, ſeu dæmonum quorum vnum genus *Paracelſus ille dementiſſimus* vidit in terra, aliud in aquis, aliud in aere, aliud in cœlo; aliud communiter vagans, quod plagas vocat multorum millium diabolorum ſocietatem: quintam quoque ponit ſub nomine cogitationis, quæ videtur vel eadem eſſe cum phantaſia & æſtimatione, vel non multū differre, cum Magus noſter non diſtinguat. Verum ſingula recenſeamus vt Magiam iſtam penitus pernoſcamus, nec moueamur magnitudine laudum quas Paracelſo perditiſſimo mago tribuit, cum immodico ſui exceſſu mendacij impudentiam facile arguant. *Iudicium de imaginatione Crolliana.* *Imaginationis amplitudo.* *Cogitatio irrationalis.* *Dæmones Paracelſi.* *Hyperbolicæ laudes Paracelſi impudētiſſima mendacia. vide pa. 76. 77. 68. 69. 67. 56. Item in ſuperioribus.*

Ad I. Elenchus eſt à particulari, & accidente. Magna vis eſt Imaginationis, ſed non καθόλου, nec tanta quanta prædicatur à Magis. *Mulieres grauidæ, & oues* imaginationis quidem vim experiuntur; ſed ea nec magica eſt, nec præternaturalis. Deinde grauidæ non ſola imaginatione imprimunt fætui notam, ſed ſæpe *affectu violento*: aliquando & *fixa cogitatione cum affectu*. Oues autem magicas Iacobo Patriarchæ affingere ridiculum eſt.

Ad II. Comparatio *phantaſiæ cum magnete* falſa eſt. *Non enim vt magnes ferrum, ita Imaginatio alias res trahit*. Sit etiam à pari collatio: vt magnes non trahit niſi vnam tantum ſpeciem per ſe, nempe ferrum, & conſequenter quæ ferro adhærent; ita & imaginatio tantum vnicam rem traheret. Vnde ergo iſtud mirificum *omnia*? Deinde *Imaginatio* eſt *potentia* quædam *paſſiua*, vtpote in ſenſitiuis non ſine ſenſu qui fit patiendo. Si quid in imaginante efficit, per accidens efficit, ſpiritu nimirum, & calore, aut affectu. Excitatur phantaſia ab allubente ſpecie, & mouetur. Vnde & motu definitur. Inde poſtea ſpiritus, & calor percelluntur, quibus in affectibus humidum eſt coniunctum. Hæc impulſa, impellunt viciſſim. Quod autem argumento *oſcitantiū oſcitante altero dicitur attractiua* eſſe, ſtultum Elenchum ignorationis habet. Neq; enim id fit aut vt plurimum, aut ſemper. Non ergo per ſe. Deinde nulla fit attractio imaginationis: ſed obiectum ſenſibile ſimilem excitat appetitum, ſicut & in aliis, vt cum mingente vno, vel bibente, mingit, bibitve & alius ſimiliter diſpoſitus. Ita *exempla irritant*, vt cum ſtrenue vorante vno, etiam cæteri ſimiliter affecti vorant. Attractio hic proprie nulla eſt, ſed inductio, inuitatio, irritatio, per ſenſibile, quod à ſenſibus acceptū externis, mouet internos. *Magnes & imaginatiō.* *Oſcitantes.*

Ad III. Falſum eſt quod *imaginatio tranſmutet* ſeu proprium, ſeu alienum corpus. Accidit enim mutatio (non tranſmutatio) in proprio propter coniunctum appetitum, & affectū, horumq; inſtrumenta. Alienum vero qui tranſmutet, cui in id nullam vim habeat actiuam? Num quando *Apuleius* vi vnguenti magici vt volunt magi, in *Aſinum* mutatur, id fit imaginando. Argumentum à matribus ignorat Elenchum. Neque enim imaginationis per ſe ea vis eſt, ſed per accidens; Et fœtus vteris adhærētes ad matrem ita ſe habent *vt fructus ad arbores* in quibus creſcunt. *Vnum enim quid ſunt actu, licet potentia diſcreta*. Matres poſſunt afficere adhærentes vnitoſq; ſibi fœtus, ſed non ſeparatos. Dentes concrepant ad melodiam canentis, & afficiuntur ſtridore limæ cum ferrū atterit non propter imaginationem, quaſi noſtra imaginatio attrahat ſtridorem. Ridiculum hoc eſt aſſertu: ſed ea *affectio neruorum eſt auditiuorum communicata neruis dentium*, & quia commune foramen eſt ex ſenſorio auditus, & palato, communicatur quoq; paſſio. Sic viceuerſa ſurdi ſibi non poſſunt imaginari Cytharæ ſonum, cū nulla eius ſpecies moueat auditū, & inde phanthaſiam. Si vero collum Cytharæ dentibus prehendunt, fit communicatio non motus tantum, ſed & ſoni. Cum quidam conſideret, reſq; iocoſas, & ridiculas tractantes riderent, quidam adueniens eminus etiam riſit. Interrogatus, numquid intellexiſſet quæ dicta eſſent, negauit. Cur ergo rides? vidi, inquit, & audiui vos ridentes, arbitratuſq; aliquid ridiculi eſſe, quicquid eſſet, ſimul riſi *Stol de Magē*, dic quæ fiat hic attractio imaginationis? Num iſte attraxit phantaſias ridentium, quibus tñ riſus cauſa fuit non motas phantaſiæ? Et vbi eſt limæ, ferriq; phantaſia, quam phantaſia hominis attrahat? Dolor quidem, & ingrata affectio aliquibus accidit interdum, ob neruorum imbecillitatem, diſpoſitionemq; certam, non ſemper, nec tale quid patiuntur ipſi fabri limantes, neutiquam vero attractio: non proſecutio, ſed fuga. Verum enimuero cum hoc eueniat admodum raro, & inter multa millia vix ſemel, ſufficitne ad Catholicam vim magicæ phantaſiæ? *Tam aſininæ ſtoliditatis ſunt Paracelſiſtæ, vt ex iſtis leuiculis auſint ingentia, & Catholica extruere.* *Dentium concrepitus.* *Ridens cum ridentibus.*

Ita vero reſponſum ſimul eſt ad IV. Falſum enim eſt quod audiens ſtridorem ferri ſibi imaginetur ſimilem motum, indeque ſimiliter patiatur. Cur hoc in iſto facto tantum euehit, & non in omnibus? Si phantaſtæ iſti tantum ſemel id paſſi eſſent cum attentione, cauſſam longe aliam cognouiſſent, quam etiam ad antipathian referre queas. Illudve imitetur quis quod ſuæ affectioni eſt aduerſum?

Ad V. Falſum eſt diabolum imaginando accerſi. Cum enim hæc motio fiat intus, diabolo eſt incognita. Aliis opus eſt ſignis. *Vulgo dicunt caput Melancholicum eſſe diaboli balneum*, & triſtes, afflictoſque ab eo ſpiritu, permiſſione Dei, tentari. Occaſio ibi eſt, non attractio. Quæ vero etiam impudentia eſt de his metaphyſicis tam temere garrire? *Aduerſarius noſter diabolus*, inquit *Petrus*, *circumit vt Leo rugiens, quærens quem deuoret.* Idem non triſtitias tantum, ſed & ſecuritates & temulentias impias cantationes, colloquia & ſimilia obſeruat. Iudas proditor aperiebat ſe auaritia, non attrahebat diabolum imaginando. *S. Paulus* impœnitentem ſathanæ tradebat. *Chriſtus* permittebat intrare porcos. Hæreticos diabolum imaginando accerſere quis dixerit, cum omnia ipſi aduerſa ſe moliri putent? Qua imaginatione eum *Eua* attrahebat? Tu *Mage impie* impudens, & ſtolide diabolo fores aperis ſenſibus, dictis, ſcriptis, ſigillis, & aliis inſtrumentis diabolicis.

Subito Dei templum.

Ad VI. *Vt quis ſubito fiat Dei templum* imaginatio non facit. Et cur tu *Mage* es templum immundi ſpiritus, ſi imaginando potes fieri Dei templum? Quod non Dei, ſed diaboli mancipium ſis, tua mendacia, blaſphemiæ, corruptelæ verbi Dei, & aliæ abominationes conteſtantur. Videantur exempla: Iudicum 14. ℣. 6. *Spiritus Domini* (χάρισμα heroicæ fortitudinis cum impetu) *irruit Simſonem.* Ita cap. 15. ℣. 14. Ab eo recedit Dominus cap. 16. ℣. 20. Si imaginando eum ſuſcepiſſet, an non recuperaſſet imaginando? 1. Reg. 10. ℣. 6. *Spiritus Domini in Saulem inſulturus* prædicitur, idq; factum ℣. 10. Ita cap. 11. ℣. 6. Eum cap. 13. perdit inobedientia, quia & receſſiſſe dicitur cap. 16. ℣. 14. directus autem in *Dauidem* nihil tale cogitantem. *Saulum* autem inuadit *ſpiritus malus* etiam contra cogitationes, opinionem, & phantaſiam. Si tanta poteſtas foret imaginationis, cur

Act. 2. 4.

non recuperaſſet? In *die Pentecoſtes qua imaginatione Apoſtoli ſubito implebantur Spiritu Sancto?* Explicat cauſſam ipſe Chriſtus Act. 1. ℣. 4. 5. Pater enim promiſerat. Act. 2. ℣. 38. Inquit Petrus: *Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque in nomine Ieſu Chriſti in remiſſ. peccat. & accipietis Spiritũ Sanctum.* Act. 4. ℣. 31. *Oratione præmiſſa Eccleſia impletur Spiritu Sancto.* Act. 8. 17. Apoſtolis manus imponentibus & orantibus baptizati Spir. Sanctum. accipiunt. *Simon Magus, Crollij, Paracelſi, Agrippæ, Tritemij, Pici, Piſtorij,* &c. Principiis inſtructiſſimus debuit imaginando ſubito Spir. S. templum fieri. At pecunia non Spir. S. ſed gratiam collationis, ipſe plenus diabolo, putabat ſe impetrare poſſe. Act. 10. 44. auditores Petri Spir. S. perfunduntur etiam nondum baptizati. At veriſimile eſt ipſos parũ admodum ſciuiſſe tunc de Spir. S. vt & illi viri XII. Act. 19. 2. Act. 11. 15. 16. Petrus promiſſionē Dei, non imaginationem attractiuam, aut magneticam producit, & ſane nõ alias donum, ſeu χάρισμα Dei dicitur, quod Luc. 11. 13. precibus obtineri à Deo patre ſcribitur. *Produc, Mage, vnum exemplum eius qui*

Palliatio Enthuſiaſmi Diabolici.

imaginando id donum ſit conſecutus. Tu vero *Enthuſiaſmos* tuos, & raptus diabolicos, qui ſunt Paracelſiſtis Magis cum ſagis, & ſtrigibus communes, ſic palliare cupis, &, cum totum opus ſit diaboli, ad *Spiritum Sanctum* referre, quæ eſt blaſphemia in Spir. S. cum qua ſi mortuus es ſine pœnitentia, væ tibi. Eodem colore vſos eſſe hæreticos patrum memoria duce *Münſtero quodam* & poſtea Carolſtadio, Iohanne Leidenſi, & aliis Anabaptiſtis communi notum eſt calamitate. Modus propoſitus figmentum eſt hominis ſtolidi, prætereaq; etiam impoſſibilis. Cur *neq; Crollius, neq; Paracelſus aut alius magus iſtis nouem punctis conſecutus eſt Spiritum Sanctum?* Donum Dei qui obtinere vult, eum oportet ſecundum Dei voluntatem in nomine Chriſti orare. Voluntas Dei in ſcripturis patet. Dic, Mage, *in*

Conditionũ naſciſcendi Spir. Sanct. examen.

qua ſcriptura legiſti iſtas nouem conditiones? Quis eſt ex omnibus Spir. S. nactis, qui iſtas obſeruauerit? Tu vix heri eas confinxiſti. Sunt quædam in eis non ſpernendæ ſecundum literam: Sed ſenſu omnes ſunt impiæ. Si quæras quæ eſt iſta impotentiæ ſuſpitio quæ iubetur demi, erit quædam præſumptionis de dignitate, & capacitate propria ſpecies, cõtra *Pauli* Euangelium 1. Cor. 4. 7. & 2. Cor. 3. v. 4. 5. 6. vbi Apoſtolus non imaginationi, capacitati, gloriæve propriæ aſſcribat dona, ſed *Deo donatori*, idque *per Chriſtum* per quem etiam ſe fiduciam talem habere aſſerit. *Conditio ſecunda de inuentione imaginationis*, eſt ridicula *Hermetis* perſuaſio, qua putat hominem poſſe Deo exæquari cogitando, & imaginando: *Tertia de fide*, eſt figmentum de fide naturali hominis fictitij aſtratici. *Quarta de eleuatione mentis altiſſima* ſomnium eſt Enthuſiaſticum. *Quinta de ſpe infallibili* eſt verbo Dei aduerſa. Neq; .n. ſpes diuina qua fideles homines futura bona ſperant, eſt magica illa de concipiendo Deo, qualem poſſis tribuere *Pythoniſſis*, ſeu *Sibyllis Apollineis*, quę etiam afflatus dæmoniacos ſenſerunt, & ſuo Deo, ſeu ſpiritu maligno ſunt impletæ. *Spes noſtra eſt in Deum viuentem circa æterna bona, & inuiſibilia* Rom. 8. 24. *non circa Magicas operationes huius miſeræ vitæ: Sexta de oratione* verbis eſt bona; ſed re abominabilis. *Non enim orandum eſt vt impleamur ſpiritu Magico*, ſed vt ſecundum promiſſionem & voluntatem Dei nobis alia bona eueniant. Magiam Paracelſicam Deus nunquam voluit, aut promiſit. *Septima cultum quendam magicum* ſingularem requirit: ſed quo cultu gaudeat Deus, ſatis clarum eſt in Canonicis literis. Illo cultu nullus vnquam ſpiritum Pythonicum, qui eſt *Crollij*, & *Paracelſi*, eſt conſecu-

Coniunctio cum intelligentiis ſeparatis.

tus. *Octaua* prodit improbitatem magicam. Eſt enim *diabolica perſuaſio de coniunctione mentis cum ſeparatis intelligentiis*, quæ ſi aliquid ſunt in Magia Paracelſi quam ſpiritus deceptorij, & immundi. *Vnio magica cum Deo* & ridicula eſt, & ſtulta. In quem hominem quæſo cadit iſte nimius affectus, intentio, ardens deſiderium, & reliqua ad Deum attrahendum? Quid autem ſibi vult *coniunctio inuocantis cum intelligentiis?* Num iſtæ ſeparatæ intelligentiæ ſunt inuocandæ cum timore, & tremore? Ita ſane diabolus vult fieri, qui & à Chriſto exigebat ſui adorationem. Angeli boni adoratores repellunt Apoc. 19. 10. & cap. 22. 8. 9. An vero Deus inuocandus eſt, vt nos iungat dœmoni-

bus

bus,intelligentiiſque ſeparatis? At hoc impium,& præterea non neceſſarium, ſi Deo vnimur, in quo habemus omnia.

Ad VII. *Firmamentum habere imaginationem brutam*, putidum mendacium eſt.Igitur noſtra imaginatio naturalis, (hoc eſt, cogitatio in intellectu) non poteſt inde pendere. Eſt & abſurdum nobilius pendere ab ignobili, & eſſe idem cum ipſo. Si cum aſtris firmamenti brutis noſtra cogitatio eſt eadem, quî non ſit & ipſa bruta? Quæ Ariſtoteles de intellectu agente ſcribit, ſcimus quidem, ſed à magis Paracelſicis non recipiuntur. Riſu plus quam Democrito dignum eſt dicere, *cœlum* eſſe omniſcium, & ex eo trahi à ſydereo ſpiritu in nobis omnem ſcientiam: eſſe vero ipſi cogitationem brutam, quæ dicitur magica imaginatio. Non mirum eſt, ſi ita res habet, magos eſſe bruta quaſi pecora. Non enim meliorem imaginationem ex ſuo cœlo trahunt. *Imaginatio firmamenti.*

Ad IIX. Ridicula & ſtolida comparatio. *Solis radii per inſtrumentum collati incendunt materiam* inflammatilem, ſi in eam dirigantur. Num & *cogitatio noſtra agit in res externas*? Lege quæ Chriſtus Matth.6.verſ.25. & ſeq. diſputat de ſolicitudine etiam intenſiſſima. Num tu attrahere poſſis ea tibi menſuram maiorem? Debuerant *Magi* ſuis imaginationibus calefacere hyemem anni 1613. & ſequentis, aut in medias niues infodi. Imaginare quæſo, *Mage Paracelſice*, vt caritas annonæ euaneſcat: Imaginare magnam frumenti vel auri copiam: In fame imaginare ſatietatem, in ſiti potum. Videbimus quid poſſis. Non opus eſt verbis ſtultis & inanibus. Venter caret auribus. Re præſente eſt opus. Ea non imaginando conſequimur, *ſed orando & laborando*, vti iuſtum eſt.

Ad IX. *Imaginationem hominis eſſe magnetem à cœlo vltimo.* (Finge enim id diſtare vltra 10000000.milliaria) attrahentem probandum eſt,non vanis verbis affirmandum. Si qua eſt *vis ſyderum, ea influit, non attrahitur imaginando.* Si id poſſent frigentes, calentes, ægrotantes, &c. quas intentiones non molirentur. Ad ſpacia terrarum quod attinet,nimirum ſic attrahebat *Hadriani Magus, cum referret geſta in oriente ipſe in occidente exiſtens*: ſic obſeſſus ille apud Camerarium: ſic Ecſtatici, qui etiam inferni ſtatum enarrant & purgatorii, vt Tundalus, Ludouicus Imperator, &c. peſtis attractæ longe alia ratio eſt. Ita puerilis amentia eſt, cogitationem ſeu *imaginationem ex Elementis* (cœlo, acre,aqua,terra) *attrahere quicquid vult.* Primum enim *velle* nec cogitationis *eſt*, nec imaginationis, ſed *mentis & rationis.* Deinde Paracelſicus magus fortaſſe attraxerit inde dæmones, qui gaudent conſortio tali, nec opus habent attractione, cum ſponte inſiliant, at vt attrahant ſerenitates ex cœlo & aere,& fœcunditates, aliaque bona, quando tandem ſe component? Eſt iſte prætextus *impuræ magiæ ſtrigum*, quæ putant ſe poſſe *tempeſtates ciêre*, cum eæ ex alia cauſſa proueniant. Vti vero illæ dicuntur, neſcio quibus *incantamentis & adminiculis*, non imaginatione. *Inter eas & Magos Paracelſicos nihil intereſt, quam quod h:[illegible] ot.liore vtantur prætextu.* 1.Regum 12. ver.17.18. *Samuel* eliciebat tempeſtatem non imaginando, ſed *inuocando Dominum*, qui & dabat pluuias. Idem faciebat *Elias* 3.Regum 18.24.36.42. Eadem vi & ignem cœlitus produxit. 4. Regum 1.10.12.quem *Iacobus & Iohannes poſtea* imaginando non poterant. *Quid intersit inter ſtriges & Paracelſicos Magos.*

Ad X. Stultus modus eſt, caretque principio. Itaque non opus eſt contra eum verbis.

Ad XI. Deſideramus & in hac aſſertione principium demonſtrationis. *Indigni ſunt vita omnes Paracelſiſtæ, ſi poſſunt id quod dicunt, & in rebus bonis non præſtant.* Neque enim amatores, ſed oſores proximi, & communis Chriſtianitatis inueniuntur, ſi virtutem calefacientis ſolis poſſunt trahere in ſuas imagines, vt æſtatem calefaciant ad maturitatem pomorum, vuarum, & aliarum frugum, nec faciunt. Sin autem dignos,ſe vita iudicant, nec poſſunt benefacere inſtar ſolis ſereni agnoſcant imbecillitatem artis ſuæ, & mendacia. Verum valet apud illos illud Propheticum. *Sapientes ſunt vt faciant mala*, (per diabolum, quem pro Deo proponunt, & ſua commenta, quib. veritatem corrumpere conantur) *bene vero facere neſcierunt.* Ierem.4.verſ.22.Tribuunt aſtris omnia. Debent ergo inde trahere omnia bona. At cur *Crollius* Magiæ patronus octo modos inſanabilium recenſuit, ſi ita potens eſt? Cur proponit *Chymica arcana*? *Cur deſiderat verum aurum potabile, & vniuerſalem lapidem?* An ergo non eſt verus magus? Poſſe enim iſta verus dicitur. Si non eſt verus, falſus eſt, & nefarius impoſtor, qui hominibus falſa vult perſuadere. *Crollius non fuit verus Magus. Ergo præcepta magiæ falſa cōdidit.*

Volunt Paracelſiſtæ doctrinam peti ex *Lumine naturæ & gratiæ* coniunctim. Bene. Iam autem inuenimus Imaginationem humanam excitari vel ab externis obiectis, vel internis. *Externa* voco, quæ à ſenſibus externis veniunt modo cum, modo ſine longiſſimo, etiamſi paſſio intra nos ſit, vt cum dolent inteſtina, ventriculus, cor, pulmones,&c. aut aliquis affectus, aut concupiſcentia nos ſtimulat, vt fit cum ſitimus; eſurimus,&c. *Interna* dico, cum à ſenſu communi, aut memoria accipitur imago: aut cum occulta aliqua vi mouemur diuinitus, aut per ſpiritus bonos, maloſve; aut cum ex promtuario rationis aliquid recurrit, & materiaſcit. Omnino dormientibus, vigilantibus, aut medio modo ſe habentibus, atque etiam patientibus Ecſtaſin ſeu Phyſicam, ſeu Metaphyſicam. Imaginatio gignitur. Dicunt iam Magi; ſuntne omnia iſta obiecta vera? Innumeris falſis ſpectris agitari homines, maxime affectuoſos & ſuſpicaces & languentes, præſertimque melancholicos, phreneticos, fatuos, ebrios, amantes, inuidos,&c. notiſſimum eſt. Diſputabat *Plato*, & ex eo *Academici noui, nullam eſſe ex ſenſibus externis certitudinem.* Id tametſi nimium audax ſit aſſertum, tamen non omnino eſt falſum, præſertim in illis, quos dixi, & qui laqueis diaboli ducuntur ad voluntatem eius, quibus adiungas *hæreticos, ſophiſtas*, & quoſcunque alios, qui patiuntur ſe falſis opinionibus contra veritatem impelli, quæ innumerabilis turba eſt,&in hac non parua portio ſuperſtitioſorum, magorũ, ſtrigũ, Paracelſiſtarũ & ſimilium generis humani ſterquiliniorũ. Addo, quod *Paulus* dicit, hanc vitam cognitionẽ ſaltẽ partialẽ, & imperfectã habere, & diabolũ ſimulare lucis angelũ, eſſeq; potentẽ in filiis diffidẽtiæ & tenebrarũ, quales ſunt *magi, qui tenebras craſſiſſ. putant eſſe lucẽ puriſſimã.* *Magia futilitas ex falſitate & incertitudine imaginationum magicarum.*

Si igitur inter obiecta, quibus facultas imaginandi excitatur tot myriades sunt falsæ, aut ambiguæ, perplexæque; quas etiam compositio, & confusio facit obscuras, paucissimo numero sunt ea quæ veritatis iudicium, & examen sustinent; nimirum non ea, quæ Magi ex suis speculationibus dementibus proferunt, sed quæ ex immotis principiis diuinæ veritatis necessario sequuntur, quæ sensus communis, experientiaque publica, vel perpetua esse, vel vt plurimum contingere demonstrant: quæ legibus authenticis comprehenduntur, & principia sunt scientiarum inde monstrabilia, vel ex iis deductæ conclusiones: Ex dictis omnibus consequens est *Magum Paracelsicum per suam imaginationem vel plane nihil certi obtinere, vel minimum saltem, & confusum dubiumq.* Quæ enim professio in plurimis errat, ea facit & reliqua, si quæ adessent vera, incerta & dubia, vt plurimum fallentia circa imagines somnia, non facilè permittunt, vt de veris quoque insomniis confidenter statuamus nisi principium sit vere diuinum, & angelicum. Vnde alias tot querelæ in sacris de spiritibus impostoribus, & Prophetis, qui cum sibi viderentur D E I vniti vera prædicere, & se & alios fallebant? 1. Timoth. 4. vers. 1. *in nouissimis diebus discedent quidam à fide attendentes spiritibus impostoribus* (Magorum Paracelsicorum, Hæreticorum, Antichristi, &c.) Iob 25. v. 4. *Natus de muliere* (naturali modo) *non est mundus. At sine mundicia nemo potest vniri Deo.* Quomodo impuri magi per suas phantasias stultas? Idem dicitur Iob 15. vers. 13. 14. 15. 16. cap. 4. 18. *In seruis, & angelis quoque deprehensa est stultitia*, & Magi Paracelsici audent suæ vesanæ imaginationi tantum tribuere? Inter Israëlitas multi se Prophetas appellabant, & verè Prophetæ, qui erant, eos & despiciebant, & persequebantur.

Istiusmodi sunt & Magi Paracelsici per quos Diabolus eandem agit fabulam. Vide Ierem. 6. vers. 13. cap. 8. vers. 8. 9. cap. 23. vers. 9. 11. 15. 16. *Nolite audire verba Prophetarum* (Magorum, Crollij, Paracelsi, Agrippæ, Hermetis, Pistorij, Pici, &c. *qui Prophetant vobis, & decipiunt vos.* Visionem (imaginationem) *cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Quis enim affuit in consilio Domini, &c. Non mittebam Prophetas* Magos Paracelsicos, qui sibi rapiunt sapientiam & potentiam) *& currebant ipsi: Non loquebar ad eos & ipsi prophetabant.* Si Paracelsistæ cogitarent de corruptione naturæ per peccatum, & quæ de seipso scribat Paulus, cui nullus magorum comparari potest, Rom. 7. v. 10. & seq. abiicerent stultissimas suas persuasiones, & optima sui haberent pro stercoribus Phil. 3. v. 7. 8. 9. 10. Sed ad residua puncta imaginationis nos conferamus.

Prætextus præstigiarũ magicarum.

Ad XII. Vanissimum pronunciatũ est *imaginationem nostram producere posse omnia quæ oculis in maiore mundo videmus.* Non quidem arbitror **Crollium**, aut vllum aliũ tam deploratè insanire, vt putet ipsas essentias rerum posse imaginando procreari: veruntamen & alij sensus sunt stolidi. Si ita accipienda verba sunt, imaginationem intus posse gignere imagines omnium earum rerum, quæ per oculos concipiuntur specie visibili, tolerabilis quidem aliquo modo foret dictio; sed & hæc exquisitæ veritatis trutinam non sustinet

Neque enim imaginatio nostra producit rerum formas, sed quæ foris mouent sensus sensibilia, transmittuntur per speciem ad sensitiuas facultates interiores, easque mouent vt circa ea occupentur. *Non fiunt in imaginatione ea quæ à visu assunt, sed iam facta in potentia existentem exuscitant.* Dices: at similia fingere possum, more Poetarum, & apologorum, & illorum, qui *Vtopiam* describunt, & *Mononiam*, vel vt *Paracelsus*, qui cœlo affingit *fabros mechanicos, & discipulos*, qui fabricent homines, sicut statuas, & alia multa similiter comminiscitur. Credo, inquam, te posse etiam illa fingere quæ sunt nusquam, quæque nullibi vidisti. Sed si imagiharis similia existentium sensu perceptorum, vt si vno ceruo viso, aut vna pictura, inde facis species infinitas, non imaginatione sola vteris, sed ratione, quæ similia ex similibus deducit, & res inter se comparat. Verum hoc non est magicum. Sapit enim *Aristotelem.*

1. Reg. 28. 13. de Samuelis specie.

Alter ergo sensus est Magum per suam imaginationem non excedentem ambitum sui cerebri posse foris spectatoribus exhibere *vuas, vineas, hortos, atria aurata, virgines speciosas, reginas pridem defunctas*, & omnino omnia, vt spectatores se vera videre arbitrentur, *cum nihil nisi præstigias cernant.* Ea arte industrius fuit *Simon Magus, Tritemius, Scotus, Magus Bohemus & alij.* Striges similiter dementantur, vt cum rem habeant cum dæmonibus, putent se amare formosos adolescentes. In Sabbathis comedunt buffones, feles, morticinia insulsa, & alia absurda, quæ tamen videntur lautissimi apparatus cibi esse. Ista est productio magiæ phãtasiæ. Taline tu gaudeas si viueres Crolli? Cur tua phantasia non producit etiam aliorum sensuum obiecta & species? Credo Diabolum tuum posse. Sed quæ in oculos incurrunt, euidentiora sunt. Vt ergo impuras præstigias aliquo colore pingeres, placuit tibi id principium magicum ponere. Albertus M. tempore solstitij hyemalis in palatio Coloniensi principibus quibusdam exhibuit Paradisum arboribus virentibus, herbis florentibus, auiculis cantillantibus, &c. plenam. Lerchheimer cap. 8. de magia. Vide ibi de Tritemio, & aliis huiusmodi productoribus, vt & de Agrippa, discipulo Tritemij, persuadere voluit hominibus naturaliter euenire quæ factitaret.

Ad XIII. *Imaginatio in se claudit omnia astra, & est omnia astra.*) Vt intelligamus Magos Paracelsicos esse fatuos nugatores, qui summa ima misceant, & nihil pensi habeant quid quo modo loquantur, effatum istud stultum proponitur. Quomodo enim potest aliquid in se claudere omnia, & simul esse omnia? Aliud est claudens, aliud quod clauditur. Aliquando compositione aliquid dicitur esse omnia. Ita imaginatio foret bonorum, & malorum confusio. Aliquando complexione: vt Ens. Ita esset genus summum indefinitum. Aliquando potentia perceptionis, vt intellectus passibilis est omnia fieri. Sic cogitatiua est de omnibus cogitare posse: Imaginatiua omnia imaginari. At sic infinitam quid esset, & nullius scientiæ, quod magus non concedet. Si dixeris vanitatem nugatoriam esse, rem acu tetigeris. Ita & pag. 30. nugatur. *Adam in se gerit totum mundum:*

mundum: Et: *Homo eſt omnia à Deo factus: Omnes homines ſunt vnus homo. Homo inuiſibilis eſt omnia aſtra & vnum idemque prorſus cum mundi ſpiritu*, inquit pag. 16. *Corpus aſtrorum inuiſibile eſt mundi ſpiritus diffuſus in omnia aſtra, vel eſt omnia aſtra.* Ex his nugis ſequitur in quouis poſſe eſſe quiduis, & vnum eſſe omnia. *Si imaginatio hominis eſt omnia aſtra: Et cœlum internum item eſt omnia aſtra: Imaginatio & cœlum internum erunt idem.* Et ſi præterea etiam homo eſt omnia aſtra, imaginatio hominis, & homo Olympicus, ſeu ſpiritus, & cœlum internum item erunt idem, cumque homo ille internus ſit corpus quoddam mortale, vt ſentit *Crollius*, Aſtra, Imaginatio, cœlum internum erunt corpora inuiſibilia mortalia.

Harum nugarum ſi principium quæras, nullum inuenias. Sed *quæ ſunt illa appellata aſtra?* Negat eſſe *cæli carbones* (ita facetus homo appellat aſpectabiles Planetas) Pag. 34. ait *ſpiritus & aſtra in homine ſunt vnum.* Quæ ergo in ſuperioribus de ſpiritu hominis audiuimus, eadem de aſtris dicta eſſe accipere debemus. Spiritus autem ille ſydereus eſt verus homo aſtralis. *Aſtra ergo erunt verus homo aſtralis*, & proinde ſi quæras quid eſt imaginatio, quid cœlum internum, quid homo, reſpondebitur: eſt verus homo aſtralis.

Aſtra Crolliana.

Rurſus pag. 36. *Aſtra ſunt omnium rerum corpus inuiſibile.* Hinc ſequitur imaginationem hominis eſſe inuiſibile corpus omnium rerum. Si item homo eſt omnia quæ Deus creauit; Imaginatio quoque erit omnia. Hinc molliter colligunt: Aſtra ſunt omnium rerum incorporeæ ſpecies, quæ repræſentantur imaginando.

Id quod imaginamur eſt ſpiritus incorporeus. Hic tranſit primò in corporis ſimulacrum, ſeu ſpectrum, poſtea corporaſcit magis. Sic ergo quicquid magus fixe cogitat ex inuiſibili fit viſibile ſine præſtigiatrice magia. Hæc eſt ſumma fatuitatis. Pag. 25. *Aſtra ſunt arcana quæ Chymicus ex materia vltima in primam reducit.* Hanc aliam ſignificationem eſſe neceſſe eſt, niſi velis imaginationem eſſe, quintam eſſentiam magiſterium & alia Chymica. Pag. 19. *Aſtra ſunt vincula rerum in inuiſibilibus elementorum Theſauris latitantia, Mundi ſpiritus diffuſus per omnia, eſt omnia aſtra*, inquit pag. 16. Seuerino, Hartmanno & ſimilibus phanthaſticis Philoſophis Elementa illa in quibus Theſauri eſſe dicuntur ſunt loca vacua: Et tamen munita valida poteſtate. Spiritus mundi Hartmanno eſt æthereus, maxime à ſole macrocoſmi effluens & à luna ſuſceptus vnde ſublunaria immittitur. Sol naſcentium pater dicitur, luna mater, &c. vt ſtultorum ſomnia videas. Omnino nihil determinati eſt in magia iſta Gabaliſtica. Scientia ergo eſt falſi nominis, & vt Deus eſt autor ordinis, ita aduerſarius Dei diabolus eſt confuſionis: vt ille veritatis, ita hic mendaciorum. Ex magia iſta confuſa agnoſcis autorem eius Diabolum. Huius fecis eſt & quod ſequitur: *Imaginatio eundem cum cœlo retinet curſum, naturam & potentiam*: Putidum enim eſt commentum, ſiue intelligas cœlum internum, quod dicitur eſſe aſtra omnia, & ſpiritus mundi per omnia diffuſus ſiue firmamentum macrocoſmicum. De cœlo magico, ſeu Diabolico noſtrum non eſt diſputare. Libenter id magis relinquimus. Cum imaginatio intra homines fiat, internum cœlum intelligendum erit. At hoc quia diffuſum eſſe dicitur per omnia, quomodo ſimul poteſt imaginatio per omnia diffuſus ſpiritus eſſe? Et ſi diffuſa eſt per omnia, non habebit eundem curſum, naturam & potentiam etiam cum cœlo externo, cuius modum ſcimus eſſe ordinatum proficiſcentem ab interna virtute, naturaque regulari, & minimè confuſa. *Imaginationem multas producere poſſe actiones*, ſi de vera ſentias, per accidens concedas: Sin de fictitia illa magica, rideas. Quod .n. non eſt, nihil poteſt producere. Sed non ſatis eſt in Phyſicis deliraſſe: impietate Theologica Phyſicum deliramentum eſt augendum. Paulo ante dictum eſt *Crollio autore, Aſtra eſſe eſſentias quas Chymicus ex miſtis extrahit: alio modo eſſe hominem internum, qui ſpiritus ſydereus dicitur: eſſe ſpiritum mundi: eſſe omnium rerum ſpiritum & corpus inuiſibile: eſſe imaginationem*, quam conſtat plura falſa fingere quam vera; & tam eſſe malorum, quam bonorum: Iam diſcimus eſſe *ſapientiæ Dei creatæ, hoc eſt, angelorum virtutem: eſſe verbum Dei incarnatum: eſſe id quo cognito Deus ſit cognitus*, quaſi Deus, Imaginatio, Angelorum virtus & cætera ſint vnum & idem: qualem blaſphemiam vix apud alium ſcriptorem inuenias. Si aſtra ſunt *virtutes angelorum*, nihil erunt eſſentiale. Qui ergo corpus ſydereum hominis? Si *angeli ſunt creata Dei ſapientia*, non ſunt ſpiritus eſſentiales, ſed accidens quoddam creaturæ rationalis, ſicut cum *Salomoni* Deus ſapientiam largitur. *Quod ſi eſſent ſapientia per eſſentiam, Deus eſſent. Nulla enim eſt eſſentialis ſapientia præter filium Dei, per quem omnia ſunt condita.* Quin & Diaboli fuiſſent eſſentialis ſapientia, qui tamen ſapientia excuſſa in dementiam ſemetipſos præcipitarunt, vt inuenta ſit in ipſis ſtultitia. Si vis credere, Gabaliſtica Paracelſi & Crollij aſtra ſunt ipſe Diabolus, qui per ſuos vates inſidiatur honorario titulo filij Dei. Falſum & hoc eſt, quod, *qui Deum cognouit cognouerit etiã aſtra magica Paracelſi.* In ſacris literis notitia Dei reuelata per filium eſt: at *nihil de aſtris Paracelſi*, neç quicquàm per aſtra. Multo minus *gradatio* illa vera eſt, quod *notitia* aſtrorum gignat notitiam Dei, Dei macrocoſmum notum faciat, ex quo microcoſmus innoteſcat. Imo potius omnium rerum inde ſequitur inſcitia. *Si enim neſcias aſtra neq; Deum, neq; magnum, paruumque mundum noueris. At neſcis aſtra.* Ratio eſt, quia tam variè, & confuſe deſcribuntur vt, quid ſint, ſcire non poſſis; ſed nec ſi conſtans daretur deſcriptio, ſcientia eorum eſſet vlla. Rei enim non exiſtentis nulla eſt ſcientia. *Sequitur ergo magiam Paracelſicam eſſe omnium rerum ignorantiam*, idemque ſignificare imaginationem. Aſtra medicinalia porro *eſſe Dei verbum incarnatum, quod Paracelſus in creaturis inuenerit tum verbis inſanum eſt, tum re impium, & in Chriſti incarnationem contumelioſum.* Sic autem loquitur: *Paracelſus ſcripſit de ſecretis naturæ & miraculis Dei*, hoc eſt, *de verbo Dei incarnato in creaturis reperiendo, quod Medicina, & vitæ noſtræ baculus eſt. Per hoc enim verbum* FIAT *totius mundi ſemen cœlum, & terra creata ſunt, illudq; in omnibus creaturis efficax eſt, & cui merito creaturæ tanquam animæ ſuæ ſubiectæ ſunt, &c.*

An aſtra ſint virtutes angelorum. An angeli Dei creata ſapientia.

Gradatio impia.

Magia Paracelſica & imaginatio eſt omnium rerum ignoratio.

Paracelſo eſt duplex verbum Dei incarnatum. Pagin. 46. Crollii.

Quomodo

Quo modo *Iohannes* ſcribat verbum fuiſſe in principio,& omnia per ipſum creata eſſe, idemque fuiſſe Deum, qui poſtea caro ſit factus, ſcimus ex Euangelio. *Crollius* loquens de medicina Paracelſica, & ſanationibus magicis per *characteres*, & *lapides*, in quibus fiat *coniunctio ſuperiorum & inferiorum aſtraliter*, impiè abutitur ſanctiſſimis ſcripturis, cumq; non poſſit eſſe idem verbum *creator, & virtus medicinalis in creaturis*, conſequens eſt blaſphemè *duplex verbum incarnatum* ſtatui, vt taceam reliquas impietates iiſdem verbis incluſas. Verbum, ſeu *filium Dei incarnatum* eſſe verbum *Fiat* vbi ſcriptum eſt? Significatur quidem per illud, egreſſum ex trinitatis ſacroſanctæ templo ad res creandas, quædam eſſe facta (ter.n.tantum ponitur) vt ſit potentis voluntatis filij Dei edictum; at non ipſe Dei filius, niſi dicas ipſum extra ſeipſum egreſſum eſſe. Exponitur etiam aliter, nempe quod vbi ponitur, nota ſit decreti totius Trinitatis. Id poſtea filius executus eſt quod indicatur ſtatim ſequentibus; & facta eſt lux: & fecit DEVS firmamentum, &c. Itaque neque hoc modo poteſt eſſe Dei filius. Ductum autem id commentum eſt ex Hermetis & Platonicorum Magorum diſciplina, qui de Filio Dei itidem vane garriunt. *Cœlum & terra ſunt partes mundi, non mundi ſemen*.

Nota qualē imaginationem homini tribuat Crollius.

Ad XIV. Nomina varia imaginationis non indigent refutatione. Confundunt enim & confutant tum ſeipſa mutuo, tum totam *Crollij* magiam. Quam ſtultum enim eſt *imaginationem eſſe corpus hominis?* Si eſt corpus, qui ſit Genius. *Genium* vocant Ethnici *naturæ humanæ Deum*, aut ingenitam vim quamdam: alij *angelum hominis cuſtodem*: Magi *ſpiritum parhedrum*, qualem habuit *Socrates*, & qualem *Crollius* mox appellat *familiarem homunculum ſophorum*, hoc eſt, Magorum, Spectrum, Eueſtrum vaticinans & Propheticum, nempe Pythonicum qualem ſpiritum habebat *puella Philippenſis* Actor.16. v.16.17. Collige ergo hinc cuiuſmodi ſit illa magia Paracelſica, & qualem imaginationem *Crollius* commendet, nempe *Pythonem Diabolum, ſpiritum familiarem*, qualem habuit *Fauſtus, Tritemius, Agrippa, Simon Magus, &c.* qui non eſt genius bonus, ſed peſſimus impoſtor, Sathanas, Serpens antiquus, qui totum ſeducit mundum, Princeps huius mundi, ſpiritus tenebrarum, princeps poteſtatis aëris, qui potens eſt in filios incredulitatis, potiſſimumque magos exercet, & ſimulato agelo lucis eos egregiè decipit ſicut *Cornelium Agrippam* canis. *Adech* dicitur à Paracelſiſtis ille fictitius, & ſpiritualis homo interior: quem cum *Crollius* etiam aſtra, & imaginationem vocet, ſibi conſentit. Differt tamen nonnihil ab *Eueſtro*. Nam *Adech eſt interior homo*, hoc eſt, intellectus (ſi Ariſtotelicè loqui velis) cogitans, & Ideas earum rerum proponens quas foris velit homo efficere, veluti, ſi quis ſerram facturus, prius intra ſe formet imaginem eius artificioſo intellectu: *Eueſtrum* autem nuncupatur Spiritus Propheticus, aut interpres vel coniector, qui aliquid ex ſigno dato præſagit. *Crollius* omnia miſcet, confunditque in vnum Chaos. Itaque & *Lar gentilitius*, nempe dæmon domeſticus & familiaris & *Penates* ſunt in ipſius imaginatione. *Lumen naturæ* appellat ridiculè. Quo modo lumen ſit iſta caligo dæmoniaca & Sathanica? *Duo ſunt lumina Crollij*: vnum *gratiæ Spiritus ſancti*: alterum *naturæ*; quod cum ſit Adech, Eueſtrum, genius, familiaris homunculus, vmbra inuiſibilis corporis homo vmbratilis (his enim nominibus appellatur) qui aliud ſit quam princeps tenebrarum, & ſpiritus malus? Pag. 14. *Lumen naturæ nihil aliud eſt*, quam mundi viſibilis cum corpore microcoſmico diuina quædam analogia. Num ergo hæc eſt vmbratilis homo, & genius tenebrarum? Pag.25. *Lumen naturæ eſt* quod homini naturaliter omnia influit. Hæc deſcriptio imaginantem hominem facit Diaboli diſcipulum, vt qui ab homunculo familiari, Eueſtro, ſpectris, &c. omnia cognoſcat. Ecce tibi *Crolli*, vt ſorex te & tuam Magiam prodidiſti.

Lumen naturæ.

Ioh. Harmannus in diſp. Hermetica II. Natura, Leo viridis. Incombuſtibus ſulphur, ignis ſapientiæ, ignis naturæ viuus, ignis Hipp. vniuerſa mouens, πανσπερμίαν orphei, prædeſtinatio Paracelſi; ſpiritus æthereus in corpore plusquam glorificato, ignis, lumen & numen naturæ, &c. Hæc omnia in vnum Chaos ſine demonſtratione confundit. In ſchemate mundi primo circulo vacuo *Crollius* inſcripſit: Luminis naturæ bonum finitum. Conciliet aliquis Paracelſiſta hæc: *Imaginatio eſt omnia aſtra, mouetur q; ſicut cœlum: Imaginatio eſt corpus hominis internum: Imaginatio eſt genius: Eſt vmbra viſibilis corporis, eſt ſpectrum, &c.*

Imaginatio eſt ſubſtantia: corpus & non corpus.

Opera magica.

Ad XV. Imaginatio iam *incorporea* eſt: prius erat *corpus inuiſibile* hominis, quanquam ſimul vmbræ ſomnium. Ea *exaltatur*, hæc eſt, intenditur, quod tamen ſubſtantiis negatum. Oportet autem ſubſtantiam eſſe ſi eſt ſpiritus, & homo, & corpus, & genius. Cum intenſa eſt, iungenda eſt cum fide miraculoſa. Quid fit? *Omnia magia operatur.* Sunt autem magica opera qualia *Tritemij*, qui *Maximiliano* primo defunctam coniugem ad viuum repræſentauit, non aliter ac *Saga Endorica Samuelem*; aut illius, qui vitem ex menſa produxit cum vuis, quas cum cultris abſcindere vellent hoſpites; pene quiſque ſuum naſum abſcidiſſet: aut alterius, qui lilium ex menſa exoriri fecit, quo reſecto minorem magum, à quo impediebatur, ne caput famulo ademptum reſtituere poſſet, capite priuauit: aut illius, qui affirmauit ſe *intra horas 24. poſſe omnia ſcire*, quæ et in remotiſſimis fierent: aut eius, qui alıena anni parte, & loco Oſtrea comparauit breuiſſimo tempore; aut *Tritemij*, qui hoſpitia inueniens non ſatis inſtructa, feneſtra pulſa dixit: *Affer*: Et ſtatim præſto fuit *lagena boni vini*, cum paropſide piſcibus coctis plena: aut Paracelſi, qui *per tria ſpecula omnia cognoſci* poſſe docuit: aut *Crollij*, qui *ſubito omnes morbos ſanat per characteres, Gamahaas, verba*, & alia Diabolica.

Hæc imaginatio hominis, hoc eſt, genius, familiaris ſpiritus, Python, &c. quando homo ſidem naturalem intendit, hoc eſt, credit firmiter Diabolum iſta facturum quæ magus imaginatur: (Nam vt *Bodinus* indicat, Magi volunt in ſe credi, vt & Diabolus, & vt autor eſt *Lercbheimerus*. *Tritemius* Gallo cuidam ſiſtere volebat furem, ſi crederet ſe id poſſe) eſt fons omnium operatio-

num

hum magicorum habens poteſtatem *gignendi corpora viſibilia :* Imò ſpectra, & imagines fallaces, præſtigiasque corporum vt hiſtoriæ docent. Alias nulla creata imaginatio poteſt corpora, aut eſſentias facere. Poteſt & amplius quid. Quodnam quæſo? *Præſens abſens omnes operationes præſtare poteſt, etiam quæ ſuperant captum humanæ rationis.* Impudenter mentiris Sathan. Nulli enim creatæ poteſtati hoc eſt conceſſum. Eſt ſane ſupra captum humanæ rationis, quæ Diabolus efficit à Magis ſolicitatus; vt: *non intelligimus quomodo Bohemo mago Piſtor potuerit totum pedem magnum ex coxa extrahere :* quomodo *Tritemius*, *Scotus* & alij in momento epulum frigido hoſpitij foco exhibere: quo modo vnica hora idem *Abbas* quendam principem docuerit Latinam linguam, ſeſeque transformauerit in omnem rerum ſpeciem, &c. At ſi iſta vltra captum humanum à principio externo, geniique mali poteſtate permiſſu diuino exiſtunt, non fiunt naturaliter, nec ſunt opera fidei, & imaginationis naturalis. Summa in homine facultas eſt intellectus & ratio. *Fides naturalis & imaginatio* intellectui ſubordinantur, eſtque imaginatio reſpectu intellectus valde materialis. Nihil ſupernaturale à cauſis naturalibus poteſt prodire. Patet itaque *imaginationem* illam *Crollianam* nihil aliud eſſe quam *Diaboli procurationem*, qui ſeſe ad tempus accommodat voluntati Magi, donec eum ſecum in infernum rapiat. *Modus productionis* iſtius Diabolicæ partim ſtultus eſt, partim impius. *Si imaginatio Magi ſic omnia producit, vti cœlo Sereno exiſtunt* ex vaporibus conſiſtentibus nubes, aut vt inducuntur aliunde nubes, *non gignit corpora viſibilia.* Iſta enim productio eſt præexiſtentium corporum ibi coagulatio, & ex immanifeſto interminatoque manifeſtatio, & terminatio aſpectabilis, hic inuectio. Neutrum autem eſt opus imaginationis, ſed, quantum ad Magiam ſpectat, mali genij permiſſu diuino natura abutentis. *Sin* autem *vult Magus ſic fieri, vt Deus ex nihilo mundum condidit, impius eſt in creatorem*, cuius gloriam transfert in Diabolum, & Magum. In hiſtoria *Eliæ* legimus quod orando produxerit trium annorum, & ſex menſium ſiccitatem, rurſusq; pluuiam à mari aſcendente nube. Cœlo ſereno nubes ingruerunt *non ex nihilo factæ ſed potentia diuina inuectæ*, quibus ſimul aër condenſatus eſt, vaporibus & halitibus ſe iterum ſiſtentibus. Ita & diluuium generale eſt exortum. Noluit Deus ex nihilo aliquid producere poſt ſextidui primi quietem. Ex inconſpicuis cum fiunt aſpectabilia per Emphaſin, aut Syſtaſin, fiunt vel naturali principio de quo Phyſici, vel diuino, de quo Theologi. Iob. 26. v. 8. & cap. 18. 26. Pſalm. 146. verſ. 8. Diabolus per ſtriges, magosque ſuos Deo permittente, cum princeps ſit aëris. Epheſ. 2. verſ. 2. naturam ſimiliter mouet, vt tempeſtates, procellæ, grandines, &c. fiant. Egregia laus Magiæ Paracelſicæ eſt, ſi idem poteſt quod malus genius ad voluntatem, ſeu imaginationem, & fidem ſagarum.

Impudentiſſimum mendacium magi quod præſens abſens omnia poſſit.

3. Reg. 17. 1. Eccl. 48. 2. Iacob. 5. 16.

Triplex Nihilum, Deale, negatiuum, priuatiuum, ſapientiam *Crollij* in ſtultitiam mutat. Quod enim Deale dicitur, nempe quod anteceſſit omnem creaturam, quid aliud eſt quam totius naturæ negatiuum? Omnia enim Entia creata negat. Alibi dicit idem Magus *Deum ex tenebris produxiſſe omnia? S. Paulus* 2. Cor. 4. 6. ſcribit, Deum de tenebris lucem ſplendeſcere iuſſiſſe (ἐκ σκότους φῶς λάμψαι) quæ tenebræ in Geneſi dicuntur fuiſſe ſuper faciem abyſſi, quibusque Iobi 38. verſ. 19. locus ab homine abſconditus tribuitur, & quæ Dei creaturæ dicitur Eſai. 45. verſ. 7. *Si tenebræ ſunt creatæ, ante principium creaturarum non erant, nec poſſunt eſſe materia.* Si ſunt illud nihil Deale, vt loquitur Magus, priuatio lucis ſunt, ſeu luminis, quia hoc ſaltem poſt illas ſecutum eſt, motu eo, qui eſt ex contrario in contrarium. *At nihil primum* non lucem tantum negat, ſed in vniuerſum omnia creata.

Nihilum triplex.

Ad XVI. *Spiritu ſydereo hominis imaginante effici peſtem* non plus veritatis habet quam cætera mendacia. Confundunt autem ſe Paracelſici ipſi ſua varietate. Iam enim dicitur ex *menſtruis mulierum* exoriri, iam ex *cœli Baſiliſco*, & aliis monſtris, de quibus non eſt vt plura dicantur. Inepta locutio eſt iſtum *ſydereum hominem eſſe imaginationem ipſam, & ſimul diuerſum quid ab imaginatione.* Aliud enim eſt imaginans homo, aliud eius imaginatio. Si hac peſtis efficitur, eſtque eadem Genius, Spectrum, Eueſtrum, Adech, &c. Peſtis diabolica erit à Magis Sathanicis per Diabolum conflata; Et ſane Deus punit peccata hominum permiſſione malis ſpiritibus facta. Non tamen ſemper operatur illis miniſtris. Nam in *peſte Dauidica*, & ſtrage *Aſſyria Angelus Domini* vocatur, vt & Pſalm. 34. v. 8. Non ſunt mali angeli, qui Pſal. 103. verſ. 20. dicuntur *virtute potentes facere verbum Domini:* non mali Angeli, qui Sodomas euerterunt hoſpites prius *Abrahami*, vbi etiam *pluit Dominus à Domino:* vide Geneſ. 19. verſ. 1. 13. 22. 24. nec malus angelus Exod: 14. 19. Per imaginationem, ſeu magicam, ſeu aliam hominum, nunquam Deus peſtem immiſit. Morbus autem aliquos imaginando induci in corpora propria, aliquando contingit, ſed non ſine affectu & diſpoſitione. Ita matres ſibi cohærentes fœtus poſſunt deprauare. Cum faſcinantur equi; agni, tenelli pueri, & fit ſpirituum, & halituum venenatorum in paſſibilia corpora mediantibus ſpiritibus eorundem impreſſio. Spiritus valens, ſpiritum imbecillem, maximè qua patet vt in oculis, facile inficit. Iſti ſpiritus intendi poſſunt cogitatione directa. Sed ad iſta nulla opus eſt *Magia*, nec ſufficit imaginatio. Quis quæſo alias tutus foret à malis hominibus? Imaginatio, vel potius cogitatio, fiducia, & affectus ægroti iuuare ipſum poteſt ad ſanitatem itidem citra *magiam*. Omnia vero iſta contingunt particulariter, & non ſolitarie. Multa enim concurrere oportet vt effectus ſequatur. Itaq; irridentur magi iſti, qui ex raro contingente, & accidente, particularique concludunt vniuerſale, *quaſi iſta natura ſit per ſe imaginationis.* Producit *Crollius Panaceæ Aſſyluanianæ, & fontis Miſnici hiſtoriam.* Bene illis iunxiſſet *miracula curationum Paracelſi* in principio. Vt iſta poſtea euanuerunt, vt & gloria fontis alterius ad *Iagſtum* flumen: Ita & Paracelſicæ Medicinæ efficacia diſparuit. Si Theologum interrogares de cauſa, reſponderet non *fidem miraculoſam, quæ eſt ſingulare donum Spiritus ſancti*, quod hominibus confertur, ſed *aliquam operationem occultam geniorum*

Peſtis ortus.

Faſcinum.

talium, quales sunt, qui mira calliditate hominis à fiducia erga Deum ad creaturas abducunt. Ratio est, quia compertum est ***eadem fieri ad statuas superstitiosorum***, & olim facta esse ad ***Ethnicorum simulacra***, cultus dæmoniorum, & similia.

Paracelsici multa tribuentes suæ fidei, & imaginationi, nihil præstare possũt, sine ope mali genij.

Quod autem ***Christus*** dicit ***omnia esse credenti possibilia***, id neutiquam est ***magicum***, nec ***phantasiæ humanæ opus***, vti arguit etiam experientia. Si ***Crollius*** potuisset sua phantasia morbos curare, frustra proposuisset chymica remedia. Si noluisset, amorem erga proximum violasset. Relinquitur ergo istam sanationem magicam merum esse figmentum. Quidam fortuito sanantur, simplicitate quadam credulitatis disponente spiritus morbificos, & sanitatis procuratores roborante: vt illæ, quæ puluerem exiccatorium atramenti in Scripturis sumebant contra varia mala pro puluere ex lapidibus cancrorum, &c. Sed quid hoc ad ***Crollij*** imaginationem diabolicam? Cur ***Tritemius, Agrippa, Faustus*** & alij magi non vsi sunt ista sanatoria, sed potius incantatoria, & cõiuratoria magia quam habent cum strigibus communem?

Spiritus mortales elemẽtorum. Vide Cardanum lib. 16. variet. de Psellı dæmonibus in Elementa diuisis.

Ad XVII. Vt fabulæ sunt quæ ***Paracelsus de spiritibus mortalibus***. qui dicuntur ***inclusi esse elementis***, garrit, ita & quæ ***de imaginatione*** eorum. Diaboli terrei, aquei, aërei, ignei cum nocent, imaginando neutiquam nocent, neque etiam nocere possunt. Adde quo argumento probari possit spiritibus esse facultatem phantasticam, quæ sine corpore non existit? Neque enim inorganica animarum, angelorum, & dæmonum imaginatoria est illa Crolliana, quæ vocatur corpus sydereum, astra, homo vmbraticus, & reliqua: imo nec eadem cum organica hominis integri. Illa enim facultas, qua spiritus imagines rerum capiunt exposita est; nec indiget internunciis sensibus externis, & figuratione phantastica. Imaginatio est materialis quodammodo. Spiritus incorporei sunt nudæ formæ. ***Ratione humana ligari dæmonum elementarium vim, insipiens est effatum.*** Cur *Adæ*, & *Euæ* ratio integra non ligabat *Sathanæ imaginatoriam* cum ab eo deciperentur? Quo vero principio ista demonstrantur? Opinionis Paracelsicæ stultæ.

Pestis priuata.

Basiliscus pestifer.

Paracels. tract. 2. de pestil. tom. 3. pag. 73.

Impietas Crollij Deũ spolıantis honore suo.

Incurabilis pestis.

Ad XVIII. Ante hac audimus ***tres separatim Magiæ Gabalisticæ columnas, orationem, fidem, imaginationem***: nunc ***fides & imaginatio faciunt columnam vnam*** τῷ εἶναι. ***Imaginatio enim dicitur esse fides.*** Deliri Magi delira est oratio. De peste ante dictum. Hic de priuata & propria instituitur sermo carens capite, & cauda. Quomodo enim probas pestem priuatam fieri dum ***Basiliscum imaginando sibi procreat homo timidus?*** Quis est iste ***Basiliscus?*** Venenatissimum quendam serpentem esse persuasum est, at qui Poeticis, & magicis figmẽtis sit plenus. Quis vnquã talem vidit qualis describitur? ***Pestis generalis*** stultè fingitur ***ex solis Euestro seu Prophetico spiritu existere***, vel etiam ex ***Iliastro***, cuius stolida περισπόμαθα inuenis apud ***Dornæum*** in Dictionario Paracelsi. Itane vero? Quo argumento probas solem habere ***Euestrum***, qui ira commoueri ob peccata hominum possit? An non hæc est diaboli suggestio, calliditate hac à creatore hominem ad creaturas ducentis, vt non Deum putemus irasci peccatis, sed solis fictitium spiritum? Quid restat ***nisi vt solem colamus, eumq; reconciliemus?*** Qua ratione doces ***illum solis spiritum cum hominum spiritu participare?*** Qua doces eum ***per influxum stellarum*** inficere? Si naturalis est participatio & influxio, qui procreare possit pestem supernaturalem? ***Natura causa per se naturalium est.*** Si tali pesti nulla medicina potest resistere, desinite Paracelsici iactare astralia remedia fixa ex mineralibus, qualia nuper ***Scheunemanus***. Ista erit ***nona causa incurabilium*** à Paracelsistis morborum, quæ Panacæas, & vniuersalia in breue quiddam contrahet.

Exportationum magicarum prætextus.

Ad XIX. Si ***spiritu sydereo somniante, & imaginante sibi aliquid, corpus simul trahitur*** ad illud quod somniando, & imaginando sibi fingit, quoties cogentur Magi lectulum mutare, & vna nocte in plurimis locis esse? Nimirum sic somniant striges cum exportantur? Sic somniauit ***Tritemius*** quem ferunt ***vna nocte tres missas*** in locis non parum distantibus celebrasse: An non & hoc argumento clarum est ***Crollianam Magiam esse Diabolicæ prætextum?*** Scribit ***Iohan. Baptista Porta***, refertque ***Bodinus*** lib. 2. Dæmon: cap. 5. ***Magam quandam ab vnctione concidisse*** somniantem, & subsultantem: sed corpus in loco semper mansisse.

Noctambuli.

Idem confirmatur pluribus exemplis, nec creditur ista corporis exportatio à ***Lerchheimero***, & aliis nonnullis, quanquam aliquibus eueniat. Narret ergo sua conuenta ***Crollius*** puerulis par impar ludentibus, & in arundine longa equitantibus. Quod attinet ad ***Noctambulones*** dissimilimum est exemplum. Illi enim ***Semisopiti*** imaginationibus quidem percelluntur; sed prosecutio est validioris potestatis quæ præsidet locomotiuæ, nempe appetitus, affectus, & solicitudinis, &c. Actor: 12. ***Petrus in carcerem coniectus*** dormit inter duos milites. Præsto est angelus Domini, eumque educit nescientem vere se liberatum progredi. Existimabat enim se videre visum (ἐδόκει ὅραμα βλέπειν.) At eum angelus vere ducebat. Motus non erat inuoluntarius, sequebatur enim sponte ductorem, mouebatque spiritu animali, neruis, musculis & instrumentis progressiuis corpus: Ad hæc non *sola faciebat imaginatio*: Imò imaginabatur sibi esse visum inane sine re

Quid si aliquos ducat spiritus malus, vt illum, qui noctu in puteum descenderat? Deinde imaginatio non ratiocinatur. ***Noctambulones ratiocinantur***, & vtuntur mente, quanquam imperfectè, & caliginosè. Neque enim de periculo, & aliis circumstantiis cogitant. Ideo non raro videntur impossibilia vigilantibus patrare, sicut ille, ***qui noctu per funem se eleuauit in culmen domus, ibiq; expugnato picarum nido, pullos secum in lectum detulit.*** Id horribile visum vigilanti, & factum considerantı. Non possunt noctambulones ista difficilia, nec audẽt aggredi vigilantes. Magi vero, & striges bene vigilantes euolant, si quidem corpore exportantur, idq; non vi imaginationis à qua nusquam portantur, sed spiritus immundi.

Non autem neganda sunt corporeæ exportationes, licet nõ in omnibus fiant. Notum.n. nimis est quos-

quosdam à diabolo raptos & auectos fuisse. Ita *Simon Magus* volabat, & *Tritemius*. Alius *Magus* decem dierum iter vnico conficiebat. Audiui obsessum, postquam sanatus esset, *affirmantem se sibi visum esse tam leuem, ac si ventus foret, aut pluma: Ea leuitate se celerrime magna spacia confecisse, etiam per aquas.* *Obsessus qua vi vectus.*

Ecce tibi imaginatoriam corpora promouentem, quæ si vera esset, magi carceres nullos curarent. *Pater Cardani Magus magi* per spiritum familiarem, non per imaginationem passus est testaticas commotiones, & alia. *Card. lib. 16. variet. p. 1072.*

Ad XX. Oratio, imaginatio, fides, diuersæ fuerant columnæ Magiæ: paulo ante fides & imaginatio erant idem. Iam *fides imaginationis est caussa.* Quorsum hæc tam putida tendunt? Quis transfert, & *per longa spacia breui tempore vehit Magos? Sydus.* (Intelligo non id, quod in externo firmamento, sed sydereum spiritum, qui affingitur homini.) Qua vi sydus? *Impulsu imaginationis.* Quid hanc excitat? *Fides.* Crede ergo, Mage, te corpore tuo statim fore in aula Regis Galliæ, nuptias celebrantes, quod de quodam *Fausto* memorant, & de *sagis in cellas vinarias irrepentibus* constat, imaginatio tua *spiritum in te dæmoniacum excitabit*, isque te perferet quo voles. Credo tibi hoc vel iniurato. Nam quia imaginatio tua est cum spiritu tuo familiari, spectro, genio, &c. vnum & idem, quicquid imaginatio finget spiritus familiaris exequetur, & te etiam per inferni vestibulum, *vbi Paracelsus cum Auicenna disputauit*, vsque ad infimum tartari fundum traducet. *Mira Crollij leuitas in asserendo. Cum diabolus transfert magos, sydus dicitur id facere.* *Paracelf. ad inferni vestibulum delatus, qui et scribit, se literas ex inferno à Gal. accepisse. Mirum si Gal. sciuit esse quendam inter hostes à quo laceretur, mirum item quo tabellario miserit literas & c. Vide tom. 2. p. 11. & tom. 6. p. 399.*

Ad XXI. *Imaginationem ab affectu, & appetitu concitatam astra mouere, facereque, vt sic notam imprimant infanti, vt qui in pila tundunt ptisanam, aut aliquid incusso cribro instrumento formant, vel vt figulus sua fictilia figurat*, lepidum est nugamentum. Vbi iam excessus magni desiderii ab imaginatione moti, quo eadem mater suo fœtui morbos, vel sanitatem conciliat? Non satis est ab arte exemplum petere: idoneo & conueniente est opus. Oportet & demonstrare principio aliquo per se, vero sic omnino euenire in matre, vt in opere figulino, aut formatione per incussionem crebram mallei Vulcanii, qua arma parantur viro forti apud Homerum & Virgilium.

Cur non dicis, sic formari, vt à statuario statua lapidea? Matres sæpe imaginationibus falsis, veris, ambiguis vexantur, idque aliquando non sine pertinace molestia. Sed non semper fœtus notam accipit. Nos plus tribuimus affectui valido præsertim terrori ex improuiso, & concupiscentiæ, desiderioque valido, interdum metui, solicitudinique anxiæ, spiritum concitantibus ad faciendam impressionem, & cogitationi fixæ, per quam in eam partem dirigitur spiritus, humor, & calor, quam tunc in affectu mater tangit. In bestiis *æstimatiua* simile quid habet. Nulla fit ascensio & descensio reciproca astrorum fictitiorum; sed spiritus cum calore, & humore in affectu ex sensu concitato, etiam vnico impulsu spiritum plasticum mouet, qui sequacem, facileque figurabilem, aut alterabilem materiam pro conceptas speciê immutat. *Monstra sic fiunt*, quæ alicubi *Paracelsus* scribit esse opera tyronum in Vulcania microcosmica cœli humani aberrantium.

Verum fatendum est, multa in ea re esse, quæ non penitus possit explorare humana solertia, aciesque mentis, in hac vita valde obtusa, adeo, vt vix scintillam operum Dei consequamur. Iob. 26.24. 1.Corinthior.13.9. Ideo & solet scriptura de formatione hominis sic loqui, vt nostræ scientiæ parum tribuat. Iob. 10. vers. 8. 9. 10. 11. capit. 31. 15. Psalm. 139. Temeritas quædam est, ista de astris fabricatoribus ascendentibus, descendentibus, & se instar cœli in gyrum vertentibus in minore mundo, sicque formantibus in vteris fœtus assertiô. Si astra sunt ille spiritus sydereus, homo internus, genius, spectrum, imaginatio, &c. quis modus erit eius assensus, & descensus, dum homo nascitur? Si hic motus ei est naturalis, qualis est cum aliquid fit præter naturam? Quî signat superficiem corporis elementaris aspectabilis, & non potius sui similem hominem internum? Aut quo principio ista omnia sunt cognita, possuntque certo asseuerari? Num figmentis ducimur? Ars principium externum est operis. Declaratur quidem natura eius potentia propter analogiam aliquam, & similitudinem, sed interim sua peculiaria habet, quæ non sunt eadem. *Iob* sui formationem comparat fictilis, & casei confectioni. Hæ sunt res artis, vt & cum plasticæ seu statuariæ noster ortus confertur. Si quis inde velit concludere in semine humano latitare artificem similem, & ex materia affluente fabricare singula membra iuxta principia scientiæ suæ, & ideam quam concepit, is propagationem, generationemque naturalem minime naturaliter explicauerit, perindeque de ea dixerit, ac de domo, quam architectus extruit, & relinquit incolæ inhabitandam. At quæ ratio erit generationis secundum *animam? Adamus gignebat filium ad imaginem & similitudinem suam*, quod est naturalissimum in perfectis, vbi nihil per accidens interuenit. Inexplicabilis ratio est, qua mas gignit in fœmina, & hæc quoque in seipsa. Ibi necesse erit duas imaginationes, duos vulcanos, duos homunculos sydereos, Adech, Euestra, spectra, & quæ alia monstra Crollius cum imaginatione, quæ sedem suam primumque sensorium non excedit, nec in vteros delabitur, confundit cogitare. *Rom. 9. 21.*

Quomodo Cardanus per dæmones animas in corpora ducat & dirigat, habes pag. 1075. variet. De Scaligeri sententia dicemus in vitali Plisosophia Hartmanni. Sed hæc valeant.

Ad XXII. De *miraculorum productione* iam sæpe dictum est. In sacris *vera miracula confirmant Verbum Domini*, fiuntque Spiritus Sancti per suos ministros, cultoresque operatione, nisi impediat hominum incredulitas. Imaginatio eius, per quem Deus operatur mira, non semper est necessaria, quod indicatur historia hæmorrhousæ, & Petri Actorum 3. 12. vbi non imagi- *Miracula.*

nandi aut alii cuipiam suæ virtuti asscribit miraculum Apostolus, sed fidei in nomen Christi. *In fide nominis eius hunc quem vos videtis & nostis,* (sanauit) *confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est, dedit illi integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Qualis etiam potuit esse imaginatio *vmbræ Petri*, qua sanabantur infirmi. Act. 5. v. 15. Qualis *sudariorum Pauli, & semicinctiorum.* Actor. 19. 12. Qualis *ossium Elisæi*, aut *lotionis in Iordane*, de qua etiam dubitabat Syrus 4. Regum 5. 11. *Spiritus Eliæ duplex super Elisæo* requiescens faciebat opera. Itaque & *Elisæus*, cum putaret, DEVM *per baculum suum fore efficacem* in suscitando puero. 4. Regum 4. 31. fallebatur. *Elias* autem *oratione*, non *imaginatione*. 3. Regum 17. 21. 22. in puero vitæ reddendo vtebatur. Si imaginationis & fidei naturalis ista fuerunt, potuit contrariis impediri: Cumque *Simon Magus, Elymas, Pythonissa*, &c. Magi isti in actis potuissent ex sententia Crollianæ Magiæ imaginationem ad summum gradum vsque intendere, atque ita miraula apostolica irrita reddere, cur nihil tale contigit? Quod ergo dicitur, *imaginatio cum fide naturali omnia posse*, inane est commentum. Aut *eius qui sanat fides naturalis cum imaginatione & cogitatione respicitur, aut eius qui sanatur, aut circumstantium*, vt videre est in Paralytici historia. Sine fide diuina, fiduciaque nullum fit verum miraculum, vti nec sine potentia Dei, & voluntate. Quod autem necesse sit illa naturalia quoque adesse, firmioribus argumentis probandum est, quam Gabalisticis. Multa per accidens contingunt. Hactenus de tertia quoque columna, seu fulcro magiæ Gabalisticæ Paracelsi.

4. Reg. 13 v. 21.

SECTIO XII.

Esa. 47. v. 9. & seq. c. 19. v. 3. 16. 11. 12. 13.

Astra magica.

Structura medicinæ Paracelsicæ diruta, & falsus monarchatus destructus.

OMnibus iam collapsis quî potest consistere ædificium columnis impositum? Vbi iam tuæ sanationes magicæ *Crolli*? vbi *omnipotentia*? Sapientia tua, qua diuina humanaque polluisti in stultitiam versa est. *Astronomia*, quam dicebas *infelici errore* tantum ad cœlum & aspectabilia sydera à Mathematicis seu Physicis Astrologis alligatam esse, cum debeat etiam in aliis tam maioris, quam minoris mundi rebus quæri, euanuit, nec apparet vlla alia, quam illa priscorum vera. *Astra tua magica* figmentum sunt stultissimi *Paracelsi*, & in re habent nihil nisi mendacium, *cum nullus sit internus inuisibilis, syd. reus, corporeus homo, qui sit omnia astra, & omnia possit.* Super his tamen nugis non pudet Paracelsistas medicinam suam fundare, & tam se, quam alios decipere. Si ea sunt appellanda *astra*, quæ Chymicus ex mistis extrahit, vtpote rerum naturalium essentias stellarum elemento analogas, in quibus præter elementares qualitates sunt virtutes quædam & conseruatiuæ valetudinis, & restauratiuæ, aliæque occultæ, quas *tota natura & substantia rei* tribuunt Medici, fatemur & nos Medicinæ vnam columnam esse *Astrologiam*, sed quæ *parabolica* sit potius, quam propria, cum aliàs ad *Pharmaceuticen* pertineat, pendeatque ex Physica rerum naturalium, in qua & contemplatiuæ scientiæ fructum exhibet. Nam & Physicus Theoricus rerum naturas scrutatur, Medicoque præbet materiam ad praxin suam complendam.

In medicina multa eueniunt vi causarum latentium, quæ comprehendi artis regulis specialiter non possunt.

Quod autem inter medendum varia eueniant, & interdum etiam imperiti & temerarii aliquid consequantur: aliquando plus valeat affectus, & cogitatio, concupiscentiaque, (hæ enim tres facultates sunt in homine secundum *Platonem*, quæ aliter appellantur *vegetatiua, sentiens*, complexa sensus internos, externos, loco motiuam, ἢ τὸ θυμικὸν *& rationalis*, quibus singulis sui adhærent appetitus, seu prosecutiones bonorum, & fugæ aduersorum) quam Medici instrumentum & opera: nonnunquam in morbis quid diuinitus eueniat, aut à principio alio Deo permittente, id totum scientificis principiis comprehendi non potest, atque ideo non est de essentia artis. Itaque & talium nulla est scientia. Quis enim quæso miracula vere diuina comprehendat scientificis principiis medicinæ, cum ad Theologiam pertineant? Quis magica illa diabolica vanitatis, incertitudinis & impietatis plena? Quis denique etiam fortuita, quorum ratio certa homini non patet? *Confusio quædam ista est*, non methodica medicinæ tractatio, quam *Paracelsus* ex omni angulo puro, impuro comportauit, & *medicinali enti* admiscuit *Reale, magicum*, & alia peregrina, quæ tandem in vsu inueniuntur ab artis essentia aliena etiam ipsorum Paracelsistarum confessione. Quotus enim quisque est, *ni Magus sit*, qui non sanet per medicinas naturales, si sanat?

Lumen naturæ vocant magicas tenebras principis tenebrarum.

Mirari satis non possum, qua indulgentia correpti sint homines aliàs non illiterati, nec insipientes, vt cum naturalia remedia Chymica, non Chymica, vniuersalia, particularia magno numero certatim inueniant, proponant, describant, & alia insuper inuestigare non prætermittant, sintque in promtu non vetera illa tantum ex Arabum schola, sed & recentia *Lullij, Arnoldi, Vlstadii, Quercetani, Crollii, Penoti, Rulandi, Benguini*, & aliorum longo ordine, tantum tribuant *Magicis Paracelsi* non solum à legibus naturæ ordinariæ abhorrentibus, sed & prohibitis diuinitus, humanitus, ab Ecclesia, magistratu, patribus familias, quorum *quo quisque est Dei & proximi amantior, honestatisque publicæ, & vtilitatis communis studiosior, eo magis execratur abominaturque ista magica*, quæ ab operibus & sententia necromanticorum & strigum nulla re differunt, quã *prætextu diuinæ cuiusdam Philosophiæ ex lumine naturæ*, vti videtur ipsis, *& gratiæ*, cum tamen ignorent, *quid sit naturæ lumen, & quæ vis gratiæ*, ausintque ex corruptissima, maximeque cœca nostra post lapsum natura ea extruere, quæ ne integerrimæ quidẽ sunt concessa, fingantq; sibi omnia certa ex incertissima, maximeq; fallente imaginatione, ducantur opinionibus suis de rebus, quas nec demonstrare possunt veris principiis, nec opere sine sathanico auxilio complere: imo, quod ad stuporem vsque admirabile, in scenam pro authenticis autoribus producant PARACELSVM,

qui

qui nulla nec medicina, nec magia se defendere potuit à præmatura morte, & ne à veneno quidem, si verum est, quod narrat *Crollius*, cum aliis omnia promiserit: præterea etiam *Henricum Cornelium Agrippam, Tritemium, Picum, Hermetem Ægyptium.* Ricardus Argentinus de præstigiis dæmonum: Balaham filiis Israel fuit Propheta eo modo, quo Mercurius Trismegistus apud Ægyptios, & Sibyllæ apud alias nationes: qui tametsi plæraque vera cecinerint, idololatræ tamen, & dæmonum cultores fuerunt. Ita Simon Magus, Iupiter, &c. quos Diabolica Magia fuisse occupatos nemo doctorum ignorat. Sed vt Christus dicebat Luc. 22. 53. *Hæc est hora* (vltima) & *potestas tenebrarum*, qua princeps potestatis huius aëris operatur in filiis diffidentiæ, Ephes. 2. 2. & *eos ad voluntatem suam captiuos ducit.* 2. Tim. 2. 26. *Simulans interim Angelum lucis.* 2. Cor. 11. 14. *donec inueniat quos deuoret instar leonis rugientis.* 1. Petri 5. 8. *cuius miracula falsa, describuntur diserte* Matth. 24. 24. 2. Thessal. 2. 9. 10. 11. 1. Tim. 4. 1. Apocalyp. 13. 13. 14. *quibus dementat animos infidelium.* Actor. 8. 9. 10. 11. cap. 16. 19. cap. 13. 6. 8. 10.

Verum hæc hactenus.

* * *





D. O. M. A.

DE PHILOSOPHIA VIVENTE SEV VITALI PARACELSI IVXTA P. SEVERINVM DANVM EX REPETITIONE I. HARTMANNI CHYMIATRI MARBVRGENSIS.

Præfatio ad I. Hartmanni.



Ecordor, Iohannes Hartmanni, *mensæ illius amicæ, in qua an. 1601. in in Septembri vnà fuimus Marburgi, & prima amicitiæ deinceps colendæ, vti arbitrabar, fundamenta iecimus. Pollicebar mihi, & gratulabar quodammodo fidum amicum, qui non ita pridem ad Cl. Virum* Leonhardum Doldium, *anno nimirum 1598. in Epistola dedicatoria, qua ipsi libros* Scaligeri *de Plantis nuncupabas, non dubitauerat honorifica hæc scribere publice:* Gratissimum mihi certe fuit, tum à Doctissimo LIBAVIO, tum etiam abs te in literis ad Dn. Physicum nostrum, virum præstantissimum CHRISTOPHORVM MVLDENERVM Doctorem Medicum superioribus diebus datis honorificam fieri mei mentionem. Quod itaque ille tibi, tu vero Dn. LIBAVIO me nominare non dedignati estis, ambo certe aliqua animi grati testificatione rursus mihi promerendi videbamini, &c. *Paulo post:* Reliquam ad Dn. LIBAVIVM mihi viam muni, quo paulo post in vsum tanti viri totus irrepere possim. Neque enim eius ego auditum solum magno emerim, sed potius visum, qui instar alicuius arcani gaudii me subito multorum, quæ non nisi coram ventilari exquirique volunt, saturum reddere queant. *Hæc tu ibi. Cum postea vna essemus, verbis animum erga me tuum amplissime declarabas, teq; communi Chymiatriæ studio, quanquam adhuc Mathematum* Professor, *& delectari, & detineri, licet pauca admodum de arte propter alia, quæ tunc agebantur negotia colloqui possemus, iudicabas. Ita me suspensum, & minime dubitantem de beneuola tua erga me affectione tenuisti, donec Anno 1611. octauo Februarii literæ ad* Martinum Rulandum *tuæ, quam insidiose meam petiueris amicitiam aperirent. Ita enim scribis:* Quid non ausus est Libauius? Atqui tam rudis est in hoc magisterio sapientum, vt suppudere iam ipsum incipiat, huius libidinis editę & prostitutæ vniuerso mundo. Existimo hunc autorem vel salem, vel rorem intelligere. Quicquid eius sit, me non torqueo. *Hæc tu de Libauio amico ad amicum & meum & tuum* Martinum Rulandum, *non vulgarem, aut obscurum hominem, sed in plena luce aulicâ Cæsareæ Maiestatis, quæ, vt idem ad me* Rulandus, *studia Libauiana non leuiter commendauerat versantem.*

Ad eum tres epistolæ directæ sunt in lib. 3. epist. Chy. ep. 17. 18. 19.

Si mihi scripsisses, neque rorem, neque salem respondissem, sed Mercurium duplicem ex natura, quē ars elaborando plusq̃ perficit, & monstrassem tibi in meis scriptis veram sententiam etiam de sale.

Hanc scilicet sycophantiam (ignosce vera dicenti) de te meritus fueram. cum Anno 1598. te duabus meis Epistolis pro tuo honore in publicum missis compellassem. Quam amicissime & beneuolentissime ex te scire cupiebam, (neque enim illotis manibus ad illustrandam Chymiã accessi, sed consultis prius viris peritissimis, quos in Germania noueram, inter quos & te reponebam, quanquam vt video per errorem) rationem præcipitandi artificiose Mercurii. *Cur tu non eodem modo, iam aperte receptus in amicitiam, de vniuersali meæ sententiæ quærebas? Tu quidem nihil ad me de præcipitato scripsisti, at ego interrogantem sine liberali responso non dimisissem. Cum ad me literæ ad* Rulandum *à te datæ peruenirent, cognita illa perfidia clancularia, sine stomacho, vtpote humanis affectibus obnoxius, non fui, præsertim cum viderem etiam* Tanckii *animum (non sine tuis technis, vt par est, credere, cum etiam cæteris meis aduersariis, vt* Scheunemanno, *quod literæ eius innuunt, colludas, & in*

Lib. 3. epist. Chym. ep. 21. 22.

& in me conspires) alienatum, cuiùs tamen honorificum de meis laboribus iudicium VI. Augusti Anno 1608. hæc verba testantur: Libauium non odio prosequor: Imò amo eũ propter eruditionem, & commendaui eum multis, licet suspensa hedera non opus habeat. Interim tamen animus meus, nescio quo pacto, refugit cum eo per literas loqui, &c. *Solebam, vti etiam nunc, exercere Gymnasium mihi commissum quæstionibus & iucundis. & vtilibus scitu. Inter eas occurrit tuum de* instrumentis Drebelii, *cuius librum latinitate donatum, & scholiis illustratum meo syntagmati adieceram, iudicium, quod mihi minime videbatur sententiæ eius conuenire, sed ad magicum quid, qualia* Crollius *proposuit, deflectere. Disputaui contra id sine tua contumelia, & licet tibi etiam mecum de aliqua artis parte in certamen descendere. Si putas verius te sentire, age de eadem quæstione denuo disputa, & meam sententiam subruere conare. Qui vir sies, videbimus. Inter alia cum de variis* ex antimonio *medicamentis agerem, inueniebam etiam* tuam aquam vomitiuam, *quam Hassi tui, te scribente, vocant* D. Hartmannus Speiwasser. *De ea in literis ad Rulandum tuis legebam, & præterea in* Alexicaco chymiatrico Rulandi *pag. 29. hæc verba:* Iohannes Hartmannus D. in suis nuper ad me literis: Aquam ex infusione Antimonii (*Nota: Rulandus sic scripsit in impresso, sed literæ Hartmanni nil habent de antimonij vitro. Vtrùm aliis literis deceperit Rulandum, an hic ex sua opinione sic scripserit, parum laborandum est. Notum est, vomitiua talia fieri ex floribus quoq; stibij: ex vitriolo albo rosato: ex sale vitrioli, qui aptissimus est aquis, ex Mercurio, &c. Elutum colcotaris vomitiuum esse pridem sciuimus.*) rectè vitrificati possideo, cuius dosis est drachm. ij. quę in singulos annos insumitur mihi ad libras aliquot. Repetitur à variis locis, ac variis hominibus, ac propter blandum, quem plærumq; ciet vomitum, vocatur nostris hominibus vulgo D. Hartmanns Speiwasser *Hactenus ille. Volui & huius aquæ benedictæ meminisse, ne silentio præterirem aliquid arcanorum, quorum aliquam copiam congesseram. In* vitrioli chymicis *denuo erat aliquid tuum. Id ex* Quercetano *&* Rulando *cognoueram, cumq; videretur non pœnitendum medicamentum nomine* sulphuris vitriolati, *quod esset* basis Nepenthis Quercetani, *in publicum dandum esse vtilitas & amor proximi persuasit. Ex tuis ergo literis non descripsi tantum, sed & aliquanto studiosius parari, & exaltari posse admonui. De nomine mihi non placente ingenue scripsi,* non esse sulphur, *sed* Elixyr quoddam ex partib. vitrioli essentialib. abiecta terra, *quam* maledictam *aliàs soles appellare. Si offensus es, tui id animi vitium est. Publicæ vtilitati debes meam ingenuitatem donare, memor quod liberaliter philosophari non sit offendere; aut si est, cogitare debes iustum esse te pati, id quod alij similiter à te sunt passi. Inspice Philosophiam tuam vitalem, & perpende quam tu offenderis non viuentes tantum plurimos, sed &* priscos mortuos, viros toto orbe per omnes scholas liberales laudatissimos, *vt tuum* Paracelsismum & Seuerianismum *studiosis obtrudas. Mentionem tui faciebat* Quercetanus *in puluere* serpentino, *quam magnificentissimè. Ne seducerentur studiosi de laude nimia, quia eum affeceras, fuit detrahendum. Id ne ringeris? Sed pluris est publicum commodum. In* Bezoardico *videbaris* Crollium *oblique notare, vt & in* sulphure vitriolato Quercetanum, Wolffgangum Thalerum, P. Montanum, *& alios, quorum præparationes vocas* grassas & culinarias. Quercetanum *expressis verbis An. 1610. IV. Cal. Ian.* scribis ignorasse parare sulphur anodynum vitrioli, cum ante quinquennium (*circa an. 1605. fortasse*) esset in Germania, eiusque descriptionem & præparationem etiam 200. Coronatis habere non potuisse, licet viderit, eoq; sit vsus*: quem tamen an. 1611. 8. Febr. scribis,* descriptionem totidem coronatis emisse in Germania. *Tu ipse videris, quando* Quercetanus *emerit id, quod Anno 1605. vel circiter non potuerit obtinere, qui tamen videtur longe antiquius facere id sulphur, cum Anno 1603. in consilio pro nobili virgine scribat:* Pro certo affirmamus, præcipuam vim Narcoticam, quam Nepenthes nostra possidet depromtã esse ex vitrioli sulphure dulci, ex sulphure argẽti, tinctura coralli, essentia croci, & caphuræ, &c. *Rursus an. 1605. in defens. Hermet. med. c. 16.* obseruatur sulphur in vitriolo per ruffam quandam ochram dulcem, quæ ab eo facile separatur, (*sulphur seu ochra fœtida primum separatur in digestione soluti; aliud in coagulatione sidit. & à crystallis separatur: aliud abstrahitur forma olei;* Crollius *requirit etiam quoddam genuinum fixum pa. 223. quod anodymum vocat*) Quod verum lenitiuum, & verum narcoticum est, omniumque dolorum leuamen, & sedatiuum, quod in Nepenthe nostro alibi descripto tanquã basin constituimus. Colcotar aut fex illa rubra in fundo post ætherei Mercurii & sulphuris dulcis separationem salem in se continet albissimũ, cuius extractio maximum exhibet vomitiuum multis morbis vtilissimum, &c. *Hæc Quercetanus. Necesse est, notitiam eius habuisse antequam tuo tempore in Germaniam veniret. Audiui qui te*

D. Hartm. Speiwasser.

Sulphur vitriolatum anodynum.

mendacij accuſarent, affirmantes ex Gallia id ſulphur in Germaniam miſſum eſſe, nec deſunt, qui dicant, te id poſt editionem ſyntagmatis paſſim fateri. Sed tu ſoles ſic tractare viros eruditos, quod apparet etiam ex iudicio de libello cuiuſdam de medicina vniuerſali. Credibile mihi eſt, inquis, eum eſſe ex iis, qui pruriunt in officinis ſua nomina proſtare, multa promittere, & tamen paucà ſcire. Crede mihi, qui ſcientiam iſtius arcani habuerit, ille vix dum à morte ſua, nedũ viuus velit innoteſcere ingrato huic mundo, tantum abeſt, vt his nundinatoribus ego adhibeam fidem, vt potius hanc proteruiam abominer, &c. Quæſo te in his te tanquam in ſpeculo contemplare. Eſne ſicut Pater cœleſtis, qui ſuum ſolem bonis & malis immittit; & vt Iacobus loquitur, dat omnibus ſimpliciter, & non improperat: vel vt Plato, qui, quia bonus erat: bonum autem nullius tangit inuidentia: ideo mundum condidit. & hominibus incolendum, vſurpandumq́; dedit: imo qui ſic dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum pro vita eius dederit? Nimirum tu eris ille ſeruus malus & piger. Matt. 25. qui concreditum ſibi talentum defodit, & domino ſine lucro redhibuit. Cur autem nolit innoteſcere vniuerſalis medicinæ poſſeſſor? Quot ſunt viri ingenioſiſſimi, qui iſtius artis ſcientia ſuum nomen immortalitati conſecrarunt? Verum hæc faceſſant. Relatum mihi eſt, te nouas exercitationes publicaſſe, & in præfatione multa in me ſcommata iecisse. Es enim ingenio ſcoptico & irriſorio, hocq́; vitio multis es notus. Non curo tua ſcommat. Satis enim expertus ſum, iſta eſſe arma hominum nauci & nihili, qui cum non habeant quod ad res dicant, in vituperia erumpunt, vt nuper Guipertus ille Lotharingus poſt integri decennii ſilentium omiſſa reſponſione ad argumenta, plurib. conuiciis quàm pro onere aſini me proſcidit, quæ ars fuit & Michelii & Palmarii, aliorumq́; meorum hoſtium. Tu tuis ſcommatis & aculeatis nugis ſuauiter delectare. De amicitia delapſus es, inimicitiam ſi rectè exerces, cogita non deſore, qui tibi paria reddant. Ad me quod ſpectat. non te illiberaliter infeſtabo, ſed ingenij certamine inſtituto tuam philoſophiam viuentem ad examen pertraham, & fortaſſe etiam alia ſequentur. Non. n. committendum eſt, vt veritas ab opinionibus vim patiatur. Argumenta argumentis, non perſonæ opponam. Tu vide, vt quæ propoſuiſti, & ex ſacrario tuo per Hermetem in publicum dediſti, principiis ſcientificis modo conueniente probes.

Hartmann. bonorum irriſor.

SECTIO I.

OMnia noſtra ſtudia debere ad Dei gloriam, vtilitatem publicam, ſalutemque noſtram referrī communis ſententia, & vox eſt omnium ſapientum, & bonorum. Vt Deus glorificetur, & cõmodum publicum promoueatur, vel vt Paulus loquitur, ædificetur Eccleſia, non lingua, & voce cuius virtus ignoretur, loquendum eſt, ſed prophetandum, loquendumq; in reuelatione, ſcientia, Prophetia, doctrina: aut ſi linguæ myſticæ adhibentur, interpretatio eſt addenda. Id requirit charitas. Si linguis hominum loquar, inquit Apoſtolus, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, ſi omnem fidem habuero ſine charitate, nihil ſum. Quid autem Charitas? Non inuidet, non inflatur, non agit inſolenter, non quærit quæ ſua ſunt, congaudet veritati, & quæ alia eidem. 1. Corinthiorum 13. tribuuntur. Iudicet hinc Philoſophiæ illuminatæ ſtudioſus charitatem ne habeant illi, qui omnem ſcientiam & myſteriorum cognitionem ſibi tribuunt, non autem ea ſic in publicum conferunt, vt proximo, ſalutique communi inde exiſtat emolumentum, & alius videns donum Dei. (Quid enim habes quod non accepiſti?) gloriam eius prædicet. Non autem collocant ſua dona bene illi, qui ambitioſiſſimis magnificentiſſimisq; in publico ampullantur verbis, & profundiſſima rerum ſecreta promittunt quidem, aut præ ſe ferunt, ſed omnia per ænigmata. parabolas, & obſcuriſſimas perplexitatum ambages, quas tandem ne ipſi quidem, vt memoria lapſi, explicare queant, nedum alii diuinare quid voluerint, enunciant. Euenit his quod Paulus de lingua loquentibus dicit. Nam inſani iudicantur à Lectoribus. De rebus magnis erat expectatio. At parturiunt montes, prorepit fabula vulgi. Verba vendit Hermodorus. In aere ambulant magniloqui iſti. Nihil afferunt commodi. In admiratione eſſe quærunt, vt dii aliqui videantur: ſed in contemtum abeunt. Tales noſtro tempore ſunt plærique Paracelſiſtæ & Seueriniani. Blaterant per verba obſcura de rebus, vt videri volunt, ſummis, quaſi inter Dei genua dormiuiſſent, & nuper de tertio cœlo deſcendiſſent. Si conſideres penitius, NVGAS deprehendis temerarias, & inaniores, ampullis aqueis, vanioresq; ambubaiarum garritibus, aut febricitantium ſomniis. Dicunt, arcana nulli eſſe reuelanda. Si hoc Deus cogitaſſet, nihil eis reuelaſſet, & ſane, quia quæ Paracelſiſtæ ænigmatice tradunt, nihil ſunt, niſi deliramenta Magorum, quæ lucem non ferunt, ne redarguantur, vt Chriſtus dicit Ioh. 3. v. 20. aut opera infructuoſa tenebrarum, quæ in occulto fiunt, & lucem fugiunt. Epheſiorum 5. verſ. 12. &c. quibus non eſt communicandum: merito manenti intra furua magorum penetralia, abyſſiſque & adytis æternis clauduntur, vt mali angeli, quos Deus cathenis noctis in tartarum detrahit, ibique vinctos detinet. At porcis margaritas, & ſanctum canibus dari vetant. Sed probare prius debent, ſintne margaritæ & ſanctum ea quæ comminiſcuntur. Euangelii doctrina myſterium eſt æternis ſeculis tacitum. At quid de hac Chriſtus? Ite in vniuerſum mundum, & prædicate id omni creaturæ. Item: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Et,

Non obſcure, ſed aperte philoſophandum, eſſe inter doctos.

Magno conatu & ambitioſo faſtu maximas nugas loquentes.

quod

quod in aure auditis, prædicate super tectis. Nihil est opertum, quod non reuelabitur: nihil occultum quod non scietur.

Confer cum Euangelio tua arcana obscure Philosophe: Fabula erunt. Hermetici quidem suum disciplinæ ius habent: Eos intelligit, qui argiis scientiæ est initiatus. At nostri *Paracelsistæ subinde noua monstra excogitant*, totiesque mutant disciplinæ morem, quoties mentem *vertumno quouis inconstantiorem.* Quod si deprehendantur, refugiunt in atramentum suum, & in omnia rerum miracula se vertunt, vt latere possint. Hi suæ dementiæ quidem sunt relinquendi, & quia nolunt inseruire proximo etiam in futuras ætates, despiciendi cum suis inuentis. Quam misere & turpiter Scheunemanus in sua Hygeia argentifera pro suis occultationibus alleget scripturis, & quam fœde decipiatur, dum putat, suum argentum viuum ex sublimato latere posse in superiore opere est ostensum. Illud rebus humanis non parum affert detrimenti, quod *dum illi sua celant, existant alii, qui quiduis per imitationem excogitatum substituant, atque ita istorum culpa crescat fraudum & impostura rum Paracelsicarum seges.* Peiores sunt, & nullo non odio, & execratione digni, qui *veteres disciplinas*, quibus per aliquot annorum millia satis commode vsus est mundus, *omni studio nituntur euertere*, & apud studiosam iuuentutem falsi suspectas reddere, cuius gratia in optime meritos Philosophos, & Medicos, pridem cum magna laude suo munere defunctos, inuehuntur, quam acerbissime. *Galenus, Auicenna, Aristoteles*, & alii vituperiis & calumniis quam rabiosissime proscinduntur, qua de re habes apud Paracelsum in Tom. 2. pag. 10. præfatione Paragrani, vbi scurrilibus verbis Auicennam, Galenum, Rhasin, Montagnanam, Mesuem, Aristotelem, Plinium, Porphyrium, Albertum, Æsculapium, & alios post se vocat: & Tom. 3. pag. 125. de peste magnæ fraudis accusat Rogerium, Bartobaliam, Guidonem, Lanfrancum, Theodoricum. alibi Lullium, Rupescissam, &c. vituperant. Hunc suum Cacophrastum imitantur spurii eius discipuli in hac quidem parte, in cæteris asini ad lyram. Ænigmata quædam, & perplexitates plusquam Pythonicas, & labyrinthæas excogitant, in quibus intelligendis dum desudas, perit tempus, perit omnis antiquorum labor. perit interpretum diuinorum & humanorum, qui veterum laboribus sunt vsi, & iis sapientiæ præcepta illustrarunt studium, & is qui se nouis acroamatibus dedit, neq; hoc, neque vetera consequitur, & tandem ne desperatus videatur, tantum scit, quantum ipse sibi fingit, euaditque Sophista in omni re incertus. *Glandes vocant ea quæ veteres docuerunt: fruges sua inuenta*: & tamen *non possunt carere veterum glandibus.* Ideo eas suis frugibus intermiscent, quæ ne appareant glandes esse, *nouo colore, nouoque interpretamento*, quod priscis nunquam in mentem venit, exornant. Ita *Platonis Ideæ, Hippocratis natura, Orcus Orphei, chaos*, & alia, nouas accipiunt tunicas.

Nulla est fabula poetica, nullæ præstigiæ magicæ, nullæ næniæ, & nugæ vetularum fabulantium, nulla deliramenta stultorum hominum, quin *Paracelsus* eis affingat aliquid abstrusi. Ideo contra *Aristotelem* errores vetusti, pridem ex Philosophia eiecti, *Democriti, Anaxagoræ, Empedoclis*, & aliorum reponuntur, & hermetice explicantur, quasi illi mera mysteria ab *Aristotele* non intellecta fuderint. *Sanctus Paulus* vocat stultitiam, quæ contra DEI Sapientiam insurgit. Nos oportet Spiritu Dei, & lumine scripturæ, naturæque vere, non *Paracelsicè, & Seuerinianè, Crollianè*, aut *Hartmannice* acceptæ, seu intellectæ, (Crepat enim istud hominum genus magicum gratiæ & naturæ lumen, sed sensu suo) assumtis, spiritus istos Hermeticomagicos iudicare, & pro bono publico ex amore erga proximum, proque Dei gloria arma sumere, non curantes insultationes asininas, & criminationes stolidas Paracelsistarum hominum corruptæ mentis, & circa opiniones suas fatuas temere vagantis.

Paracelsica Magia & perplexitas à diabolo esse arguitur, quia is est tenebrarum spiritus. Vide c. 12. de præstigiis dæmon. Ricardi Argentini Angli.

SECTIO II.

NOn poteras *Hartmanne* vertiginosum tuum spiritum, & caliginosam Philosophiam prodere, nisi Philosophis Medicisque priscis, & hodiernis, qui eorum inuentis doctrinaque libri scripturæ sententiis, & lumine illustratis vtuntur, Theonino tuo dente arrosis.

Peripateticorum Philosophorum & Galenicorũ Medicorum contemtus.

Disputationem Hermeticam instituis *aduersus errores & παρεκβάσεις materialium, & elementariorum ambulatorum.* Ita vero vocas eos, qui generabilium, corruptibiliumque naturam exponunt per elementa & qualitates eorum, vt fieri solet communiter in disciplina Peripatetica, & scholis Medicorum, quibus se Chymicarum suarum resolutionum, extractionumq; essentialium fiducia opponunt hi, qui Paracelsi nomine gaudent, & Galenicam medicinam plus quam vatiniano odio prosequuntur. Eosdem appellas *Aristotelicos tenebriones*; quasi te iudice *Aristoteles fuerit priuatus lumine veritatis*, & professus sit *insanientem sapientiam*, quem sequantur *vulgares de schola homines & superficiarii Philosophi & elementarij*, quos *Crollius* ignominiosis vocabulis sæpe traducit, appellans *Doctores scholasticos*, sensu scoptico, & *Rabinos Athenienses, submersos puluere scholastico, Philosophiæ Ethnicæ sectatores.*

Thrasones Athenienses, qui lucem tenebras; & tenebras lucem vocent, habentes suarum vanissimarum vanitatum vniuersum fere immundum mundum defensorem, qui non quærat veritatem, sed suum honorem, Pag. 58. Chymicæ. &c. Nihil facitis à *Monarcha vestro Paracelso*, & aliis desperatæ stultitiæ hominibus alieni. Ista est vestra professio, vestraque

Hartmanni vituperia in illos, qui toti mundo fuerunt honori, & quorum si minimus esset, lucem mille Paracelsos vinceret.

 sapientia

ſapientia *tradita à vetuſtis contemnere, explodere, irridere*, etiamſi apertiſſimæ lucis veritate ſint immota.

Non ita tibi *ſubtilium ſubtiliſsimus Scaliger*, qui in Indice ſubtilitatis ad exercit. 35. notat *Ariſtotelicos non niſi amentes inſectari, & calumniatores Ariſtotelis eſſe pecora, ſeu mures è piſtrino*, vt Sectio. 12. exercitation. 307. ſcriptum eſt: *Vnicum eſſe Ariſtotelem*, de quo exercitat. 194. ſection. 4. pronunciat, *Barbara ingenia leuiſsimis momentis impelli ad diuini atque incomparabilis* HEROIS *obtrectationem: duas eſſe aquilas ſolas in natura rerum, alteram bellicæ laudis, alteram literariæ: illam potentiæ; hanc ſapientiæ, Cæſarem & Ariſtotelem, quibus obſtrepant & obclangant milui, corui, vultures, noctuæ, veſpertiliones, cum tamen illi ſoli ſpiritum habeant, cæteri vt vmbræ oberrent.* Ariſtotelem *patrem humanæ ſapientiæ, & ſe eius alumnum nuncupare*, non veretur *Scaliger*, quem tu ſæpe citando indicas tibi non ſordere. Improuide certe in *Ariſtotelem* & *Ariſtotelicos* inueheris. De *Ariſtotele* ſcribere debuit *Crollius*, *Philoſophum eſſe omni æternitatis memoria & honore digniſsimum, cuius peritiam nemo adhuc inuentus*, (exceptis quæ legibus ſacris, & Rerump. inſtitutis ſanis ſunt corrigenda) *qui attingere, nedum ſuperare potuerit, verus Philoſophiæ Monarcha, &c.* Quis quæſo tu eſſes, niſi Peripatetica & aliorum Ethnicorum doctrina in ſcholis profeciſſes? Tune Medici gloria exultares ſine *Galeno*? Conſidera quam ingratus ſis *cuculus*, & immemor tum iuſtitiæ diſtributiuæ, tum præcepti Apoſtolici, quod nos iubet *omnia probare*, *bonum* autem *tenere*. Qui ſunt iſti tui *ambulatores materiales*? Tune cum tuis totus es formalis? Tune ſpiritualis? An materiam nullam tractatis? Nimirum quia ſoletis ἀεροβατεῖν, globum terrenum, qui tamen ſapientiæ Seuerianæ pars altera eſt, deſpicitis. Mathemata non ita pridem profitebaris ex ſcriptis gentilium, *quorum leges de prædictionibus euentuum circa voluntaria nempe, vanas pronunciat per Ieremiam DEVS ipſe.* Mathematici fere ſunt magi, & abſtractores, ſeu per aphæreſin philoſophantes. Ignoſcendum tibi eſt ad conſueta recurrenti, ſicut fortaſſis etiam Philoſophis iſtis, & Enthuſiaſtis Socraticis, qui mente mouentur extra corpus, & in ſublime rapti verorum ideas in fictitio cœli dorſo venantur, quorum philoſophari eſt, *extra corpus eſſe, mortuis ſimilem fieri*, μελετᾶν τοῦ θανάτου. Ita non eſtis materiales. Nos cum *Paulo*, *Quandiu in hoc corpore ſumus, neque corpus noſtrum materiale negligemus, neque animæ curam poſthabebimus.* Chymice loqui ſi vis, ne excedas limites eius artis, & relata non tranſmuta in abſoluta. *Peripatetici, quorum tu ſententiam ex Ariſtotele de analogis elemento ſtellarum non potes præterire, tam ſciunt diſcrepare materialia miſtorum, & formalia, quam vllus ex grege veſtro, atque etiam melius.* Rideo tuum tam ſuperbum cum *Elementariorum* ſcomma in Galenicos & Peripateticos iacis? Qui enim quæſo (aſſume batava perſpicilia vt acutius videas) magis ſunt elementares, Seueriniani Paracelſiſtæ, an Hippocratici, Ariſtotelici, Galenici? Quot *claſſes* quæſo habetis *elementorum*? Prima eſt *locorum vacuorum.* Prima enim elementa vocas *inania receptacula*, de quibus ſuo loco: Deinde *alia elementa* proponis, quæ ſunt *tunicæ ſubſtantiarum aſpectabiles*, inter quas eſt & *phlegma*, (ne humores Hippocratici & Galenici tibi ſint vſque adeo inuiſi) & *terra maledicta*, quam vocas, tametſi *in benedictam & virginem*, principium corporis Adami, vt aiunt, mutari poſſit, & tu quoque ſis ex terra Adamigena, inque eam abiturus. *Crollius* veſter præter illa loca habet *Elementa vera*, *Elementa corpora*, (illa enim ſunt inuiſibilia) *Elementa elementata.* Paracelſi doctrina adeo non poteſt carere elementis, vt & cœlum in eorum conſortium trahat, & ſingulis non tantum aſtra, ſeminaque implantet, ſed & ſpirituum quadruplex genus inſuperque *Flagas* innumeros.

Hartmanus ambulator formalis ſpiritu magico vertiginis prægnans.

Plato in Phædone.

2. Cor. 5.

Elementarij Seuerinus in Idea c. 5. Crollius in Chymica p. 15. & 19. ex Seuerino. Qui plures habent, profitenturque Elementorū claſſes quam Galenici, quorum etiā ſtœchiologiā ne poſſunt quidem vitare, ii magis ſunt elementarij, quam Galenici. Hartm. cum ſuis &c. Erg.

Redi ad *Hermetem* tuum, & percurre totam antiquam eius, *Platoniſque* ſcholam: vide Chymicorum priſcorum commentarios, & *Lullii*, quem *Crollius* contra *Paracelſi* calumniam, recte defendit & pag. 55. in margine *diuinum conſummatiſsimumque Philoſophum* vocat, *Arnoldi*, *Alberti Magni*, *Vlſtadii*, cæterorumque chymica ſcripta. De Elementis inuenies plura, quam in toto Peripato, & Galenia. Comprime ergo deinceps os tuum calumnioſum, & obtrectatorium, & priuſquam reprehendas Galenicorum, & ſcholarum, de elementis doctrinam diſce, *differere quidem iſtos Phyſicos de elementis tanquam ſimplicibus, ſed reuera neque in compoſitione, neque in reſolutione ſimplicia abſolute agnoſcere*, quid multis doceri poterat argumentis, ſi locus pateretur. Noſtra medicina felicior eſt, quam tempore Galeni. Nam *Arabum* & Saracenorum induſtria, laborcque ſuccedentium adiuta didicit *ſeparare craſſas & ſteriles partes à ſubtilibus*, & poteſtatum interiorum facultatibus præditis, quas per comparationem cum illis eſſentias cœleſtes, formas, aſtra, &c. appellat. Ita oculis ſubiicere poteſt id, quod *Ariſtoteles* tantum ratione aſſequebatur, & quod *Galenus* totius ſubſtantiæ, craſcoſque interioris, aut totius naturæ nomine creditur voluiſſe ſignificare. Hiſtoria creationis ſacra lumen affert maius, & indicat primordia iſtarum rerum, & tamen cum *Deus* originem & finem tum noſtri corporis, tum creaturæ corporeæ reliquæ docere vult, *non dicit, ex aſtris nos factos eſſe, & in aſtra reſolui*; ſed *Terra es, & in terram redibis*, qui & cœlos interituros tandem vaticinatur. Apoſtolo Paulo teſte, *Creatura vanitati ſubiecta eſt*, à qua tu eam tua Chymia non liberabis. *Eccleſiaſtes vidit cuncta ſub ſole* (proculdubio etiam tua chymica) *& ecce vniuerſa vanitas*, quo titulo Pſalmus 39. verſ. 7. ornat *omne & hominem viuentem. Omnia pergunt ad vnum locum*, inquit Eccleſiaſtes cap. 3. verſ. 20. *De terra facta ſunt, in terram pariter reuertuntur*: cap. 12. 7. *Puluerem in terram* reuerſurum, ait, *ſpiritum ad DEVM*, qui dedit illum, rediturum.

Rom. 8. vid. & c. 9. de maſſa form.

Syr. 40. v. 11.

Elemēta Galenica & Peripatet. corrumpūt ſubtiles Paracelſiſtar eſſent. aſtrales, ſicut Deus Chaldaor. Deos alios præter aqueū, elemētarē & ipsū.

Ecce Sacra Scriptura etiam eſt elementaria. Mirum eſt vobis adeo ſordere elementa, cum Chymicorum ſubtiliſſimæ eſſentiæ à flamma elementari conſumantur, & in eius naturam tranſmutentur, adeo, vt nihil aliud videantur eſſe, quam flamma potentialis. Conſidera olea tua quam exactiſſime elaborata, *Oleum Philoſophorum*, *Naphtham*, *ſuccini*, *&c. ſpiritum vini*, *Terebinthinæ*, & huiuſmodi. Quantum diſtant à flamma, in qua dominatur elementum ignis?

Legendus tibi eſt liber IACOBI ZWINGERI *de Principiis.* Rectius faceres, ſi tibi commiſſos

commissos studiosos *doceres prius intelligere elementa veterum, quam contra ea disputare.* Dum eosdem vocat *Aristotelicos tenebriones*, cerebro te deminutum esse, & oculis caligare ostendis. Remitto te ad tuum *Scaligerum*, cui addes Cardanum in 16. variet. pag. 802. vbi Aristoteli secundum locum inter subtiles tribuit, negatque tot seculis errorem conspicuum in eius scriptis reperiri potuisse.

Sunt sane aliqui, qui in Aristotele non satis oculate versantur. At tu omnes Peripateticos vno conuicio inuoluis more *Paracelsi istius, hominum & magorum omnium dementissimi.* Nobis non sordent *Aristotelicæ lampades per sacræ scripturæ lumen aliquanto magis illustratæ.* Aristotelem *priuatum fuisse lumine veritatis*, si euangelicam intelligis, & eam partem creaturæ, quæ ipsi non innotuit, vt & de creatione & interitu mundi, &c. non male dicis; & nos eam veritatē ex ipso nō expectamus. Sin aūt de astrali tua chymica loqueris, *tu ipse principium ex eius nobilioribus corporibus & seminaria naturæ spiritus, & caloris prolifici petis.* Mendacem oportet esse memorem. Doctrinam de Elementis ex *Hipp. Platone*, & aliis priscis collegit, & correxit. Redde, homo ingrate, quæ ex disciplina Peripatetica accepisti. Quam doctus Philosophus his apparebit. *Aristotelem porro professum esse insanientem sapientiam*, si respectu spiritualis & Euangelicæ doctrinæ dicis, non erras. Ita enim & Paulus 1. Cor. 1. v. 20. & cap. 2. 6. 7. 8. &c. Spiritualia enim animalis homo non intelligit, sed pro stultitia habet. 1. Cor. 3. 19. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* (quatenus scilicet diuinæ veritati opposita est,) Hoc nomine Apostolus Philipp. 3. v. 7. *Cætera detrimenta, damna, stercora reputat præ eminente scientia Christi, quem diligere melius est, quam omnia scire.* Hoc modo recte loquereris. At tu Paracelsica placita, & Peripatetica comparas. Hîc ignoscendum tibi est. *Insanis enim amore tuorum.* Insanis multa condonamus. Alioquin si non insanires, poteras respicere *Academiam Marburgensem*, cuius membrum esse gloriaris. *Illa cum laude antehac docuit Philosophiam Aristotelis*, &, opinor, adhuc docet. Num ergo *insanientis sapientiæ collegium est tua schola?* Cape hoc in aurem. *Aristoteles erat etiam Mathematicus, & Grammaticus, & bonus Dialecticus, nec Rhetor vndiquaque malus.* Tuam insaniam insaniuit. In Physicis tantum habet lumen, vt eo non possint carere etiam Theologi vestri, qui Caluinianam amplexi estis. Num ergo in sacras literas importatis insanientem sapientiam? Qui sunt *vulgares de schola homines Aristotelis insanientem sapientiam sequentes?* An tu non es de schola? Vulpecula fortassis es subruens vineam. Mirum quod tui Collegæ te tam superbum, quanquam scabiosum, pecus ferant. Illis proculdubio non est fastidio Aristotelis sapientia, licet permista erroribus Ethnicis. Si illi Sol Euangelicus fuisset exortus, melior esset Christianus, simulque Philosophus, illuminatus, quam tu & omnes tui. Vide ne te condemnet in extremo iudicio, sicut Niniuitæ damnabunt impœnitentes Iudæos, & incredulos, vt est Matth. 12. *Superficiarios Philosophos, & elementarios* vocas eosdem Aristotelicos. Sed ego non credo, te vnquam intellexisse eorum Philosophiam & elementa. Nam ex Mathematicis irrepsisti in culinam Paracelsicam, in qua adhuc hæres, & bonam partem studiorum tuorum consumsisti fatuitatibus Seuerianis. Si respondere deberes ex improuiso de vna pagella Aristotelicæ Philosophiæ, crediderim, te magis mutum fore pisce. Crollius Paracelsistas appellat NIGROS Philosophos. Belle. Sunt enim & corpore & animo nigri, nec quicquam habent candoris in iudicanda Philosophia. Sunt & alii tituli, quibus Peripateticos & Galenicos inquinare satagis. Sed mittantur ad Cynosarges cum Crollianis. Tibi ego sanam mentem precor, qua intelligas fucum illum Paracelsicum, quo HVMORES, & ELEMENTA, & QVALITATES suo more interpretantur istius fecis sophistæ, & postea ex corruptelis contra Philosophos argumenta petunt. Sed qua arte vos vtimini, ea & nos possumus. Nam explodimus significationem humorum & elementorum vestrorum, opponimusque antiquam.

Quid scirēt Paracelsistæ si non fuisset Aristoteles, Galenus, & alÿ veteres.

An sapiētia Aristotelis, sit insania.

Vulgares de schola [si nō vis esse de schola, sis de mola asinaria.]

Terminorū antiquus vsus præferendus est veteratorio nigrorum Paracelsistarū nouo.

SECTIO III.

De genere Philosophiæ viuentis.

TEnebriones vocas Peripateticæ Philosophiæ amatores. *Nicolaus Guipertus* Medicus Lotharingus eius criminis sæpe accusat Chymicos. Cui probatior fides? Te vero cum tua secta Paracelsica & Seueriana Tenebrionem esse, nouitas, & perplexitas dicendi, tantaque obscuritas etiam studio affectata, vt *Heraclitum Ephesinum* superetis, & *Scotodinia illa correpti videamini*, de qua *Esaias* loquitur cap. 19. 3. 11. 13. (Nota textum: *Loquitur de Ægyptiorum sapientia, qualem tuus Hermes docuit*) coarguit. Sicubi deprehendimini ex vno labyrintho in alium fugitis, donec in *specum Platonis* aut potius *Pythonis delphici* illabamini. Negas? Res loquitur ipsa, & *tu mera mysteria crepas*, abigis vulgares intellectus, & in Epilogo *Deam quandam* (ne sis parum Ethnicus) fingis, quæ se vestimentis tegat, cum est ingressura cœtus mortalium, vt se tueatur à conspectu profanorum & stultorum, quanquam mox scribas, *tuos syndromos eam reginam nudam non vidisse, quia indumenta non deponat*, nec facile se conspiciendam præbeat, nisi detrahantur vestes solerti artificio exercitatorum artificum &c. vnde consequens est, *tuos illos ambulones item esse stultos & profanos.* De tua doctrina seu disputatione Hermetica ais, *te inuoluisse arcanorum mysteria adumbratis sententiis, mysticis vocibus, & signis diligenti negligentia Lesbia regula*, (quæ omnibus mensurandis est apta, mutarique in omnes rerum vultus potest, vt solet Paracelsia) *adhibita.* An non es magnus tenebrio? Quæcunque est sapientia siue diuina, siue humana regulariter & ordinarie concepta, ea disci, quantum ad præsentem vitam attinet, tandem potest, & doceri. Dies diem docet, & quæ incipientibus discipulis sunt obscura, ea tandem fiunt facilia assuetudine, suntque præcepta formulis loquendi, & vocibus propriis ita comprehensa, vt perpetuo idem iisdem enuncietur. *Vestra Paracelsia stabilitatem & lucem*

Genus styli Philosophiæ viuentis. Paracelsicos magis esse tenebriones, quam Aristotelicos toto mūdo patet. Dea Hartm.

Paracelsia instabilis & perplexa.

& lucem, perpetuitatemq́, habet nullam. Quiuis ſequitur ſuum ſenſum, & idem ſecummet ipſo ſemper conſentit. In *hermetica magni magiſterij* iam aſſueuimus diſciplinæ mori, & regulis quibuſdam certis didicimus totum, quod eſt eſſentiale, concludere. In *Paracelſia* id fieri non poteſt, & ſane fatetur *Crollius, arcana à Paracelſo inuolute & truncate ſcripta eſſe, pauciſſimosque reperiri, qui veras medicinas ex Theophraſti mente præparatas habeant, putatq; hoc ſeculum impium non dignum eſſe huiuſmodi medicamentis.* Audite, inquit pag. 76. Philoſophaſtri, qui ſpreto nucleo cortici Philoſophorum ſaltem inſiſtitis, & A DEO, NON È CHARTACEIS LIBRIS ſpiritum intelligendi LITERAM MORTVAM Theophraſti, & Philoſophorum petite. Hæc ille. Scilicet *Paracelſi medicinæ differendæ ſunt in alteram vitam*, ibi fortaſſis his, qui erunt in ſulphurea palude, adhibebuntur. Quorſum ſcribitis literas, ſi non vultis intelligi? Quorſum loquimini? Inciditis ſane in iudicium *S Pauli*, de quo ſupra. Raptus ſunt exigendi, & à Deo in tertio cœlo cognoſcendum, quid delirauerit Paracelſus.

p. 57.

Scilicet oraculo opus est, ad intelligendum stultitiam Paracelſi

Ridicula amuleta ſibi male conſciorum ſcriptorum, qui momi appellatione iudices arcere volũt

Porro iſtas ſuas tenebras nolunt in lucem protrahi, & iudicari; itaque & veſtibulis & calci ſuarum ſcriptionum amuleta quædam appendunt. Si quis iudicaturus accedat, is *Momus eſt & diabolus incarnatus*, vt ſcribebat *Henningus Scheunemanus*. *Crollius* quoque præuidens ſua deliramenta magica in tartarum abiectum iri præmunire ea ſtuduit variis terriculamentis, tum alibi paſſim, tum in fine admonitoriæ magicæ. pag. 108. 109. Ridiculum inſtitutum. Si ſic publicantur ſcripta, vt probanda ſimpliciter ſint, nec iudicanda, aut ſi iudicanda, ſine reprehenſione, & damnatione impietatum, mendaciorum, aliorumque errorum, quod tandem erit reprobandum? Nos quoq; in principio, medio fine noſtrorum operum ſcribemus: *Procul ô procul eſte profani: qui legit hæc & carpit, Momus eſt, diabolus incarnatus: nemo hæc exagitet temerariis cenſuris cum Timone* μισανθρώπῳ, &c. Hoc ius vobis ſumitis Paracelſici, ſed veſtro exemplo iniuſtum eſſe declaratis. Cur enim ſtylum in veterum & recentium ſcripta non ad ſaliuam veſtram facta tam proterue & inſolenter damnatis? *Quod in alios ſumitis, hoc vos ipſos pati neceſſe eſt. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sicuti *Philoſophia* vulgaris, (ſcribit pag. 65. Crollius) *terminus non in Ariſtotelem collocatus eſt; ſic nec totius naturæ lumen*, teſte Paracelſo, (egregio ſcilicet, & belle apto, ſi ferociſſimorũm & inſolentiſſimorum conuitiatorum teſtimonium eſt magni) *in ſolo Galeno eſt exhauſtum.* Credibile eſt hoc non tantum, verum etiam certæ, demonſtratiuæque ſcientiæ. Sed ideo quæ vera & præclara docuerunt, non ſunt contemnenda.

Momi in veteres & recẽtes nolunt viciſſim momos pati.

Ariſt. & Ga. non omnem ſcientiam exhauſerunt. Ergo ſunt damnanda eorum dogmata, & Paracelſica recipienda.

Libertatem humani ingenii (pergit Crollius) *naturæ lumen, diſcernendi, iudicandique facultatem, homines hominibus eripere non debent. Deſiit enim Monarchia* (Paracelſi) *Græcorum. Ideo qui in arte medica excellere cupit*, (ſi quidem nemo poteſt veraciter doctus euadere, qui in vnius duntaxat facultatis rudimenta iurat) *ab omni ſectæ genere debet eſſe alienus*, &c. Bene mi **Crolli**. Sed cur tu in Monarchatum Paracelſi iuraſti, contemniſque Ariſtotelem, Galenum, & horum amatores? Nos illos amicos noſtros eſſe ſinimus, quamdiu amicam veritatem dicunt, & tales erimus etiam erga te & tuum Paracelſum. Verum vos ne iudicemini ſedulo cauetis. *In tenebras enim confugitis, & atramentum nigræ loliginis, negantes veſtra intelligi poſſe.* Ita verſipelles eſtis. Sed erunt qui cerberum iſtum ex caligine inferni protrahent. Ad iudicium quod attinet, noli ſolicitus eſſe. Non fiet iniuſte, non temerarie, non ſuperbe cum exprobratione corniculæ Æſopicæ, aut conſarcinationis farraginum exprobratione, à qua tamen *Scheunemanus* ille in noſtris non abſtinuit.

Vide ſequ. ſectionem.

Scheunemã. furaciſſimus alior. ſcriptorum accuſat collectores & informatores artiũ furti.

SECTIO IV.

De titulo Philoſophiæ viuentis & vitalis.

Titulus Philoſophiæ viuentis.

AGnoſce tua verba Hartmanne. Ita proponis: *De principiis rerum naturalium realibus, in qua aperitur via vera ad vitalem Philoſophiam aduerſus errores*, &c. & pag. 34. in Epilogo: *Anteceſſorum laudabilibus veſtigiis prima hac vice inſiſtendum erat, qui inſtituta viuentis Philoſophiæ, ſub fabuloſis inuolucris occultarunt, & diſcipulis iuratis præcepta obſcuritatum pleniſſima proprio ſudore enucleanda quaſi per manus tradiderunt &c.* Hæc tu ibi, cum quo in auditorio Marburgico Andabatarum more in tenebris fuit pugnandum, quia fateris, *te obſcuritatum magiſtros ſecutum eſſe*, non cogitans Philoſophos hermeticos non omnia obſcure propoſuiſſe, ſed exemplis naturalis ſapientiæ ita declaraſſe, vt ſtupidum eſſe oporteat, qui ſenſum non aſſequatur. *Materiam* ſane & nonnulla alia in perfecti magiſterii deſcriptione apertis verbis non indicarunt; veruntamen deſcriptiones eas dederunt, quib. ſi aduertas mentem prius circa naturam exercitatam, non aberres. Inde & *principia chymica* innotuerunt, quæ ante Paracelſum *Baſilius Monachus, Iſacus Hollandus*, & alii dilucide expoſuerunt. *Michael Sedinuogius* non erubuit ſcribere, *ſe in opere lapidis totam naturam* NVDAM *conſpexiſſe*, & eadem opinione *Drebelius* Belga multa de meteoricis, & aliis ſublunaribus prodidit. *Sic mundus factus eſt*, inquit *Triſmegiſtus*: ſic homo naſcitur, inquiunt ſucceſſores. Vnde **Crollius** ex γνῶθι σεαυτὸν quid non colligit? Tuum erat, tuos diſcipulos in planum ſapientiæ campum deducere, & non operibus lucifugis deludere. Quid enim quæſo profuiſti, *ſi veteres obſcuritates reduxiſti*, & eſurientes filios ſubtracto nucleo putaminibus ſatiare voluiſti? Sed *quæ eſt iſta viuens & vitalis Philoſophia*? Puto te Hartmanne, eandem intelligere, quam & *P. Seuerinus Danus*, quia verſetur circa explicationem *vitalium principiorum*, poteſtatum, ſeminumque in miſtis & elementis: Item vitalia & potentia remedia, incluſa corporibus elementorum mortuis patefaciat. Eadem eſt Hermetica, ſi magiam demas, & Theologemata ſtulta in *Pimandro* & *Aſclepio*. Ei tribuit *Seuerinus vitales actiones, vitales qualitates*, & alia, vtpote *in vitali natura balſamo fundata*, quæ ſunt vera & aſtralia dicta remedia, nutrimenta, roboranta

Vitalis Philoſophia.

borantia,&c. Vnde & *vitalis anatomia* oppoſita mortuæ. Nihil enim in hac Philoſophia vitæ eſt expers, quo modo *vitæ vox* in ea accipitur, quam & *Cardanus* agnouit, & alicubi in Scripturis ſacris *Deo omnia viuere dicuntur*. (Eccleſ. 42. v. 23. & 24. Deſiderabilia omnia opera eius, & manent in ſeculum, & in omni neceſſitate obediunt ei. Omnia hæc viuunt.) Inde traxiſti appellationem Philoſophiæ vitalis, ſeu vitalium eſſentiarum & poteſtatum in corporibus naturalibus cœleſtium & terreſtrium: ſicut dici ſolet Philoſophia naturalis, logica, ethica, &c. à ſubiectis. *Cur vero* VIVENS? Admoneo te, Hartmanne, caueas, ne grandiloquentia tua τοῖς ἀπείροις, ſeu ſimplicioribus cedat in offendiculum, eoſque magica quadam ſuperſtitione ſeducat. Tu quidem eo conſilio vocem non adhibes: ſed verſutus ille ſathan in ſiniſtrum ſenſum inuſitatum terminum rapere poteſt. Sicut enim verbum DEI *viuens & viuum dicitur*, ita volet etiam verbum magicum quo decepit, & adhuc decipit multos Paracelſiſtas, & Platonicos Philoſophos. Non eſt vicina doctrina illa magica, quia mortis, mortuaq; eſt, & in interitum ducit. Deinde cum tu viuentem tuam Philoſophiam ei opponas, quæ in ſcholis docetur, videris hanc iniuria afficere. Eſt quidem literis concredita per ſe non vocalibus, ſicut & Paracelſica litera iudice Crollio eſt mortua: ſed *vt lex viueſcit, fitque viua in iudi is intellectu, & inde ſe exerit actionibus legitimis viuis, ita & Philoſophia diuinarum humanarumque rerum ſcientia iam multis ſeculis à ſapientibus recepta*. Turpe fuerit, ſi tu & iſtum mortuum. & omnes ſapientes, inter quos non pauci Chymici Hermetici rei mortuæ amatores eſſe contendere velis. Sunt quidem veris in Ethnicis ſcriptis puris intermiſta aliqua falſa, quæ & nihil, & mortua dicere poſſis: Anima & vita doctrinarum eſt veritas, qua quod caret, cadauer eſt, & non ens (τὸ ὂν καὶ ἀληθὲς conuertuntur) ſed nos didicimus Anatomiam ſpagiricam, & lumine reuelatæ ſapientiæ in Ethnicorum receſſus penetram* nec cum cortice & impuritatibus nucleum, & eſſentiam comburimus, ſed nucleo & eſſentiis ſeparatis impuritates mittimus in ſterquilinium. Prudens iudicium, & ſapiens in ſcriptis adhibendum eſt, non omnia vno damnationis ſuffragio inuoluenda. Bonus chirurgus non viua, quæ ſaluari poſſunt cum mortuis abſcindit, ſed viuis relictis mortua reſecat. Sed cum tua *Philoſophia* ſit *Paracelſica, qua vita viuit?* Impuritatibus, & cœno barbarico vocum abſurdiſſimarum Paracelſi tota eſt immerſa. Hîc *cherionia, rebiſolles, relollaces*, & alia nominum infernalium portenta dominantur, quæ ex regno tenebrarum, & mortis *per Paracelſum ſpiritu diabolico & inuidia meliorum in hunc mundum ſunt illata*, adeo mortua, & mortifica, vt nullis dictionariis, nulla claue poſſint ad vitam deduci, quæ & *Crollius ipſe mortuam literam vocat*. Ecce tibi viuentem Philoſophiam. Comparemus eam cum vere viuente Verbo Dei. Qualis quæſo eſt? Audiam teipſum iudicem. *An non lux vita eſt, tenebræ vero mors?* An non *vniuerſi populi in tenebris mortis ſedent, in Eccleſia vero oritur Dominus*, qui & Phoſphorus, ſeu ſtella matutina, via, veritas, & vita? Iam inſpice tuam Philoſophiam. Ecce tibi Hermetica, *fortunam Comitem, vniuerſitatem monarchici profeſſoris, templum Palladis, Hermathenam, Reginam quandam, Deam, hortos heſperidum, nobile nectar, Actæonis pœnam, afflatum ætherium, fulmineam vocem, pana, opertanea ſacra, Sibyllam Hermetam, diuinam virgulam, pendiginem, materiam perlatam, benedictam viriditatem, Hermetem interpretem, vniuerſales ideas, ſphæram Pythagoræ, leonem viridem, fatum Orphei & orcū, prædeſtinationem Paracelſi* (heſterni monſtri) *Deorum ſimulacra, Aquilam Iouis, pauonem Iunonis, tridentem Neptuni, vituloſq;, vacua ſpacia, & tamen valida poteſtate munita, Mercurium, ſpiritum mundi ſecretum, æthereum, vitulum labiorum Hermeti mactandum, & alia prodigia*, non ſecus ac ſi in medio gentiliſmo, & tenebris Ægyptiis, Chaldæis, Græcis, Romanis adhuc verſaremur, & in colluuie teterrimorum magorum, lernaque impiiſſima omnium diabolorum ſurſum deorſum volueremur. *Syncera chriſtianitas non patitur ſtellas*, & dies *nominibus gentilitium Deorum appellari*: ſeueri Chriſtiani non poſſunt ferre Palladas, Apollines, Ioues, & alia Poetarum. At tu qui in media Chriſtianitate es educat*, quique pontificiæ religionis altaria, imagines, cruces, & ſimilia in materialibus templis ferre non potes: qui ſuccenſes, ſi qua mulier crucifixi imaginem in collo gerit, & ſcandalum inde tantum rapis, vt putes alligatam ſaxo molari debere ſuffocari profundiſſimo maris gurgite; viuam Philoſophiam, viuentem & vitalem aſſeris *ſimulachris regis tenebrarum*, & æternæ mortis totam refertam? Secus te ſentire dicis, & per ænigmata loqui. Audio omnium magorum, & à Diabolo dementatorum excuſationem. Si iſta iudicas te impia, cur verbis pollutiſſimæ impietatis vteris? Quis ex gente Ariſtotelica, & Galenica tam diabolica, ſi non re, at verbis Philoſophia eſt vſus? Vin' aliquid ex *Paulo? Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. 1. Cor. 15. 33. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*. Epheſ. 5. 6. *Propter hæc.n. venit ira Dei in filios incredulitatis, vt filij lucis ambulate. Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum. Omnis ſermo putris* (σαπρὸς) *ex ore veſtro non procedat*. Nam vt Chriſtus dicit: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt. Ex abundantia cordis os loquitur*. Matt. 12. 34. c. 15. 18. *Stultas & ineruditas* (ἀπαιδεύτους) *quæſtiones vita. Item prophaniates & ſuauitates vocum*. 2. Tim. 2. 16. *Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo earum vt cancer ſerpit* An ignoras veteres hæreticos, & magos eodem modo philoſophatos fuiſſe? *Noli iugum ducere cum infidelibus*. 2. Cor. 6. 14. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?* Abi iam & tuam Philoſophiam viuentem oppone Chriſtianorum Apoſtolicæ & Galenicæ, tanquam mortuæ. Lege diligenter c. 2. epiſt. ad Coloſſ. & vide quam vitam habeat tua Philoſophia, & elementa mundi. Superbia tua te in iſtam diabolicam perſuaſionem induxit.

Act. 7. 38. Ebr. 4. 12.

Iudex ius animatura Ariſtoteli.

Ecce viua Philoſophia loquelam.

Eſa. 61. v. 2. Ioh. 18. Apocal. 22.

Termini Philoſophiæ Hartmanni.

SECTIO V.

Diſputatio Hermetica *De Principiis rerum naturalium realibus.*

MAgnificum promiſſum. *Inceptis grauibus plerumq;, & magna profeſſis, purpureus late qui ſplendeat vnus & alter aſſuitur pannus*: at tu fortaſſe *cupreſſum* ſcis ſimulare? *Qui variare cupit rem prodigaliter vnam, Delphinum ſyluis appingit, &c. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? Cur proiicit ampullas & ſeſquipedalia verba?* Cur non docet quicquam aliud quam oletum, & ſtercus Paracelſi? vbi iſte modus philoſophandi apud Hermetem?

De principiis realibus naturalium [an principia nō ſunt naturalia?

Si Her-

In præfat. Paragrani tom. 2. Principia.

Si Hermes reuiuiſceret, cum Hippocrate quibus autoribus ſuperbitis, peioribus nos deſcriberent, quam Paracelſus ſuos diſcipulos fugitiuos. Apud Hermetem plane nihil eſt de Philoſophia tuâ, Hartmanne, quod ſciuit & Parcelſus, ob id omnes priſcos & nouos ſe ſequi iubens. Semiſeuerinina eſt tua diſputatio, & non modica ex parte cum Theologia gentilitia, & poetica delira. Quæ dicis *principia? Rerum naturalium*, inquis. Res autem naturales ſunt quæ natura, principio interno, conſtant. Num ergo de natura vis loqui? Sunt *principia creationis*, ſunt *generationis*, ſunt *miſtionis*, ſunt *artium*, & inter alias etiam Phyſicæ. Rationalia tibi diſplicent. *Realium* es factionis. Quorum? Ratione creationis primum erat *nihil*: ex hoc extitit inanis terra, & aqua tenebris implicata, quod chaos Theologicum vocant. Inde porro dicunt, factas eſſe diſtinctas rerum naturas, & his ſimul inſitum *naturale principium* generationis, propagationiſque per ſemen, quod tantum miſtis conceſſum. Cum homo venit in Phyſicam contemplationem, num de principiis ſemine & ſanguine promittis, an de componentibus ſyſtaticis, corpore, & anima? Non. Sic enim ageres etiam de terra, ex qua homo, & in quam redit, ſimulque doceres, quo primordio anima exiſteret. Communiane rerum naturalium accipis? Ne iſta quidem. Ita enim cum mundus reſoluitur in quatuor, aut quinque ſimplicia corpora, & miſta quatuor generum, de iſtis diſputares. Mittamus cœlum cum ſuo æthere, & ſtellis: mittamus & elementa. Quæ ergo principia Hermetici, hoc eſt, Paracelſici Chymici repetita doctrina ex veteribus tractant? Ea *Crollius* vocat *ſulphur, ſalem, & Mercurium*: alii addunt *ſpiritum*, alii *terram virginem*, alii plura ex miſtis eliciunt, quæ appellant *eſſentialia & hypoſtatica*, incluſa quatuor elementis, quæ vt placuit genio Paracelſi, ſunt *cœlum, aer, aqua, terra*. Nam iſto iudice eſſentiæ, quæ dicuntur principia, etiam ſunt in cœlo tanquam in elemento, & non ſunt deciſiones de cœleſti & ætherea natura, ſeu reliquiæ calidi hippocratici. Iſta vero ex miſtis extrahuntur triplicibus, vegetalibus, animalibus, mineralibus, omnibus perfectis. Fortuito enim miſta, & imperfecta non curantur: & quanquam perfecte miſta radices, ſeminiaque dicantur in elementis habere, tamen elementa non deſtillantur; quia ſemina in illis nondum ad frugem peruenerunt. Cœlum auderent deſtillare, ſi quis Mœris Solem & lunam vi herbarum magicarum detraheret. Hæc ſunt principia, hoc eſt, partes compoſitionis miſtorum, quæ reſolutione vltima exeunt diuerſis formis, prout placet artifici. Nam & vitri forma eſt, & olei ignei, & aerei, & ſucci inſpiſſati, & Elixyris, &c. Veruntamen ſunt & magiſteria totius naturæ, quæ repurgata tranſeunt in familiam Elixyrium. Si principia ſunt partes compoſitionis miſtorum, etiam elementa ſunt principia. Sin tantum eſſentiales partes inter ſterilia purgamenta latitantes, quanquam excludere elementa totaliter nequeas, tamen ſint principia eſſentialia virtutum propter excellentiam. Bene iſta. Neque enim reprehendimus diligentem ſeparationem, exceptis adiectis deliramentis ex Vulcania Paracelſi. *Realia* quæ dicuntur, & cur? Olim *reales* opponebantur *rationalibus*, illique ideas eſſe exiſtens quiddam reale putabant, hi negabant extra λόγοι ſeu intellectum eſſe aliquid. Philoſophia Peripatetica accuſatur, quod *rationalia principia* cauſam materialem & formalem, cũ priuatione quod eſt argumentum ex contrariis oppoſitum habitui, *Phyſica* circa ſenſibilia occupata *immiſcuerit*. Nos dicimus ſaltem applicationem generalis argumẽti ad ſpecialem artem factam, eſſe propter inopiam verborum propriorum. Intellexit autẽ illa Philoſophia principia omnium corporum naturalium, æternorum quidem ſaltem duo ſyſtatica, corruptibiliũ tria. Nam in his potentialis quædam diſpoſitio eſt ad non eſſe. Quid tu Hermetice diſputator? *Realia* producis. Num *catholica*? Non: ſed myſtorum corruptibilium tantum. *Suntne illa vere principia catholica*? Non. Nam & illa ex prioribus ſunt, eaq; corruptibilia. Nam *Mercurius, ſal, ſulphur*, omnia ſunt ex materia & forma, & ſi quæras eſſentiæ materialis conſtitutionem, à Deo compacta ſunt ex *elementis & ætherea natura*, ita vt non pure ſint cœleſtia, ſed ex parte elementaria, cœli tamen naturæ analoga. Ideo & patiuntur in & ab elementis. *Sulphurea* deflagrant vt ſtipula, ; *Mercurialia* pereunt vt aqua, *ſal* ignis violentia in lapidem miſtum tranſit. Eadem incaleſcunt, frigeſcunt, humeſcunt, ſicceſcunt. *Oleum* in corpus maſſale coagulat. *Spiritus ſulphuris* campanarius, *vitrioli* & ſimiles frigore vertuntur in glaciem, idemq; patiuntur *aquæ mercuriales*. Non poſſunt eximi elementis, & elementorum paſſionib. quicquid nugetur *Crollius, Hartm.* & alii *meteoroleſchæ & aeriuagi*. Nota cũ dico à Deo cõpacta eſſe, me intelligere *genera creationis, & naturalis propagationis*. Ibi ſubito ad Dei nutum exiſtebant: hîc potentia in ſuis ſeminib. continentur, donec in actũ erumpant, ſiue vniuoce, ſiue æquiuoce, aut analogice. Simulacra ſunt in imperfectis, & fortuitis commiſtionibus. Num iſta tria & *Hermes* ſciuit, vt poſſint recte *Hermetica* dici? Non patet liquido. Omnes ante *Baſilium Monachum* & *Iſacum*, quidam etiam poſt *duo tantum* agnouerunt primordia, *ſulphur & Mercurium cum quatuor elementis*. Sulphur a. & mercurium in metallis, & ſemimetallis primum deprehenderunt. Inde per analogiam aut cõparationem ad cætera traduxerunt. Nunc volunt Paracelſiſtæ ſibi credi, qui tamen *cũ de principiis diſputent, nunquam poſſunt ad principiũ verum peruenire, ſed ſemper fere id petere coguntur*. Hermes in Smaragdina dicit: *Pater eius* (de medicina intelligunt) *eſt ſol, mater, luna, Portauit id ventus in vẽtre ſuo. Nutrix eius eſt terra.* Qui nudam naturam ſe vidiſſe putant, & qui de magno magiſterio ſcripſerunt, totam rem *elementis conficiunt*. Qui poteſt *elementa tranſmutare. & in igne acquieſcere* vltimũ, is callet magiſterium. Veruntamen *aſcendit in cœlum, iterumq; deſcendit in terram*. Inde *fit vnio ſpiritus, animæ, corporis, &c.* Diſputabit *Hartm. de principiis realib phyſicis ſine principiis*. Vtcunq;. n. reſpondebit, ſemper vrgebitur amplius, nec inueniet vbi quieſcat, niſi antagoniſta beneuolentiæ aliquid largiatur. Sint principia *ſecundum quid*, non ἁπλῶς, vel abſolute. Qui ſtat in cathedra, non debet confundi, & minimum ſaltem aliquid loqui, ſiue quadret, ſiue non. Is mos eſt academicus. Ad populum phaleras. Nobis natura notior eſt, quam vllis Paracelſiſtis, quos opinio vana ſeducit. Crollius oculis vult oſtendere: quaſi nos ignoraremus, nec poſſimus iudicare id, quod oſtendit,

Principia Ariſtotelis.

Paracelſica principia sũt ex priorib. et patiuntur elementaliter

Num ſal, ſulphur, mercurius Hermeti nota.

Paracelſiſtæ adeo non habent principia vera, vt ea pene ſemper petere cogantur.

Hartmann. oſtendere. principia æquiuoca Chymic poteſt, Phyſica vniuoca non poteſt.

Sectio

SECTIO VI.

Turpitudines Hartmannia.

DE *turpitudinibus vitalis & viuentis Philoſophi Hartmanni.* Tres turpitudines proponit in proaſmate, quod alias procemium pugnæ vocant: vnam in Poſitiuo gradu, alteram in Comparatiuo: tertiam in Superlatiuo. *Turpe eſt*, inquit, *inuentis frugibus glandes deuorare velle.* Cogita Hartmanne quid ſcribas. *Etiam glandes ſunt donum Dei*, & in ſe continent tum nutrimenta, tum medicinas. Quid ſi fruges deeſſent, glandes autem faginæ, quernæ, caſtaneæ, & ſimiles alimentariæ abundarent? *Cibus conſuetus etiamſi deterior, tamen melior eſt in conſueto.* Glandibus ſi viuendum eſt, non imparatis, ſed præparatis, maceratis, ſelectis, ſegregatisque viuendum. Mola & in his poſſumus vti, & impurum, quisquiliasq; à puro nucleo ſeparare. Conſule Struppium in remedio famis. Vbi vero tua ratio hærebat? In clibano ſcilicet, vel culina furua Paracelſi. Nam *famis cauſa comedere id quod à Deo pro cibo oblatum eſt, non eſt turpe.* Sed ſenſum ſpectemus. Cantio eſt Seueriana qua admonemur *doctrina ſapidiore, & ſapientiore propoſita, debere priſcam rigidiorem, & minus ſapientem relinqui: Deſerendam eſſe ſcholam Peripateticam, Academicam, Galenicam, & Acroateria Paracelſi adeunda:* quia illæ ſe habeant vt glandes ruſticæ aureo ſeculo ſub Saturno vſitatæ, quæ craſſo ſuo ſucco non gignunt ſubtilem ſpiritum: hæc vero meras fruges, Ador, triticum, Zeam, hordeum, Auenam, &c. quorum quædam hominibus ſunt communia cum porcis, auibus, iumentis, &c. apponunt. Falleris, inquam, cum tuo *Seuerino, Crollio* & aliis Paracelſicis. Nam glandibus vixerunt etiam beati illi Dij tui *Saturnus, Mercurius*, & cæteri, qui *cererem* anteceſſerunt. Si Paracelſi Philoſophia eſt amplectenda; quorſum inſanis circa nomina gentilitiorum Deorum, & Dearum? Cur redis ad lintres, & præſepia beſtiarum, cum putes te ad menſam Paracelſi poſſe Nectare, & Ambroſia ſatiari? *Sed ne Paracelſi* quoque *menſæ ſunt ſalubres. Sunt enim mors in olla*, vt *Oporinus* eſt expertus: Sunt *ſuauia circes pocula* quæ in receſſu habent venenum. *Crollius* laudat *Paracelſum à perfecta pietate, & Theologica notitia*; ipſeque talis voluit videri, cum ſe *Lutheri, & Papæ* reformatorem fore dixit. Sequere tu iſtam ſapientiam: Diſputabis cum Auicenna medio inferno, & cum Cornelio Agrippa, Tritemio, Techello Iudæo, Simone mago & ſimilibus reſtim ductitans ſaltabis. Tholdenius collegit Theologicas Paracelſi ſententias. Sed nullum inuenit, qui ſcit qualis fuerit ille magus, aſſentientem. Ego mihi perſuadeo cuiusuis potius eſſe illam Theologiam quam Paracelſi, cum toti eius profeſſioni magicæ, & literæ, diabolicoque ſtylo aduerſetur, ne quid de vita dicam. Noles forte de iſtis. Credo. Neque ego iuſſerim: Chymica arcana, & præparationes vis anteferri Galeni medicinis integris, infuſis, decoctis, &c. Vis, vt *Scheunemannus tuus* ſcribit, *prolixos Galeni Canones, ad orcum mitti, Seuerinianam autem medicinam publice doceri: Proſcribi cupis totam Philoſophiam vetuſtam*, Vtpote tuo iudicio *mortuam, in ciuitatem autem Scholaſticam recipi tuam viuam.* Hæc eſt ſumma tuorum votorum; cui non obſequentes tuo iudicio turpitudine maculas. Sed noli inſanire. Noſtra illuminata Spiritus ſancti in ſacro codice eloquiis Philoſophia & tua Paracelſica, & Caluiniſtica eſt ſapientior: imo *tua nihil eſt niſi mera caligo ex mendaciis, deceptionibus, parabolis, & ænigmatibus obſcuriſſimis conſuta.* Quis non velit eſcas naturales præ tuis magicis? Tibi turpes ſunt omnes totius mundi ſcholæ; omnes priſci, & noui ſapientes, quia non deglutiunt ſtercora tua Paracelſica. Tu viue ferculis tuis, & nobis relinque noſtra.

Vah nauſeā hominis ſuo iudicio valde ſapidi.

Secunda Hartmanni turpitudo.

Quæ eſt ſecunda TVRPITVDO: *Turpius ingenij libertatem ſeruitute amiſiſſe, & ex intellectu, omnium dictatore, alienæ libidinis mancipium feciſſe.* Scilicet huius turpitudinis fuga te liberum reddibit à Philoſophia diuina, & humana. Qui ſuæ libidini, & appetitui ſeruit, & vitiis deditus eſt, ſeruus eſt, non liber. *Sub te ſit appetitus tui peccati*, inquit Dominus, *& tum dominaberis illi. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Libertatem ne detis in occaſionem carnis*: Galat. 5. *An neſcitis quod cui exhibetis vos ſeruos, eius cui obeditis ſerui eſtis?* Paracelſiſtæ liberos ſe reddunt ab *Ariſtotelis, & Galeni* Sapientia, at *ſerui fiunt ſtultiſſimi, & impiiſſimi Magi Paracelſi: fiunt mancipia opinionum Seuerini; & obſcurorum Philoſophorum.* Bella ſane libertas: Qui alicui ſcientiæ animum adiicit, cum oportet principiis eius credere.

Gen. 4. 7. Rom. 8. 16.

Bella libertas à Philoſophis ad Magos impuros deficere.

Hæc eſt liberalis; & ingenua ſeruitus. Veritati enim adhæret quæ comprobata eſt ratione, & experientia; conſtantiæque ſuæ habet ab omni ſapiente teſtimonium. Ita diſciplinis non propter autores, & αὐτὸς ἔφα exceptis Dei oraculis, adhæremus, ſed propter αὐτὴν πίστιν τῶν ἀρχῶν. Ingenij libertatem ſic non amittimus, modo eam non definias vaga illa licentia; qua aliqui quiduis de quouis diſputant, & ſunt vbique hoſpites, nullibi domeſtici, & ciues. Cane iſtam cantilenam principi tuo in Politicis, & Theologicis: In Philoſophicis libeat tibi *Agrippæ* Magiam docere. Num te ſit lāturus, ſenties. Liberum adhuc eſt tibi quæ apud vetuſtatem vera ſunt amplecti; quæ falſa reiicere. At iudicium veri & falſi oportet eſſe ſyncerum. *Veſtra fex pro veris habet, quæ non ſunt demonſtrata, rurſusque falſitatis damnat vera comperta, & de veterum doctrina iudicat praue.* Hæc eſt libertas Paracelſica; *omnium legum vincula perrumpere*, & ſibi ſuam ſomniare Philoſophiam & Medicinam; ex lumine quodam naturæ; & gratiæ infuſæ quæ ſibi quisque ſuauiter ſomniat. At cum honores petendi ſunt, ſimulatur probitas. *Intellectum vocas omnium Dictatorem*: Rideo tuum *Dictatorem, qui totus eſt ſtultitia.* Viri ſcire; qui ſic iudicem? Primum *in ſpiritualibus ſtultus eſt*. 1. Corinth. 2. v. 14. Deinde *in mundanis, teſte Salomone, vanitas vanitatum.* An neſcis *naturam vanitati; & maledicto ſubiacere, & noſtros oculos ſic ſe habere ad verum contemplandum vt oculi veſpertilionum ſe habent ad clari ſolis fulgorem?* Ecce quomodo deſcribatur tuus Dictator 1. Corinth. 13. verſ. 9. 11. 12. Hiob 26. 14. cap. 28. 20. 21. Sap. 9. 13. 14. 15. 16. 17. Syrach. 43. Iohan. 3. 11. 12. 13. Rom. 3. 4. Pſalm. 115. 11. & alibi. Prouerb. 30. 2. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum*, inquit, *Agur.* Num ergo eſt apud intellectum tuum Dictatorem? Hermeticus tuus Dictator in Chaldæa & Ægypto effecit; vt ne-

Vbiq; habitantes & per diſciplinas in incerto vagantes.

Libertas Paracelſica.

Dictator Hartmani intellectus.

Eſai.19.v.3. 10.11.12.13.

ceſſe fuerit à Deo immiſſo ſpiritu vertiginis ſapientiam mutare in ſtultitiam. Hiob 8.verſ.8. ***Interroga generationem priſtinam. & diligenter inueſtiga patrũ memoriam (heſterni quippe ſumus & ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram) ipſi docebunt te: loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia, &c.*** Hic Paracelſiſta à veteribus non vult diſcere, quod tamen ***Plato*** iubebat, ſed ***ſuum Dictatorem*** omnium priſcorum Philoſophorum doctrinæ opponit. ***At erat ſapiendum modeſte? In antiquis eſt ſapientia;*** Iob 12.12. ***& in multo tempore prudentia: Imo apud Deum eſt ſapientia, &c.*** qui tamen radios ſuæ intelligentiæ hominibus communicauit. Eccleſiaſt. 39. ***Qui animum ſuum applicuit vt diſcat legem Dei, neceſſe eſt vt ſapientiam antiquorum ſcriptorum exquirat, &c.***

Crollius non vult ab homine doceri, poſtquam ſcilicet iam ab hominibus totum id quod ſapit, didicit.

Sed Paracelſiſtas iſta non attinent. Nam vt ***Crollius*** ſcribit, ***Non ex creaturis, ſed Deo diſcenda eſt ſapientia.*** Nunquam enim à ***mortali præceptore aut litera muta*** tam rectè diſcitur. ***Medicus naſci debet è lumine Gratiæ & naturæ ab interno, & inuiſibili homine,*** Interno angelo, &c. ***Cœlum eſt pater & Doctor omnium artium.*** Spiritus ſydereus hominis à radiis ſuperiorum ſyderum attrahit omnes artes, ſcientias, facultates, omnemq; ſapientiam humanam. Firmamentum eſt lumen naturæ quod homini omnia naturaliter influit, &c. Alibi imaginatio omnia producit. En tibi ***D ctatores.*** Sed fortaſſe Hartmannicus intellectus non eſt vulgaris, vtpote ex tertio ſtultitiæ cœlo petitus. Hoc regitur Paracelſia tanquam Romano Dictatore. Nos ſumus vermiculi inopes: ſcilicet. ***Non vult alienæ libidinis mancipium eſſe:*** quaſi vero nos cogeret ***Ariſtoteles*** aut ***Galenus*** credere quod ipſis L I B E T. Scholæ ſolent principia proponere, & inde ſcientias deducere. Ita ad credendum à Maioribus, & peritis iuniores imperiti attrahuntur. Ita nullus Theologorum tibi autor eſt, vt quod ipſi lubitum eſt amplectaris. Ad Dei authentici oracula te ducit. His ſi non credis, iam es damnatus. Conſule tuam conſcientiam Hartmanne, & vide num tuus ***Dictator*** ne ad Dei quidem voluntatem ſe accommodet. Tuam libidinem ſequi ſi vis, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, de ſalute tua actum erit.

Tertia turpitudo. Hartmanni ridiculus circulus.

Tertia turpitudo: ***Relicta via regia, quæ linea recta ad centrum veritatis, & vitales prouincias ducit, per ſalebroſa opinationum teſqua ad dubitationum peripheriam euagari, &c.*** Hic ridiculus valde es, & tua te decipis ſapientia. Cum ſis Mathematicus, tuum circulum non bene diſtribuiſti. In eo ponis ***centrum veritatis.*** A centro oportet omnes lineas recta ad circumferentiam tendere, ita vt ***omnes ſint centro homogeneæ,*** monſtrentq; centrum, & ad id ducant. Iam ***tua peripheria habet opinationes,*** teſqua, labyrinthos dubitationum, denſaque errorum vepreta, & præcipitia. Hinc ego ſic argumentor: ***Quale eſt totum planum, ſeu area & radij ſeu lineæ cum peripheria actu, tale oportet eſſe centrum potentia in Hartmanni Mathematica Dictatoria totum circuli planum, lineæ & circumferentia ſunt ex dubitationibus, opinationibus & erroribus. Tale ergo & centrum eſt.*** Quod autem planities & lineæ ſint eiuſdem homogeniæ, patet: quia: qualis eſt terminus tale & terminatum quod in terminum eſſentialem deſinit.

Centrum ſapientiæ antiquæ.

Tu putas iſtud tuum ***centrum eſſe Paracelſicum, Seuerinianum, Hermeticum,*** quanquam Hermete inſcio: Peripheriam ei petis ex ſchola ***Ariſtotelis, Galeni, Auicennæ*** & ſimilium. Obſequamur tuo ***intellectui Dictatori.*** Aſſerimus centrum eſſe antiquorum ſapientiæ in punctum per principia inde monſtrabilia contractionem. Nouitas ergo Seueriniana ex heſterno Paracelſo erit ſtultitiæ peripheria, & errorum Chaos. Nonne rectè argumentor? Si tu demonſtrabis quod complexio nouitatum tuarum ex chymicis parabolis furto ſubtractarum, & metaphoricè, allegoricè, myſticè adhibitarum, ſit veritatis centrum, vir eris. Ego & principiorum vim tibi in oculos ingeram, & omnes ſapientes compellabo vt iudicent vtrum ſit prius, verius, & dubitationibus minus obnoxium, ſimplex ne & plana veritas, an perplexa, & parabolica verborum circuitio, de qua

Regia via vitalis Philoſophia.

ipſe ***Hartmannus*** in ſuo Epilogo cõfitetur. ***Vah regiam viam Paracelſi*** per omnes Deos, deas, Magiam, Gabalam, figmenta Poëtarum, dæmones cœleſtes, aëreos, aqueos, terreos, Flagas, Cherionia, Relollacea, Archæos, Eueſtra, Adech, Ylech & quæ alia plus quam portenta? ***Seuerinus*** concidit, iſtud centrum, & magna mole ſubtracta viam facere voluit breuiorem. Sed ***Crollius*** denuo auxit, & per incredibiles labyrinthos impietatum, abominationum, mendaciorum, perplexitatum

Paracelſiſtæ neſciũt principiorũ ſuorum vim, rationem, & numerum, licet ampulloſe & de iis garriant.

& aliorum prodigiorum inuiam viam reddidit. ***Principia*** intelligere te dices. Sed in veſtro ſenatu nondum conuentum eſt quænam, & qualia ſint. Sicut enim vos de iis loquimini, mendacium & fraus elucefcit. Deinde quanquam notis quibuſdam deſcribatis ***ſulphur, mercurium, ſalem,*** tamen quando vrgemini ***omnia confunditis,*** & in ſale mercurium, & ſulphur, in ſulphure mercurium & ſalem, in mercurio ſalem & ſulphur in omnibus Elementa prima, ſecunda, tertia cum ſuis qualitatibus eſſe contenditis. Ea in miſtis trium generum eſſe docetis Chymica quadam euidentia; ſed interim includitis etiam cœlo, & ſingulis elementis, neque tamen ea ſeparare ab elementis poteſtis. ***Vbi iſtorum principium immotum? In Chao latet.*** Sic de virtutibus extractorum veſtrorum pronunciatis ingentia, & ad miraculum varia, vanius mentientes quam vllus Mathematicus, probat hoc Amwald, Graman, Scheuneman, & alij plus quam Agyrtæ. Ecce hoc eſt centrum veſtrum. Pati poſſumus vt metaphoricè, & parobolicè loquamini de cauſis ſanitatis, morborum, remediorum: ſed cum certitudinem quærimus, qui nam ſit Mercurius, qui ſal, quod ſulphur, & alia in ſpecie: ad vniuerſalia veſtra, ſpiritus, & medicinam confugitis, tribuitisq; medicamentis ſcientiam qua morbi cauſam agnoſcant, & expugnent. O bellam certitudinem, quæ in parabolicis eſſe nulla poteſt, vti nec ſcientia.

SECTIO VII.

TE serio ista; & non ludo, iocoue, aut dementia quadam Entusiastica vel melancholica correptum disputare maximè colligo ex *probris, & conuitiis, scommatibusq́;* quæ in *Aristotelicos*, & *Galenicos* conjicis dum eos vocas *ambulatores materiales, & elementarios*, quibus *errores, & παρεκβασεις* tribuis, quos per Ironiam appellas *profundos Philosophos, asscribentes vitæ functiones rebus mortuis, corticem & siliquas pro nucleo, vestem pro matrona, aërem pro Iunone* (in quo singulare est scomma) *ancillas pro Domina* (tuge satis gratè tuos præceptores, promotores, & collegas Peripateticos, & Medicos ornas) *cum procis penelopes cœca impetu arripientes & amplexantes: qui speciosi, si diis placet, Philosophi Aristotelis, priuati lumine veritatis, sectatores, viuis coloribus perpoliant priuationem ab ipso introductam, quæ sit insaniens sapientia* ἀμυσία, στέρησις *sterilis*, καὶ κακοποιὸν: *qui sint superficiarij Philosophi, qui de prima materia*, quam mirè insectaris in tuo Sancto sanctorum (sunt enim in illo & canes latrantes, & mendaces) *cum Aristotele sentiant, &c* quæ conuitia, vituperia, sannas, & ludibria nemo sapiens, prudens, & bonus in tot antiquissimæ sapientiæ antistites tam copiosè effuderit & temerè, nisi pro scurra leuissimo, aut furioso, & maniaco, vel à Diabolo obsesso haberi velit. Tum ista bene meditatus ad defendendum in schola publica proposuisti, & vt exteri quoq; scirent, qualis auicula esses, non dubitasti diuulgare: Sed ostendendum est te omnes istas turpitudines commisisse, & obnoxium esse omnibus conuitiis, contumeliis, & probris quibus affecisti sapientes priscos, *& tuos olim præceptores:*

Vituperia Aristotelicorum & Galenicorum, qui suis studiis toti mundo inseruierũt.

Prima turpitudo est *Peripateticis, & Galenicis disciplinis frui, cum Seueriniana Philosophia & Paracelsica sit ad manum.* Si hoc turpe est, tu es turpis. Ratio est 1. quia Galeni totam substantiam in tuo Sancto sanctorũ acceptas pag. 28. 2. Elementis carere non potes pag. 33. Vt nec humoribus pag. 37. & 38. vbi de *humoribus & Elementis* Hippocraticis scribis *eis fidem minimè esse derogandam.* 3. Pag. 37. num. 9. Galeni dogma iterum probas, vt & pag. 38. in 1. Terapeutica Generale *principium bene medendi de cura per contraria:* Item pag. 39. *de medicamentis totius substantiæ consortio intemperiebus contrariis.* Pag. 46. *de phlebotomia:* Pag. 47. *de definitione medicinæ quæ sit* προσθαφαίρεσις: Pag. 48. *vbi totus es Galenicus & Auicennista*, adiecta saltem chymica præparatione, quæ non obstat Galenicæ disciplinæ, sed est subalterna. Es & Galenicus pag. 49. *de spir. animali:* Item pag. 50. vbi *Casparum Bauhinum præceptorem tuum honorandum* vocas: at cum is sit Peripateticus, & Galenicus, parum honorificè eum cum cæteris tractasti: Et nota quod commendes pag. 51. *anatomen localem*, quam omnes Paracelsistæ irrident, & ad macellũ potius reiiciunt. Videantur & cæteræ paginæ in quibus Aristotelicos (potiss. *Scaligerum*) & Galenicos cum ipsis principibus, & eorum doctrinis tibi curæ esse ostendis. At hoc erat *glandibus vesci cum adsint fruges.* Hoc erat esse *materialem, & elementarium ambulonem*, & cætera. Deliras autem insigniter cum tantos viros propter materiam primam, priuationem, elementa, qualitates elementorum, humores & similia, quæ Paracelsistæ explodunt, exagitas potius quam commodè explices. Vide vt ad saniorem mentem redeas, & inustam sapientibus maculam illam fœdam deleas, malisq; inter honoratos Philosophos & Medicos esse, quam cum scurris Paracelsicis colludere, & malè audire. Ita argumentor: Si Paracelsica disciplina esset melior, perfectiorque Aristotelica & Galenica; tamen non foret turpe hanc cognouisse propter multiplicem sapientiam, & vsum in vita communi. Iam autem adeo non est melior vt etiam impia & detestanda propter Magiam, Gabalam, vituperia sapientum priscorum & alia multa crimina. Multo minus ergo turpe fuerit Peripateticam, & Galenicam didicisse. Quid dicendum si chymiam Paracelsiæ detraxerimus, & Peripateticæ, Galenicæq; adiecerimus?

Si turpe est Galeni doctrinam probare, Hartmannus turpitudinem committit.

Casp. Bauhinus.

Secunda turpitudo est intellectum alienæ libidinis mancipium facere. Hac quoq; te polluis dum à liberali professione antiquorum resilis ad Paracelsi deliramenta, & Seuerianam Philosophiam priscæ antefers, qua de re non opus est verbis pluribus. Augetur ista turpitudo, cum in sequentibus disputationibus etiam contrariis Dominis te dedis, & adhæres, atq; ita ignoras vbi habites. Non de hoc dico quod vbiuis vnicam veritatem spectes, vbi tamen multum interest quid sit verum, & quid tibi videatur; sed de hoc quod *probes humores, & elementa, aliaq; Galenica*, quæ nullus Paracelsista admittit, & inde *Humoralium, & Elementarium* aliorumq; errorum, vti putantur, conuitia comminiscitur.

Tertia turpitudo est in circumferentia hærere, cum ad punctum sit regia via: circumferentia vero Galenicæ, & Peripateticæ disciplinæ, quam erroneam putas; punctum autem Paracelsicæ Philosophiæ in quod cogis veritatem.

Si id turpitudo maxima est, næ tu es turpissimus, qui ex puncto veritatis, quam putas, retrocedis ad peripherian errorum. Poteram te pluribus conuincere, & omnia vituperia in tuum sinum retorquere: sed miseritum est tuæ vanitatis. Arrogantia te tua decepit homo miser. Cur non mansisti in tuis Mathematicis cum tam heteroclitum caput habeas? Cur mortuos laceras? Quod sciuerunt, id posteritati liberaliter communicarunt cum vtilitate maxima, & laude. Quando vero tu, vel alius Paracelsista idconsequemini quod illi iam pridem?

SECTIO VIII.

A*Nguſtum eſt iter ad auguſtas artes ſapiẽtiæ: Vos Comites itineris ſpretis, & prateritis vulgarium de ſchola hominum rationibus, ſeu potius errationibus, & delirationibus Deo duce, fortuna comite in vniuerſitate Monarchici & ſummi profeſſoris circumambulatorie ſtudeatis.* Quæſo te Hartmanne, conſidera hæc tua verba ſana mente. An non ſingula delirantis hominis furiæ videntur? *Sapientiam* vocas illam *Paracelſicam Philoſophiam.* Si ſtultitiam dixiſſes, rectius dixiſſes. Quæ enim ex parabolis, & ſimilitudinibus nata ſunt, ea pro homogeneis, eſſentialibus, & vniuocis obtrudit, & ſuperciliosè irridet ea, quæ iam ab antiquo ſapientiæ veræ decreta ſunt iudicata, & Eccleſiaſtico teſtimonio, quod Paracelſiſtæ tamen ad ſua transferunt deliramenta, roborata. Quam anguſta eſt iſta ſapientia, quæ inter atros furnulos Paracelſi recubat, & nigrorum Philoſophorum eſt ſtulta perſuaſio? Vah anguſtum iter quod nulli non lixæ & caloni eſt apertum. Facilima eſt via ad Paracelſiam. Per eam gradiuntur carbonarij, culinarij, coqui, mulierculæ, & quæuis pene fex populi. Empiricorum, Agyrtarum, perditorum, ſacrificulorum, & ſimilium pedibus eſt tritiſſima. Quis enim quæſo eſt, qui vix limis culinam deſtillatoriam inſpexit, quin Mercurios, Sales, Sulphura, vniuerſalia, particularia, quibus curatio fiat cito, iucunde, tuto crepat? *In Philoſophia tua vitali* non opus eſt prolixis *Galeni* Canonibus, *quos ad orcum mitti optat tuus Scheunemannus*, qui inſuper etiam *aſtrales peſtes tribus puluiſculis* curat, & nuper didicit *Mercurium dulcem*, qui creditur eſſe panacea, *praparare*. Non opus eſt hic iſta ſolicitudine de indicationibus, & ſcopis curatiuis, de locis affectis, & aliis, præſertim humoribus, & qualitatibus.

Paracelſi ſapientia omni patet Agyrtæ, eſtq; deſperationis in cæteris diſciplinis aſylum.

Aſtra enim ſunt αἴτια, licet non morbi: aſtra habent ſuas ſcientias, ſuntque medico ipſo ſapientiora, ſicut & Vulcanus *Gramani*. Omnino nec auguſta, nec anguſta eſt ſeu via, ſeu ſapientia tuæ Paracelſicæ Philoſophiæ. Ideo nec ab hominibus, *iudice Crollio*, diſcenda eſt; ſed quoduis in natura obuium aliqua ſui ſimilitudine poteſt medicum facere? Hoc enim eſt lumen naturæ veſtrum cuius potiſſimæ partes ſunt opinio, imaginatio, & ſimilium collectio. Sicut naſcuntur plantæ, mineralia, beſtiæ: Vt cœlum, Sol, Luna, aër, & reliqua elementa mouentur; ita ſtatim eſt in tota Oeconomia, & Repub. hominis. Vos per imaginationem Crollianam interiores hominis omnes ſcientias, & artes Magneticè attrahitis: vobis ſunt ſpecula conſtellata, imagines, ſigilla, characteres, per quæ poteſtis omnia. Si lixa aliquis, aut calo inſpiceret vas Hermetis in Athannore, ſtatim totam naturam nudam videret, & omnia ſciret. Vos facilima opera poteſtis circulum quadrare, vnitatem binario abiecto in ternarium vertere. Summa: *Vna vertigo inter furnulos Paracelſi facit abſolutum Philoſophum, Medicum, Mathematicum*, etiamſi & aurificum officina prorepſerit.

Aſtra fictitia Paracelſi.

Tu callidus es cum tua anguſta via. Similis enim videri vis illi, qui ad regnum cœlorum, æternamque ſalutem anguſtam viam eſſe dixit, ſeu portam anguſtam, & arctam ad vitam viam: latam & ſpacioſam ad damnationem, & mortem, quaſi Paracelſia tua ſit vita, at Peripatetica, & Galenica profeſſio mors, damnatio, deſipientia.

Matth. 7. 13.14.

Itaq; cum magno ſupercilio aliquid grande voluiſti dicere ne inter Carbones Paracelſi verſari videreris. Sed nota nobis eſt inſolentia tua. *Vt anguſte cum tuis comitibus incedas, ſpernendas & prætereundas rationis eſſe vulgarium de ſchola hominũ mones.* Mirum. Tune *rationes* vis ſperni? Irrues ergo in tuæ ſapientiæ adyta vt canis, aut porcus ſine ratione. Cum item ignominioſe profeſſores Philoſophiæ Peripateticæ, & Medicinæ Galenicæ vocas *vulgares de Schola homines*, quis tu fuiſti, aut etiam iam es? An non *homo de Schola?* Opinor, ni velis *aſinus de Schola haberi*. Viuis autem in ſchola Marpurgica. Verum non pro vulgari homine te geris. Deo gratia quod nos homines ſumus vulgari modo. *Filius Dei non erubuit per omnia vulgaribus hominibus ſimilis fieri excepto peccato.* Tu non es de cœtu vulgarium. Totus enim quantus, quantus es ſapientia Hermetis es. Huic nihil commune eſt cum Chriſto. Eſt enim ſua opinione amicus Dei, & beatus vel abſque Chriſto, quod non difficulter admiſerit Zuinſtius. Illud iniquius eſt, quod vulgaribus de ſchola hominibus tales rationes tribuis quæ ſint *errationes, & delirationes*, ſeu rationes cum errore, & deliriis.

Paracelſiſta ſpernit rationes Philoſophia Peripatetica.
Homo de Schola.
Ebr. 2. 17. & 4. 15.

Quin is anticyras ocyus? Similis enim es illi quem *Horatius Argis fuiſſe ſcribit cui ſua dementia viſa eſt optima ſapientia, quique cum reſtitutus eſſet ſe occiſum clamauit.* Scito vero noſtram ſtultitiam tua Hermetica ſapientia longe eſſe ſapientiorem, & ſicubi tum ea vteris, ibi ſapis, vbi non, deliras. *Deum ducem ducis ad arces tuæ ſapientiæ.* At ibi Deus non habitat. Nunquam inuitum per duces. Quod commercium eſt *Deo & Beliali*, naturæ legibus & Magiæ Paracelſicæ, luci & tenebris? Addis Deo *Comitem fortunam.* Ridiculum. Optimè hæc Dea conuenit Medicinæ Paracelſicæ, quæ parum habet ſcientiæ diuinæ, plurimum autem fortunæ. *Si fortuna volet Medicus de Rhetore fies.* Vbi vis ſtudere? *In vniuerſitate ſeu Academia profeſſoris monarchici*, hoc eſt, *Paracelſi*, qui ſe *Monarcham* vocat, & eum agnoſcit *Crollius*, *Scheuneman*, & alij Paracelſiſtæ. At illa vniuerſitas eſt in *Muronia*, vel *Vtopia.* Breuis eſt via. Ite bonis auibus. *Quomodo vis ſtudere?* Circumambulatorie. Dixiſſes *Peripateticè* niſi tibi ea vox fuiſſet inuiſa. Ne habeas vbi ſedeas, rectè *circumambulatoriè* ſtudes. Anima alias ſedendo dicitur prudens fieri. Illa quæ ſequuntur, ſunt feruentis Chriſtiani verba: ſcilicet. *Ducti vitalis via Hermathena & docti curriculo contendamus ad ipſum Palladis templum, &c.* Euge vero: Feſtina lentè.

Lib. 2. Epiſt. 2.
Vbi Magia & Gabaliſtica Paracelſi & Crollii eſt, ibi nõ poteſt eſſe Deus.
Profeſſor Monarchicus in præfatione Paragrani tom. 2. Paracelſi.
Du deæque Hartmani.

An neſcis viam eſſe anguſtam? Si curriculo velis contendere, poſſis in phlegethontem interitus delabi. Quæ iſta *Hermathena?* Palladem Athenam vocabant priſci. Erat autem virgo innupta.

Hermathena ſapientia Hermetis.

Tuam

Tuam oportet esse scortum, quia secum ducit *Hermam* quendam. Caue cum hac eas. Nam quatieris foras ægide Palladis, & lancea. Mirifica est *via* quam *vitalem* vocas. Sed tu non es compos mentis. Oportet ergo nos ex tuis verbis te iudicare insanum hominem, omniaq; conuitia in tuum caput regere.

Sic argumentor: *Paracelsica sapientia est in templo Palladis, ad quod ducit Hemathena per viam vitalem, vbi est cuiusdam reginæ solium, dulcissimus Deæ aspectus, mellitissimum osculum, quæ permittit peruigili Dracone sopito aurea mala ex Hesperidum hortis decerpta reportare.* At hęc omnia sunt figmenta hominũ à Christiana pietate alienorum, polluta Ethnica impietate & diabolica persuasione. Talis erit ergo & Paracelsica sapientia. Qualis causa tale effectum: Quale subiectum, talia adiuncta. *Sapientia nõ intrat in animã malignã Sap. 1. 4.*

SECTIO IX.

De Sacramento, & προαυλίῳ Sapientiæ vitalis.

ADmoneo te Hartmanne vt ad te reuersus cogites quanto scandalo tuos auditores lædas, & quàm impiè inceptes iter tuæ Philosophiæ viuentis ingredi.

Primò fingis idolum quoddam quod vocas *Naturam virginitatis à seculorum exordio illibatæ.* Tune ergo primum te fore speras, qui ad huius virginitatem libandam admitti possit? Si alij ante te naturam cognouerunt non erit illibata: Si tu primum te fore putas, vide quid tibi, & tuis comitibus promittere & persuadere possis. Ego sane nullum argumentum video quo doceri possit te eam saltem à primo limine salutasse, præsertim si, vt verba sonant, *aurea Hesperidum poma* somnias. *Natura illibata.*

2. *Iuramento* vis cauere profanes temerè virginitatem naturæ. Non opus est iuramento. Tibi enim, & tuis nunquam isto modo ad eam fiet accessio. Itaque quas *Margaritas* non habes, quod *Sanctum* non possides, quod *Nectar* nunquam es nactus, ea non potes canibus, & porcis projicere, aut sterCoribus infundere. Interim, ne minus sis Ethnicus, non vereris *pœnas Actæonis*, quasi à canibus propriis possis esse tutus etiamsi *nudam Dianam* tuam videris. Quam Dianam? Epilogus eam notat *quæ tribus principiis ab elementari congerie, & contagione liberatis constat.* Ridiculum. Ad eam iam publicè prostantem pridem accessus fuit etiam Paracelsistarum impurissimis, & impudentissimis. *Iuramẽtum Hartmannicum.* *Diana.*

Siccine disputas in Academia Marpurgensi? Dum in *Proaulion* venis, aut Enthusiasta es, aut ebrius, aut somnio, vel melancholia correptus. Delirare sine impietate poteras. Quis est iste *Pan* quem aditurus naturam attrahere vis? Eadem pietate id dicis, qua quis Iouem se inuocare diceret, cum CHRISTI sacrarium est intraturus. An ignoras hanc quandam *speciem Idololatriæ esse, si quis Deum alieno nomine, & quidem abominationis gentilis, nominare, & colere velit?* Quo me Bacche rapis tui plenum; *Horatius* ebrius clamabat. Huic tu te similem facis tuo fictitio Enthusiasmo, qui tibi etiam Impiæ *Sibyllæ* verba ex Virgilio suppeditat. Mirum cur non & *Hecatæ matri Enmenidum*, magnæ sorori, *proserpinæ, & stygio regi* nocturnas aras inchoaueris. Cuius est ista *fulminea vox* quam te audire fingis? Quis te in sublimia *furor* raptat? *Gregorius NaZianZenus* cognomento *Theologus* cum secundum de Theologia librum inceptaret, item fingebat animi impetum quendam, quo sperabat, se posse Deum comprehendere, & monte conscenso, crassisque terrenæ molis impedimentis abiectis per mediam nubem ad eum penetrare. Verum non vtitur illis vanitatibus gentilitiis, apud pias aures scandalosis; sed accommodat ad institutum historiam veteris testamenti Exod. 24. vers. 9. & seq. Caue tibi ab insidiis magicis. Diabolus ambulat vt Leo rugiens, quærens quem deuoret. *Nolite conformari huic seculo*, inquit *Paulus* Rom. 12. vers. 2. *Sed transformemini renouatione mentis vestræ*: & alibi: *Nolite iugum ducere cum infidelibus* 2. Corinth. 6. 14. Propositum tibi est de principiis Chymicis ad Physicam, & Medicinam per allegoriam accommodatis dicere. Si ea sunt veræ sapientiæ decreta, bene facis inuocando nomen Domini. Ita enim præceptum est Coloss. 3. 17. *Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu, gratias agentes Deo & patri per ipsum.* Sin autem pro sapientia vendis *Paracelsi* vaframenta, & *Seuerini* inutiles argutias, quam rectè sanctissimum Dei nomen isto schemate tractes, tu ipse videris. Vereor ne & tibi procul absistendum sit. ἀρὰς aræ vis imponere. Si inquirimus quæ illæ sint, diras esse, & imprecationes, quibus Aristotelicam, & Galenicam disciplinam deuoues, deprehendimus, nec opus est demonstratione. Res loquitur ipsa. Quid vis vt Deus tibi ex adytis respondeat? γνῶθι πάντων: Imo *nosce omnia.* Ecce quo spiritu agiteris. Illud vel pro Delphici dæmonis oraculo habetur, vel saltem pro sententia foribus templi inscripta: & tu ex Adytis tibi vis responderi. Nihil video nisi impuritatem Ethnicam. Da te, *Hartmanne*, alicui peritiori chymico, vt te satis excoquat, & impurum à puro separet. A Deo frustra id oras, quod iam per totum mundum personuit. Iustius orasses vt tibi vim largiretur id exequendi quod est responsum. Cur addis? *Imo nosce omnia.* Quomodo tu hoc velis intellectum, noueris. *Henricus Kunrath* amphitheatro suo præfixit schema, cuius apex triangularis triplicatum nomen Dei tetragrammaton habet Magica forma scriptum intra nubem ex qua manus porrecta coronam capiti Kunrathi imponit, cum inscriptione: OMNIA. In pictura graduum septem portæ amphitheatri profani, item iubentur procul abesse, subscribiturque: *omnia in omnibus.* In tabula sequente quæ est globus cum decalogo nominibus Dei, & Icone Christi repetitur triangulus Tetragrammati cum subscriptione OMNIA. Veruntamen ille hominis notitiam & cæterorum non ex vno solo petit. Addit *Deum & maiorem mundum*, ita vt ex tribus trium sit cognitio reciproca, non omisso libro Scripturæ & *Magnesia sapientum*, quæ dicitur *filius Macrocosmi.* *Hartmannus in proaulio.* *3. Carm. ode 25.* *Vox fulminea.* *Exod. 19. 24.* *Aræ aris imponenda.* *Nosce teipsũ, hoc est, omnia secundũ magos Crollium, Agrippam, &c. Thrasybuli symbolum.*

OSWALDVS CROLLIVS pag. 26. & seq. Illud γνῶθι πάντων vocat *Apollinis Delphici oraculum*

 foribus

foribus templi Delphici inſcriptum, & autoritate *Cornelij Agrippæ*, impuriſſimi Magi, explicationem eius tam laxam proponit, vt dicat *Hominem intelligentem, ſeipſum in ſeipſo, tanquam in quodam Deifico ſpeculo, intuentem intelligere omnia.* iuxta Pſalm. 139. *Mirabilis eſt facta ſcientia tua ex me* (Mimmenni à me quaſi dicat mirabilior eſt quam vt meo captui conueniat.) Item vult *non in diſcendo, ſed patiendo diuina, hominis mentem perfici: Eſſentialem intrinſecam cognitionem non eſſe ex carne, & ſanguine, nec in multitudine librorum, & lectione, nec in pluralitate experientiæ & antiquitate dierũ, nec in perſuaſionibus humani verbi & contentione rationis, ſed in ipſa paßione diuinorum: omnia bona naturalia, & ſupernaturalia antea eſſe in homine, concreatam eſſe nobis omnium rerum notionem, in meditullio ſpiritus latere cuncta: Saltem opus eſſe excitatione noſtri à ſtercore & ſomno, &c.* Vide & reliqua. Hæc eſt ſuperbia illa antiqua qua *Eua* Deo ſimilis fieri volens perdidit omnia: ô bellum ſpeculum DEIFICVM. Eadem eſt Enthuſiaſtarum ſententia, qui ſibi inſpirari occultè petunt omnium ſcientiam, quod ſubtilius explicatur de reuelatione tantum ſui ipſius, qua facta omnia noſcantur. Dic ſancta fide, *Hartmanne*, an non tu hoc ipſum præter ordinem à Deo inſtitutum petis? Hic autem blaſphemus abuſus eſt nominis diuini.

SECTIO X.

De prima parte Sancti ſanctorum.

Pollutio Sãcti ſanctorũ.

QVid fuerit *Sanctum ſanctorum* in tabernaculo Dei inter Iſraëlitas, & templo Salomonis patet Exod. 26. v. 33. 34. & 3. Reg. 6. 16. 19. cap. 8. 6. Nempe oraculum erat in quo arca fœderis ſubter Cherubim, cortina diuiſum à reliqua taberriaculi & templi parte, vnde Deus colloquebatur Moſi Exod. 30. 36. cap. 25. 22. *Chriſtum* autem *illo oraculo ſignificatum fuiſſe*, non eſt dubium. Nam & Sanctus ſanctorum vocatur Daniel. 9. 24. & per eum pater de ſua voluntate teſtatus eſt, Iohan. 12. 49. cap. 14. 10. Ebr. 1. 2. Vide Ebr. 9. vbi cœlum, & conſpectus Dei eſt, tum conceſſus ad dexteram Dei, vbi nos Chriſtus tuetur, &c. Nihil eſt tam ſanctum quod non Philoſophia iſta Magica Paracelſi auſit polluere. Non opus erat tibi, Hartmanne, ad parabolica, & allegoria principia tuæ Phyſicæ, & Medicinæ, Sanctum ſanctorum ingredi. Foris enim etiam in atrio gentium, & ante templum abunde patent. In Chriſto Ieſu, eſſentiali Sancto ſanctorum, non inueniuntur, vti neque erant in arca teſtimonij ſub alis Cherubim. Putas diuinæ lucis radio tuas cimmerias tenebras diſcuſſas eſſe, oculorumq; nebulas & catarhactas abſterſas, & portas apertas. Falleris. Altius in tenebras es immerſus, adeo vt ex cimmeriis deſcenderis in Ægyptias. Tune ſperes exauditionem veri Dei *in re qua non ſecundum voluntatem eius petitur?* Tune auſis in Dei conſpectum Sacroſanctum, vbi eſt ignis vorans, venire cum gentilitiis numinibus *Pallade Hermathena, Pane, Sibylla, Hermeta* & aliis? Quære ex Theologis tuis, qui ne altare, aut tabulam quidem pontificiam, aut aliam in lapideo templo ferre poſſunt, an non horribiliter nomen Dei profanaueris? Ridiculè fingis portas iam apertas, &, tanquam de veſtibulo inferni apud Virgilium, loquereris, ſpectra corporum, & picturas animum faſcinantes, comminiſceris. Taliſne ad ſanctum ſanctorum eſt aditus? Nondum tamen in ſacrarium perueniſti. Apoc. 4. Oſtium aperitur in cœlo, & vox auditur: *Aſcende huc. Ibi apparuit thronus cum gloria Dei.* Gen. 28. v. 12. *Iacob* vidit *Scalam* à terra in cœlum pertingentem, & angelos Dei ſuper ea aſcendentes & deſcendentes, dominumque innixum ſcalæ. Hac ſe præſignificatum fuiſſe *Chriſtus dicit* Iohan. 1. v. 51. *videbitis cœlum apertum & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Iacobus Portam cœli vocabat.* Hac ſcala & cœli porta quam horribiliter abutantur Magi, videre eſt in *Dæmonomania Piſtorij*, & dogmatibus *Gabaliſtarum Iohannis Pici*, quæ commentariis illuſtrauit *Archangelus Burgonouenſis minorita.* Ea quinquaginta conſtare dicitur gradibus vſq; in *Enſoph*, quanquam *Kunrathus* tantum VII. aſſumſerit. Sed nec cæteri Magi Gabaliſtici perditiores incontaminatam illam ſcalam, quam *intelligentiis quinquaginta*, & *Iobilæo* cuidam affingunt, reliquerunt. Eſt libellus quidam *Scala Philoſophorum* dictus, in qua operationes ſpeciales magiſterij Chymici duodecim ſcalæ gradus vocantur, quos Riphæus Portas dicebat: alij claues appellant, nec abutuntur oraculorum diuinorum myſteriis, nec magice, ſed naturaliter, & artificioſe res exponunt. Putabam te, Hartmanne, conſcientia eſſe anguſtiore quam vt iſtam profanationem poſſes admittere. Sed inſanire cum inſanis legendus es. Trahis tecum *Sibyllam Hermetam*: Bellam ſcilicet ſociam. Illa *Sibylla* ex figmentis Virgilij petita erat diaboli ſacerdos. *Hermes Ægyptius*, qui ſe ter maximum in Dei contumeliam vocat, quis fuerit, docet *Pimander, & Aſclepius.* Ab eo deſcendere fœminæ creduntur quas *Sibyllas*, quaſi Dei conſiliarias, appellant. Hæc comes te ad Dei ſacrarium ducet, nempe eius cuius eſt ſacerdos. Eidem affingis *virgulam diuinam* admodum conuenienter. Tali enim inſtructa eſt *venefica Circe* apud *Homerum*, & incuſſu eius homines mutat in vrſos, leones, porcos, aſinos. *Sibylla Æneæ* dicitur fatalis virgæ oſtenſione mitigaſſe *Charontem*, vt in Cymba reciperet vtrosq;, & trans ſtygem vectaret. Hæc pollutiſſima tu, qui ſyncera pietate Chriſtum colere debebas, miſces tuæ relligioni. Quis autẽ iſte eſt quem cum *Sibylla Hermeta* exoraſti? *Num Charon* nauta infernalis? Chriſtianis ad Deum patrem *vnicum eſt oſtium Filius Dei incarnatus Nemo enim ad Deum venire poteſt niſi per ipſum.* Hic non adorari vult pro *Paracelſi* amentia, ſed donis veris, promiſitque & patrem rogaturum, & ſe petita ſecundum voluntatem Dei in ſpiritu, & veritate, conceſſurum. Tua ſapientia eſt dæmoniaca. Ideo per ſpiritus dæmoniorum ad eam viam paras.

Æn. 6.

Porta & Scala cœli.

Sibylla Hermeta.

Ioh 10. v. 9. & 14. v. 6.

SECTIO

Sectio XI.

De ſecunda parte Sancti Sanctorum.

HIc cum Ecſtatico magiſtro conuerſari debet diſcipulus, & cum Enthuſiaſtico præſide colloqui deambulatoriè ὁ συζητητής. Sed Magiſter naſo circumducit diſcipulum, ita vt perſuaſum ſit vtrumque neſcire quid rerum geratur, aut ſit præ manibus. Videtur in Ecſtaſi ſua ſenſibus vti in his quæ ne mente quidem humana poſſunt percipi. Fingit ſe verſari in *rotunda mundi machina, quæ tamen angulos habeat*, per quos omnes audiat *omnipotentis vocem.* Vbique ergo habitat, hoc eſt nuſquam. Neque enim homini id poſsibile eſt ſecundum naturam. Hic non intelligit collocutor quid ſit illud quod vox dicitur, & quis omnipotens. Aliud Magi Cabaliſtæ narrant, aliud natura indagatores. Credendum eſt velle diſputatorem tenebris inuoluere id, quod *Moſes* de creatione mundi aperte & dilucide more hiſtorico ſcripſit. *Dixit enim Deus, & facta ſunt*: ſed non ita dixit vt per rotundam mundi machinam, quæ ante lucem non erat, reſonuerit, quod etiam tunc fieri naturaliter non potuit. Poëtarum fictiones laudantur ſi ſunt artificioſæ, & quam maxime veriſimiles. *Hartmannus* non eſt bonus Poëta, ſed nec bonus *Magus*, quanquam Magos imitari velit. Tranſlata creatio mundi ad magiſterium ſapientum, quod videtur voluiſſe adumbrare, primum non aliquam anguloſam mundi rotunditatem, & machinam proponit, ſed *Chaos tenebroſum*, confuſumque vbi nec rotundum quid, nec anguloſum eſt, ſed totum *rudis, informis, indigeſtaque moles* cœli & terræ vocabulis potentialibus deſignata. Vt mundus factus eſt, ita *Hermes* ait fieri etiam arcanum ſapientum, & minorem mundum, qui eſt homo. Hæc enim tria inter ſe ſunt comparabilia, vt etiam Thraſybulus in ſuo amphitheatro indicauit. Aiunt Magi Cabaliſtæ per verbum FIAT Deum omnipotentem in macrocoſmo conſtituendo perduxiſſe omnia. Sed nobis, Hartmanne, non licet ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. Ne enim prophanemus Sanctiſſimum Dei nomen, maneamus in ſimplici litera, quæ ſe ipſam declarat. Sic loquitur ſcriptura. *In principio creauit Deus cœlum & terram, dixitque Deus, fiat Lux: fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum: Congregentur aquæ, Germinet terra herbam virentem: fiant luminaria, fecitque Deus duo luminaria, & poſuit in firmamento cœli: producant aquæ, creauitque Deus, & benedixit: producat terra: & fecit Deus: Faciamus hominem, & creauit Deus hominem*, &c. Pſalm. 115. ℣. 3. per voluntatem Dei explicatur creatio. Omnia quæcunque voluit, fecit. Ita & Pſalm. 135. ℣. 6. & Iob. 23. ℣. 13. Sed Pſalm. 33. 9. & Pſalm. 148. ℣. 5. Ipſe dixit & facta ſunt: Ipſe mandauit, & creata ſunt. Hic indeterminate Dei potentia & voluntas indicatur, non Cabaliſtice omnino verbum jehi, γενηθήτω, fiat, vel ſint. Itaque nulla Cabaliſtica myſteria poſſunt ex voce Fiat duci, non magis quam ſi ſcriptum eſſet latinè: exiſtat, ſit: oriantur, incipiant eſſe, &c. Imo maior vis eſt verbi jehi quam verbi Fiat. Significat enim iam quæ decreta ſunt, erunt ita vt eſſentiam ſuam dictum factum habeant. Vides omnipotentis decreti & voluntatis verbum eſſe illud FIAT: Hoc totius eſt Trinitatis: Deinde poſt ſtatutum *fiat*, Deum hoc eſt filium Dei in Spiritu Sancto feciſſe. Sic enim explicatur Iohan. 1. *In principio erat verbum: verbum erat apud Deum: Deus erat verbum* (non illud decreti communis FIAT ſed) *per quod omnia ſunt facta.* Id *Paulus* explicat Coloſſ. 1. 15. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, & primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa: omnia in ipſo & per ipſum creata ſunt: omnia in ipſo conſtant.* Ebr. 1. ℣. 2. *Deus per filium condidit ſecula.* Pſalm. 33. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Prouerb. 8. 27. 28. *Sapientia cum Deo creatore fuit, & in ea creata ſunt omnia* Pſalm. 104. 24. Hæc Sapientia hominem quoque creauit cum præceſſiſſet Decretum commune: Faciamus hominem, &c. Hæc *Hartmanne*: Canonicæ literæ nos diſerte docent, vt non ſit opus phantaſticis tuis, & magicæ ſtultitiæ ſimilibus fictionibus. Videris tibi animaduertere veſtigium quoddam *Ruah Elohim* incubantis aquis, totamque molem agitantis. Hæc tu partim magice dicis, partim poetice ad imitationem Platonici Virgilij.

Sed conſiderare debuiſti etiam ſuſpicionem Magiæ, qua ſanctum Dei nomen in vanum, ſeu ad vanitates Magicas Cabaliſticas aſſumitur vitandam fuiſſe à profeſſore ſyncera pietatis. Abutitur iſto *Rhuah Elohim Thraſybulus* ille in ſuo *amphitheatro* vbi ſcribit Hebraicis literis (noſti Magos has efficaciores cenſere ad effecta magica) *Ruah Elohim mediantibus Schamayim*, quaſi Dei Spiritus res condiderit aquis mediantibus, cum ſcriptura dicat latum fuiſſe ſuper aquis Spiritum Domini ſicut aquila volat alis extentis ſuper pullis ſuis, & nos videmus hodieque aerem ſuper aquis (quæ tunc totum globum medium tenebroſum ambibant) ferri. Tabula VII. vniuerſalis globus magiſterium inſcriptum habens, tres alios cum Hermaphrodito, capite corui, & cauda pauonis ambit, quorum imus eſt tenebroſum chaos, cuius ambitus exhibet ſcripturam, Rhuah Elohim (μορφὴ) incubabat aquis (ὕλη) Item à ſiniſtra hermaphroditi habentur hæc verba: Matrix ſiue vterus mundi maioris, in quo *Ruah Elohim* (cœli medio) *conceptus corpuſque factus eſt*, &c. Aut Spiritus Sanctus, aut aer intelligitur in *Moſe*, poteſtque aer literali, Spir. S. ſenſu myſtico exponi. Neutri conuenit explicatio per μορφὴν, quaſi vnum eſſet principium. FORMA, incubans materiæ primæ ex aqua & terra potentialiter. Sed nec *Spiritus ille in vtero magni mundi conceptus eſt.* Nihil vides niſi deliramenta, & oraculorum diuinorum deprauationes. Hac Magia Cabaliſtica deceptus *Crollius* modum deſcribere voluit, quo Deus omnia condidit: *omnia*, inquit, *producta ſunt ex Nihilo diuino* (quaſi Nihilum aliquid ſignificaret quam negationem creaturarum, & terminum ad poſt exiſtentes creaturas relatum) ſeu *inuiſibili puncto Cabaliſtico in aliquid, quod in momento Deus fecit. Nam ex inuiſibilibus tenebris* (In margine: *corpus omne ex ſpiritu inuiſibili & incomprehenſibili ſubſiſtente producitur:* quaſi idem ſint. Nihil diuinum, punctus Cabaliſticus, tenebræ, quæ & ipſæ ſunt creatæ, ſpiritus

Phantaſtica Sancti Sanctorum.

Vox Dei fictitia.

Macrocoſmus, microcoſmus magiſt. ſapientu͂ cõparabilia.

Verbum FIAT.

Vide vt Magica ratio in diuinis ſtulteſcat.

Leg. & pa. 18

ſpiritus inuiſibilis) *omnia proceſſerunt*, & *euocata ſunt, verbo dicente* (imo decernente tota Trinitate, filio creante, Spiritus Sanctus cooperante) *ad viſibilem lucem*, &c. quod eſt hiſtoriæ Moſaicæ contradicere. Neque enim omnia ex tenebris in lucem fuerunt euocata, quaſi prius in illis extitiſſent, ſed tenebræ ipſæ cum chao aquatico, & terreno ſunt factæ ! poſt lux non ex tenebris, ſed ex nihilo Deo iubendo extitit, atque inde cætera ſuo ordine non in lucem ſunt euocata, ſed poſt lucem condita. Notabis in eodem autore etiam hæc Cabaliſtica pag. 44. *Deus eſt viuus: Dei viui viuum quoque nomen*, & *viui nominis viua literæ*, quas dicit propter nomen viuere, vt nomen propter Deum, quæ tria vitam in ſeipſis habere perhibentur, vt poſtea deducatur virtus magica, quæ tribuitur verbo ſcripto, characteribus & ſigillis, præſertim literis, & ſcriptura Hebraica, vt eſt apud *Agrippam*. Hinc intelligis quid velint ſibi magi ſonando & ſcribendo *Ruah Elohim*. Talia *nomina* ſunt *numina* inquit *Crollius*: verba ſunt corpora inuiſibilia: ſiue herba ſiue verbum ſanet, facit NATVRALIS *virtus Deus*, id eſt, ſpiritus Dei naturæ coadunatus per verbum FIAT quæ ſunt ipſa dictione abominabilia. Sic abutitur dictione IHSVH ex *Thraſybulo* translata vt *pentas magica* conſtet, quæ alias foret *Tetras* tantum *ſpiritum Domini porro dicis totam molem agitare*. Virgilius canebat:

Vis nominũ, & characterum.

Nota horribiles impietates.

Vide & p. 46 Natura Deus. Pagin. 80.

Principio cœlum, & terram, campoſque liquentes
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet, &c.

Spiritus mũdi cum ſpiritu Domino confuſus.

Magi explicant, vt *Crollius* pag. 54. ex Propheta ſuo *Henr. Cornelio Agrippa*. Spiritus, inquit, totam agitans molem (*Agrippa* vocat *ſubiectum omnis mirabilitatis, Ens nullo ſenſu comprehenſibile*) qui omnia in omnibus operatur, & orbem terrarum impleuit, *Dei numen* totum mundum in ſe complectens. *Auicenna* vocat *animam mundi* diffuſam in omnibus rebus, fretus autoritate *Platonis, Arabum, & Chaldæorum*. Abſque omni tamen ſuperſtitione, & cultu idololatrico audiendum hoc, &c. pag. 100. ſcribit *Medicinam primam vniuerſalem genitam eſſe ex incorruptibiliori, & efficaciori materia* quæ ſub cœlo ſit, *Anima* vel *Spiritu* mundi omnium cœleſtium, & terreſtrium vires in ſe continente, qui ſpiritus mundanus, dicente *Suchthenio*, oriatur ex duobus Solis, & Lunæ fontibus, Naturalis, & Vitalis cuncta permanans entia, omnibus vitam, & conſiſtentiam præbens, &c. qui *ſpiritus cœleſtis* ſit *vnus & idem cum naturali noſtro ſpiritu*, &c. Alij tecum (vt eſt pag. 29.) *ſpiritum mundi quo agatur omnis in orbe ſpiritus*, ſpiritum corporeum & corpus ſpirituale omnia permeans, ab omnibus ſtellis maxime à ſole effluere dicunt, & à Luna ſuſceptum in ſublunaria immitti, &c. Vides opinor, vel me tacente, quo modo confundantur omnia, & gentilium ſtultitia immiſceatur ſapientiæ Spiritus Sancti non ſine atroci violatione mandati ſecundi, tibi tertij.

Medicina ex quibus iuxta Magos. Spiritus mũdanus ex quibus.

Profeſſorem agis in ſchola Chriſtiana. An non meminiſti illius Paulini 1. Corinth. 1. v. 20. *Vbi diſputator & ſapiens huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* cap. 2. 4. *Sermo Chriſtiani hominis non debet eſſe in ſapientiæ humanæ verbis?* Sicubi de his rebus agitur quas non niſi ex Spiritu Sancto haurire poſſumus vt in creationis articulo, *ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis loquendo non verbis quæ docet humana ſapientia, ſed quæ Spiritus Sanctus*. Si quis loquitur, inquit Petrus, 1. Pet. 4. 11. *loquatur quaſi ſermones Dei*. Ierem. 23. 28. qui habet ſermonem meum loquatur ſermonē meum vere. Nunquid non verba mea ſunt q. ignis? Dum Magicos ſermones, & gentilitias phraſes immiſcetis puriſſimis Spiritus Sancti oraculis, inſidiatur vobis diabolus, efficitque vt & vos, & veſtri diſcipuli paulatim in impiam Magiam pertrahamini. Non poteſt *Platonis, Arabum, Chaldæorum, Hermetis, Virgilij*, & reliquorum Ethnicorum doctrina ſtare cum igneis oraculis Spiritus Sancti, neque explicationes conueniunt. *Spiritum mundi* quem vocent Philoſophi, ſatis patet, eſtque ille apud Magos nihil niſi *fictitium numen*. Paulus dicit: *Nos non accepimus ſpiritum mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt*. Opponitur nimirum ſpiritus mundi, ſpiritui ex Deo. Deo vero quid aliud opponitur quam dux, rector, princeps & ſpiritus tenebrarum? Deus enim Lux eſt. Quod iam conſortium luci, & tenebris? Spiritu mundi magico *Agrippa Crollius* id tribuit quod Sacra Scriptura Deo Spiritui Sancto 1. Cor. 12. ℣. 6. Num id pie? *Spiritus Domini orbem terrarum implet, & hoc quod continet ſcientiam habet vocis*, inquit autor Sapientiæ Salomonis cap. 1. ℣. 7. qui de *Spiritu ſapientiæ Deo* loquitur, cuius gloria plena eſt omnis terra Eſa. 6. 3. Ierem. 23. 24. *Cœlum & terram ego impleo*. Actor. 17. 25. *Ipſe dat omnibus vitam, & inſpirationem. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, &c. Si hæc transfertis ad animam mundi, & ſpiritum *Platonis, Ariſtotelis*, aliorumque Philoſophorum & Magorum, nonne inſanitis? Vult *Crollius* ſine omni ſuperſtitione accipienda eſſe: ſed eſt proteſtatio contraria factis. Ex verbis tuis te iudicabit Deus. Quæ poſtea de *medicina vniuerſali* afferuntur, & declaratur anima, ſeu ſpiritu mundi ex omnibus aſtris confluente in Lunam, &c. petunt principium. Tu ipſe cogita tuus ſpiritus *Ruah Elohim*, eſtne ille qui ex aſtris affluit, & totum mundum peruadere dicitur? Negabis. Deinde ſi eſt *Spiritus Naturæ creatus cum mundo*, quo modo poteſt ex aſtris confluere, cum aſtra quarto demum die ſint facta, iamque ſuam naturam haberent cœlum, terra, aqua, aer, lux, tenebræ, omneque genus plantarum, & mineralium? Si omnium vires in ſe continet, priorem omnibus eſſe neceſſe eſt, aut ſaltem ſimul factum. Tu quoque abſurdus es in eius declaratione qua vis *corporeum eſſe, & tamen per omnia manare*. In tua ſchola adeo non datur dimenſionum penetratio, vt *negetur Chriſtus omnipotens Deus per clauſum ſepulchrum, & ianuas tranſiſſe*. Sed relictis his ad myſticum ſenſum accedamus. Tuum inſtitutum eſt diſputare *de origene principiorum hypoſtaticorum in Alchymia*, & ſic fundamentum naturæ, & medicinæ oſtendere. Aſſumis *ſpiritum mundi*, & *creationis opus*, ſimulque alludis ad *opus ſapientum in magno magiſterio* ad quod & *Crollius* reſpicit, dum id factum dicit ex mundi ſpiritu qui ſit ex Sole & Luna, &c. Solent autem Sapientes deſcribere ſuum magiſterium, vt dicant *in principio omnia eſſe aquam*, ex aqua putreſcente exiſtat *nigredo diuturna*, quam tenebris primis comparant ſuper abyſſi facie exiſtentibus. Sicut autem

Spiritus Domini Mundi Magorum.

Medicina Catholica ex aſtris.

N.B. Magi dicunt ſpiritũ corporeum mundi per omnia meare & penetrare: at nõ poſſunt hoc glorioſo Chriſti corpori in vnita te perſona cũ Deo omnipotẽte cõcedere.

Magiſterij lapidis.

ſuper

ſuper aquis primis dicitur Domini ſpiritus latus, ita & *ſuper ſuis aquis tenebroſis agitari ſpiritum* ſui magiſterij aiunt.

Verùm hoc magis conuenit operationi tertiæ quam primæ, & ſecundæ quæ ſunt ad tertiam præparationes quædam, quanquam ſi quis ſciat abbreuiationem, & multiplicationem, etiam de prima ſit verum. Non ſunt hæc occulta in literis Sapientum, ſed decantatiſſima. Cur ergo inuoluis tenebris id quod ſapientes voluerunt in luce eſſe? Siccine doces tuos diſcipulos, & inter Acroatas tuos diſputas? Videris tibi animaduertere veſtigium *Ruah Elohim*, & videre *internum, inviſibilemque Solem.* Dictio ipſa eſt mira, & eſt aliquid concedendum *Enthuſiaſtis* magicis. Alias inuiſibilem Solem internum videre arduum fuerit. Melancholici, & maniaci imaginantur ſibi videre quod non vident, idque euenit aliquando etiam morbo alio correptis, aut phantaſtis & ebrijs, febricitantibuſque dormientibus. Niſi in Ecſtaſi te eſſe fingeres, mentis oculos tibi affingerem: ſed *non credo tibi vnquam cognitum eſſe artificium ſapientum.* Dum ſpiritus Domini incubat aquis, omnia adhuc ſunt craſſis tenebris oppleta. At tu inuiſibilem Solem fingis, & vim lucis inſolitæ. Nugaris. *Moſes* longe fidelius rem enarrat. Nam tenebris in vnum locum coactis, Deus lucem procreauit, qua in manifeſtum prodijt id quod in illo fuit hemiſphærio, ita vt mutuo circumactum fierent dies & nox, veſpera, & mane. *Sol tunc nec viſibilis nec inuiſibilis erat.* Ita eſt in magiſterio ſapientum. Tenebræ initio occupant totam materiam longo tempore. Inde paulatim procedit lux per colores inconſtantes donec appareat vera albedo, fiatq; quaſi progreſſio *à media nocte per horizontem Orientalem ad Meridiem vſque.* Tu florem naturæ tunc vides ridicule. Neque enim adhuc planta eſt enata. Habes tam acutas nares vt odores fragrantiſſimos olfacias, cum nulli adhuc ſint, & potius *ſpiritus fœtens* dominetur, vt fieri par eſt in putrefactione. *Morienus, Artephius*, & alij *aquam fœtentem* vocant. Conficiunt enim magiſterium ex *aqua fœtente, Leone viridi, & fumo albo. Aqua benedicta ab odore fœtido, qui comparatur odori ſepulchrorum eſt mundanda.* Mirum ergo vnde tibi fragrantia in principio. Sed & ſenſu tactus moueris. *Incaleſcis in ſolito more.* Sane magiſterium ſine calore graduato non inſtituitur. Inde dicunt *ſpiritum fouere aquas, & fœcundare.* Sed ad ſenſum, totum opus non ita calet, quin dicatur dominari *humidum & frigidum* vt in putreſcentibus, vbi calor inſitus eſt oppreſſus.

Hartmanus eſt rudis artificis ſapientum, adeo vt id etiam ex Libauii ſcriptis non potuerit diſcere, ſaltem literatenus.

Materiam perlatam & cryſtallinam, item *Mannam cœleſtem* vides ante tempus. Neque enim dum *hyems tranſijt, aut imber abijt*, vt loquuntur. *Perlæ* ſunt liquoris ſplendidi nitentiſque coagulati, ſeu perfectæ albedinis, vt & cryſtallina glacies. Hanc antecedit *viriditas* & alij colores inſtabiles. Tu miraris viriditatem, & exclamas: ô *benedicta viriditas*, lineam nimirum fingendo viridem vbique radiantem, & gyro circundantem vniuerſum. *Thraſybulus in amphitheatro* globum mundanum expreſſit in cuius centro eſt *hermaphroditi* imago cum ſcripturis. Ambitus habet trigonum triplicem, quaſi *Irin* quandam cuius medium tenet *Linea viridis Cabaliſtarum gyrans vniuerſum, quod ſpiritu, anima, & corpore* continetur. Ex hac pictura tu tuam lineam tranſtuliſti, ſed re non intellecta. In iride ſolari color primus internus eſt *puniceus*, medius *viridis*, vltimus *halurgus citrinus Igneus* (nam interdum dilutior eſt vna parte, altera magis ſatur, quaſi duo colores ſimul eſſent) ô *benedicta viriditas*, eſt in Roſario Philoſophorum, *quæ cunctas res generas.* Nullum enim vegetabile, & nullus fructus apparet germinando, quin ſit ibi viridis color. O Benedicta viriditas in ſua VII. tabula ſuper caput corui ſcripſit Kunrath. Hanc *viriditatem*, quæ dicitur perfectio in ære, per magiſterium vult *in aurum Philoſophorum verti.* In libello de arte Chymica ſcriptum eſt, quoſdam dixiſſe *omnes res eſſe virides*, quia *viridi eſſe* vocent *creſcere, & coaleſcere*, ita vt viriditas ſit NATVRA, quæ & *generandi virtus, & anima mundi.* Videntur iſta ex Geneſi ſumta eſſe, vbi *terra* iubetur *germinare herbam virentem*, &c. Alias aliter de viriditate loquuntur Sapientes, vt cum deſcribunt *Leonem viridem*, qui deuorat Solem, eſtque pars magiſterij apud *Morienum.* De his in ſyntagmate. Tibi, *Hartmanne* cauenda erat abuſio Magica & locutio minime conſentanea fidei. Qui ſunt iſti *Dij* de quibus ſcribis, ô ἕδος θεῶν, & *tabernaculum cum hominibus*? Itane profanas oracula diuina? Apocal. 21. ℣. 3. de ſancta ciuitate, Hieruſalem, & Eccleſia glorioſa dicitur: *Ecce tabernaculum Dei*, σκηνὴ τοῦ θεοῦ, non τῶν θεῶν, *cum hominibus.* Fatua impietas eſt magiſterio lapidis accommodare iſta diuina: ô *Regium immortalitatis pallatium* (quaſi lapis ex principia eius Chymica eſſent incorruptibilia, & exemplum perpetuæ durationis) ô *ſancta Eccleſia Catholica* (quaſi magiſterium aris compari cum ſanctificata merito filij Dei Eccleſia poſſit) ô *beata Reſpub.* (quaſi & politica hierarchia eſſet in furnulis Paracelſicis) ô *Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum*? Quæ verba ad filium Dei in humanitate aſſumta ſpectant iuxta omnes Pſalmi 8. circumſtantias, *Chriſto* ipſo indicante Matth. 21. 16. & *Paulo* Ebr. 2. 6. 7. 8. 1. Cor. 15. 27. Eſ. 9. 6. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis.* Quid commune eſt myſterio incarnationis filij Dei cum tuis ſordidis figmentis?

Perla in magiſterio.

Viriditas principium vegetationis.

Linea viridis.

Irides colores

Dii Hartmani.

Vide famam Roſeæ crucis, & confeſſionem vbi iſta impietas notatur.

SECTIO XII.

DE tertia parte Sancti Sanctorum in qua de *prima materia* agitur ex ſententia *Seuerini*, & *Ariſtotelis* de eadem Phyſica rabioſe exagitatur. Nam in Sancto Sanctorum Paracelſico verſantur etiam illa quæ Apocal. cap. 22. ℣. 15. dicuntur eſſe foris, vt *canes, venefici, impudici, homicidæ, Idololatræ, mendaces*, cum alias vt & cap. 21. verſ. 26. non intrare debeat aliquid immundum, aut abominationem faciens, & mendacium. Ita *Kunrath* in penultima amphitheatri figura magiſterij typum propoſuit in medio: in ambitu varia monſtra calumniantium, & criminantium repræſen-

Impium Sanctum Sanctorum Hartmanni.

repræſentauit, vt in figura ſeu tabula tertia falſorum Philoſophorum, & Sophiſtarum ſtationes. Videamus quid rerum.

In Sancto Sanctorum Hartmanni eſt impius Idololatra Hermes.

1. Alloquitur **Hermen**. Id vero impium. Quis te iuſſit in hagia ſterium Dei Ethnicum illum magum introducere? Qua licentia hoc es auſus? Sed fortaſſe tuum hagiaſterium eſt illud atrium Apocal. 11. ℣. 2. quod dicitur αὐλὴ ἡ ἔσωθεν. Hæc *gentibus datum eſt quæ ciuitatem ſanctam calcabunt annos* ; 50. quod videtur factum vſque ad Conſtantini Magni tempora ab initio decreti. Tu id atrium reponis.

Caluiniſtæ cum artis multis in Sancto Sanctorum.

2. Fingis poſtea multa *altaria, Iconas, monumenta, exedras, nomina, Emblemata*. Tune, qui Caluiniſticam amplecteris iſta in tuo templo communi feras, nedum in adytis, & Sancto Sanctorum? In Dei templo vnum altare eſſe ſatis eſt, quia & vnus eſt Chriſtus. Solenne eſt Chymicis: *omnia ab vno: omnia ad vnum*, iuxta monadis hieroglyphicæ myſterium. Supra tua Paracelſica veritas in punctum erat contracta. *Thraſybulus* in ſuo amphitheatro mirabiles habet picturas, poſſuntque excogitari infinitæ: ſed in Sacrario omnes ſunt vnum.

Materia prima.

3. Iam *punctum à quo & ad quod omnia*, proponitur, vocaturque *materia prima*. Omnia ab ea emanare perhibentur, & omnia ad eam collineare. Male fingis *Hartmanne*, & neque tuam mentem reſpicis, neq; intelligentias, neque diabolos. Hæc neque facta ſunt ex materia prima, neque ad eam redigentur. Quid de luce, & cœlo dicemus? Deus in principio non creauit primam materiam, vel chaos abſolutum, ſed *cœlum*, & *terram* quæ erat inanis & aquis tenebroſis tota inuoluta. Nos chaos relate dici poſſe concedimus, ſed non abſolute: Et tibi demonſtrandum erit quod cœlum, lux, ſtellæ, in illo relato chao fuerint vel actu, vel potentia. Nos ex nihilo producta tantiſper ſtatuemus, donec tu contrarium demonſtres. Deus enim, teſte *Paulo*, vocauit ea quæ non ſunt, τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα tanquam Entia. Machab. 2. cap. 7. ℣. 28. cœlum, terra, & omnia quæ ſunt in eis *ex Nihilo* dicuntur creata, οὐκ ἐξ ὄντων : ἐξ οὐκ ὄντων : ex quibus orbis terrarum fabricatus: Ebr. 11. 3. ἐξ ἀοράτων, ſeu vt textus habet: πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Sapien. 11. ℣. 18. οὐκ ἠπόρει ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ, καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης, &c. De hoc autore Platonizante ita ſtatuendum eſt, vt conuenit analogiæ fidei. Cæteri primum textus illud *Nihilum* deſignat quod appellamus *Negatiuum*, *Crollius* diuinum. Tuum *punctum* ſi non ex proæreſi mentiris, *viſibile* fuit, & ſatis *materiale*, iamque non ἄμορφον, ſed bene formatum. Quo modo enim alias vidiſſes? Relatum noſtrum chaos ob tenebras videri non poterat. Sed condonandum tuæ poëſi, aut ecſtaſi, vel potius phreneſi hoc eſt. Putas vidiſſe iuxta Virgilium in veſtibulo inferni, quod non vidiſti.

Materia prima gentiliũ eſt figmentũ.

Num mundus ex aliqua materia factus.

Vide hæreſin Hermogenis, Seleucianorum, Sabellii Marcionis, Manetis, Vorſtii, &c.

4. Sed adhuc eſt mirabile illud punctum. Cur? Ponitur enim in medio. Iam ergo non eſt prima materia ex qua omnia. Creatis enim omnibus prima materia eſt exhauſta in cœlum & terram omnemque exercitum eorum. Num tuæ ſapientiæ eſt ſeparabilis? Neque Phyſicus bonus es, neque Magus, neque Poëta. Bonum fatuum eſſe permittendum eſt.

5. Aliud mirum. Vidiſti *omnia ad iſtud punctum medium tanquam ad centrum collineare*. Lynceus fuiſti, aut acutior ſerpente Epidaurio. Quis enim hominum *videat omnia* niſi *Hercules* furens? Iterum dico: ſi omnia ad materiam illam quaſi lineis ducta ſunt, Materia prima eſt Ens aliquod perfectum. An Deus eſt Materia prima? *Crollius* tuus *Deum centrum omnium* ponit, quanquam auſu incredibili. Non enim eſt centrum peccati, diaboli, mortis & omnium malorum. Nos eum conſideramus non vt centrum: omnia enim implet: ſed vt cauſam procreantem, & conſeruantem omnia quæ facta ſunt, vniuerſalem, omnipotentem, omniſciam, omnipræſentem, æternam.

Punctus Hartmanni primaterialis.

6. Sed perge: Illud tuum *punctum* (non Mathematicum ſed Phyſicum) *eſt materia prima*. Quænam? Omniumue prima καθόλου, an in quouis genere prima? *Philoſophorum* dicis. Obſcurus es nimium. Quorum? Num gentilium καθόλου, vt *Platonis*, & ſimilium, quam etiam poëtæ Heſiodus, Ouidius, &c. amplectuntur? Sunt *Philoſophi magni magiſterij* qui *tractant materiam primam ſui lapides* ex metallis, ſeu mercurio, ſale & ſulphure aſtipulantibus. Hi ex ſuo opuſculo colligunt de mundi creatione; ſed non primordialiter. Nam ab *aqueo chao* incipiunt, in quo fingunt ſic terram fuiſſe vt in Mercurio, vel ſal in vrina, tartarum in vino, &c. Oportet te exactius determinare tuam materiam primam. Adiuuet te tuus *Hermes*, ſi poteſt. Verum hic non poteſt tranſilire aquam, & ſi profunde cogitare velit ad *Timæi Locrenſis* & *Democriti*, *Heſiodique* atomos peruenerit, quod tu nunquam permiſeris. Deſcribe ergo tuis verbis:

Materia 1. Hartmanni.

7. *Materia prima eſt quam creator admirando decreto in rudem olim maſſam impoſuit*. Quid hoc rei? Maſſa præſupponitur Rudis. In hanc, tanquam ſubiectum, creator impoſuit materiam primam. Eſt ergo rudis, indigeſtaque moles, chaos ſiue Poëticum, ſiue Theologicum, aliquid compoſitum ex prima materia, & rudi. An maſſa eſt materialis cauſſa, materia prima formalis? Satin' Sanus es? Quis tibi ſiue Philoſophorum, ſiue Theologorum hoc conceſſerit? Prima tua materia ſic erit forma quædam, aut virtus, aut qualitas: vel dic tu quid nam ſit? Nihil eſt de rudi maſſa: ſed aliquid diuerſum ab ea. Iam inuenimus in prima materia, etiam fictitia, nihil niſi priuationem, & meram potentiam paſſiuam, ſeu omnium naturalium in ſub lunari globo formatum ſubſceptiuitatem quandam, vt ſit quiddam pandoches, & panſpermia potentialis. Num ergo prima tua materia eſt priuatio, & potentia talis?

8. Id quod creator coniunxit chao Theologico, hoc eſt, ex terra & aquis confuſæ materiæ tenebræ erat, vacuitas erat, & inanitas: à Tohu vabohu. Erat autem id iam corpus, & quidem eiuſmodi vt partim aqua, partim terra non diceretur tantum, ſed & eſſet, quo differta materia prima gentilium philoſophorum: conuenire autem creditur cum ſemine animantium, potiſſimum microcoſmi hominis, cui poſtea aſſimilatur materia prima operis metallici ſapientum.

Nonne

Nonne ſicut lac mulſiſti me, inquit *Iobus*. Lac confuſus quidam liquor eſt ex pinguedine oleoſa, quæ ſulphuri comparatur, & caſeo terreſtri, qui elemento terræ, in quo tamen eſt terra virgo: tandemque ſero cui ſal ineſt, atque ita ſymbolum duorum principiorum cum aquoſitate elementari. Theologi nonnulli arbitrantur non ſic ſe habuiſſe materiam mundi, ſed terram ſub aquis iam coagulatam, vt in diluuio, iacuiſſe, & quia tenebræ dicuntur fuiſſe ſuper faciem abyſſi, ſpiritu aquis incumbente, qui literali ſenſu fuerit aer, commune tenebrarum cum aqua ſubiectum, hinc concludunt tria iſta Elementa & formæ aliquod rudimentum habuiſſe, & loca ſua ſeruaſſe. Eſt ſane difficilis huius materiæ explicatio. Nam & cœli aliquod rudimentum putant concludi poſſe ex verbis: *In principio creauit Deus cœlum & terram*. Verum alijs conuenientius ſcripto videtur, ſi per *Haſſchamaijm* intelligamus AQVAS. Sequitur enim ſtatim vtriuſque creati corporis deſcriptio, imo triplicis. *Terra enim erat inanis: Spiritus ſuper aquis*, & *tenebræ in vtriſque*. Ita Deus in Iobo cap. 38. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ: Quis concluſit oſtiis mare quando erumpebat quaſi de vulua procedens: cum ponerem nubem veſtimentum eius* (nebuloſum aerem) *& caligine illud inuoluerem* (tenebræ erant ſuper faciem abyſſi) Hoc eſt opus principij, ſeu primi diei, quo & lux eſt condita. Creditur autem ex nubilo, ſeu nebuloſo aere illo etiam *firmamentum* factum eſſe; vnde poſtea totum illud quod eſt à globo medio vſque ad aquas ſuperiores *cœlum* dicitur propter cognationem. Sic Deus comprehendiſſet & ſecundi diei creationem. Verſu decimo, & vndecimo eſt opus diei tertij diſcretionis ſcilicet terræ, & aquarum, &c. Ex dictis itaque aliquo modo patet cuiuſmodi fuerit *Theologicum Chaos*, nempe neque poeticum, neque magicum Hermetis, ſed diuinæ voluntatis, idque partibus nonnihil formatum, & diſtinctum, ſed omnia ruditer. *Ouo* id comparare ſolent, quanquam claudicante exemplo.

Iob cap. & verſ. 10.

Chaos Theologicum.

Pone iam illam *rudem mundi Orientis maſſam*. Quid erit illud quod tu dicis *admirando de reto à creatore incomprehenſibilis ſapientia in eam impoſitum fuiſſe?* *Punctum*, reſpondes, ſeu prima materia. Falleris inquam, & tuus *Hermes* à veritate aberrat. Prima materia non imponitur rudi maſſæ; ſed vel hæc ipſa eſt prima materia, vel facta ex prima materia, quæ cogitari, vti & à Paracelſiſtis cogitatur, ſed non dari. Fuit enim nihil negatiuum reſpectu creaturarum. Id quod Deus in eam rudem maſſam poſſit partim colligimus ex *Tohu vabohu*, ſeu inanitate & tenebris, partim ex diſtinctarum rerum vocabulis. Facta ſunt ſimul loca, quæ ante non erant, licet Platonici fingant, & tuus *Seuerinus* talia commiſcatur elementa prima, cum locatis. Locata autem oportet iam aliquid perfectionis habere: Eſt enim *perfectio cuiuſque in loco proprio, qui eſt locus formæ:* ſed quod rude eſt reſpectu ſequentis abſolutionis. Naturam & potentiam aliqui iam tunc ſimul creatam volunt. Sed diſtincte pronunciandum eſt. Genericam, & confuſam ponere poſſumus, ſeu interminatam. Determinata eſt poſterior cum ſingula elaborarentur, & ex primis crearentur ſecunda. Id patet ex aquis, quæ prius ſimul erant, & ambibant terram vndiquaque, ſed poſtea ſeparabantur, & quaſi naturam ſecundariam accipiebant. Qui *informia* omnia fuiſſe putant, quanquam nomina diuerſa proferantur quaſi nō iam exiſtentium, ſed poſt emergentium, potentiam materialiter, quæ paſſiua dicitur, & cum priuatione coniuncta eſt, ſtatuunt. Sed ea non fuit generationis, ſeu ad generationem procliuitas, & diſpoſitio quædam, quaſi ſi calor externus affuiſſet potuiſſent ex potentia aquæ piſces, & plantæ naſci, ex terra animalia, vegetabilia, mineralia: ſed potentia reſpectu creationis, vt non ſponte, ſed per omnipotens Dei verbum poſtea inde extiterint determinatæ ſpecies, quarum natura prius non erat. Quæ ergo generationi, & corruptioni, ſeu omnino mutationi fuerunt ſubiectæ, ijs ſeminea, & propagatrix quædam poteſtas eſt indita, ſic vt locum ſuum haberent in medio mundo vbi ſunt Elementa tanquam loca, & matrices, ſeu conceptacula miſtorum, quæ ex communi materia ſuperiorum, & inferiorum ſunt creata. Sed & ipſa Elementa medij mundi inter ſe ſunt tranſmutabilia, & quæ per generationem exiſtunt partim conſtantia ſunt, partim inconſtantia, & vel rationem determinatam in vniuoco ſemine habent, vel interminatam, imperfectamque in æquiuoco. Poſtquam ſic natura, & naturalia ſunt procreata, Philoſophi ad ſua magiſteria ante perficienda, aſſumunt corpora, in quibus vis ſeminaria perfectionis ſuſceptiuam latitat naturaliter. Neque enim naturam vniuerſalem, vel ſpecialem illi poſſunt producere: *productam autem perficere poſſunt*. Hanc enim potentiam à Deo acceperunt, quanquam non ſine adminiculis naturalibus. Hoc tuus *Hermes* proculdubio voluit dicere, nempe, *Deum condidiſſe rudes quaſdam ſubſtantias, illisque indidiſſe vim ſeminariam, quæ externis auxiliis ex potentia in actum vocata proficeret in hanc vel illam ſpeciem perfectam.* Eadem natura quoque vocari ſolet, cuius proprium ſubiectum præciſe non eſt rude aliquod Elementum, aut elementaris miſtura, ſed *ſubſtantia nobilior Elementis*, vtpote *analoga Elemento ſtellarum*, quam *ſpiritum, calorem, & humidum hypoſtaticum*, ſeu *primogenium* ſolemus appellare. Hæc ſunt principiorum Chymicorum, & poteſtatum mirabilium fundamenta. Sed redeamus ad tua.

Elementa.

Miſta.

Materia lapidis.

Natura.

9. Materiam primam rudi maſſæ impoſitam vocas *communem matrem, fontem vitæ inexhauſtum, originem, actionum naturalium generationum, mixtionum, tranſplantationum*, &c. Voluiſti dicere elementari congeriei, quæ pro rudi maſſa eſt, inſitam eſſe eſſentiam quandam ætheræ naturæ proportionatam, ita vt non quidem ſit deciſio, aut portio ipſius firmamenti, quia contagio elementari obnoxia, veruntamen nobilitate minime ei cedens: Ex hac procedere illas actiones quas dicis. Quo modo vero *communem matrem* vocas? An ignoras cuique ſpeciei determinatam eſſe naturam? Sed tamen eſt in eis aliquid commune, & genericum. Genere enim conueniunt: ſpecie differunt, eſtque inter *Genera* ordo quidam, vt quædam ſint *mineralia*, quædam *plantalia*, quædam *animalia*, ſiue perfecta. Quædam enim ambigunt, vt *Zoaphyta*. Cur item dicis eandem materiam (intelligo eſſentiam. Materiæ enim nota eſt *ex qua aliquid ſit*: tu vero de effi-

Materia Hartmaniana digni-tas.

Communis mater.

Mixtiones. Miſtio Phyſicorum.

de efficiente cauſsa actionum loqueris) eſſe originem mixtionum? *Deus ipſe ſe creando miſcuerat vnumquodque*, & vti creatum eſt, ita poſtea propagat ſe, & multiplicat inſita virtute. Phyſici noſtri,& Medici ſic diſputant de miſtione, ac, ſi cum naſcitur vnumquodque, ex diuerſis coaleſceret natura eſſe, vt ſunt creata, ſeu actu, ſeu potentia. Miſcentur quidem etiam poſtea nonnulla vario concurſu miſtilij: ſed imperfectæ, aut æquiuocæ ſunt illæ ſeu miſturæ, ſeu cōpoſitiones. Ars naturam in multis imitatur, vti videre eſt in officinis Pharmacopæorum, Chymicorum, Piſtorum, &c. vnum videtur obſtare. Qui de metallis philoſophantur alij quidem miſtione ea conficiunt, vt *Gaſto Claueus*; cuius tamen ſententiæ non ſubſcribimus: alij ea *ſicut pruinam aut niuem conſiſtere volunt*, cum iam rationem quidem *habeant ad certam, determinatamque naturam, ſed cui deſit perfectio; quam accipiant coagulatione in ſuis locis*, ſeu *matricibus minerarum naturalium*: alij materiam *Mercurialem* omnibus metallis communem ponunt. In eam dum *ſulphur per mineras ſpecie habitus oberrans incidit, & comprehenditur, pro vt comprehenditur, ad quam rem & loca aliaque adminicula multum afferunt momenti*, ſicut fit etiam in animalibus & plantis ſpontaneis, ita fieri metallum ſentiunt, Salino ſpiritum coagulationem afferente, & fixionem: Alij ex ſeminio in matricibus exiſtente producunt.

Metallorum generatio.

Miſtio.

Sed omiſſis cæteris quæritur, ſitne mixtio cum principium formale, quod eſt cum ſpiritu, & calore, ab humore prædiſpoſito concipitur,& certi metalli formam Mercuriali materiæ conciliat? Suppeditet nobis ars ipſa exemplum. Cum maſſa & farina, & aqua, quibus adduntur aliquando & alia, paratur, & fermentum additur, quod ad certam miſturæ ſpeciem perducatur: Cum Philoſophi ex Mercurio ſeminalem partem eliciunt, & poſtea addito fermento albo, vel rubeo determinant, vt fiat medicina ad album vel rubrum perfectum: Cum *regulum Mercurialem ſtibij* coquunt cum plumbi, vel alterius metalli cuius formæ eſt capax, calce fœcunda, ſeu anima: Sunt ne miſtiones? *Ariſtoteles* acutiſſimus naturæ obſeruator in piſcibus, cancris, aſtacis & ſimilibus formatiuam vim à mare eſſe oſtendit, qui non materiam generationis conferat, ſed aſperginem quandam ſpirituoſam, qua oua fœcundata poſtea per ſe in animal proficiant. Hic nulla miſtio intelligitur. Cum Philoſophi *proiectionem* faciunt, & *medicina aurifica*, vel *argentifica* ex mercurialibus imperfectis aurum, argentumque producunt, non fit miſtio.

Matrimonium in lapide.

Ideo in ſuo magiſterio matrimonium, ſeu coniunctionem maris, & fœminæ ſeminalem tantum agnoſcunt, quam ſi miſtionem voces improprie voces. Materia noſtra iam miſto eſt. Principium perfectionis eſt à forma vel inſita, vt in plantis, vel ſuperuenititia, quanquam *inſeparabilis* cum ſit, ſine omni ſubiecto ſpiritu, vel humore, vel vtroque eſſe nequeat. Dicis porro tuam materiam primam eſſe etiam *tranſplantationum originem*. Id Peripatetici facile,& admittunt, & explicant. Coniunctam enim habet potentiam paſſiuam; & appetitum variarum formarum ad quas recipiendas eſt diſpoſita. Sed quomodo hoc euenit in illa materia prima quæ in rudi maſſa tanquam in ſubiecto hæret? vim patiatur neceſſe eſt. Sponte enim naturæ ſuæ non in aliud fertur, quam in id ad quod eſt determinata. Neceſſe eſt ergo fateri in eſſentia illa, quæ ex principijs conſtat, eſſe potentiam quandam paſſiuam hoc eſt priuationem Ariſtotelicam; per quam à propria natura dimoueri poſſit, & in aliam tranſplantari ab aliquo principio valide immutante. Sic volunt imperfecta metalla, & ſemimetalla naſci; & eodem modo etiam poſſunt interſe tranſmutari, vt *ex ferro æs*, ex *argento aurum*, ex *plumbo nigro plumbum album*, *ex antimonio & biſmutho plumbum vel ſtannum* fieri, quanquam iſta omnia neget imperitiſſimus naturæ, & rerum *Nicolaus Guipertus Lotharingus*.

Materia I. tranſplātationum.

Generatio & tranſmutatio mineralium.

In I materia Elementorū vires.

10. Quod tandem attinet ad cæteras vires quas *tuo puncto*, ſeu *primæ materiæ* in rudi maſſa tribuis oportet te diſtinguere. Nam rudis illa maſſa ex Elementis confecta non eſt ſine omnibus viribus. *Qualitatibus* enim ſuis pollet: Quocirca dum eſſentia adhuc eſt in Elementis, totum ſimul agit etiam viribus elementaribus pro Elementorum dominio, vel æqualitate: Sed & quando eſſentia ſeparata eſt, quia non poteſt exuere contagium omne elementare, adhuc *qualitates elementares* obtinet. Hinc videre eſt quod olea,& ſpiritus ignei calefaciant,& penetrent: ſales terream naturam habeant, mercuriales liquores aqueam. Interim autem quia magna ex parte Elementa ſunt ſegregata, *vires eſſentiales* antecellunt. Hæc rectius inſtillaſſes tuis diſcipulis.

In eſſentiis ſunt elementares qualitates.

Platonis elogiū minime Paracelſicarum.

11. Niſi mihi noti eſſent mores Paracelſiſtarum, mirarer tuam audaciam. Tune *Platonem* diuinum voces, qui fuit præceptor eius quem *Paracelſus* ille *Deus Crollij* appellat *Cacariſtolem*, & alij Paracelſici *Narrariſtotelem*? Illum inquam *Platonem* cuius prima materia à tua tantum diſtat quantum non Ens ab Ente? Illum qui *Elementarias qualitates*, & *Elementa* tantopere commendat? Quis te non rideat cum tuis *Ideis*? *Nominales*, *Reales* te explodunt. Quid ſint *vniuerſales Ideæ Platonis* iam eſt decantatiſſimum. Tu tuam primam materiam inſcite, & inepte eſſe putas. Num ſatis eſt te dicere, aut aliquem Paracelſicum blateronem ſcribere? *Ideæ ſunt formæ*, quas cum *vniuerſales* voces, *intellectus eſſe patet*. Tua res dicitur *Materia*, eaque ſingularis, & poſt ſeparationem ab elementis oculis aſpectabilis: ſed & in ipſa rudi maſſa cum abſoluta eſt, odore, guſtuque potiſſimum in vegetabilibus perceptibilis. Agnoſces tuam ruditatem, & *irriſorios tuos ſpiritus*, quibus bene es perfuſus, comprimes.

Ideæ Platonis ſunt formæ: Materia vis eſt in potentia.

Stabulum caninum in Sanctuario Hartmanni.

12. Iam de parte inuectiua, & canina tui Sanctuarij. Quæris vbi illa abſtruſa *Peripati* decantatiſſ. *materia* deliteſcat: Si adeſſet *Plato*, aut *Ariſtoteles* reſponderet idem quod de *menſutate*, & alijs formalitatibus. *Oculos habes quibus videre poſſis materiam vltimam, quibus primam videas, oculos nimirum mentis, non habes*. Mirum ſi tuam materiam vides, non autem Peripateticam, quam tamen ſi videre poſſes, non eſſet vniuerſale tranſmutationum ſubiectum, nec prima. Tu *Tyro* oſtende huic profeſſori ſublimi *Ariſtotelis* materiam primam, vt ſaltem mente per abſtractionem videat. Cum enim ſit *Mathematicus, qui in cœlo puncta, & ſphæras, & circulos & lineas videre poteſt, poterit & materiam*

Hartmannus ille ingēs docendus eſt à Tyrone.

poterit & materiam primam peripati. Adesto ergo. *Domine Mathematice*, cum Faber domum facit, aut nauim vtiturve aliqua materia? *Vtitur.* Illa tamē nec domus est, nec forma Domus per quam domus est id quod est. *Ita vero.* Agnoscis ergo aliud esse formam, aliud materiam. *Sciebam.* Idem autem etiam in aliis fit artibus. *Fit.* Adeamus naturam. Cum metalla nascuntur, num ex aliqua fiunt materia? *Fiunt.* Neque tamen illa est metalla, quæ id quod sunt per formam suam sunt, & non per materiam. *Noui istud.* Potestne autem id quod siue arte, siue natura factum est, in aliud mutari? *Si sit ex genere mutabilium, potest.* Non autem in nihil. Bene, si naturam spectes. Id quod mutationem ex vno in aliud sustinet, quodnam est, materia, an forma? *Subiectum commune, quod materiam dicimus.* Recte. Ita enim materia domus, vel nauis, destructa forma potest fieri stabulum, equile, suile, patibulum, Rota, currus, &c. Varias enim formas suscipit si materia fuit lignea. Sic metallorum communis Mercurius modo *plumbum*, fit, modo *stannum, æs, aurum, argentum, ferrum*: Imo & in nullum horum corrumpi potest, sed in materiam simpliciter, vt calcem, cinerem, terram vitrum, aquam, &c. Nullibi tamen in nihil desinit, sed semper manet aliquid. *Ista omnia fateor.* Habes opinor primam materiam in quolibet genere mutabilium. Sicut autem considerationem instituisti in speciebus, ita fac & in generibus. Omnia genera rerum mutabilium collige, & in omnibus separa formas à materiis, vt nihil formarum remaneat, neque tamen fiat in nihilum abitio: An ne tunc quidem agnoscis materiam omnium generabilium primam? *Logicam materiam* intelligis, & sola mente perceptibilem. *Ego vero velim existentem oculis videre.* Non poteris, ni Deus sis. Logicæ illa quidem est exemplum: per se vero Physica est. Dic quæso si fuisses in principio creationis cum nondum lux esset: (supponatur autem tale chaos, quale est sine omni forma actu, quod sit potentia quidem omnia corpora creanda, actu vero rudis, indigestaque mōles) num vidisses? *Non equidem.* Ita & hic senti. Nosti autem materiata dici omnia mundana corpora, & hoc fieri non posse nisi communitate materiæ cohæreant: Abstrahe ab omnibus Ideas Platonis, seu formas. Num aliquid restabit, an nihil? *Aliquid sane.* Naturaliter enim vt nihil fit ex nihilo, ita nihil in nihilum recidere potest. Credo te iam intellexisse Materiam primam Physicam peripati esse aliquid, quanquam per se sentiri actu non possit. Sentitur enim per receptas formas accidentales, virtutes ex interioribus profluentes. Tu perge.

Lucretius lib. 1. v. 150.

13. Putabam inquis, me *versi pellem aliquem proteum, libidinosam Thaidem*, aut *aliquod informe monstrum visurum.* Erras inquam. Qui tibi sic descripsit materiam primam, ignorauit totam. Nunquam illa quidem est sine forma: Veruntamen per abiectiones formarum in mutabilibus, quæ non in nihilum abeunt, intelligitur. Notusne tibi est *Morpheus* ille somniorum in phantasia dormientium figurator? Notus quidem. In omnia rerum miracula is vertit phantasmata, & non ex nihilo in nihilum inducit species, sed aliam ex alia fingit, & tamen omnes sunt phantasiæ, seu imagines. Similiter se habet intellectus passiuus, qui cum non sit nihil, potest tamen omnia per phantasmata fieri. Sic oculus nullus est colorum, & tamen omnium est capax. *Pluto* cerum, aut aurum ostendit, figuratque varie vt intelligas aliud esse materiam, aliud formam non tantum in singulis, sed & vniuersis. *Proteum* si vidisses, sub aliqua forma vidisses semper, quanquam diuersa; & tamen coactus fuisses fateri aliud esse formas assumtas, aliud assumentem. Si *Tritemium Abbatem, Simonem Magum, Scythonem Bohemum*, & similes vidisses in varia se transmutantes, aliud hominem, aliud assumtas formas esse coniecisses. Ita veteres dixerunt *generationem esse formæ assumtionem, corruptionem vero abiectionem*, quæ tamen verba sunt recte explicanda, *Thrasybulus* tuus ὕλην καὶ μορφὴν in suo globo tenebroso non omisit. *Thaidi* si comparas materiam, impudice comparas. Materiæ enim potentia cum appetitus vocatur non statim *Thaidem* impuram designat. Dispositio enim quædam est, & receptiuitas naturalis, nō principium actiuum. *Informe* vero *monstrum* quî putas te videre posse? Sane mentis non eras cum ista scriberes. Quicquid enim videtur, per formam seu speciem visibilem videtur, nec vllus Philosophus tibi talem materiam promisit, cum Deus creator talem non condiderit, sed formæ inseparabiliter consociauerit. Tu eam primam materiam fingis, quæ monstrum potius est quam aliquid naturale. Aristo. in 1. de part. an. 5. Nulla res naturæ est in qua non mirandum aliquid inditum habeatur: &: ne hiuc quidem loco dij desunt immortales, cap. 1. Ratio boni & pulchri naturæ operibus potius quam artis est coniuncta.

Libidinosi hominis de materia prima lasciua cogitatio.

14. Quam materiæ descriptionem ex diuersis repetis, & exagitas, si calumniam, & scopticam tuam, irrisoriamque malitiam seponeres, in meliorem partem candide posses explicare. sed nigrities furmulorum, & fumorum Paracelsicorum mentem tuam sic occupauit, vt neque ipsa fingere quid candidi, neque lingua enunciare possit. ἄμορφος in se est: sed propter indiuulsam sociam formam nunquam est sine forma, & in cœlestibus quidem id patet numero, in mutabilibus specie. Si tua materia est prima omnium, nec potest cum forma confundi itidem ἄμορφον per se esse necesse est. Saltem *Dialecticam* tuam *melius disce.* Ita ἀειδὴς est, sicut & chaos Theologicum tenebris inuolutum: est ἄποιος sensibilibus actu formis destituta. ποιότητες enim sunt quædam formæ nimirum accidentales à substantiis dependentes. Dum ἄμορφος (secundum priuationis potentiam) dicitur, etiam est ἀειδὴς καὶ ἄποιος. Tua materia prima si est aspectabilis, formata, & qualitatibus prædita, materia prima non est. Quid autem quæso fabulatur tuus *Crollius, Seuerinus* & alij de *astris*, & *seminibus, tincturisque* potentialibus Elementorum? Tu ne ista astra in tuo Enthusiastico cœlo vidisti? Pone superbum contemtum, homo fatue, & non irridebis sapientiam veterum, quibus tu ne minima quidem parte es comparandus. Dicis porro *eum sensum omnem subterfugere.* Negasne hoc verum? Si tu primam tuam materiam consideres, qua materia est, & non qua Mercurius, sal, sulphur, terra, aqua, vel mistura horum, an non cogeris idem dicere? Monstra mihi *aurum sensibile* in mercurio Philosophorum qua eius materia est, & nō qua est hoc aliquid. Vir

Harmanus scopticus irrisor summorum Philosophorū quasi Ludio quidā ridiculus.

Ex incorporeis, & inuisibilibus fieri corpora statuunt Magi Paracelsici.

Si hoc nō est monstrum, nec prima materia est.

An materia 1. sit sensibilis actu.

 eris.

eris. Per se materia prima sensibus non potest percipi. Nam cogitanda est in potentia esse. Per aliud autem & relate cognoscitur vti & comparate. Ais etiam *iudicij partem subterfugere.* Quo modo? Quia *sola analogia, & ne vix quidem sit perceptilis.* Ego te Rideo & explodo hominem vsque adeo ἄλογον, vt mirum sit qui possis defendere gradum tuum. *Materiæ primæ notionem capere non est iudicij, sed intellectus simplicium conceptuum in Dialectica inuentrice.* Fugiat sane iudicium totum. An ideo nihil sit negate? Minime vero. Iudicium autem intrat quando disponitur ad bene iudicandum, vt, cum sua definitione, aut partibus diuisionis. Vix *sola analogia dicis perceptibilem.* Ita sane scribit Aristot. in 1. Phys. tex. 69. cap. 7. ἡ ὑποκειμένη φύσις ἐπιστητὴ κατ' ἀναλογίαν. Hoc quale sit declarat ære ad statuam, & ligno ad lectum, vt intelligamus æs & lignum esse relate ἄμορφα: statuam vero, & lectum iam formam in materia labentia. Antequam itaque informetur materia ἄμορφος dicitur, & per se non cognoscibilis, sed ex comparatione cum materia certi generis. Vt enim hæc non est id quod futurum est ex ea, sed tantum potentiam habet, quanquam alias sit aliud Ens propter aliam formam: ita conijciendum est de materia vniuersali. Aristot. 1. Phys. tex. 82. Materia prima est subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid quod inest (potentia) non secundum accidens, & in quod vltima sui corruptione abit. Differentia tantum in hoc est quod *certorum generum materia* extra relationem aliam habeat formam: *prima* vero licet sine forma actu esse non possit tamen ex toto informis sit concipienda. Hic *conceptus est primus,* & in Physica vniuersalis, qui tamen in Dialectica, & Metaphysica generalissimus euadit, vtpote non in Physica tantum, sed & aliis artibus, scientiisque, imo & fictis locum habens. Non tibi debet *Analogia* ista vsque adeo esse inuisa si *Hermeticus audire cupis.* Quid enim vsitatius est in magno magisterio, & essentiarum disciplina quam comparationes ex analogia? Ita *Aristoteles* essentiale subiectum facultatum dixit *ætheri analogum* esse. Si ne vix quidem potes percipere materiam primam ex analogia, fatuus es. Tam tardum caput quid facit in sacrario Hermetis? *Perhibetur,* inquis, *esse tenuissimæ, peneque nullius Entitatis, fortasse nullius veritatis.* Iubeo te iterum ponere venenum calumniæ, litoris, & stultitiæ. Qui ita loquuntur respiciunt comparationem cum forma, quæ κατ' ἐξοχὴν substantia dicitur, & ὄν. Materia relate est οὐκ ὄν, qui terminus vsurpatur & in sacris. Itaq; recte dicitur *non Ens,* seu vt tu Enuncias, *nullius pene Entitatis:* Et tamen est aliquo *tenui modo* ὄν. Quocirca etiam definiri potest. Definitio autem genus, seu materiam; & formam, seu differentiam specificam complectitur. Hæc cum sint verissima, & tuæ quoque materiæ primæ insint, tu malitiose, & per calumniam, seu mendacium *nullius veritatis* esse scribis. Si enim est aliqua ὄν, & ὄν καὶ ἀληθὼς consonant, qua fronte dicis nullius esse veritatis? Perge: *Dicitur pura puta potentia.* De ratione hoc dictum est. Si vnam rationem eius spectes, & notionem in Dialectica quoque, ratio eius est, *posse ex ea aliquid fieri.* Interim non est negatiue Nihil. *Disce* homo fatue *Dialecticam,* & non vituperabis materiam primam vniuersalis Physicæ. Sic tua quoque materia, qua est materia, vt metallica, iuxta rationem est purum putum fieri posse metallum. Nonne? Interim aliam habet formam. De prima vero omnium remouendæ sunt formæ omnes, vt nihil in eius ratione relinquatur quam posse omnes recipere pro dispositione. Ante dictum est hic se habere intellectum, & sensuum organa. *Est primum generationis subiectum.* Bene. Generationem intellige naturalem, non creationem: & intellige per comparationem, est generatio simplex; est secundum quid. Vt se habet Generatio κατά τι, ita generatio ἁπλῶς. Quando ex frigido (priuatione calidi) aliquid incalescit quod ad hoc fuit dispositum, id subiectum passionis huius, harumque qualitatum dicitur. Cum aliquid fit ex *Non ente,* & *in Ens* perficitur, materia illa per se primum est pars essentialis: comparate vero ὑποκείμενον dicitur, quasi sit id ex quo priori formæ expulsæ succedit continue posterior determinata. Motum fieri necesse est. *Is autem est actus mobilis qua mobile à mouente profectus, tendens in contrarium.* Motus inter effecta recensetur. Sed cum omne quod est aut substantia sit, aut accidens, inter accidentia quoque recensibitur, seu adiuncta, quibus correlatum est subiectum. Mirum est qui possis exagitare materiam Aristotelis, & profiteri Elementum primum vacuum ex quo semina prodeant. De *Infinito, & æterno* silet nostra Physica. Hac enim in parte corrigimus *Aristotelis* æternitatem, quamuis & *Plato* eam sit professus. *Infiniti* vox mitigari potest. Neque enim referri debet ad quantitatem, sed ad numerum formarum qui est infinitus. Quidam etiam *negationem definitionis* intelligunt. De perfecta recte loquuntur. Interim describi potest.

An mente cognoscibilis. — *Fatuitas Hartmanni in materia primæ materia censura.* — *Materia 1. an veritatis alicuius.* — *Materia 1. an pura potentia.* — *Materia 1.a primum subiectum generationis.* — *Motus.*

15. Iam tu *ridicule irrisor ride,* & si placet dormire, & somniare, *dormi & somnia.* Melius sic iuuabis tuam Academiam, quæ te dormiente non cogetur audire mendacia, calumniasque virorum summorum. *Delirium* vocas. Nempe in Ecstasi. Tua phrenesis, aut quicunque est alius morbus, sic iudicare te cogit, vt olim gentiles, qui Dei Sapientiam vocabant stultitiam. Vocas *futiles & inutiles subtilitates.* At tu sine his nec Physicus es, nec Mathematicus, nec Chymicus. Principio cares. Quid est tuus orcus? Ad anticyras es ablegandus. Non sorduit illa materia prima *subtilissimo* tuo *Scaligero* exerc. 17. & alibi. De cæteris Philosophis viris sapientissimis non est vt dicam. Tu ad eos comparatus chaos es stultitiæ.

Materia 1. an delirium.

16. *Peregrinum ignem inferunt qui in tuo sacello fœtorem istum adolent.* Egregie. Tuum sacellum caninum etiam peiore suffimento erat dignum, neque tu id indigne ferre deberes. Suis enim naribus sui dandi sunt odores. Talibus lactucis, tali thure digni signi Paracelsici, quando delicias Academicas, & Peripateticas auersantur, vt rusticus ille inter oleta, & stercora educatus pharmacopolij odore syncopticus.

Materia 1. in Hartmanni cloaca est ignis peregrinus.

17. *Ex isto* (inquis) *figmentum ignauissimum cerebri aut cerebri male feriati hominis.* Ridicule furis. In Enthusiasmo versaris. Ignoscendum tibi est. Non est figmentum hominis, sed naturæ documentum ingenio & eadem collectum. Non est HOMINIS, sed plurium sapientum.

Materia 1. an cerebri figmentum.

Legistine

Legistine *Hermetis Dialogos*? In eis Inuenis ὕλην. Hæc est *natura mundi comite spiritu instructa, Nata est à principio & in se nascendi vim, seu naturam fœcunditatis possidet.* Interdum idem dicitur cum mundo quatenus consideratur mundus vt *receptaculum omniformium specierum.* Hæc in *Asclepio.* Tuus *Seuerinus Elementa prima* appellat, totius creaturæ *prima receptacula* in duos distributa globos, quæ & tu ipse pagin. 29. agnoscis. *Seuerinus* cap. 7. Ideæ scribit: *Paracelsi principia sunt sal, sulph. & Mercur. ex quibus docet omnia constare, nec repugnat Aristotelis materiæ, formæ, priuationi, nec Platonis exemplari Deo & materiæ, quia singuli diuersas creaturarum œconomias scrutantur,* &c. Item: *sunt & inuisibilia contemplanda quæ sensibus percipi nequeunt,* &c. Ecce quam multo melior vir sit, & melius affectus erga priscos *Seuerinus* quam tu. *Plato* ab *Hermete* didicit: *Aristoteles* à *Platone* ab *Aristotele* cæteri, qui si non deprehendissent constantiam, & veritatem dogmatis, id pridem abiecissent. Tu *in tuo cerebro cerberum habes* quo in Sancto Sanctorum sic latras. Tune audiente *Scaligero Aristotelem, luminis naturæ,* quanquam in imbecillitate, *summum interpretem* impune voces *male feriatum hominem*? Cuius doctrina emersisti? Schola tua te foras quatere deberet.

Materia Hermetis.

Elementa prima Seuerini.

Conuitium Aristotelis ab homine nihili.

18. Non sat est rabiei caninæ. Etiam hæc addis: *Ens rationis irrationale in Vtopiam, & Gehennam relegator.* Te sic sæuire in rem quam nihil putas? Materiam sane Logici agnoscunt inter caussas tam latam, vagamque vt omni enti, & non enti communicent, neque in Vtopiam, aut infernum relegant, sed argumentorum essentialium dignitate, & loco ornant. Non est irrationale ens rationis, sed ratio quædam ipsa. Inde vero ad speciales artes accommodata Physicam quoque ingreditur, imo à Physica videtur nomen ad Logicam peruenisse, nisi malis ab arte fabrili ad vtramque. In Physica non est considerationis vnius. Est prima omnibus naturalibus corporibus substrata: est certi generis prima, est vltima, quibus illa tanquam exemplis innotescit. Tu te irrationalem bestiam esse satis prodis tanto in rem, quæ tibi est leuicula, furore vt ad diabolum in infernum relegandam iudices. Non quidem agnoscunt homines Sapientes illam tuam Dictoriam, & prætoriam: Veruntamen mittatur ad Gehennam: Non erit plane nihil: Imo inueniet ibi tua elementa pag. 29. in orphei ORCO, & caue ne teipsum quoque.

Mat. 1. an in Gehennam relegande.

Elementa Hartmanni sunt in orco non Mat. 1. Aristotelis.

19. Iam incipis argumentari: *Mosis materia hanc plane extra naturæ limites proscribit.* Procul dubio ad tuam sententiam concludendum est in Physica locum habere nullum. Sed ridenda est tua canina ratio. Si ad infernum releganda est, & est ibi quoque aliqua natura (Ignis enim ei includitur cum tenebris, frigore, diabolis, & impiis hominibus, quibus aliqua est natura) non extra naturæ limites proscribetur. *Petrus Ramus* in Physica non tulit propter generalitatem. Transtulit ex Physica in Logicam non allegauit ad diabolum in infernum. Verumne autem est tuum argumentum? Minime. *Materia Mosis Physicam philosophorum includit.* Cum inciperent esse Dei omnipotentis iussu res materiatæ, cœlum, terra, aer, aqua, non existebant sine essentialibus membris materia, & forma. Quomodo enim alias potuisset esse aqua, & terra, licet informia dicantur ob tenebras, & sequentis efformationis, seu exornationis respectu? Erant saltem res corporeæ, quarum cuique per se sua materia vltima fuit, vt aquæ aquea, terræ terrea, aeri aerea, &c. Verum cum genere conuenirent, materia communicabant; ita vt facile quis tunc quoque potuisset æstimare esse aliquam in ipsis primam inseparabilem, quod & potentia comes ostendit. Ita non tantum conditæ sunt vniuersæ cum ante non essent, sed & rursum omnes sic affectæ sunt, vt non esse possint, si Deus volet, vti & redibunt omnia in quoddam chaos per ignem vltimum.

Mat. 1. an extra naturam.

Materia Mosis.

Hæ generales potentiæ ostendunt generalitatem materiæ qua nulla est prior. Deterge oculis inscitiæ, calumniarum, & malitiæ nebulas. Videbis in *Mosis chao* materiam primam: Videbis & tunc vltimam, quanquam rudem, quæ porro materia est facta alijs, vt hominis corpori terra, costa hominis corpori Euæ, aqua aquatilibus, &c. *Cum aliquid corrumpitur per ignem aut aliud exit* (vt cum aqua corrumpitur, ex ea fit aer) *aut materia.* (vt cum comburuntur ligna, & alia cremia) Dic quæso eratne aer, vel aliud elementum, Item cinis, calx, tandemque vitrum (hoc enim vltimum) illa materia Mosis? Cum conflagrabit mundus in quid abibunt corpora? Iuxta regulam, *quod vltimum est resolutione erat primum compositione.* Chymici cum ad Elementa, & essentias peruentum est, subsistunt. Sed non est consequens ex his constitisse actu *Mosis* materiam, & in ea ipsa resolutum iri mundum. Pone tamen ea. Qua sunt corpora ex aliquo, non dico creata, sed constantia, qua potentias, & affectiones genericas habent, quæ non formæ, sed materiæ competunt, necesse est in eis intelligi materiam communem primam, etsi nunquam actu sit sine forma, siue vniuersali chaus, vti fingitis; siue particularibus aquæ, terræ, &c. *Vnus erat toto naturæ vultus in orbe, quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,* inquit Ouidius. Multi sunt qui sic fuisse existimant. Vbi vnica tantum forma est, ibi vnicam quoque materiam concipimus: Sique illa forma est omnium prima, substrata ei materia item erit omnium prima quanquam neutra per se sola, cum nunquam sint solæ & separatæ, cognosci possit. Habes primam materiam Aristotelis. Tu vide vt nobis similiter monstras tua prima Elementa.

Ouidii chaos habuit vultum hoc est, formam.

20. *Nostra vero* (inquit porro tuus calumniator Hermes) *est verum, & essentiale subiectum, formas omnes Actu possidens, elargiens, & conseruans non abstractum quid.* Ridicula materia. Demonstra hoc, & nō verba vende inania. Tuus *Hermes* cum ista diceret, Ebrius erat, aut in Vtopia, vel Gehenna somniabat, aut delirabat. Si materia prima vera ea est, quam *Mosis* narratio monstrat, tuam necesse est esse falsam. Neutiquam enim *formas omnes actu continebat*: & si continuisset, quid opus erat sequentium dierum operibus, quibus fiebant illa quæ prius non erant? *Deus enim vocabat ea quæ Non erant tanquam essent.* Tune mihi tunc actu homine, aut bestiam, aut herbam, aut lucem monstrasses?

Ridicula materia Hartmanni.

Si materia illa omnes formas actu possedit, etiam tuam, atque adeo quia per formam es id quod es non ex parentibus tuis es natus, sed tantum ex inuisibili apparuisti. Non dicendus es quinquagenarius, sed senior quinque millibus annorum. Talis creatio esset tantum manifestatio eorū quæ in chao actu latitassent. Item quia generatio est creationis imago & simulacrum, cum hodie aliquis nascitur, is ex materia in qua fuisset actu, proreperet tantum, atque ita semina non modo essent actu animata, sed & iam homines, boues rosæ, &c. Qui semen hominis perderet actu hominem perderet, &c. Ad coruoscum ista tua stultitia.

21. *Tua materia prima est verum & essentiale subiectum.* Video verba tua: sed non rem video. Si vis tibi credi, monstra, id quod posse te consequens est ex formis omnibus actu. Si non potes monstrare, neque tamen es αὐτόπτης, neque ἀξιόπιστος cum omnibus tuis Paracelsistis, pro mendace, & deceptore falsoque doctore es habendus.

22. *Si est Essentiale subiectum omnium formarum actu, vnane est, an multiplex?* Impossibile est vnam esse si infinitas formas habet actu. Totuplex enim erit quotuplices sunt formæ ex quibus numerus dependet. *Si vna est omnium, necesse est actu vnicam tantum formam habere*, potentia omnes, siquidem est prima. Visibile esse, & inuisibile tantum accidentarium discrimen facit, sicut & ingredi, & egredi. Deinde cum corrumpuntur ea quæ sunt in genere mutabiliū, reditus vltima corruptione debet fieri in materiam primam sub communi forma. Num ergo omnium actus iterum confluunt in illam materiam? Quod corrumpitur, non desinet esse quod fuit, sed tantum occultabitur, & in locum chaus reuertetur. Quam facile in *Metempsychosin Pythagoricam*, & *Herodianam*, vel saltem *Platonicam* stabilirem? Ludio es, & irrisor habens nasum Rhinocerotis. Ludendus es vicissim. *Tua materia prima est vas quoddam, seu locus & receptaculum.* Nonne? An sic est quemadmodum corpus hominis cuius diuersa membra similaria, & dissimilaria suis formis innotescunt, & tamen totum corpus tantum est formę vnius? Materia tua prima vnicū habebit formam, quæ sit omnium actu formarum complexio, & ex eis constitutio. Sed qui essentiale subiectum omnium? Locus non est de essentia rei. *Paracelsia tua est pura puta stultitia.*

Materia 1. Hartmani largitur formas, est orcus Orphei, Nox & alia.

23. Tua *materia prima* non tantum actu possidet *omnium rerum formas*, sed eas etiam *elargitur, & conseruat*. Mira materia. Ergone tu adhuc es in materia prima? Haud difficulter persuaseris. Nam informis & rudis adeo es, vt adhuc in ea iacere possis dici. Habet in se actu omnes formas, conseruatque omnes: Largitur etiam omnes: cui, aut quibus rebus? Num fingendæ sunt particulares materiæ separatæ, quæ cum sunt informandæ, accedant ad fores tuæ primæ materiæ, indeque emendicent formas? *Nascitur res*, inquies, *materia tenus.* Formas accipit ex *promtuario formarum* quod aliqui cœlum dixerunt. Id enim locum formarum appellarunt. At quid est nasci? Materiam

Nasci.

præexistere necesse est, eamque non solam esse, sed semper cum aliqua forma, quæ corruptione, seu priuatione tollitur continuato motu absque interuallo statim succedente alia, quæ prius non erat, atque ideo necesse est vt ex imperfecto id quod nascitur ad perfectum tendat. Generatio tendit ad substantiam, seu formam in materia, quæ quatenus est materia, non fit, sed informatur tantum, cumq; res corrumpitur, forma & actus præsens perit, materia communis manet, & aliam adipiscitur formam. Quas vltimas materias vocamus, eæ desinunt esse vltimæ, sensibilesque in corruptione: sed ratio materiæ in communi subiecto manet. Omnino nisi locus formarum omnium actu existentium sit tua materia, concipi non potest quomodo nascentibus conferat actus, & pereuntibus iterum recipiat. Si materia est locus, nihil est de rei essentia. Est enim extra rem.

An mat. 1. abstractum.

24. *Negas esse aliquid abstractum.* Credis fortasse Peripateticos suam materiam abstractione definire, sicut in *Mathesi* tua tu solitus es abstrahere. Erras nec intelligis eorum sententiam. Concipi dicitur materia si mente separes omnes omnino formas, & id quod reliquum est, potentia susceptiuum omnium, materiam esse cogites. *Non sit materia abstractum quid, sed fixum, permanens*, quod cum sit formis mutabile, ab eo separare cogitando, non autem re ipsa, omnes formas potes. Tua materia est aliquid *concretum cum omnibus a tu formis.* Quam mirabile monstrum hoc erit? Necesse tamen est separari posse formas, & abstrahi, si eas nascentibus largitur. O te miserum Physicum. Quæ formæ oriuntur, seu iuxta *Paracelsum*, manifestantur, & apparent emergendo, si actu prius fuerunt, in sua quæque materia extiterunt, vnde dicuntur sibi suum corpus, & domicilium fabricare; veluti si semen habeas tritici, in eo latuit forma tritici actu iuxta *Paracelsum*. Itaque & res singularis est.

Cum adminiculis externis in opus vocatur, tunc illam materiam in qua est mouet, & ad eam assumit externos succos per modum alimentationis, itaq; pergit vsque ad vltimam perfectionem. Hæc haberent aliquam probabilitatem, quanquam & ipsa sint falsa. Esset enim res ante quam genita esset. Tuus autem modus fieri non potest quin sit abstractum quid, & separatum à materia nascentium, cum sit promtuarium formarum omnium actu in vnum chaos, tanquam infernum, compactarum.

SECTIO XIII.

Forma in Sancto Sanctorū Hartmani.

De quarta parte Sancti Sanctorum Hartmanni, quæ est de FORMA.

AVdiuimus materiam primam esse *punctum* (phantasticum) *à quo omnia emanant, & ad quod tanquam ad centrum omnia à peripheria collineent, impositum à Deo in rudem massam; quod sit mater communis, & origo omnium actionum naturalium, fons vitæ, vniuersam corporis anatomiam occupans, pro diuersitate tincturarum, impressionum & confluentiarum diuersas operationes producens morborum*

borum omnes ſanationes moderans, & conſumtis Elementis ad nouorum indiuiduorum procreationem permanens, verum, & eſſentiale ſubiectum formas omnes actu poßidens largiens, conſeruans, non abſtractum quid. Hæc eſt prima materia, ſubiectum ſcilicet in ſubiecto. Nam cogitanda eſt primum rudis maſſa: deinde in eam infigendus punctus, à quo lineæ protendantur ad fines iſtius maſſæ: Tertio ille punctus iterum eſt ſubiectum omnium formarum actu in eo exiſtentium, & quidem eſſentiale, concretumque omnibus, Non ſatis: Punctus ille etiam per ſe eſt forma quædam. Nam eſt motiuus, actiuus, generatiuus, ſanatiuus, & quid non? Formas promit & condit: quod impoſſibile eſt, ni ſit forma, & actus quidam potens, iſque ſimul vita præditus. Mirabile vero cogitandum eſt qui ſit materia prima, non cum potentia paſſiua, quæ nota eſt materiæ ex qua aliquid exiſtere, ſeu naſci debet; ſed cum actiua poteſtate principali, & non tantum interminata, ſed & determinata, & ſingulari. Quid autem *rudis* interim *maſſa*? Eſt ſubiectum continens illud punctum viuum & potens. At qui poteſt eſſe rudis maſſa, ſi tam valido principio non tantum informata eſt, ſed & animata? Materiam, & formam coniuncta eſſe oportet, atque ita per ſe ſubſtantiam, quæ non tantum ſuæ ſalutis, & conſeruationis ſit cauſſa, verum & aliorum. Si per ſe eſt ſubſtantia ſingularis, non poteſt eſſe prima, & communis materia omnium: & ſi ſingularis eſt, non poteſt formas actu omnes ſic complecti vt earum ſit eſſentiale ſubiectum. Deliramenta ſunt iſta plus quam anilia. Comparetur tamen cum tali materia prima FORMA. Hæc ſic deſcribitur:

Materia Hartmani deſcriptio.

Rudis maſſa Hartmani.

1. *Forma eſt ſphæra volubilis Pythagoræ.*) Quæritur *ſitne forma illa aliquod Ens reale*, an imaginarium ſpectrum? Reale vero. Qui enim ſit votabilis? Fortaſſe fingendum eſt volui, cum ſit per ſe immobilis? Eſt enim vt arbitror principium primum, quod immobile eſſe conuenit. Si enim moueretur, pateretur, idque ab alio, nec eſſet principium. Quid tu *Hermes?* obmutuiſti. Deinde alia quæſtio eſt *ſitne ſeparabilis an non*, ſeu per ſe extra materiam ſubſiſtens, an in materia? Si *ſphæra* eſt, quæ voluitur, aut volui poteſt, per ſe erit ſingulare quid. At inquam forma ſic eſſet nuda, & ſeparabilis quales ſunt angeli, & ſpiritus mali. Si non eſt talis ſpiritus, quam *Intelligentiam* vocant *Magi*, formati forma erit, atque ita non aſſiſtens, ſed informans. Hoc ſi eſt, ſphæra non erit niſi imaginaria Metaphyſica, aut Mathematica, hoc eſt, ficta. *Hermes* autem debuit τὰ ὄντα à Deo creata in ſuo Sancto Sanctorum demonſtrare. Credo fingi cœlum, ſeu *mundum Idealem & exemplarem*, qualem dicunt ab æterno in Deo fuiſſe, ſicut in mente naupegi forma nauis. Fingatur ſane: quæ ratio tunc ſit τοῦ *volubilis* non apparet. Alia quæſtio: *Eſt ne hæc forma eadem cum illo puncto quod vocabatur prima materia in rudi maſſa cui omnes operationes aſſcribebantur*? Non. At ſi ab illa ſunt omnia, illaque actu continet omnes formas, quid attinet de noua verba facere? An in *Sancto Sanctorum Hermetis* eſt aliquid ſuperfluum, & temerarium? Præterea in primæ materiæ maſſa punctas centralis fingendus eſt, à quo lineæ in omnem ambitum (finitum, an infinitum non dicitur) protenſæ ſint, per quas lineas (finitas ergo eſſe neceſſe eſt) omnia communicent cum puncto. Quorſum opus eſt *ſphæra noua formali?* An illa non erat ſphæra? Imo erat. Qui enim in omnia eant lineæ? Habemus ergo *in informi maſſa Moſis duas ſphæras vnam materialem viuā, fontem vitæ, & omnium operationum, alteram formalem* quam *Pythagoras* dicitur commentus eſſe. Veteres *circulo & ſphæra Deum repræſentarunt, Sole & Luna materiam & formam: albis tamis oſiridis principium*, & *per hoc item Deum*, qua de re vide hieroglyphica Pierij lib. 39.

De Forma Hartmaniana.

Sphæra duæ materialis viua & formalis in vna maſſa.

2. *Sphæra* illa dicitur *forma interior per omnes mundi partes æquabiliter diffuſa.* Quid ergo hoc eſt? Animáne mundi, & ſpiritus? Ita enim & Platonici, vt *Virgilius: principio cœlum ac terras*, &c. *Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.* Ita *Triſmegiſtus* in *Aſclepio: Deus eſt effector & gubernator cœli animæque ipſius & omnium quæ ſunt in mundo. Ab illis omnibus frequens per mundum influxio fertur, & per animam omnium generum, & ſpecierum omnium, perque rerum naturam.* Item: *Spiritus, quo omnia ſunt plena, permiſtus cunctis cuncta viuificat.* Omnino *Mundus Hermeti eſt Deus* quidam participatione, & *Imago Dei. Hyle eſt* mundi natura quam comitatur ſpiritus, &c. Vt ſic intelligamus id quod *Plato* dicit *mundum eſſe magnum animal, anima & ſpiritu per omnes partes diſtributis præditum.* Hanc puto tuam formam interiorem eſſe qua fingis tibi ab *Hermete* monſtratum. Id ſi eſt, repones pridem ex ſcholis Chriſtianorum exploſa τερετίσματα, & egregie cum *Crollio* & *Paracelſo* inſanis.

Sphæra forma.

Mundus Hermetis.

3. Sphæram eſſe illam formam, ſeu globum quendam accepimus. Qualis ſphæra? *Centrum eius eſt vbique: peripheria eſt nuſquam.* Aut nihil ergo eſt, aut tantum centrum. Atqui vbi peripheria non eſt, ibi nec centrum. Correlatorum vno deſtructo & alterum perit. Quod ſi centrum eſt vbique, non poteſt eſſe nec circulus, nec ſphæra. Centrum enim circuli, vel ſphæræ medium punctum eſt, ſine quo neutrum eſt. Eſt pars eſſentialis. Hæc autem in mundo finito, non poteſt eſſe infinita. Nugæ. Vnum interrogo: *Eſtne illa ſphæra ſine peripheria merum centrum, res creata an non?* Creatam dices; quanquam ex *Hermete* qui mundi *materiam creabilem quidem facit, ſed creatam eſſe negat*, poteram dicere debere increatam eſſe, cum materia ſine forma nunquam ſit: Si creata eſt, Eſt aliquid vbique præter Deum: & ſi forma eſt vbique an non & materia? Debet enim eſſe interior forma, quæ materiæ ambitum non excedit. Diſputa hæc cum tuis Caluiniſtis.

Sphæra cum vbiquiſtico centro.

Aliquid vbique præter Deum.

4. *Sphæra illa cum vbiquiſtico centro* an nihil agit? Eſtne otioſa? Diuinabo. Materia prima tua erat centrum in Informi maſſa, & agebat omnia. At id non poterat ſine altero centro vbiquiſtico. Hoc neceſſe eſt non tantum animare, & actuare centrum primum, ſed & vbique adeſſe operationibus. Hanc ſententiam ex te haurio qui dicis *ſphæram illam totam centrum repræſentare interiorem formam* puto hominis, aut beſtiæ. Centrum materiale ibi cor eſt à quo omnes vitales actiones procedunt, tanquam ex vitæ fonte. At hoc centrum ſine altero centro per ſe viuo, quod eſt anima, nihil poteſt

De Pythagoræ ſphæra harmonica vide li. 1 c. 6. Macrob. de ſomn. Scip. Malch. in vita Pythag. pag. 19.

Non fuit illa ſphæra otioſa.

poteſt neque in communi principio, neque in partibus ab eo dependentibus. Et vt anima tota eſt in qualibet parte tota vtpote ſimplex, & indiuiſibilis; ita & centrum mundi anima vbiq; eſt centrum. Acune rem tetigi? Verum obſtat quod tu illud *prius centrum informi maſſæ infigas, & materiam primam dicas.* Cor non eſt rudis maſſa, ſed animæ vitale inſtrumentum, & ſedes: nec eius facultas vitalis poteſt eſſe prima materia. Oportet te tuis diſcipulis ſilentium quinquennij Pythagorici iniungere, & illud αὐτὸς ἔφα in vſum reuocare. Alias te cum tuis figmentis ridebunt.

Interior forma.

5. Cuiuſmodi eſt interior forma? Eſt *Vulcanus Paracelſi*, aut *mechanicus archæus*, qui intus tanquam in officina informi, rudi, & lucea (limbum vocare ſolent) ſedens, ſtans, vel iacens (incertum enim eſt) quia continet omnes cauſſas propriæ ſpeciei, fabricat illis cauſſis ſuum ſibi corpus. Seuerini deliramentum: Non recte ſentiunt qui generationem dicunt progreſſionem à non ente ad Ens. Quæ enim noua indies fiunt, in ſemine ante deliteſcunt. Quæ corrumpi videntur, non feſtinant ad non Ens, ſed ad fontes ſuos recurrunt. (Proba principiis immotis) Formam vniuſcuiuſque rei dicimus eſſe αὐτοφυῆ, non extrinſecus accedere, non à datore formarum infundi poſt miſtionem Elementorum conſentaneam, non à ſtellarum poſitu deriuari: ſed in ipſis ſeminibus deliteſcere, &c. Quomodo ergo eſt αὐτοφυής? Nihil generat ſeipſum; nec naturaliter per ſe exiſtit. Neceſſe eſt vt ſit ab alio, & quidem potentia in ſeminibus vbi generatio fit per ſemen. Itane? Erit ergo *anima Socratis corpore antiquior*, vt ſic res ſit antequam eſt. Deinde ſi generatio eſt ſymbolum, & typus creationis, & ſic anima mundi fabricauit ſibi ſuum corpus, ſicut forma interior ſuum: non Deus erit mundi creator aliter quam animam iſtam faciendo. Hæc enim poſtea in Increata *Hermetis, Platonis, Democriti, Heſiodi,* &c. materia prima, vel chao ipſa ſibi ſuũ corpus creauerit. Iſtane portenta tu credis? An potius, ſicut fit in generatione Microcoſmi iuxta *Iobum* & *Pſalmiſtam*, vbi totum ſimul naſcitur Deo prouidenter operante, mundus quoque factus eſt primo ruditer, poſtea elaborate, vt & homo ex imperfecto ad perfectionem tendit, cum prius nihil eius actu eſſet, ſed totum in potentia ſeminis, & ſanguinis? Id enim eſt vt hic generari, quanquã ex præ exiſtente materia, ita ibi creari ex nihilo, vel materia remotiſſimæ potentiæ. Si mundus habet aliquam animam (pone enim dicis cauſſa) ſimul cum ipſo eſt facta, nec prior exiſtens ſuum ſibi domicilium fabricauit. Oportet autem te non dicere tantum iſta, verum etiam aliquo principio immoto probare. *Archæus* & *mechanicus Paracelſi Vulcanus* ſunt delirantis ſomnia. Non enim ita generatur quid naturaliter vt architectus ſibi domum, aut hirundo nidum conſtruit, præſertim cum animalis, aut plantæ membra oporteat eſſe viua, ſeu in ſe habere facultatem ad actiones proprias obeundas præſide & primum agente anima principio generali per inſtrumenta communia. An oblitus es vitam illam non eſſe ab arte, vel externo principio, ſed à natura, quæ eſt inſitum, & ingenitum principium? Tua forma fabricans ſibi corpus artifex aliquis eſt, non natura. Artifex autem non omnipotens, nequit viuum natura opus producere. Tuus *Pythagoras* mira effecit, ſed non alia ratione quam qua *Simon Magus*, qui ſtatuis motum, & ſermonem affinxit, aut qua *Pythagoram* allocutus eſt *fluuius Cauſus* Πυθαγόρα χαῖρε, idque voce ὑπὲρ ἄνθρωπον μεγάλῃ, qualem & tu tibi audiuiſſe videris in proaulio.

…uum naturale ab ar… creatura procedere… nec ab… externo… potente… cauſa… ſe… omnes… & formas.

6. *Forma tua continet in ſe omnes cauſas propriæ ſpeciei.* Hoc ſic intelligo: Formæ eſt continere: materiæ contineri. Vt ergo materia fiat vna, & ſingularis vltima, iamque ſenſibilis, formæ opus eſt. Hoc autem non ab externo motore, qui ſpecificus nõ eſt: ſed ab interno qui accepta poteſtate à generante facit ipſius ſimile ſecundum naturam, qui eſt ſpiritus, & calor in corpore genituræ. Is ſpiritus cum calore in humore primogenio non eſt forma neque aſſiſtens, neque informans; ſed inſtrumentum generantis à quo effluxit cum potentia motus ad tale quale ipſe. Si itaq; velis naturaliter diſſerere de rebus naſcentibus, & non repræſentare nobis aliquem ſeu magicum, ſeu mechanicum artificem, ita te oportet. Hic cauſſas omnes inuenis. Sunt enim Externæ vniuerſales, & particulares, de quibus tu non loqueris: ſunt internæ. Natura enim illius ſpiritus & caloris in congenito humore eſt cauſa efficiens ſimile gignenti. Eſt enim inſtrumentum, ſeu medium generationis. *Materia* eſt corpus genituræ quod augeſcit liquore proportionali matricis. *Formalis* in ſemine eſt qua ſemen: cuius ratio eſt potentia ſimile generanti. *Semen enim & efficientis, & materiæ rationem* obtinet, quaque ſemen dicitur huius, vel illius ſimul id eſt quod eſt: *Finis* eſt actus & perfectio eius quod fit, quod antequam fieret, non erat. Tu vero iam actu formam, & perfectionem eius quod futurum erat antequam eſt, ſeu dum adhuc in fieri eſt ponis, & ſimul eandem formam efficientem, & finalem profiteris. Materia eſſe non poteſt. Laborabis vt doceas quomodo & fiat (fit enim res ſecundum formam) & ſit ſimul, & IN SE contineat omnes cauſas.

Cauſæ.

7. Magis te proſtituis, cum dicis cauſſas propriæ ſpeciei continere. Speciem accipimus vniuerſaliter. Eſt enim pars generis. Sane forma gignentis omnẽ vim efficiendi ſimile poſſidet. At non eſt forma futura eius quod gignitur. *Generatio magis eſt indiuidui.* Gignitur enim hoc ex hoc. Inſpice *Ariſtotelem* ſi vacat. Neq; enim puto totum abieciſti. 4. Gen. an. 3. ita eſt: *Generat & quod particulare eſt, & quod genus eſt: ſed magis quod particulare. Hoc n. ſubſtantia* (prima) *eſt.* Quod *enim gignitur, etſi quale quid eſt tamen hoc quicquam eſt, idq; ſubſtantia eſt.* (ἀλλὰ τόδε τι, καὶ τόδε ἡ οὐσία) *Quamobrem ex facultatibus inſunt in ſeminibus eiuſmodi omnium: Motus maiorum etiam propria in nepotum ſemine inſunt potentia: ſed propinquius ſemper quod particulare eſt, Coriſcum* dico & *Socratem,* &c. Coriſcus non ſolum Mas eſt, ſed & talis Mas; nec ſolum mas, ſed & homo. Id eſt quod dicit Philoſophus generat & quod genus eſt, vt homo hominem: & quod particulare (ſingulare τὸ καθ' ἕκαστον) nempe indiuiduus homo, & ſingularis ſingularem. Rationem reddit, quia motus in ſeminibus omnium talium ſunt à virtutibus (ἀπὸ δυνάμεων) per quas ſingularis ſingularem, hic hunc gignit. Remotiore potentia etiam in proauorũ, ſeu progenitorũ ſeminibus eſt motus ad nepotẽ. Vnde colligitur veſtigia proauorũ in nepotibus animaduerti. Si tuus faber, ſeu forma interior oẽs habet in ſe cauſas gignendi ꝓpriam ſpeciem, (propria

ſpecies eſt à propria ſuiipſius forma, qua eſt indiuiduũ incõmunicabile ratione generationis καθ᾽ ἕκαστον) quia generatio ad ſingula tendit, generabit etiã ſeipſam, atq; ita erit, & non erit; erit natus, & naſcetur filius. 8. Non tantũ fabricat ſuũ ſibi corpus, ſed *illi adiungit*: qua poteſtate? *Admirabili ſcientia.* OHE. Quid? *Colores, ſapores, qualitates,* (quaſi colores & ſapores non eſſent qualitates) *magnitudines,* (prædicamentum quantitatis) *ſitus,* (prædicamentum loci,). *conformationes, conſenſus, durationes, omnes ſignaturas inhærentes intus & foris & conſentaneas officiis.* Hui. Iſtud eſt philoſophari, imo nugari & delirare. Proba ea quæ dicit tuus *Hermes.* Tam principium ignoras, quam elenchum. Ad ſingula. *De ſcientia.* Abutuntur quidem Paracelſiſtæ etiam hac voce in ſua allegorica, & parabolica diſciplina, atq; ita de ſcientia garrientes nec habent, nec gignunt ſcientiam, cum omne metaphoricum obſcurum ſit, & manca ſimilitudine rem ſaltem adumbret, non aũt per cauſas ſcientificas demonſtret: verũ nolunt videri rhetoricari, & tropis ludere. Si ergo ſcientiæ terminus vniuoce & per ſe accipiendus eſt, cũ ſcientem oporteat ſimul intelligere ſimplices notiones, ſeu conceptus, & poſſe iudicare de vero & falſo, legitimo, illegitimo, naturali, præternaturali, atq; inde etiam per diſcursũ alterum ex altero deducere, & concludere, quomodo artifices idolorũ ſolent: neceſſe eſt q̃libet formam interiorẽ reb. dum naſcuntur, rationis, mentis, & intellectus compotẽ eſſe, quin & ſcire futura, idq; cũ noſter nugator loquatur potiſſimũ de forma vniuerſaliter ratione creationis & generationis, καθόλου: vt cum Deus faceret mundum, anima eius prior fuit, & in magno corpore, in quo tamẽ & punctum materiale in rudi maſſa, ſingula ſcienter fabricauit: cum in mundo illo orirentur plantæ, vt *roſa, quercus, rubus, &c. erat forma interior, quæ ſcienter omnia digereret, prout ſuæ naturæ conueniret:* cum Magnes naſceretur, forma interior mineralem maſſam iam inſtructam ſuis principiis & pũcto, ſibi accommodabat, cumq; ſciret, ſe ferrum attrahere poſſe, & meridianam lineam vtcunq; oſtendere, ſimul notitiã habebat ferri, & aliorum, ne forte aliquid aliud traheret, & ad hanc naturam cõcinnabat omnia, fiebantq; adaptationes mirabiles. Similiter omnia fiunt poſtea in naturali propagatione. Itane? At hoc impoſſibile eſt. Et illud ergo, ex quo colligitur. Probo aſſumtum: Eo modo non ſolus Deus erit creator, & generationem prouidus diſpenſator: ſed ſtatuendi ſunt *creatores & generatores plures ſub Deo.* Hoc ſi eſt, Scripturæ ſacræ oracula multa erunt corrumpenda, vt illud *Iobi* 28.12. de loco *ſapientiæ & intelligentiæ,* de quo *Iob* quærit. Paracelſiſta in ſuo ſancto ſanctorum ex informatione *Hermetis* facile dicet, *Intelligentia admirabilis eſt in formis rerum interiorib.* Iob. 10. v, 8. *Manus tuæ blaſmauerunt me,* &c. h. e. forma interior, ſiue creata denuo, ſiue ex ſpiritu & anima mundi in ſole per lunam accepta, omnia mea membra admirabili ſua ſcientia formauit, & ſibi ſic præparauit vti nouit ad omnẽ vſum & pulchritudinẽ commoda fore. Iob. 38. 21. *Sciebas quod naſciturus eſſes, & numerum dierum tuorum noueras?* quæ ex negatiua ſententia ſunt tranſmutanda in affirmatam: *Anima mea & forma ſciebat corpus ex rudi materia ſibi eſſe formandum, idq, ſecundum omnia adiuncta, vires & effecta etiam durationes.* Pſal. 33. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.* h. e. Deus animã mundi creauit, & poſtea rudem maſſam ſuo centro materiali præditã ei ſuppoſuit. Hãc anima, ſeu ſpiritus mundi ſibi adaptauit, & in formã mundi tornauit. Pſ. eod. v. 9. & 148. Pſ. v. 5. *Dixit ipſe, & facta ſunt,* h. e. Deus vt eſt apud *Platonem,* inferiorib. diis, præſertim animæ mundi præcepit, vt facerent ſingula, & formas largirentur, quæ ex maſſa communi ſibi corpora componerent, & perficerent omni abſolutionis argumento, ad inſtar *Epimethei,* ita vt cũ Deus intueretur ea, dicere poſſet, omnia ſunt inſigniter bona, & omnia aſtra matutina, angeliq; clamarent, *Omnia bene fecit.* Sic cũ Pſ. 104. ſcriptum eſt, *Omnia in ſapientia feciſti,* interpretatio erit, per formas iſtas mirabilis ſcientiæ: v. 30. *Emittes ſpiritum tuum,* id eſt, ſpiritum mundi, ſeu animam formaſq; informantes, *& creabuntur,* id eſt, ex informi materia, in qua prius ſit centrũ trium principiorum hypoſtaticorum titulo primæ materiæ iſtæ formæ ſibi fabricabunt apta corpora. Pſ. 139. *Domine probaſti me: Intellexiſti cogitationes meas de longe: tu cognouiſti omnia: ſtupendo modo & mirabiliter factus ſum: non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in abdito & compoſitionem meam in inferiorib. terræ,* &c. Hæc non tantũ de Deo dicenda sũt, ſed & de forma informante, cui tribuitur omnium ſcientia in toto homine, antequam naſceretur. Ita de multis aliis. Nonne belle theologabimur? Sed non opus eſt multis. *Nam non entis nulla ſunt adiuncta & effecta.* Forma illa interior anteq̃ naſcitur, & vltima perfectione res abſoluitur, eſt NON ENS: neque enim poteſt eſſe prius quam genita ſit. Nulla ergo eius ſunt adiuncta & effecta; & ex conſequente putidum, & impurum mendacium, dicit *Hermes in ſancto ſuo ſanctorum.* Deinde ſi iſta recipimus, ſimul approbamus *Socratis* deliramentum de anima, quæ ſit corpore antiquior, & omniũ ſcientiam ſibi acquiſiuerit ante aduentum in corpus, ita vt *diſcere nil aliud ſit quam reminiſci.* Neceſſe et eſt, ſi formæ iſtæ mirabili ſcientia ſibi fabricant corpora, vt *non tantum intellectum habeant, ſed ſenſus tam interiores quam exteriores,* atq; ita erunt corporeæ, cum illæ facultates ſine corpore non ſint: ſcient omnem audiendi, guſtandi, tangendi, olfaciendi, imaginandi, memorandi, concoquendi, generandi: omniaq; alia abſolute, nec materiam ignorabũt, omniaq; externa, omnia animi, corporis & fortunæ bona præſentia & futura, non aliter ac Genethliacus aſtronomus. Quid ergo opus poſtea diſciplinæ, ſi tã docti & ſcientes naſcimur? Scietne vero illa forma ẽt ſeipſam, & poterit dicere quid ſit illud: *Diliges Dominũ Deum tuũ, &c. & proximum, &c.* Item: *Ecce in peccatis concepta ſum, & in iniquitatibus genuit me mater mea?* Nũ ſciet & modũ ſalutis? Quid illud: *Adã genuit filiũ ad imaginẽ ſuã.* Dic *Hartm.* quid reſpondet tua anima, & forma interioris? Eſtne ea in iniquitatib. concepta, & genita in peccatis, an polluta creata venit ex cœlo in corpus genituræ? Ex *Prædeſtinatianiſmo* forte reſpondebis, *à Deo creatam eſſe ad æternam damnationem,* tanquam vas iræ, in quo Deus iuſtitiam ſuam exerceat, *cumque* immitteretur *ex ſole per lunam in ſemen parentũ id eſſe concipi in peccatis,* ſeu iniquitatib. cumque ſibi ex rudi ſemine corpus fabricauerit, abſoluto opere prodire. Et hoc eſſe naſci in peccatis, ita vt pollutæ animæ corpus ſit inquinatum, totumque ſimul interitui æterno tam vi creationis, quam generationis

Scientia formæ informantis.

Miræ fabricationes per formam.

Ex Prædeſtinatianiſmo.

Si quis creatus eſt ad Gehennam, ei Gehenna eſt ſecundũ naturam, vt ignis Pyrauſta.

Forma fabricans corpori ſuo colores quos tamen vnde ſint Paracelſici ignorãt.

rationis deſtinatum. Si es prædeſtinatianus hæreticus, ſic te oportet dicere. At ego viciſſim: *Quæ quis habet ex creationis potentia, & generationis naturalis virtute per ſe, hæc ei ſunt ſecundum naturam.* Nonne? Aſſume: *Decretum æternæ damnationis animæ ad interitum creatæ competit homini potentia creationis, & generationis.* Nam æterna forma prædeſtinatio hoc requirit, vt hæretici dicunt. *Id ergo animæ totiq́; homini erit ſecundum naturam, & ex conſequẽte, ignis infernalis tàm erit ſuauis perditis, quam cœlum electis.* Verum ſatis de ſcientia mirabili formæ interioris nondum genitæ. De corporis, quod ſibi fabricat, coloribus. *Hermes Hartmannianus in Sancto ſanctorum colores* aſſcribit fabro admirabilis ſcientiæ, qui ſit forma interior. Cum ad *Atrium* peruentum eſt pag. 32. oblitus eſt huius doctrinæ. *Colores enim nõ formæ informanti* aſſcribit, ſed *Mercurio.* Is autem erat pars puncti primæ materiæ in maſſa rudi. Vtrum verum eſt *Hartmanne?* Formane incorporea colorat, an corporeus Mercurius? Sed neq; cõſtans eſt iſta Hermetica. Nam *Quercetanus* quem olim noſti, *Sali* tribuit officium colorandi. Veluti in lib. de med. priſc. mat. c. 4. ſpiritibus ſalis Petræ. c. 20. defenſionis odorum (ait) diſcrimina ſulphurum differentiis aſſcripſimus, & mercurialibus ſpiritibus colorum infinitum diuerſitatem: Salium varietates ſaporũ varietatibus arrogauimus. Eodẽ c. pag. 201. Colores ex ſolis ſpiritibus vel tenuiſſimis vaporibus. & aëreis in ſale latentibus proficiſcuntur, præſertim in petræ: &c. Item colorũ omnium diuerſitates ex ſpiritibus ſunt petendæ. *Crollius* pag. 92. ita loquitur: *Hic* (in chymica officina) *videre eſt Dianã Triunã nudam, tot varietatis colorib. & forma in vnaquaq́; claſſe* (minerali, vegetabili, animali) *ſemper triplici Mercuriali limpidiſſima, ſulphurea ſeu oleoſa coloratiſſima, & ſalina candidiſſima reſplẽdentem.* Videtur τὸ διάφανες ad Mercurium referre, album ad ſalem, ad ſulphur cæteros colores. Idem pag. 19. *Sal coagulatione corporibus ſoliditatem tribuit, colorem, & guſtum: Sulphur coagulationem benigna commixtione temperat, dat corpus, ſubſtantiam, & tranſmutationem: Mercurius, qui inſtar Elixyris, dat virtutes vires, arcana aſſidua vitalis ac vegetatiui liquoris irrigatione, &c.* Si magiſterium ſapientum conſulimus, quia hoc proponitur tanquam exemplũ mundi magni, & parui, atq; adeò totius naturę, quę dicitur in illo NVDA apparere, longe aliter de coloribus iudicandum eſſe inuenimus: *Calor agens in humidum*, inquiunt magiſtri, *præſtat nigredinem: agens in ſicco albedinem.* Ex hac per coctionẽ vberiorem fit *rubedo*, ita vt *Rubeus color ſit perfectionis vltimæ.* Anatomici Phyſici quid de colore lactis, ſeminis, ſanguinis & aliorũ ſentiant, noſti. Peripatetici naſci tradunt *ex lumine in perſpicuo terminato.* Neq; enim ſunt ſine lumine, nec viſum mouere poſſunt in tenebris abſolutis. Non negandum eſt Elementa, qualitates elementares (vt videmus in frigoribus, & caloribus) & eſſentialia interna aliasque affectiones internas externas ſecundum, & præternaturam, accidentiaq; etiam fortuita ad lumina iſta determinata diſpoſitiones facere in materia ſequace: at quod tua forma phantaſtica, dum architectatur ſibi corpus, colores, qui ſæpe ſunt ipſo vertumno verſatiliores, & in momenta mutantur leuibus de cauſis, vt videre eſt in vigilantibus, dormientibus, ebriis, ſobriis, affatuoſis, ſanis, ægrotis, calentibus, frigentibus, in ſole ambulantibus à ſole ſibi cauentibus, &c. ſimul ingeneret, vaniſſimorum hominum putidum eſt commentum. Et audes tamen ſapientibus priſcis fiducia iſtius ſtultitiæ obſtrepere? Condonandum tibi aliquid videtur, quia cum deſtitutus ſis principiis veris, & immotis, *Seuerini tui fatuitates* repetiuiſti, magisq; obſcuraſti. Ita ille: *Semen eſt vitale principium in ſe continens ſpiritus Mechanicos, & tincturas vniuerſæ anatomiæ propriæ ſpeciei, quibus ſuum ſibi fabricant corpus, colores, ſapores, qualitates, magnitudines, figuras, & reliquas ſignaturas conſentaneas officiis & prædeſtinationibus prædictorũ ſpirituum & rei producendæ, quæ omnia, quia mundanam prouinciam adminiſtrare debent, corpus ſibi conſtituunt generationi, & conſeruationi indiuiduorum aptum, quo contineri, & conſeruari poſſunt, quod prima materia, radix & fundamentum illius rei dicitur, &c.* In quæſtione vnde formæ profectæ ſint, & quo pergant, ſcribit: *Dicimus in ſemine ea omnia vigere quæ hic generationum & corruptionum viciſſitudine fluere, & refluere videntur, adeoq́; formam vniuscuiusq́; rei αὐτοφυῶ in ipſis ſeminibus deliteſcere, &c.* Indigna ſunt iſta quidem lectu; Indigniora refutatu, indigniſſima aſſertu: veruntamen aliquid dicendũ eſt propter veri ſcrutatores. Si intelliguntur de formis poteſtate in ſeminibus non exiſtentibus & actu: Item: Si ſpiritus mechanici ſunt plaſtici, qui nomine ſpirituũ naturalium, & caloris in humido primogenio ſeminis organicè motu accepto à generante, exuſcitatoque, & fato ab externis circumſtantibus, operantur: nihil dicitur alieni ab Ariſtotelica doctrina, & rei veritate in vniuocis generationibus. At iſti homines actu ineſſe ſeminibus, tanquam primæ materiæ poteſtate principiorum inſtructæ, formas αὐτοφυὰς contendunt, cumque videant ex ſe naſci non poſſe quicquam, ſed aut creari debere à Deo aut ab alio gigni, *quod actu eſt id quod futurum eſt id quod generatur*: comminiſcuntur loca elementaria in quibus primum ſint iſtæ formæ, & in quæ redeant. At his phantaſtis quærendum eſt, cum vniuerſus mundus eſt periturus, quid futurum ſit de iſtis formis in ſeminibus? De anima hominis interitui non obnoxia res explicatu facilis eſt: ſed de cæteris formis mundi, cœli, aſtrorum, elementorum, miſtorum perfectè, imperfectè, vniuocè, æquiuocè generatorum quid? Si pereunt, deſinunt eſſe, & aliquando ante quam erant non erant. Pereunt pereuntibus Elementis: Ergo in horas perire poſſunt. Sed mittantur iſta. Ex noſtro Chriſtiano quæramus de animabus hominum: ſi in ſeminibus delituerunt, & ad ſemina poſt mortem recedunt, an non *Platonica, & Pythagorica Metempſychoſis* ſtatuenda eſt? Sunt ne ſemina illa mortalia, an immortalia: Si pereunt, quorſum cedunt animæ? Ante quam ſemina fierent per vegetatiuam in vaſis ſpermaticis, vbi erant illæ animæ? *In lumbis Adami fuit vniuerſitas hominum, & in eo peccauit* Rom. 5. verſ. 12. In lumbis *Abrahæ* decimatus eſt *Leui*, & tota natio Iudaica; Ex lumbis *Iacobi* Geneſ. 46. 26. exiit. Num ergo *Adam, Abraham, Iacob* pleni erant animarum actu? Si hoc, tuus *Seuerinus, Paracelſus*, & tu *Hartmanne* ab initio mundi hactenus ſemper fuiſti? Nam iuxta *Socratem* homo potiſſimum eſt anima, ſeu forma hominis, quod nec Scripturæ ſacræ aduerſum eſt. At Iobi 8. verſ. 9. *Heſterni ſumus & ignorauimus, & ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram. Vbi*

Colores in magiſterio.

Colores Phyſicorum.

Seuerinus in Idea cap. 8.

Vide hæreſin Thuetopſychitarum, & pſychopãnichitarum.

eras,

eras, inquit Deus, Iobi 38. verſ. 4. *quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam, &c.* At iuxta tuum *Seuerinum*, in ſemine actu lactitabas, & habebas intelligentiam præſentium, & futurorum. An ne nunc quidem capis te cum Paracelſiſtis tuis delirare? Ante quàm ſtellæ fierent dixit Deus, *Germinet terra herbam virentem cuius ſemen in ipſo ſit ſuper terram iuxta genus, & ſpeciem ſuam.* Num ergo in plantis animæ omnium deinceps futurarum actu erant? Ita de animalibus, aquatilibus, & aëreis: *Creſcite & multiplicamini.* Si iam actu erant multiplicia, quid opus erat de futuro ſancire, idq; cap. 9. Gen. repetere? Num ſemina & animæ omnes perierant diluuio, an actu erant in lumbis Noæ, & filiorũ? Ita de terreſtribus, & homine: *fructum ferte & multiplicamini.* Si iam erant in illis formæ, quid attinebat de fructu præcipere: Quid eſt gignere in Geneſi, ſi iam erant omnes? An tantum ex congerie prorepere, & ſibi corpus ex principiis (materia tua prima centrali) fabricare, & elementis, tum ſpaciis vacuis, tum internis, tum externis aſciſcere, atq; ita apparere in mundo ſicut ſolent ſpectra aſſumptis corporibus peregrinis? Cum homo naſcitur, nec dum natus eſt, naſcetur autem, & gignet alios, quando incipiebat habere ſemen in quo actu latitarent tot animæ quot ex femore eius ſunt proditurae? De formis mineralium ridiculum quid *Seuerinus* confinxit. Vti enim horum ſpecies ante quam fierent fuerunt? Reſpondet: *Conſeruatæ ſunt in nocte Orphei, orco Hippocratis, & Iliaſtro Paracelſi, in ſeminariis naturæ rationibus, in beatis locis elementorum:* Imò in ſtultiſſimorum hominum amentia. Σοφοὶ εἶναι φάσκοντες ἐμωράνθησαν. Sic dixit ex *ſtulto Paracelſo ſtultior Seuerinus*, repetiuit *ſtultiſſimus Hartmannus*. Fundamẽto falſo non poteſt ſuperſtrui niſi falſum. Itaq; omnia ex *Seuerino* repoſita euadunt in nugas, & ſtultitiam fundamẽto nugace, & ſtulto. Sed tamen & reliqua videamus. Audiuimus *Deum fabricaſſe rudem maſſam.* In eam impoſuiſſe *punctum primateriale*

De Saporibus.

productiuum omnium operationum pro diuerſitate tincturarum, impreſſionum, & confluentiarum diuerſarum: tertio *formam quandam* ineſſe, quæ fabricet ſibi ſuum corpus, & id qualitatibus, aliisq; exornet, quãquam hoc officiũ tribuatur *aſtris*, ſeu *ſeminibus* pag. 30. quaſi vnum & idem ſint *ſemina, & forma interior:* aliquando & *principia* attrahuntur, vt intelligas ea quæ *tincturæ, aſtra, principia, ſeminaq;* dicũtur nihil diuerſi ſignificare, vt & apud *Crollium*. Sed dum illa forma rebus inſidet, & mechanicam exercet, inter alia facit etiam SAPORES. Hi quidẽ pag. 32. Salibus aſcribuntur, vt & à *Quercetano* c. 20. defenſionis: *Hermes Hartmanianus* etiam ſemina in conſortiũ trahit: Hæc enim ſunt *principiorum fabri*, & omnium impreſſionum. (Ergo & ſaporum) autores. Si dicas ſulphura non eſſe inſipida, nec Mercurios, vti nec inodorum vtrumq;: non poſſe ſali ſoli aſcribi ſaporem, facilis reſponſio eſt, vix vllum ſalem eſſe ſine reliquorum principiorũ comitatu, vt apparet in Tartareo, Ammoniaco, Vrinali, Halinitro, &c. Atqui *ſali proprius ſapor eſt ſalſus*, cui additur in aliquibus

Principia Paracelſica miſta.

amarus, vt in naphthico Sodomæo, & nitro, &c. nihil proficis in hac ſcientia. Sal enim eſt *quicquid in aqua liqueſcit*, vt ſal marinus, ſal muriæ, Gemmæ, Sacharum, vitriolũ varium, alumen variũ, &c. quæ

Sal Paracelſicus.

omnia non ſunt ſimplicia corpora, ſed miſta, nec prima, ſed primis poſteriora, quanquam interim ſint principia. In hac diſciplina eſt aliquid prius primo. At hoc eſt delirare non ſapere, confundere, non diſtinguere. Apage vero. *Hartmannus* te ſanna excipiet. Verum, qui emergunt ſapores: exempli gratia: eſt vnica planta vt iuglans arbor. Hæc conſtat radice, ligno, cortice, nucamento, foliis, nuce,

Vnius plantæ varii ſapores vnde.

in qua cortex triplex, exterior viridis, interior durus, intimus cuticulæ inſtar, quanquã inter durũ putamen, ſeu teſtam, & cuticulam etiam aliud inuolucrũ intercedat. Nucleus in centro eſt, isq; ſui quidẽ ſaporis, ſed tamen dulcis. Omnes partes ſingularẽ, ſuumq; habent saporẽ. Vnde quæſo? *Forma eſt admirabiliter ſciens*. Hæc cui rei quem saporẽ debeat dare, bene nouit. Varios ergo ſales aſſumſit, ſeu potius in ſuo corpore fabricauit, eosq; per membra diſtribuit. Ita eſt putandum. At, inquam, ſi quis totam arborem cum foliis, & fructibus in cinerem redigeret, num poſſent iſti varij ſales diſtinctim extrahi? Audio eſſe ſalem ſalſum, amarum, dulcem, acidum, &c. Et dici Sacharum, alumen, nitrum, halinitrum, Indum, Sodomæum, Ammoniacum, Armeniacum, Gemmeum. Item, pro varietate rerum. Abſcynthiacum, Cynamomum, Tartareum, &c.

Num ergo ex nuce arbore poſſum vt ſales elicere quot habet ſapores? Nucleus dulcis eſt. Num hic præbebit Sacharinum ſalem? Nequaquam. Male ergo ſapit iſta Philoſophia, eſtque illa formatrix forma non ſciens admirabiliter, ſed ad ſtuporem vſque ignorans. Hippocrates, quem

Hippocratici ſapores.

Seueriniani in ſuam hæreſin mira peruerſitate dictionum, phraſium, & ſententiarum trahunt, volebat in terra eſſe *omnigenos ſapores*, qui inde cum ſuccis quaſi magneticè alliciantur, & in partibus ſingulis ex poteſtate in actum perueniant: aſſimilatio enim fit in ipſis partibus propria vi immutatrice cuiusq;. Si hoc ita ſe habet, vti tota natura indicat, nihil tribui poteſt commento formatricis ſcienter formæ.

Quid enim dicendum de ſaporibus poſt emergentibus per coctionem? An ignotum eſt alios ſapores eſſe ſeminum, alios crudarum plantarum, alios maturarum, & quidem variare locis, caloribus, alimento, multisq; accidentibus, vt videre eſt in vino variarum regionum, & aliis? Noſtri chy-

Chymicorũ ſapores.

mici non inducunt, mutantve ſapores forma aliqua ſciente, ſibique ſuum corpus fabricante, ſed digeſtione, circulationeque & aliis ad imitationem *ignis naturæ*, & graduum eius. Idem in magno fit magiſterio, vbi ex acido, mordaceque, & acri Mercurio fit blandus, & dulcis, non inſidente fabro mechanico, ſed artificioſa coctione. Id dicimus, coquas, & coquos vulgares melius ſcire, & diſſcerere poſſe de ſaporibus quàm iſtos myſteriorum ampullatores. Publicæ experiẽtiæ eſt & ſenſuum ſenſoriorumque teſtimonio firmum, & irrefragabile, vt in ſpiritu potiſſimum vigent odores, ita in

Saporis in ſuccis.

ſuccis ſapores, ſiue illi ſint ſoluti, ſiue coagulati, maximeq; terræ inhærere, vt probant aquæ minerales, & tot ſucci. Quis iam terris ſuccos ſapidos indidit? Ex Philoſophia ſacra, Deus creator. Num creauit per ſubdelegatos creatores, & formas informantes ſibi ſua corpora, & accidentia? Neutiq̃. Fabula, i.e. & ſomniũ plusquã Platonicũ de diis inferiorib. Quot quæſo fabri eſſent fingẽdi? *Vitrioli*

mecha-

Mechanica forma saporem indidisset vitriolo, eumq; varia pro varietate specierum: *aluminis* Vulcanus alumini, & sic deinceps. At alumen, & vitriolum, præsertim viride, & violaceum corpore salino non distant. Itaq; & vitriolum sua tinctura æruginosa spoliatum nihil est nisi alumen. Variæ in terris misturæ succorum, cruditates, coctiones, assationes, vstiones, putredines, & aliæ passiones mire variant superes. Ex terra Deus produxit animalia, plantas, & alia ex aquis. Corpoream naturam indidit singulis pro sua sapientia. Singula iussit propagare se per suæ naturæ seminiũ. Cum itaque ex semine oriuntur, & perficiuntur, vnumquodque suam dispositionem, & naturam habet. Ea immutat affluentes, attractosq; ex terra vel aqua, aut inde petitos, enatosq; succos, & calore, aliisque adminiculis coquit, maturat, assimilat, ita vt quod prius non erat dulce postea fiat dulce; quod prius acerbum, id postea mite, & sic deinceps. Ars præparatoria, & varia accidentia superuenientia item non paruam afferunt mutationem, quæ salibus istis primis est impossibilis, vt & quę ab internis procedit causis.

De qualitatibus. Quis est iste faber Paracelsicus, qui mari dedit suum saporem? An tot fabri fingendi quod sunt discrimina mistorum, & partes? Sed ad alia. Ridiculum est illam formam interiorem dum sibi suum corpus format, & fabricat, etiam *qualitates cudere*. Quæ illæ quæso? Oportet nos diuinare nõ esse sapores, odores, colores. Hæ enim referuntur ad principia, aut semina, aut tincturas, vel, vt *Hermes in Sancto sanctorum*, ad specialem architecturam. Relinquitur vt sint potentiæ, impotentiæ, dispositiones, affectiones, sanitates, figurationes, qualitates tactiles elementares primas, secundasque, & porro etiam tertias, imo & grauitates, & leuitates. Hæ enim omnes categoria qualitatum continentur. At *elementares primæ & secundæ* in senatu Paracelsico locum non habent. Neque enim pertinent ad essentiam, astra, tincturas, spiritus internos, internam prouinciam, familiam, sentina, & nescio quæ alia emendicata nomina rerum: sed sunt *relollacea* quædam fastidia, quæ relegantur è republica, & ciuitate in qua dominantur *puncta primaterialia, centra Vbiquistica, formæ fabricantes*, & alia numina stultitiæ Paracelsicæ. Sunt Galenicæ nugæ, quas Hipp. à familia morborum, & sanitatis exclusit. Mirum vero. Et tamen sunt essentiis istis adeo domesticæ vt nihil magis. Scribit quidem *Crollius*, & alii eas esse ἄποιας, hoc est, *qualitatibus vacare*: sed mentitur contra suos sensus. Habent enim omnes *primas & secundas*, atq; ideo etiam secundum easdem alterantur. Deinde cum Elementis primum inhæreant; essentiæ vero quidem ab elementis crassioribus separari possint, sed non à subtili eorum parte, quæ intus & in radice cohæret, necesse est eas non posse excludi. Agite ergo, bonis auibus etiam has in Sanctum sanctorum *Hermetis* recipiamus, præsertim cum in eo sint Elementa TRIVM generum, *loca* scilicet, *spiritualia*, & tandem *externa corporalia*, quis fabricat qualitates? *Forma* interior, respondet ex *Seuerino Hermes Hartmannicus*. O fabrum artificem. At *Seuerinus* sic: Spiritus Mechanici elementa, & domestica principia corporum sibi asciscunt, hoc est, talem ignem, talem aquam, tale sulphur, &c. qualia officiis & prædestinationibus respondere possunt. Ex his primum producuntur *spiritualia corpora*, hoc est, *caliditates, frig. humid sicc. calores, sapores, odores, perpetuo tales quales in prædestinata spirituum scientia vigent, &c.* Nempe mendacium varium est. Ex qua re fabricat? Tacet *Hermes*. Nos dicamus, mentiri *Hermetem in suo Sancto sanctorum*. Non enim fabricat forma, sed *Elementa* primum à Deo creata in informi massa, *qualitates illas habebant vi verbi diuini*; & postea cum Deus ex vtraque mundi parte mista constitueret, etiam ipsa aderant, & mistionem ingrediebantur. Pro vt fiebat natura, & ratio, modusque mistionis, etiam qualitates se habebant, cumque non immutabilibus, & æternis inhærerent subiectis, nec ipsæ semper se habere possent eodem modo, hinc efficiebatur vt variarent non vna de causa interna, externa. Hæc sunt ex vero Sancto sanctorum vera. *Qualitates occultas, & proprietates specificas* alias Paracelsistæ non subiiciunt fabro cuidam artifici, sed principiis includunt, quæ cum ex seminiis à Deo constitutis, & per propagationem naturalem natis, & multiplicatis prodeant, & porro per similia augescant, & conseruantur etiam suas secum ferunt proprietates, nec opus est fabro centri Vbiquistici, vti nec centro primateriali, vt fabulatur Hermes iste. De reliquis qualitatibus non opus est verba facere. Satis est vnum: NVGÆ. De situ & magnitudine. Fabulari nos oportet cum fabulante *Hermete*.

Elementa apud Paracelsistas triplicia.

Situs & magnitudo nascentium.

Admirandæ scientiæ faber ille, qui dicitur centrum vbique sine peripheria habere, & fabricare sibi suum corpus, hoc est, est Ebriorum in Moronia vmbræ somnium, in principio mundi ante quam oriretur NOVERAT, *vbi deberet locare suum, quod sibi fabricabat, corpus Macrocosmicum*: nouerat & eius magnitudinem: Deinde cum deberet & microcosmus existere, alius *minor faber* intus in informis massæ puncto latitabat, *qui sciebat ad vnguem qua in parte deberet collocari auris*: In qua *manus, pes, nasus* & reliqua. Idem sciebat quantum quouis tempore deberet facere hominem, & quanta singula membra. Idem dicendum de aquatilibus, de terrenis bestiis, de auribus, plantis & mineralibus: *Tot fabri sunt quot membra*. Nam aliena forma, non potest facere domum alienæ. Qui enim inhabitaret? Ergo, *qui faber caput fabricabat sciebat exacte non tantum debere fieri, quantum corpus reliquum*. Mensuras Geometricas secum habebat, & vlnas, pedesque & palmos cum aliis: *Tu nasus tantus esto: Tu os tantum: vide ne caput sit grandius iusto, &c.* Quo tandem res euasura est? Qui faber scit nasos facere, is non aures: Qui aures, is non caput; qui caput is non totum corpus. Erunt ergo aliqui fabri quantitatis, & situs vniuersales, erunt particulares, erunt singulares. Hi scient Gigantes, pumiliones, mediocres staturas facere: Digitos collocabunt non in pectore, sed manu; nulla monstra nascentur. Qui aliter? *Faber quisq; est admirandæ scientiæ*, & valet in materia rudi sequace. Si fierent motiones, Thersitæ, sedigiti, bicipites, quadrupedes, &c. accusari fabri possent incredibilis inscitiæ, aut inertiæ, aut negligẽtiæ, vel essent discipuli, qui artem fabricandi nondum didicissent. Quid dicemus de magnitudine, & situ marium, fluuiorum mon-

Monstra.

montium, & similium? Quid de nubium? Qui fabri his dederunt magnitudinem, & situm? Pudeat vos tantarum vanitatum ô fabularum vanissimarum architecti. Deus erat is, qui singulis assignat loca sua, & situm, cum numero, & magnitudine. Is etiam capillos nostros curat, & ornat pennas auium. In eius manu sunt omnia. Eius est *prouidentia generalis & specialis*. Is ab æterno omnia determinauit. *Quis in nubibus æquabitur Domino & similis erit Deo in filiis fortium? Eius sunt cœli, & terra: orbem terræ & plenitudinem ipse fundauit, Aquilonē & meridiem ipse creauit: Thabor & Hermon exultant in nomine eius, &c.* Psal. 89. Ipse obices posuit mari, & omnia fecit, facitque adhuc in natura ordinaria. Filius Dei, per quem secula sunt condita, portat omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1. vers. 3. Apage istos fabros situs, & magnitudinis, qui nec sunt, nec instrumenta, aut media sunt Dei, nec naturæ nomine à Deo institutæ continentur. Qui veritatem Dei in iniustis, & stultis Hermetis Hartmannici opinionibus detinere nonvis, cum interrogaris de situ, & magnitudine Macro- & microcosmi, cæterarumque rerum, responde ex illuminata diuinitus Philosophia, in initio *nullam aliam causam esse quam Deum conditorem* pro sua sapientia, bonitate, potentia, & voluntate; sic mundum factum esse ea magnitudine, & situ: sic partes ordinatas, sine vlla anima, aut forma subdelegata fabricante. Ita enim Sap. 9. legitur: *Deus, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, &c.* vide librum Geneseos, & Sap. 9. vers. 9. 19. *Tecum Sapientia tua, QVÆ NOVIT opera tua, &c.* non illa stulti *Paracelsi, Stolidi Seuerini*, & insani *Hartmanni* forma fabricans, &c. Si post creationem scire vir quis naturam prouehat, & gubernet; iterum non execratos Paracelsi fabros respice, sed illud Sapientiæ 14. vers. 3. *Tua pater prouidentia gubernat*: cap. 15. *In misericordia disponis omnia, &c.* Omnino omnium sortes sunt in manu Domini: omnia expectant eum, si quæris de causis secundis ex illuminata Physica, nō ex Hermetis Hartmanniani vesania accipe distinctionē Naturæ institutæ: At. n. in integritate ante peccatum consideratur; aut in vanitate cui subiecta est propter peccatū, propter quod Deus eidem maledixit, vnde factum, vt quæ bono hominis creata erant, cedant in eius pœnam, in misericordia precibus, & pietate prouocata aliquid emendet. In integritate paruo tempore perstitit. Tunc si de situ, & magnitudine terræ, aquarum, cœli, stellarum, paradisi, &c. Solicitus sis, Genesis tibi de nulla forma creata, intus ista omnia fabricante, dicet, sed Sapientia, & verbum, spiritusq; Domini omnia fecerunt, vt essent excellenter bona. Post peccatum maledicta omnia in ordinationem admittere à causis internis, & externis sunt coacta. Deus naturam instituit vniuersalem & singularem. Hanc regit nutu suo. Nullus hic faber est alius sciens quid, quo loco, quam magnum debeat fabricare; sed per se fiunt omnia vti sunt à Deo ordinata ex accidente mutantur. Si ergo interrogas cur homines alicubi gigantæa statura sint, alicubi mediocri, alicubi nana, idque secundum tempora, & ætates; Item cur in Scythia Virgilianæ arbores tantæ sint, alibi pumilæ: cur India ferat Ebenum, aromata, &c. quæ alibi non crescunt: cur hic argentum, ibi aurum, alibi aliud nascatur, & quædam loca sint sterilia: cur caput hominis cœlum respiciat, pedes calceat terram, manus, aures, oculi, &c. hoc situ, & magnitudine, alia membra sint alia: cur nascantur monstra, & ex semine, sanguineque humano non homines, sed alia: cur hic sponte producantur ea, quæ alibi vix semine, &c. non opus est ad miræ scientiæ fabros Hartmanni delirantes confugere, sed dic, in ordinaria natura Deum cuique *suam mensuram* assignasse, quam nequit transscendere. *Omnia Deus numero, & mensura digessit*; Deuteron. 32. 8. Esai. 40. 21. & seq. Psalm. 147. Iob. 28. & 38. capit. Sapient. 11. vers. 21. 22. Vt pro voluntate eius permaneant, NATVRAM singulis suam absque scientia singulari concessit, quam & conseruat, & prouehit ipse. Ordinem vero propter peccatum, & maledictum non semper seruant, & pro bonitate Dei alibi adminicula sunt feliciora, alibi deficientia, vel maligna: aliquando naturam vacillare, & hinc existere varietates innumeras deprehendimus. Caloribus, frigoribus, temperamentis, &c. multa mutantur.

Prou. 8. & 9. cap. Psal. 104. 139. 74. Sap. 10. Sap. 7. & 8. cap.

Natura distinctio. Gen. 3. 17. Rom. 8. 20.

Iohan. 1. Ebr. 1. 2. Coloss. 1. 16. 17.

Quid de squaloribus, seu siccitatibus, & nimiis humiditatibus dicamus? An non Deus est, qui homines punit fame, peste & aliis? Vbi sunt illi fabri stultorum hominum? Cum denegatur pluuia, fabri seminum frustra fabricant. Mirum est tam dementatos esse Paracelsistas, vt putent vllum sanum fore, qui istis deliramentis fidem habeat. Ose. 2. 8. Deus dicit: *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei.* Num mediantibus istis scientiæ admirandæ formis? *Gloriam suam Deus alteri non dabit. Benedictio Domini diuites facit.* Ille & naturam regit, & adminicula præbet felicia si est placatus. vide Deuter. 28. & cogita quis sit ille faber, qui arbores, & fruges male fabricat. Psalm. 104. per totum causam aliam quam Vulcanos Paracelsi inuenies. Nec dicas mihi, aut ex irrisore naso tuo profles, causam ibi primam exponi, fabros insitos esse secundam, quæ nihil possit deficientibus auxiliis. Mendatium istud tuum est, nec potes probare vllo principio Deum talem fabrum dedisse, qui pro sua admirabili scientia formet, fabricetq; sibi idonea, & habitaculum instruat iis viribus, & ornamentis quæ dicis. Sputum Paracelsi est ex stolidis artium, & naturæ comparationibus.

Malach. 3. 10. Hagg. 1. v. 6. & seq. Amos 5. 8. cap. 4. 6. 7. Deut. 28.

Nota execrabilia dogmata Paracelsistarum, affinia hæreticis, qui volunt mūdum cōditū esse per angelos bonos, malos, vt: Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides, Nicolaïta, Cerinthus, Valentinus, Archōtici, Carpocrates, Manes, &c.

De conformatione, consensu, duratione. Forma interior, *& faber Mechanicus, qui ex Nacte Hippocratis, & Orphei orco prodit, postquc destructionem rerum eodem redit* (nihil enim interit *Seuerino*, nihil nascitur: sed ex suis locis omnia exeunt, & in eadē redeunt, ita vt putandū sit animā Lazari, & Diuitis impij ex eodē exiisse loco, & in eundē reuersas esse) *mirabiliter sciens* est. OHE. Num est Deus? nō: sed creatura. Scitne etiā aliquid amplius quā supra dicta, & nū potentior est, puncto primateriali, & principiis Paracelsistis, quę tamen quot sint, & simplicia, an cōposita ignorāt ipsi? Imo est *omniscius, & Deo æquiparatur*, sicut *homo Crollij astralis, & imaginatio magica omnipotens*. Hem quid ais? Imò non ego aio, sed D. Hartmannus *in suo Sancto S.* Quid ergo ait? Fabulatur, nugaturq; *illum admirabilis scietiæ fabrū, formā interiorem, fabricare cōfirmationes, consensus* (sympathias) *Durationes: Imo omnes signaturas*

(omnia

(omnia quæ aliquid indicare poſſunt de natura rei, ſiue interna ſint, ſiue externa, de quibus ſcripſit *Paracelſus, Quercetanus, Crollius, Iohan. Baptiſta porta*, & alij) *tam intus, quam foris adhærentes officiis* (pro efficiis, viribus, effectibus, facultatibus, vſibus. Nam non aliter de natura loquimur quam de Republica in Moronia) *conſentaneas.* Item: potentem fabrum narras. Imo fatuum, bliteum, ſtultum, cui ſimiles ſunt omnes, qui eum comminiſcuntur. Qui enim natura, *principium illud in ternum*, ſcienter agere poſſit cum cauſas non intelligat? Qua figura, compoſitione, & cõformatione quoduis debeat naſci, Deus in principio ordinauit ſine omni fabro alio intelligente.

De figuratione, vide Phil. Muller lib. 4. c. 4. de miraculis chymicis.

Ideo *Quercetanus* putat ſe demõſtraſſe figurantem cauſam *Salem* eſſe, qui & iam ſeparatus formam eius plantę, cuius eſt, repræſentet, vti habet exemplum de vrtica. Paracelſus quoq; opinatus eſt & ſcripſit ſe *figuram plantæ exhibere poſſe in vitro* merè ſpiritualẽ, ſaltem adhibito calore foris temperato. Sic *hominem* credit poſſe fabricari *artificialem*. Mira vero. Cur Paracelſiſtæ ſuis aſſertionibus non faciunt fidem opere? Illũ *Hartmannum* non putem vlla ſui induſtria poſſe pediculos fabricare, vti neq; magi poterant coram Pharaone. Debet autem poſſe. Cur? Quia in pediculis ſuis natura genitis habet fabros multos. Illos per ſuam deſtillatoriam ſegreget, & in cõmodam materiam imponat, facies tantas pediculos quanti ſunt indici Elephantes. Qui ſic? Quia *ars eius exuperat naturam*, & quia Seuerinianus Chymicus eſt, *omnia principia poteſt in idem cogere*, & ſimul illum Vulcanum fabricatorem cathena Vulcania cõſtringere.

Formarũ & figurarum collator.

Verũ omiſſis luſibus quis eſt *figurator*, & cõformator Macro- & microcoſmi? Phyſica ſacra nullum alium nouit niſi *Deum.* Hic enim noluit mundum magnum eſſe cubum, aut pyramidẽ, ſed globum; Microcoſmum non concurbitam, vel peponem, vel allium, ſed tali figura qua cernitur. Itaq; & ipſe, nõ aliquis faber, *Euæ* corpus ex coſta tali forma produxit, quali ſunt fœminæ. Gen. 2. v. 7. *Dominus Deus formauit hominem:* Vbi eſt verbum *IaZar*, quod ſignificat premendo figurare, vt figulus lutũ ſolet. Sic & *Hiob* loquitur c. 10. v. 8. *Manus tuæ plaſmauerunt me* (nõ in principio, ſed longè poſt, ne putes Deum nõ amplius fingere & figurare) *& fecerũt me totum in circuitu. Memento quod ſicut lutum feceris me ſicut lac mulſiſti me. & ſicut caſeum coagulaſti.* Pſ. 139. 5. *poſterius & prius finxiſti in me. Mirabiliter factus ſum. Os meum feciſti in occulto, & compoſitionem meam in inferioribus terræ. Me adhuc Embryonem viderunt oculi tui: & in libro tuo ſcripti erant omnes dies qui erant futuri.* Pſ. 94. 9. *Qui plantauit aurem non audiet; Qui finxit oculum nonne videbit?* Ecce tibi Hartmanne conformator membrorum, & totius integri non eſt tua forma interior, aut faber, Vulcanusq; Paracelſi, ſed Deus. Pone eſſe pone tuum fabrum: Debet ergo audire, videre, & reliqua agere poſſe. Hoc autem organicè, aut inorganicè. Si illud: nunquam eſt ſine materia, & organis. At iam organa ſua ſibi fabricare dicitur. Eſt ergo inorganicus, & nuda forma, angelus, aut Diabolus. At nullus horum poteſt nec creare

Vera cauſa formantes. Vide Ariſt. li. 1. de part. an. c. 1 & lib. 2. c. 1. 2. Gen. an. 1. & 3.

vniuoce, nec generare. Quis ergo eſt? Stulti hominis figmentum vanum eſt. *Deus format per naturã* poſtquam creando ſingula abſoluit, & ſingulis principium ſuum indidit, *cuius motus eſt ab eo, qui generat*; nullum autem ex ſe fabrum emittit, multo minus faber ex orco adeſt aut nocte. Natura talis non fortuito agitatur, ſed regitur Dei prouidentia, generali, & ſpeciali. Ideo *Dauid* & *Iob* Deum pręſentem agnoſcunt in ſui generatione. Non aberraretur à legitima conformatione, ſi peccatum, & vanitas nõ eſſet, nec pœnæ impoſitæ. Itaq; illa figuratio variis cauſis interpellatur ex accidente. Iam enim matrum imaginatio, cogitatio, affectus, aliquid mutat; iam materiæ ratio, item calores, frigora, matrices, ſpiritus & alia multa. Quæ in homine eueniunt, in cęteris contingunt iuxta analogiam. *De ſpiritu plaſtico, & calore in humido radicali* prius dictum eſt.

Sympathia, Antipathia, Dyſpathia.

Sed vnde ſympathiæ, antipathiæ, dyſpathiæ, heteropathiæ & alia? *Ille inquilinus, qui habitaturus eſt domũ, ſibi fabricat domiciliũ tale admiranda ſcientia etiam eorũ cum quibus habiturus eſt inimicitiam, amicitiam, litẽ, concordiam:* Scit. n. omnia: neq; tamẽ eſt Deus, qui non indiget fabricato ſibi in ſuos vſus corpore: *Merũ tamen eſt ſine peripheria cẽtrum.* Nugæ. *Hartmanne* tu coques rectius aquas vomitiuas, **Häſſiſch Speiwaſſer**/ex ſale colcotaris vel re ſimili. Quæ te intemperiæ in Hermeticam inuexerunt tam impiam, & ſtolidam? Qui fieri poteſt vt forma interior maſſæ rudi, vel centro primordiali, vel etiã tuis principiis adhuc in potentia conſtitutis inſidens ſciat amicas & inimicas naturas? Cum Deus ſingula crearet, ſingulis indidit ſua idiomata. Verior *Hermes* dicit *Meditatione vnius omnes res ab vno prodiiſſe.* Is Deus eſt. Hic ſingulis ſuam naturam dum indidit, euenit vt contraria quædam exiſterent, vt ignis, & aqua, aër & terra: neq; tamen id fortuito, ſed cõſequenter. Sic miſtis origines obtigerunt certarum diſpoſitionum, quæ per ſe ſunt id quod ſunt, cum vero ad alia adhibentur, diuerſe afficiuntur. Maxima vis eſt ſpirituum. Quædam etiam manifeſtis conſentiunt, vel diſſentiũt. Multa foris eueniunt ob varias cauſas. Peccatum & maledictio quid non intulit diſcrepantiæ? De Imaginatoria hominũ quid attinet dicere? Cur timet ouis lupum, pullus gallinaceus vulturem, & accipitrẽ? Num ille tuus Informator Vulcanus nouerat lupi, & vulturis rapacitatẽ? Hæc lis in paradiſo non erat, neq; in arca Noæ. Cur timemus Turcos? Quis non ea proſequitur amicitia quæ ſibi bona videntur, auerſatur fuga contraria? *Na uram αὐτοδιδακτον Galenus demonſtrauit* alimento. Plantarum, & membrorum quodq; ſibi familiare, ſimile, & amicum attrahit. Bonum enim bono, ſimile ſimili iungitur, & vnum quodq; ad id fertur quod eſt ſuæ naturę, aër ad aërem, aqua ad aquã, terra ad terrã, ignis ad ignẽ. Cõgregabilia animalia ſunt multa. Cum Deus *Adamo* adduceret animalia, nullũ mouebat ipſius appetitum. Cum *Euam* oſtenderet, ecce agnoſcebat carnẽ & os ſuũ, ſuamq; cõparem. Illam flammulã forma fabricans alia præter Deũ non fecerat, qui ita cõparauerat naturã vt appeteret *ſui dimidium*, ſine vlla præſcientia intus exiſtentis formæ. Sic cogita de ſuperuenientibus. Magnæ mutationes tã poſſunt alterare in amicitiã vel diſcordiã, quã cõformantes cauſæ ſine omni ſcientia antegreſſa. Sic moribus ſimiles iunguntur, diſſimiles abhorrent etiamſi nunquã ante ſe cognouerint. Sed de his alibi. *Aſtrologi* aliud cõminiſcuntur, *& Stolidi Paracelſici* iam externa, iã interna

Duratio.

aſtra in ſcenam producunt, & nihil lucrantur niſi ſui contemtũ. *De duratione.* Incredibilis eſt impietas Her-

tas Hermetis Hartmaniani. *Ille faber, qui sibi domicilium fabricat,* quo argumento potuit scire quamdiu in illo sit victurus? An id etiam in nobis situm est? Sciuitne semen plantæ, seu insita illi forma, quod nata herba, arbor, frutex, suffrutex in nostris locis quotannis sit peritura, in aliis perennis futura? Num frigora, vermes, malæ tempestates, & alia illi fuerunt nota? De naturali termino te sentire, vbi nullæ sint iniuriæ, nec vlla vis inferatur; dices. Tametsi fatuus sis, & illud excipias, quod terminum communiter inducit, tamen esto. *Quis rebus fines & modos, articulosq; durationum præfixit?* Num parcæ? Negabis. Num creata aliqua potestas? Non. Nihil non omniscium id potuit. Is est Deus solus. Quæ te ergo vexat amentia, vt caussam commentitiam afferas, quæ admirandæ fingitur esse scientiæ?

Nota quod Seuerinus ex orco & nocte petat semina, & formas illas scientes, quo easdem etiam iterum recondit: At Ecclesiastæ cap.9.v.10. scriptum est: Nec cogitatio, nec industria, nec sapientia, nec scientia erunt in sepulchro, quo tu vadis, seu apud inferos. Deus proposuit terminum naturæ. Homo in integritate manens nesciuisset interitum. Itaque quia peccauit, & natura subiecta est vanitati, ita vt cœlum & terra sint transitura; terminus variationem accepit pro gratia & ira. Quid *Moses* Psalm. 90. vers. 7.? *Deficimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.* Alia oracula alibi habes. Propter hominem etiam cæterarum rerum termini varie disponuntur. Vt *Daniel* inquit capit. 2. vers. 21. *Deus mutat tempora & ætates. Deus est longitudo dierum nostrorum.* Deut. 30. 20. De *Caleb* vide Ios.14.10. Num.14. Ps.91.16. *Longitudine dierum Deus implet se colentes.* Iob. 20. vers. 5. & seq. & cap.14. Psalm.103. 15. & alibi. Quid ergo doceas tuos discipulos in schola Marpurgica, si conscientiam habes, *Hartmane,* videbis *signaturas,* quod attinet officiis, seu facultatibus, potentiis, & operationibus naturalibus, ad quas vnumquodque creatum est, congruas, legimus multa vana, & inanes opiniones apud *Paracelsum, Crollium, Quercetanum,* & alios. Particularia proferunt argumenta, eaque ad conceptum suum intorta. Inde nobis catholica persuadere volunt: & sunt istæ signaturæ non in medicinis essentialibus, sed proponuntur in integris; vbi sunt elementa. Num quod simile capiti est, caput iuuat, quod manui manum, quod rubrum, sanguinem, quod album, lac, & sic deinceps? Omnes ergo vuæ ratione baccarum iuuabunt caput. Num & vuæ lupinæ, & bacci solani lethiferi? Ventriculi officium est concoquere cibum, & chylum facere. Tuus faber hocne sciuit, & ideo fecit cauum? Sciuitne matricem debere gignere in seipsa? Num etiam sciuit furem manibus furaturum esse? Num *Euam* poma vetita desideraturam? Deus sciuit. Tuus faber quia *nocte Hippocratis, & orco caliginoso orphei,* vbi feliciter se habet, vt tuus *Seuerinus* delirat, inclusus fuit, aut in specu Platonico sine perspicilio Batauo; & speculo magico *Paracelsi,* & condiabolatis sigillis latitauit, scire nihil potuit. Itaque & quæ tuus *Hermes* in stulto stultorum tibi monstrat, ad orcum suum, & noctem relegamus, teque qui ista inculcas, dementiæ & impietatis damnamus. *Seuerinus* ait: *Numerus, substantia, situs, & omnes signaturæ aliæ non ex materia, sed efficiente proficiscuntur:* de quibus non puto amplius laborandum esse. Tantum de forma.

De signaturis.

Mira deliramenta.

SECTIO XIV.

Pars quinta sancti sanctorum, (stulti stultorum) Hermetis Hartmani, de NATVRA *seu leone viridi.*

De natura, leone viridi.

QVid senserit vetustas de *natura, principio illo rerum & caussa secunda* creaturis generationi destinatis (q̃q̃ & de Deo vox vsurpetur) à Deo insita, non opus est repetitione. *Quercet.* in defensionis c12. vetera & noua reponit: naturã naturantẽ Deum vocat, *naturatam* proprie dici naturam putat, eãq; in *vniuersalem & particularem* diuidit. Vniuersalem vocat *Dei Omnipotentiam,* per totũ orbẽ diffusam: *Prouidentiam* appelles: aut *omnibus creaturis implantatam virtutem,* quæ sit *character diuinæ præsentiæ*; iuxta *Hermetem, vis à prima caussa suborta, diffusa per omnia corpora per se principium motus, & flatus in ipsis, spiritus* Virgilii, *anima mundi Platonis, spiritus Dei,* qui omnia creauit, &c. particularem cap. 13. vult esse aliud nihil quam *corpus omne naturale,* constans forma & materia: *principium vnde oritur omnium rerum naturalium essentia, &c.* Hæc ille. Quæ cæteri Paracelsistæ garriant operosum foret describere. ἀδύνατον. Noster *Hermes* Hartmanicus quid? In sancto sanctorum (stulto stultorum) fingit sibi occurrere Leonem viridem. Dixi supra, & in syntagmate, quod Philosophi mystici eo vocabulo designent. *Hartmanus* ei affingit *oculos scintillantes igne inaccessæ virtutes.* Ridicule. Principium id, quod natura vocatur, estque germinantium potentia, *inuisibile est,* nec potest vllas scintillas emittere. Latet in seminibus, & inde fructus suos, germinaque prodit, quibus agnoscitur. Sed condonanda illi hæc acies est: Nam in Ecstasi in cœlo Morauiæ naturam vidit nudam. Quid est? *Ipsum tincturæ donum.* At quid tinctura? Nescit *Hermes.* Repetemus ante decla: 1. *Massa informis.* 2. *Punctum primateriale.* 3. *Centrum vbiquitarium sine peripheria,* h. e. natura naturans particulariter, seu forma suum cadauer fabricans mirabili scientia, cum omnibus accidentibus & circumstantiis, vbi locanda est TINCTVRA? Oportet eam alicubi esse. Nam natura, leo viridis, est eius donum. Quartum esto *Tinctura,* quæcunque sane, aut qualiscunque sit. *Crollius* semen, astrum, spiritum internum &c. vocat. Alii aliud loquuntur pro arbitratu, vt videantur nescire, quid sit *Tinctura.* Ponamus esse chaos principiorum, tametsi Hermes Marpurgicus id vix sit passurus. Quintum ergo est *Leo viridis donatus à tinctura.* Quid est? *Nobile germen.* Natura secundum rei veritatem in creatione est Dei donum, proxime ab eius voluntate & potentia dependens. Nobilis certe erat ante vanitatem peccato introductam. Sed & iam sit nobilis. Num *germen*? Effectum est, si est, & productum aliquid à natura germinante. Qui potest esse natura? Est *naturata singularis.* Hem callide. Ac-

Quercetan. de natura.

Leo viridis Hartmani.

Donum tincturæ.

Tinctura magica Gabalistica.

Verba fine sensu & intellectu à Magis conficta.

 cipiemus

cipiemus ergo *Leonem viridem, & naturam, & fructum germen* pro eodem. Nihil quidem hic eſt ſapientiæ aut ſcientiæ: ſed in ſtulto ſtultorum Hermetis Hartmaniani licitum eſt deſipere.

Leo viridis quid.

Aliàs *Leo viridis eſt natura vegetatiua*, & non id quod vegetando ſeu creſcendo prodit. In magiſterio ſapientum eſt *aqua illa primordialis generica*, ſubiectum & materia generationis, diſſolutiuū ſolis, quem ideo vorare dicitur, & comparatur ſemini fœminino. Sed pergendum. *Eſt germen quod facit germinare res cunctas*, inquit Hermes. Eſt ergo & principium, & principiatum. Natura in Phyſicis eſt *ſummum genus.* Nihil habet ſe prius. *Sit principium effectiuum germinum*: in ſcientia naturali germen eſſe nequit, RES CVNCTAS. Ergone ſeipſum? Num & elementa & cœlum, & principia *Seuerini*? At hinc nihil gignitur, nec quicquam interit. Stultus *Hermes* ad producta à cauſſis naturalibus in globo generabilium reſpexit. *Orcum ſuum & noctem ſeminum* prçteriit. Debuit & cœli aſtra excipere. Ea enim non germinant, quanquam *Seuerini* fatuitas nouit etiam ſtellis propriam generatiuam aſſuere. Generare enim ex ſe, & in alienum locum deponere dicuntur ventos, pluuias, nubes, mannas, & alia huiuſmodi, quibus totum cœlum ignominia afficitur, & criminę læſæ maieſtatis dehoneſtatur. *Simile enim per ſe gignit ſimile*, eſtque *mali corui malus pullus.* Quid eſt faciens vt res cunctæ germinent? Interpres Mercurius dicit: *Eſt ſulphur incombuſtibile.* Hoc primum. At ſi ſulphur eſt cunctarum rerum, faciens eas germinare, erit & herbarum, omniumque plantarum & animalium. Nonne? Si calorem vitalem diceres, ab Ariſtotele propoſitum, rem tangeres. At de ſulphure ſubſtantiali verba ſonant. Id autem eſt ſulphur, quod Chymici exrahunt ſpecie eſſentiæ pinguis, & oleoſæ, vt oleum & ſpiritus vini, & ſimilia. Ades Vulcane ex Æthna, & proba iſta ſulphura, num ſint incombuſtilia. Vulcanus probauit, & Hermetem mendacii accuſat. Eſt vnum ſulphur incombuſtibile in fixis, quod magiſtri ſecreti artificii ſciunt. Num hoc in omni re? Nequaquam, vt res probat. At materia ſapientum dicitur in omni eſſe. Quid tum? *Quercetarus de ſale* explicat, quem in ſimplicibus & compoſitis videt. At ſulphur halinitri non eſt incombuſtile. Alii Mercurium intelligunt; quidam vitriolum. Sed hæc nihil ad rem. Rurſus obiicis: Imo fugit ex igni totum, aut totum in eo manet, ſicut Mercurius ſapientum. Scio, inquam, iſtud, ſed tu, Herme, non es rerum naturæ ſatis gnarus. Non enim ſi in vno eſt, in omnibus eſt. Aliter. Noſter *Seuerinus negat quicquam corrumpi vel generari*, ſed vti venit ex orco, ita redire ad orcum dicit, tantumque mutationem contingere circa externa elementa. Inquam viciſſim, quia in orcum migrauit, oportet nos expectare, donec reuerſus nobis narret ibi exiſtentia. *Galenus*, qui dicitur literas ſcripſiſſe *Paracelſo* ex inferno, proculdubio expertus eſt ſulphur eius loci incombuſtibile eſſe. Sed noſtri ſeculi ſulphur comburitur, & cum mundo conflagrabit ſiue natura ſit, ſiue quid aliud. Pereat ergo Hermes ille mendax cum ſuo ſulphure. *Facitne id germinare*? De ſale alii affirmant: de calore auxiliario nouimus, vt & de ſpiritu & humore. Fac periculum. Solue aurum, vitriolum, talcum, tartarum, vinum, & reliqua in ſulphur, & vide quidnam ſit, vbi ſatum fuerit, proditurum. Vbi aliàs ſulphur vulgare abundat, ibi nulla vel pauca ſunt germina. At non attendimus, *Leonem illum oculatum eſſe naturam.* Hæc autem eſt æterna Dei potentia, qua Deus ſe in creaturis ab extra poſt creationem in propagatione & conſeruatione naturali per vim inſitam creatis conſpiciendum præbuit. Scio, inquam, ſic aliquando vocem accipi: ſed quid iſtud ad incombuſtibile ſulphur germinantium rerum, quod cum mundo tandem totum deſinet, nunc etiam annuatim in multis perit, & varie deſtruitur? Sed faceſſant hæc. *Natura, leo viridis, ſulphur incombuſtibile*, etiam dicitur *ignis ſapientiæ, & viuus natura.* Quid ad hæc? Deliramentum eſt Paracelſicum. Solet obſcurum id genus terminos varie adhibere, & quoduis in quiduis tranſmutare, iuxta axioma *Seuerini: Vocabula debere inſeruire arbitrio interpretum naturæ.* At hoc eſt diſciplinam corrumpere, & in rem incertam conuertere. Hac verſutia fit, vt qui nihil ſcit, omnia ſcire videatur, modo vocabula ſapientum crepat. Aliud *natura* eſt, principium nimirum rebus naſcentibus à Deo inſitum, per quod & eſſe poſſit, & conſeruari, viribuſq; implantatis iuuare, & ſui ſimile procreare. Hæc enim prima ſignificatio eſt, vt & notatio, coniugatumq; vocis declarat. Id namq; eſt naſci, ſicut & Græcis φύσις ἀ φύεσθαι dicitur. Deinde ampliatur nomen, & communicatur omnibus materia, formaq; conſtantibus, quin & ipſa materia & forma, cum proprietatib. & virib. per ſe natura dicuntur, per quam quicquid exiſtit, & à qua quicquid procedit, id naturale vocatur. Opponitur arti, & violentiæ, ita vt *ipſa ſit inſitum rebus principium, ars & vis externum, præcipueq; actiuum. Forma enim natura potior eſt quam materia, illique adiacet potentia actiua, huic paſſiua*, qua de re alibi. *Leo viridis* non vſurpatur à ſapientibus niſi in magno magiſterio, vbi *ſolem dicitur deuorare.* Transferri tamen poteſt ad res naſcentes, vt ab arte ad naturam accommodetur, *Leone ſignificante calorem, & viriditate vegetationem inde exiſtentem* in humido natiuo cuiuſque. Cum calore vero eſt ſpiritus. Alias *Leo* non eſt calidi humidi ſymbolum, neque etiam vegetationis: ſed calidi, ſicci, ignei. Sulphur incombuſtibile eſt eiuſdem magiſterii magni, & opponitur aliarum rerum ſulphurib. volaticis & corruptibilib. Inuenitur in vno tantum metallorum genere, quod eſt perfectum, nempe in *auro.* Analogicum eſt etiam in aliis nonnullis, quæ fixa ſunt, & in igni permanent, quale eſt in *chalcantho metallico.* Vegetabilium & animalium nullum ſulphur eſt incombuſtile. Itaque etiam excluduntur ab opere magni magiſterii. Non opus eſt argumentis. Extrahe ab illis ſulphur, & igni aperto proba. Videbis num ſit permanſurum. Naturam autem perennem ſic vocare, præſertim eam, qua res creſcunt, fatuum eſt. Neq; enim durat in ſingulari, ſi ſublunaria reſpicias, ſed conſeruatum in ſpecieb. *Vniuerſalis natura*, quæ DEI prouidentia conſtat, nec combuſtilis eſt, nec incombuſtilis, *eſtq; ineptum priuationem ei rei tribuere, in quam habitus cadere non poteſt*, niſi Poetam agas, & parabolicum fictorem, vt cum lapidem vocamus cœcum. Sulphuri competit & habitus & priuatio. Eſt enim combuſtile: eſt & incombuſtile, quod tamen relate accipiendum eſt.

Marginal notes: *Cœlum à Paracelſiſtis pollutum.* — *Sulphur incombuſtibile* — *Ignis ſapientiæ & natura viuus.* — *Natura quibus tribuatur.* — *Leo viridis.* — *Leo ruber. Sulphur incombuſtile.*

Nam

Nam & aurum est corruptibile, sulphur eius tandemq; cœlum & terra peribunt igni cumburente. Qualitatem vocare sulphur incombustile, vt calorem, stultum est. Neq; .n. in eum cadit affectio vtraq;. Interim mutabilem esse in corruptibilibus nemo ignorat. *Ignis sapientiæ & naturæ* non potest esse idem. Ille enim est *artis, externique principii: hic est interni.* Ille foris sapientis artificis industria & peritia adhibetur: hic intus existit in potentia, & per externum vocatur in actum, vti constat per totam Alchymiam. *Ignis sapientiæ.* *Ignis naturæ.* *Natura ignis est calor cuique insitus comitatus spiritu, & humore primigenio.* In his quæ seminio propagantur sine semine non existit; ab eo collatus, à quo & semen decisum est. Cum autem præter singulares naturas etiam sit vniuersalis, & quidem hæc quoque distincta generibus, & locis: ideo & ignis naturæ sic distribuitur. Ita si totum mundum complexus fueris, quam animam & spiritum diffusum per omnia, omniaque disposita fœcundantem, vocant, is ignis naturæ dici potest maxime vniuersalis. Si naturam terræ & aquæ tantum his quoque suus est ignis tanquam in matrice generationis: si calorem & naturam temporis à sole, iam alia est distinctio. Sic in microcosmo, & magisterio lapidis considerari solet. Vbi est natura metallifica, ibi naturæ calor & ignis talis ponendus est: vbi herbida sunt loca, ibi similiter suus, vt pateat per varios gradus, distinctionesque ignem naturæ descendere, donec fiat indiuiduus rei cuique, vt huic pomo, huic homini, huic Helleboro, huic auro, &c. *Differt nobilitate rerum ipsarum, & operum varietate.* Interdum ex vniuersali naturæ igni oritur specialis & indiuiduus singulari comprehensione & adaptione, vt in his, quorum semen est spontanei ortus ex benedictionis primæ virtute, aut quando in pœnam nonnulla producuntur, vt agmina locustarum, quarum species non est ordinariæ & vniuocæ generationis. Hæc tuus *Hermes Hartmane*, rectius in suo hagiasterio discipulis monstrasset, eosque quasi manu in cognitionem magni magisterii duxisset. *Natura* ait in Asclepio, *est nata ex Dei diuinitate, vt sint omnia sicut sunt & fuerunt, & sufficiat omnibus ad ex se nascendum. Ignis sapientum,* vel, vt loqueris, sapientiæ, per se quidem item est naturalis aliquis; sed distinguitur artificiosa adhibitione foris. Interdum ita vocari industriam ipsam, & sapientiæ principia, quæ ob vim agilem & penetrantem calori, ignique comparantur, notum quidem est, sed à speciali tractatione naturæ remotius. Tu *viuum* appellas *ignem* illum de natura vniuersali intelligens. *Vita est actus quidam à principio viuifico productus.* Si itaque intelligis non in potentia sed actu existentem caloris naturam, viui terminus non improbatur. Veruntamen si totam naturam explicare consilium est, addetur, intellectu quidem nostro per abstractionem nudam, & qualis est natura in conspectu Dei, semper viuam posse repræsentari: quo modo vero in concretis existit corporibus aliquando esse in potentia, vnde in actum vocatur actuali instrumento. *Ignis viuus naturæ.* Ita in seminibus natura generatiua, calor, spiritus & humor primigenius, si quidem semina separata sunt, vt plantarum potentia est, non actu, modo sint fœcunda. Sed *Paracelsistis potentia displicet.* Itaque fabulantur contra communem experientiam *in seminibus actu existere speciem naturæ cuiusque.* Concedendum nimirum est vt suis figmentis, & stultitia gaudeant, fruanturque lactucis suis asininis. Nos scimus adeo non esse actu in seminib. plantarum fœcundantem illam naturã, vt sæpe ne adminiculis quoq; iustis adhibitis possit produci. *Paracelsicis omnia sunt actu in reb. etiam anteq̃ nascuntur.* Si ad mineralia descendimus, quanto labore vis prolifica actuatur? Sapiens est & felix, qui *viuum aurum sapientum, viuum sulphur, viuum mercurium* habere potest. Eius respectu *vulgaria* dicuntur *mortua*, siue omnino sint sterilia, siue adhuc in potentia, contineant vim suam. Tuus *Hermes* poterat & huius meminisse. *Viuum aurum, semen, sulphur, &c.* Porro *ignem illum tuum, naturam scilicet, leonem viridem, ignem sapientiæ,* & quo alio nomine vocas, *Hermes* fictitius asseuerat ab Hippocrate descriptum esse PVLCERRIME. Verba proferuntur ex lib. de Diæta. *Ignis omnia vniuersim monere potest, aqua omnia per tota nutrire, &c.* *An Hip. ignẽ naturæ Paracelsicum descripserit.* Suspectæ sunt citationes Paracelsistarum, qui omni conatu suum facere student *Hippocratem*, adeo vt *Seuerinus* in idea sua sæpe prodat stultitiam suam, & risum legentib. moueat. *Paracelsistæ falsi Hipp. interpretes.* Tuus *Hermes* est in Hagiasterio suo, & monstrat tibi *leonem viridem, sulphur incombustile, ignem sapientiæ, ignem naturæ viuum.* Hunc tu putas eundem esse cum *igni Hippocratis* in lib. 1. de diæta non procul à principio. Argumenta tua sunt 1: *quia ignis omnia potest mouere vniuersim,* (πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι) *aqua omnia per tota nutrire,* (πάντα διὰ παντὸς θρέψαι) *Hæc vero duo sufficientia sunt cum aliis omnibus, tum sibiipsis: seorsim vero vtrumq; nec sibiipsi, nec aliis,* (αὐτάρκεα ἐπὶ πᾶσι διὰ παντὸς ἐς τὸ μήκιστον, καὶ τὸ ἐλάχιστον ὡσαύτως. *Et paulo ante:* ταῦτα ξυναμφότερα αὐτάρκεά ἐστι τοῖσί τε ἄλλοισι πᾶσι, καὶ ἀλλήλοισιν· ἑκάτερον δὲ χωρὶς, οὔτε αὐτῷ ἑωυτῷ, οὔτε ἄλλῳ οὐδενί.) 2. Quia *ignis Hippocratis ille in hominis procreatione triplices facit circuitus,* (τὸ ἀποκλεισθὲν εἰς ἄλλο σῶμα περιόδους ἐποιήσατο τρισσάς, vt loquitur de nutrimento, cuius pars humidissima & calida venas cauas intrat: quod reliquum est humidi in intermediis venarum concrescit, fitque caro, &c.) De igni sic: *Dum singula iuxta destinatum fatum in apertum proueniunt, triplices circuitus ignis fecit,* inter se mutuo intus & foris terminantes: *alios* quidem *ad cauitates* humorum lunæ facultate: *alios ad externam circumferentiam* ad ambientem soliditatem astrorum facultate: *medij vero & intro & foras* terminantes calidiss. & fortiss. ignem habent, qui omnibus dominatur, & omnia gubernat secundum naturam sine strepitu ad visum, & tactum. In hoc anima, mens, motus, somnus, &c.

3. Quia ibidẽ fieri docet *alimentorum attractiones, mixtiones,* partium *dispensationes, consentaneorum conspirationes, dissentaneorum expulsiones,* &c. Hæc diuersis in locis partim de generatione mistorum in animalibus corporum, partim de nutritione proponuntur. Mistio docetur fieri *ex igne & aqua* contemperatis, ita vt licet ignis per se sit calidus siccus, aqua frigida humida; tamen certa harmonia congressu facto ignis ab aqua accipiat humiditatem, dicaturque πῦρ ὑγρὸν aqua ab igni siccitatem, & vocetur ὕδωρ ξηρὸν: quæ commissiones & contemperationes dum varie fiunt, existere inde ait, & semina multiplicia, & animalia, quanquam non sine præexistentibus. *Mistio Hippocratis.* Nam *nihil nasci dicit*, quod, *seu cuius species prius non fuerit, nec corrumpi quicquam totaliter, nisi omnia simul pereant.* Vt diligentius rẽ explicet, addit vicissitudinem talem fieri etiã in externis, vt in astris, die, nocte, &c.

Hipp. negat ſcientiam Seuerinianam

Item declarat rem arte. Qui enim ſecant ſerra lignum impellunt, & trahunt, ita in corporibus quædam attrahuntur, quædam expelluntur: hoc accipit, illud dat, iuxta officia facultatum naturalium. Oberrare vero *ſine ſcientia* in corporibus humidum & calidum aſſerit: ſed dum partes præterlabitur, tunc *ſimilia & familiaria ſimilibus aſſidere*, & in eorum ſubſtantiam concedere, diſſimilia expelli, cum nequeat peregrinum in loco peregrino ſalutariter conſiſtere, id quod fit in augmento & alimento. Non poſſe autem animam humanam augeſcere niſi in homine, vti nec cæterorum, niſi in ſuo genere, autumat, &c. Hæc ſunt illa, quæ ibi Hippocrates de attractione, miſtione, &c. habet.

ἀπαιδεύτως h.e. iuxta Seuerinum, propria & connata ſcientia, in qua ſit lumen naturæ Paracelſi.

4. Quia idem *Hipp.* docet luculenter eundem *ignem moderari, minora minoribus, maiora maioribus licet ἀπαιδεύτως adaptare.* (Hipp. ſic loquitur tam de generatione, quam conſeruatione, & incremento per nutritionem: φθορὴ πᾶσιν ἀπ' ἀλλήλων τῷ μείζονι ἀπὸ τοῦ μείονος, καὶ τῷ μείονι ἀπὸ τοῦ μείζονος: Item: creſcit ſeu augetur maius à minore: Item: in homine ingrediuntur membra membrorum, tota totorum habentia contemperationem ignis & aquæ, quædam recipiunt, quædam dant, ibi fit maius, hic minus. Quæ ad minus eunt, ſegregantur in locum minorem: Quæ ad maius proficiſcuntur, commiſcentur, & tranſmutantur in ordinem maiorum, &c.) Hæc ſunt argumenta tui, *Hartmanne*, Hermetis. Infelices appello illos, quos iſte nanciſcitur diſcipulos. Seducit enim eos *pinguibus mendaciis*, & magni viri nomine in errorem inducit. Conſidera quæſo tua placita.

Generatio Hartmanic.

1. Informis maſſa fingitur: 2. In eam includitur primateriale punctum, origo omnium generationum, mixtionum, tranſplantationum, &c. 3. forma interior omnes cauſſas propriæ ſpeciei immittitur, quæ ex prima materia (opinor) aut elementis ſibi proprium fabricet corpus, & colores reliquaque accidentia producat. 4. Inde ſequitur NATVRA, tanquam ab illis, quæ tamen omnium accidentium, & ſubſtantiæ habent facultatem, ita vt non opus ſit vllam aliam cauſam comminiſci, diſtincta. Hæc iam eſt iſte ignis Hippocratis. Verum hoc vt probetur, non verbula quædam conſectari oportet, omiſſiſq; propriis argumentis ea colligere, quæ videntur ad præconceptam opinionem facere; ſed totus Hipp. contextus & inſtitutum, ſententiaque perpetua eſt inſpicienda.

Paracelſici verbula apud Hip. venantur reb. neglectis.

Par. clamor: mehr nach *&c. ſequendus eſt ſolus monarcha Paracelſus.*

falſo Hipp. exponitur Paracelſice. Neq; n. ille ſcabie Paracelſica potuit infectus eſſe, cũ longe prior fuerit.

1. Ante omnia negamus vlli Paracelſico de ſententiis Hippocratis credendum eſſe, quod *omnes ſint falſi interpretes*, & per vim trahant ad ſua commenta, quæ Hipp. longe alio ſenſu, qui *Galeno, Ariſtoteli, Platoni*, vicinioribuſq; notior fuit, quam fatuis Paracelſiſtis, ſcripta reliquit. Id probatur *Petri Seuerini Dani* corruptelis. Cum enim Hipp. velit φύσιας εἶναι τῶν νούσων ἰητρούς intelligens eas, quarum miniſtri & conſeruatores ſunt Medici, qui certe non ſanant remedia, ſed homines de ſana conſtitutione deiectos morbo, ipſe interpretatur *de medicinarum proprietatibus occultis, ſeu eſſentiis nomine principiorum proditis, & morbos* intelligit *elementales, & ſemine interno productos*, quos alii vocant *aſtrales*: omnino contra *Galenum* explicat, quaſi ſtultitia Paracelſica eſſet præferenda ſapienti & rationali *Galeni* experientiæ & induſtriæ. Ita corrumpunt omnes *librum de veteri medicina*, quaſi in eo *Paracelſica principia eſſent nomine poteſtatum & ſaporum indicata*: vbi tamen *Seuerinus* ait, *puram balſami naturam expoſitam non eſſe*, cuius contrarium alii dicunt. De *innato calido Hippocratis* ſcribit id toto genere à qualitatibus elementorum diſſidere, & beneficio eius omnes facultates etiam diuerſiſſimas locis temporibuſq; conſentaneis abſolui, criſes, & omnium morborum concoctiones ſalutares iudicio *Hippocratis* ab eodem proficiſci. Si hoc verum eſt, tibi *Hartmane* contradicit. Tu enim iſta puncto primateriali aſſcribis. Dum autem hoc calidum *Seuerinus* vocat *balſamum animale*, ſeipſum conuellit, ſcribentem quod *Hipp* illud balſamum non explicauerit, & ſane quæ de ſpirituali, ſeu aſtrali, & animali balſamo delirat *Danus, Hippocrates* non habet. Mentitur etiam *Hippocratem*, ſi præuidiſſet eos, quos *errores elementorum concretorum* appellitat, occaſione in medicam facultatem introductos poſtea, repudiaturum millies fuiſſe appellationes calidi frig. hum. ſicci. Hoc enim quî poteſt eſſe verum cum Hipp. *ratione, ſenſu, & experientia* priſca ea didicerit, & poſteri vſque ad pridianum *Paracelſum*, quin & hodie omnes Hippocratici non abiiciant? Cogitur confiteri ille Danus, *Hippocratem* poſuiſſe iſta, & non ſolum hoc, ſed & oppoſuiſſe erroribus aliorum res ipſa conuincit. Quæ *Hippocr.* ſcribit de non naſcentibus & pereuntibus legitimo ſenſu, *ea Danus corrumpit, ita, vt ſtatuat ex abyſſo, orco, nocte, &c. ſemina naſcentium prodire, & abſolutis periodis ad eandem abyſſum, orcum, noctem reuerti*, id quod tamen Hipp. in vulgo reprehendit, eſtque per ſe falſum, fictumq;, & caret demonſtratione: nec opus eſt refutatione. Idem enim Danus mox *ſemina ab aſtris genita* eſſe dicit, cum hiſtoria creationis mineralia, & plantas aſtris priora eſſe affirmet. Aliter c. 8. vbi citat 1. *Hippocr. de diæta, formas in ſemine vigere, non extrinſecus accedere*, eſſe αὐτοφυῶς, quaſi hoc *Hippocrates* iſto in loco diceret. Si obiicis, Hipp. ex aqua & igni hominem in illo libro conſtituere, alibi ex calido frig. hum. ſicco; reſpondet, Hippocratem nominaſſe quidem illa quatuor, ſed vbique *ſemina adiunxiſſe.*

Innatum calidum.

Seuerini & Hart diſſenſio. Quæ n. ille aſſcribit calido inſito ſeu igni naturæ, hæc hic primateriali puncto, à natura igni ſeiuncto. cap. 5. & 8.

Vid. c. 6. Idea

Obiectio.

Friuola Hip. expoſitio de 4. elementariis.

Nam cum ait, *Nihil fit noui*, vult intelligere ſemina in elementis, (ergo elementa ſunt nox, orcus, abyſſus) quomodocunque poſitis, & appellatis latuiſſe. Ridicule. At inquam, *Hippocrates* & ſemina & animalia *ex varia miſtione ignis & aquæ* in eodem loco *oriri tradit.*

Ecce tales interpretes *Hippocratis* eſtis, nimirum audaces, impudentes, & temerarii. Si dicis: & euidens eſt Hippocrat. dicere, *corpora humana conſtare ex frig. cal. hum. ſicco?* reſpondet, non intelligi *elementa abſoluta*, communia, ſimplicia, ſed hominem eſſe ex *ex tali calido, tali frigido, hum. ſicco, & tali ſanguine, qualia ſunt ſemina, quæ elementa, vel materiam talem effecerunt.*

Hippocratẽ à Galeno nõ eſſe intellectum.

At talis interpretatio delirat, erratq; toto *Hippocrate*, qui ex elementis facit etiam ſemina. Si hæc in ſulphure, ſale, mercurio, ſunt talibus, neceſſe eſt etiam hæc tria ex elementorum contemperatione naſci. Ita agit in dicto Hipp. *Ex vno omnia, &c.* Vult loca *Hippocratis* diligenti (Paracelſico) mentis iudicio collata, & artificioſa analyſi actionibus naturæ, & medicinæ (ſecundum opinionem Paracelſiæ) adaptata, ſublata obſcuritate iudicare, *Galenum non intellexiſſe fundamenta*

fundamenta medicinæ Hippocraticæ, aut impie immutasse: quasi verò *Danus Hippocratem* Græcum melius *Galeno* Græco posset intelligere, aut sensus priscorum petendi essent ex nostris opinionibus, non ex literali scriptura, & linguæ consuetudine.

Tertia sectio Aphorismorum Hipp. agit de morbis, qui solent certis temporum constitutionibus, & anni partibus in Græcia euenire. *Mutationes temporum*, inquit senex, *maxime pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes frigoris aut caloris, & reliqua iuxta rationem. Naturarum enim aliæ ad æstatem, aliæ ad hyemem bene aut male se habent: & morborum alii ad alia tempora: & ætates quædam ad tempora, regiones, victus, &c.* Omnino caussas expresse nominat qualitates temporum, ventos, constantiam, inconstantiam, seu mutationes contra naturam, pluuias, squallores, consensum cum humoribus corporum &c. *Seuerinus* eas caussas repudiat cap. 8. Ideæ, nec vult admittere *humores illos imaginarios*, quos tamen Hipp. ibi cum qualitatibus proponit. Ascendit ad *sydera, & inde semina petit*, quæ defluentia cum seminibus internis conspirent, & morbos pariant. Id sane possit populares morbos excitare, & suum locum in Epidemiis habere, quanquam dictio non sit consentanea sensibus Hippocraticis: At in tertio Aphorismorum alienissimum est, & vim facit autoris tam literæ, quam sententiæ. Aliud cap. 10. resumitur *Liber de diæta* primus, vbi Hipp. loquitur de Anima, quod habens maiora, & minora circumambulet suas partes, augmento & decremento earum opus habens, & singulis sua loca determinans. *Irrepere enim in hominem dicitur ignis & aquæ temperamentum habens*, μοίρην σώματος ἀνθρώπου, &c. Hic quæritur quid sit *anima*. Danus vult esse *principium vitale, radicalem tincturam, mechanicum spiritum, in quibus scientia, potestas, & vita vigeat*: Idem esse τὸ θερμὸν, καὶ πῦρ: In anima esse *principium corporis organici, ab anima fluere corpus: animæ virtute elementa, & principia moueri, & augeri, & ex spiritualibus mutari in corporea.* Quæ *Hippocrates* vocat *partes corporis*, ea Danus appellat *principia*, elementa vero, quæ fiant nutrimenta partium, vocat TOTA. Cum dicit Hipp. *anima hominis in homine augetur, in alio vero nullo*, Danus explicat, spiritus mechanicos, semen, materiam primam in homine non in alio animali augeri. Anima dicitur habere μοίρην corporis humani. Quid hoc? Danus respondet: *Principium, scientia, prædestinatio, fatum, rudimentum*: Aliorum interpretamenta vocat *cruda*, &c. partes habere putat in *semine*, h.e. *scientiis, mechanicisque spiritibus humani seminis* subiici: negat ideo nos habere partes, quod ex elementis constemus, iisque nutriamur, &c. Cum dicitur, hominis natura aliud protrudit, aliud trahit, dat, accipit, &c. Naturæ imaginationem & scientiam, sine quibus illa nequeant fieri, asscribit. Cum Hipp. dixit, γίνεσθαι μίξιν, (generare est permisceri, corrumpi est διακρίνεσθαι, disgregari, dissolui) Danus ait, *ioco ista dicta esse.* Num ergo & iocatus est Hermes in Pimandro, cum dixit: *Non moritur in mundo quicquam, sed composita corpora dissoluuntur.* Dissolutio non est mors, sed quædam resolutio mistionis. Vnio soluitur, non vt intereant, sed vt vetera iuuenescant. Generatio est vitæ creatio, (manifestatio) mors est occultatio. Ergo cuncta immortalia, &c. Quid sensit Hipp. de humoribus? Eos enim multis in locis præsertim in lib. de genitura & natura hominis, deque morbis asseruit: Respondet *humores ex alimẽtis & terra* lib. 4. *de morbis deduxisse, non adhibuisse animum ad elementa*, vel nudas qualitates, sed innumeris proprietatibus, quas conatus sit ad certa genera reuocare: sic & in libr. de humana natura, & veteri medicina. Multa enim semina iisdem proprietatibus insignita in humoribus similibus, tanquam matricibus, & agris consentaneis fundari, quæ semina & proprietates, vbi ad maturitatem peruenerint, fructus proferant tali humorum signatura vestitos: quasi Hipp. humores quidem nominauerit, sed intellexerit in illis latentia semina *Paracelsi*: quæ est mirifica interpretandi ratio. Si ita exponi debet *Hippocrates*, cur non & *Galenus*, & *Auicenna*, aut cur horum sententiæ reprehenduntur, Hippocraticæ laudantur, cum tamen sint eædem? Quoniam ergo Paracelsistæ tam perfide tractant *Hippocratem*, neque tuus, *Hartmane*, Hermes est audiendus, nec alius iudicandus, quam corruptor doctrinæ Hippocraticæ. II. Sed argumenta contra teipsum proferam ex *Hippocrate*. Agere Hipp. in lib. I. de diæta, de generatione hominum animalium, indeque extruere de nutritione, seu diæta humana disciplinam, negari non potest. Si conuenit cum tui *Hermetis* doctrina, debet ponere primo *informem massam*; deinde imponere *punctum primateriale*, cuius vi omnes actiones procedant: tertio, *adiungere formam* sibi suum corpus fabricantem; quarto *ignem adhibere viuum*, qui faciat res cunctas germinare, &c. Atqui de hoc processu nihil legimus apud *Hippocratem*.

Non ergo conuenit cum tui Hermetis doctrina. Assumtum probo. Aut enim de prima omnium hominis origine loquitur, aut de generatione post primum exortum. De illa habes in libello de carnibus. Hic.n. *chaos Platonicum*, ex quo quod *calidum* est, (vnde animas ducit) plurima parte ad superiora cõcesserit, vbi *æther* dicatur: terra frigida, sicca, multisq; motionib. obnoxia in imo mãserit, sed non sine multa caliditate: inter ætherem & terram aer calidus & humidus constiterit; aqua humidissima & crassissima proximum terræ locum occupauerit: in terra porro temporis progressu per calorem arefacta putredines vult extitisse veluti tuniculas, vnde membra animalium sint enata, &c. Hæc illa ratio est, quam *Aristoteles* explicat in 3. de gen. an. c. II. Nihil hîc vides quam chaos, idq; non tui *Hermetis*, sed *Democriti* potius & *Timæi Locrensis*; ex chao quatuor partes mundi exortas agnoscis, ex quib. calore agente, putredinesq; excitante enata sint animalia. Si ignis ille tuus viuus esset idem cum Hippocratico hoc, deberet spontanea animalia producere, & pars ætheris in imo relicti esse. Idem deberet in informi: & nondum separata massa formæ, quam ei iungis, assistere, & vnà fabricare, germinaque producere. At istorum nihil dicit Hipp. nec puto tuum *Hermetem* de hac generatione loqui, nisi velit principiis sacræ veritatis obloqui, aut cum *Cæsalpino* hominis ortum æquiuocum defendere. De generatione vero quid senserit, habes in lib. de natura humana, vbi corpus hominis non ex chao tuo constituit, sed ex *sanguine* (vt & Paulus Actorum decimoseptimo) *pituita, bile flaua, & nigra*: idque probat *recepto more sapientum, communi sententia, & naturæ,*

Euidentes caussæ morborum apud Hipp.

Anima Hippocratis

Quid anima

μοίρη corporis humani.

Natura scit, & imaginatur.

Argumenta Hippocratica contra Hartmanũ.

Calidum Hippocratis

Animalium ortus Hippocraticus.

Corpus Hippocraticum ex IV. humoribus.

natura, semen, vt ibi videre est. In lib. de genitura *semen, principium hominis*, ex iisdem humoribus, quorum potentia est in ipso, decidit, & quo modo ex ea nascatur, declarat, vt & in lib. de natura pueri. Nihil dicit de informi massa, in qua prima materia, origo omnium actionum existat, nihil de anima sibi formante corpus ex materia, &c. Calorem, locum, semen, & postea nutrimentum proponit, omnia vti naturaliter esse inueniuntur. Si tuus *Hermes* voluisset de generatione hominis commentari, monstrasset in Sancto Sanctorum DEVM, *qui omnipotentia, omniscientia, prouidentiaque sua vniuersum hominum genus ex vnius sanguine, qui in suis vasis perfectiue* coctus in semen abierit, *fabricet*: non dixisset de forma interiore, quæ admirabili scientia sua sibi corpus architectetur: materiam primam illud semen dixisset, in quo monstrasset principia illa, nempe humidum primigenium, spiritum, & calorem, quorum complexio vocatur *natura hominis*, quæ nulla sui scientia operatur, sed *sponte sic mouetur, & moueri apta est principio motus accepto à generante, &c.* ad similitudinem gignentis continuato, nisi quid impediat. Materiam illam interim augescere dixisset affluxu essentiæ commodæ ex matris vtero, foris calore circumstante, & interiores vires custodiente. Sic tandem docuisset diuina prouidentia nasci homines per media naturalia. Non viuum calorem, sed tamen calorem docuisset rei nascenti insitum esse, nisi fortasse metaphorice loqui, & viuum pro vegeto, vitali, ζωτικῷ, & motiuo ponere voluisset. Facile etiam ibi inuenisset principia analoga elemento stellarum, quæ sunt facultatum, & actionum in singulis præside anima, & instrumentis generalibus speciales potentias exuscitante, fundamenta: animã in illo Sancto Sanctorum potuisset quidẽ seorsim fingere, sed re vera ante corpus non esse ostendisset, & licet in morte separetur, tamen id non per se, & secundum naturam fieri, verum ex accidente propter peccatum & pœnam constitutam monuisset. Ita *Hippocratem* & declarasset ex *Aristotele*, sacrisq; literis, & seu correxisset, & seu suppleſſet eius defectus. III. Sed ad locum præsentem accedamus, & his argumentis contra opinionem tui *Hermetis* agamus.

Contra Thetnophychitas.

1. *Si ignis tui Hermetis est idem cum igne Hipp. in principio libr. I. de diæta, est particularis tantum, & non vniuersalis.* Ratio est: quia Hipp. tantum, de eo igne agit, quo fiunt corpora animalium, quem, vt est in lib. de carnibus, possumus æthereum dicere. At Hermetis ignis non est particularis, quia in vniuersum de omnium corporum principiis agit *Hermes*.

2. Eodem modo: *Si ille ignis Hermeticus est natura vniuersalis, formæ vniuersali coniuncta in prima materia, inclusa chao elementari, non potest esse ignis Hippocratis, nec natura eius.* Plura enim ad naturam hominis trahentem, protrudentem, dantem, accipientem, & alia agentem pertinent, quam ignis, seu calor, estque illa natura animalium tantum, maximeque hominis, & non vniuersalis.

3. *Si ignis Hermetis est Hippocraticus, est calidus siccus, & potest contemperationem ab aqua frigida humida accipere*, cumque ea in vnum mistum corpus coalescere, vt tota constitutio corporis animalium sit ex *frig. cal. hum. sicco*, quod nunquam concedet *Hermes* Hartmanianus. Nam id esset nimis *Galenascere, & ambulonem elementarium* agere.

4. *Ignis cum aqua per se sunt sufficientia ad omnia, inquit Hippocrates*: At non *Hermes*, qui rudem massam, punctum primateriale, formam fabricantem, & alia insuper requirit.

5. *Si idem esset ignis, omnia per omnia mouere posset*: At Hermeticus non potest. Non enim potest fabricare corpus, sed formæ id officium est; non potest actiones producere, quia id primateriali puncto datur; & quid de principiis dicendum?

6. *Ignis Hipp. producit semina, & species animalium cum aqua coniunctus.* At id non facit ignis Hermeticus. Nam semina Hermetis *ex orco* veniunt, & in eundem redeunt, vt & *Seuerinus* voluit.

7. *Ignem illum oporteret semper alterari, & nunquam in eodem cum aqua consistere.* Sic ergo esset corruptibilis, vtpote mistione, & misti resolutione semper varius. Talis ignis non competit sancto sanctorum.

8. *Ex eodem igni & aqua contemperata essent causa ingredientia in hominem.* At Hermeticus ignis temperationem istam non admittit. *Eadem quoque ingressa oberrant veluti ignota*, & inter vagandum forte fortuna sibi familiaria interuenirent, quod *Hermes* non concesserit.

9. *Ignis ille cum aqua temperatus etiam animam hominis conficeret*, nisi velis declarare *Hippocratis* dictionem de potentia temperandi, qui tamen *calido asscribit intelligentiam*, ementem, sicut & in præsente loco animæ in media calidi periodo, seu calore, & spiritu vitali cordis residenti. Sed non opus est pluribus, satis patet dissensus ignis Hermetici, qui naturæ germinantis, quod est, vegetantis, nomine proponitur, & Hippocratici, qui non tantum pars constitutiua est, sed & in tribus principalibus membris, potissimum corde vigens omnes actiones sub animæ, cuius proximum est quasi subiectum, & vinculum vtramque partem essentialem mediante spiritu, & humido radicali iungens, præsidio procurat, & potentias speciales ad nutum animæ, aut naturæ necessitatem actuat. Nunc reliqua Hermetica videamus.

Calidum Hippocratis est intelligẽs. Ergo est forma & alia sciendi vi prædita apud Seuerinum, scilicet.

Ignis ille viuus, seu natura, ignis natura &c. vocatur *Orphei* πεπρωμένη. Hic primum te admoneo, *Hartmanne*, vt tuum Hermetem πιφαύσκων aure corripias, iubeasque cogitare id, quod Psalm. 94. v. 10. habet, Deus docet homines scientiam: hominum autem cogitationes scit vanas esse, quod & in Ier. I. c. 10. dicit, *Leges populorum vanæ sunt.* Etiamsi ergo *Orpheus* tale quid dixisset, tamen vanum esse præsumtio est.

An ignis natura viuus sit πεπρωμένη Orphei.

2. Quî tu, ô *Trismegiste*, nosti, quid *Orpheus* dixerit, aut senserit, cum te sit posterior fere trecentis annis? Fors tu in corpus eius irrepsisti ex sententia *Pythagoræ*, gnarus omnium præteritorum, & futurorum, & præsentium. Sed Christiana Theologia redarguit.

3. Si idem est ignis *Hippocratis* in lib. I. de diæta, qui tuus, & hic est πεπρωμένη Orphei, fatum, seu

seu fatale decretum erit pars corporum mistorum, & qualitatibus calidum siccum. An non insanis? An tu in fictitio tuo sancto (impio) sanctorum (impiorum) circumambulas? cur non recordaris *Hippocratis*, qui in citato loco πεπρωμένην nominat? Ita enim ait: αὐτοῖσι πάντα γίνεται δι' ἀνάγκην θείην, καὶ ἃ βούλονται, καὶ ἃ μὴ βούλονται. φοιτεόντων δ' ἐκείνων ὧδε τῇ δὲ κἀκεῖσε, συμμισγομένων πρὸς ἄλληλα τὴν πεπρωμένην μοίρην ἕκαστον ἐκπληροῖ, &c. Item paulo post: ***Circa ventrem est aquæ frigidæ & humidæ congregatio, transitus spiritus frigidi, & calidi ad terræ imitationem, omnia quæ in ipsam incidunt alterantis, & alia quidem consumens, alia vero augens aquæ tenuis ac ignis dispersionem fecit, insuperque*** περὶ οὐκ ἀφανέος καὶ φανεροῦ ἀπὸ τοῦ ξυνεστηκότος ἀπόκρισιν ἐν ᾧ φερόμενα πάντα ἐς τὸ φανερὸν ἀφικνέεται ἕκαστα μοίρῃ πεπρωμένῃ, &c. Ex quibus patet aliud esse ignem *Hippocratis*, aliud fatale decretum, cumque dicat naturam omnes Deos exornasse, non posse πεπρωμένην cum natura confundi.

Hippocratis fatum.

4. *Orpheus* in Argonauticis eodem modo vsurpat verbum, vt, cum de *Hercule* scribit, fato non licuisse ipsi *phasin* accedere, ait: μολεῖν οἱ ἦν πέπρωτο, non decretum erat fatis, vt iret, &c. & de *Macrobiorum* ex vita seculari decessu dicit? αὐτὰρ ἐπεὶ μηνὸς τὸ πεπρωμένον ἐξανύσωσιν ὕπνῳ ὑπὸ γλυκερῷ θανάτου μοῖραν ἔχουσι τελευτήν. Quiduis potius dixeris, hîc significari quam ignem tuum naturæ. Autor libri de mundo apud *Aristotelem* variis nominibus appellari Deum tradit, arbitraturque etiam ἀνάγκην οὐκ ἄλλο λέγεσθαι πλὴν τοῦτον οἱονεὶ ἀκίνητον οὐσίαν ὄντα. *Item:* εἱμαρμένην διὰ τὸ εἴρειν τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως à serie rerum confecta, inoffenseque præcedente; Latini fatum dicunt: & πεπρωμένην διὰ τὸ πεπεράνθαι πάντα, quod ab eo omnia sint terminata, &c. μοῖραν quoque vult dici, quæ vox fatum, vel parcam signat, cui gentiles etiam summum suum Deum *Iouem* subiecerunt, vt est apud Cic. in 2. de diuin. qui & *fatum* appellat, quod Græcis est εἱμαρμένη, hoc est, ***ordinem, seriemq́ue causarum cum causa causam ex se gignat, quæ sit ex omni æternitate fluens veritas sempiterna, seu Physice causa æterna rerum, cur & ea quæ præterierunt, facta sint, & quæ instant, fiant, vt quæ sequuntur, futura sint, &c.*** Omnino Deus tandem sit id, quod natura appellatur, quod sensit & Plinius. Vide Asclepeium Hermetis cap. 8. vbi fortuna & fatum sunt στοιχάρχαι sphærarum VII. Planetariarum; & cap 14. vbi de fato, necessitate (quæ aut Deus summus sit, aut Deus secundus, aut disciplina omnium diuinis legibus firmata) & ordine qui sequitur parens, &c. In carminibus orphicis, qui citantur in lib. de mundo, Deus, seu ζεὺς vocatur etiam ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή. Id autem *Orpheus* in peregrinationibus suis in *Ægyptum* cognouisse videtur, si verum est, quod tuus *Hermes* dicit, ***Ignem naturæ viuum esse naturam ipsam.*** Mirum, cur non ***Vestam & Orimasdam*** Persarum Deum adiecerit: imo mirum te Christianæ professionis hominem polluta ista, & impia, æterna nocte digna, quasi rem magnam, & profundæ sapientiæ plenam in lucem protrahere. Ecquid præterea est ***Natura tua, & ignis naturæ viuus, & leo viridis? &c. Prædestinatio Paracelsi.*** O autorem dignum. Nimirum eadem vox in ***Seuerini*** quoque Idæa crebra est, & ita vsurpatur, vt à fato Ciceronis non videatur aliena, quasi sit ***fatale decretum de re vnaquaque, seu præfinitio & determinatio per seriem infallibilium caussarum, quando, quid, & ad quid tandem euadere debeat.*** Tuus autem ***Hermes*** quando vnquam legit ***Paracelsum***, aut qua magia cognouit fore aliquando id monstrum, & omnes scientias diuinas, humanasque turbaturum? In lib. de pestilitate tract. 1. Tomo 3. legitur, ***prædestinationem esse prouidentiam quandam, & voluntatem Dei ordinantis, vt ex talibus tale fiat***, vt vana Gyrina ex tali sale, sulphure & mercurio, cui prædestinationi nemo possit resistere, vt in defensionibus ait. In lib. de morbis tartareis Tom. 2. scribit: ***Potentia prædestinationis Tartarum ex suo liquido separari.*** Id enim à prouidentia destinatum esse, vt quoduis subiectum ex sua prima materia in vltimam perueniat, & spiritui illi prædestinationis datas esse vires, coagulationis, &c. vt appareat ***esse ordinationem quandam diuinæ prouidentiæ, quomodo vnumquodque fieri debeat, & qua forma nasci.*** Sic fere & in Paramiro tract. 3. cap. 6. ***nihil differt à Dei prouida rerum digestione, qua vnumquodque sic se gerit, vt à Deo est prædefinitum.*** Vide iam, an idem sint Natura, Leo viridis, Ignis sapientiæ, Ignis naturæ viuus, fatum orphei, &c. Tua phantasia omnia in vnum chaos confundit. Si rem spectes, ordinatio, prouidentia, & voluntas Dei prima caussa est: Natura est creata quædam, & insita rebus potentia, cuius vi, Deo prouehente, vnaquæque nascitur, ex potentia in actum prodit, & naturaliter se gerit. ***Ignis naturæ vegetus***, seu calor insitus potest quidem natura dici, si modificate loqui velis: re vera est instrumentum quoddam, quo vtitur ad motus materiæ, & actiones natura, sicut & ***Hippocrates*** in loco citato ***motiuum principium***, quod naturæ formæ attribuere solemus, esse indicabat.

Orphei fatū.

Fatū Aristo.

Prædestinatio Paracelsi.

Contra formam formatē Hartmā.

Estne etiam aliud quid? Addit tuus Hermes, esse ἔμβιον τῆς φύσεως ***Theophrasti.*** Sed ego non credo, Hermetem vnquam sciuisse, num aliquis ***Theophrastus*** in rerum natura esset futurus. Itaque tibi eum autorem in hagiasterio monstrare non potuit, nisi forte fuit cum ***Anchise*** in campo ***Elysio***, ibique secreta parcarum inspexit. Est & ridiculum, ***pro eodem ponere naturam, & id quod in natura est vegetum, vitale, & viuum.*** Discernit enim ipsa locutio naturam à caloris natiui facultate, & indicat seu adiunctam quandam naturæ rationem, seu ministrantem caussam. Sic natura hominis anima rationali, & corpore determinato constans calorem, & spiritum habet ad facultates ministrantem. Potentia vegetatiua cum calore, & spiritu naturali est, non est ipse calor & spiritus. Verum perge. Est ***Lumen naturæ.*** Mira quoque hæc sapientia tui ***Hermetis*** est. ***Si est lumen naturæ, non est natura ipsa.*** Ignis quidem lucidus est, & potest lux aliqua dici. lumen non nisi catachresi est. Est enim ***lumen forma illa, quæ à lucido corpore in medio perspicuo propagatur, quæ efficit, vt quæ potentia erant visibilia, iam sunt actu.*** Natura sic lux foret. Ab ea quod illuminatur, lumen accipit. Ita intellectus noster res lumine quodam afficit, vt manifesto appareant. Ita & ***Paulus*** ait Ephes. 5.13. ***Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur, lumen est.*** Intellectus verorum lux est. Inde emanat lumen declarans, illustrans, illuminansque rem ipsi subiectam. ***Christus lux est.*** Sunt ***& luces Apostoli.*** Hinc lumen accipiunt & claritatem doctrinæ, & homines doctrinam acceptantes, qui postea in lumine ambulare dicuntur, quandiu veritati cognitæ adhærent. Id est

ἔμβιον τῆς φύσεως.

Lumen naturæ.

Matt. 5.14.
Ioh. 8.12.
Ioh. 12. 35.
Es. 60.3.

L 4 ***lumen***

Lumen Spiritus ſancti in ſcripturis. *Lumen naturæ eſt, quo res naturales ex luce naturali innoteſcunt*, vt cum Deum ex operibus naturalibus cognoſcimus. Lux illa naturalis ignis poteſt dici. At quantum diſtat is ignis intelligentiæ ab vniuerſali natura, vel etiam particulari vegetante, qua res naſcuntur? Quantum à naturæ inſtrumento calore? Sed Paracelſiſtarum cerebro deminutorum, & in chao tenebroſo verſantium eſt, ſcientiam admirabilem affingere naturæ formæ, vt cubans in ſua materia ſciat, quam & qualem ſibi debeat fabricare ex ea habitationem. *Crollius* tamen quanquam de lumine naturæ mirifice ſæpeque diſſerat, & velit *Medicum ſuum* non fieri debere per magiſtros vocales, vel mutos, ſeu diſciplinam ordinariam, ſed *per lumen gratiæ & naturæ*, tamen non poteſt certo dicere, quid ſit id, quod *Naturæ lumen* vocat. Et eſt certe illud in homine pſychico per peccatum labefactato adeo tenue, & varium, vt, niſi lumine ſpiritus illuminetur, veritatem non aſſequatur, aut ſaltem exilem eius vmbram, quod indicant quærelæ, & tot certamina in vniuerſa Philoſophia etiamnum hodie. Omnino laborabit tuus Hermes, vt probet naturam, ignem naturæ, lumen naturæ, calorem naturalem &c. eſſe idem. Aliud: *Eſt ſpiritus æthereus in corpore plusquam glorificato exiſtens*. Mirum vero. Quodnam eſt quæſo illud *corpus plusquam glorificatum*? Gloriam ſuam habere quodque corpus per ſe ex creatoris beneficentia non inuiti largimur. Ita enim 1. Cor. 15.40. ſcriptũ eſt: *Sunt corpora cœleſtia & terreſtria: ſed alia cœleſtium gloria, alia terreſtrium, & in ſingulis differentes claritates.*

Crollius in natura lumine cæcus.

Eccl. 8. v. 17

Spiritus æthereus.

At cum natura hæc vanitati ſubiecta ſit, expectetque reuelationem filiorum Dei, vt & ipſa liberetur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, non poſſum videre illud plus quam glorificatum corpus, ſiue cœlum intuear oculis intellectus, ſiue inferiorem globum. Idem & opera naturæ teſtantur. Sed *Hermeti* ſupernaturaliter illuminato id concedendum eſt. Vidit enim intra Deum iſtam gloriam. *Spiritus æthereus quid? Crollius* prolixe de eo diſputat, fingitque *ad ſaliuam Paracelſi hominem habere duo corpora*, vnum craſſum & elementare; alterum aſtrale, quod ſit ſpiritus ſydereus, ſeu ætherius, quo *ex aſtris homo attrahat omnes artes, ſcientiam, ſapientiam.* Hic ne eſt illa natura tui *Hermetis*? An eſt anima & ſpiritus mundi? Dicam quod videtur: *Eſt ambitioſum ſine re nomen.* Natura vtitur ſpiritu quodam tanquam organo in rebus gignendis. Ipſa per ſe eſt *principium motus ſecundum Dei prouidentiam determinati. Ariſtoteles* modeſtior eſt *Hermete* in 2. Gen. an. c. 3. *Omnis animæ*, inquit, *ſiue virtus ſiue potentia corpus aliud participare videtur, idq́; magis diuinum, quam ea elementa appellantur. Verum prout nobilitate ignobilitateue animæ inter ſe differunt, etiam natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium quod facit vt fœcunda ſint ſemina, videlicet quod* CALOR *vocatur*, idque NON IGNIS, non talis facultas aliqua eſt, ſed SPIRITVS, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & NATVRA, quæ in eo ſpiritu eſt, *proportione reſpondens elemento ſtellarum, &c.* Eum calorem poſtea ſoli, animalibuſque tribuit, & addit in excrementis quoque eſſe principium vitale.

Hominis duo corpora.

Hoc oraculum ex veritatis penetrali tripode editum puta. Nam conſentit cum diuinis eloquiis, re ipſa, & Chymicorum operibus. Tuus Hermes in Vtopia vagatur, teque ducere vult in cœli dorſum, vbi Platonicæ Ideæ à corporibus ſegregatæ choreas agere finguntur. Ibi putas te contemplari naturam, ſed falleris. Neque enim eſt ſeparatum quid. Itaque ſpectanda eſt in rebus ipſis, quibus eam diuina prouidentia inſeuit. Ariſtotelico ſenſu calor, ſpiritus, & natura in eis cœleſti analogos, ſimul ſumta poſſunt pro natura in elementis, dum res naſcuntur, recubante accipi. Quod autem ad vniuerſalem naturam attinet, nos cum Theologis malumus eam relinquere cum Dei prouidentia, vti requirit etiam tua εἱμαρμένη, πεπρωμένη, prædeſtinatio, prouidentia, &c. quam ab ea ſeparare. Nam ita *Salomon* ille ſapientiæ regimen omnium Dei prouidentiæ aſſcribit, & *Paulus* ad Ebræos ſuſtentari omnia *verba virtutis Filij Dei* ſcribit, & in *Moſe* legimus, Deum ſingulis ſpeciebus indidiſſe quidem naturam propagatricem, & multiplicatricem, terræ quoque & aquis præcepiſſe vt producerent plantas & beſtias: ſed nihil dixiſſe de cœli, aeris, & reliquorum natura generali, ſpirituque & anima mundi, vti nec poſſe quicquam conſtat, vbi non ſunt ſeminariæ diſpoſitiones in rebus determinatis. Calorem temporis ſol præbet, qui tamen nihil aliud poteſt, quam potentiam naturæ in ſingulis recte compoſitis actuare. Ita & de luna, cumque aſtrologi tam aduerſa aſtrorum lumina faciant, qui poteſt illa generalis natura eſſe proficua naſcentibus? Veruntamen quia non omnia habemus explorata, permittimus vobis illam fingendi voluptatem, vt delectemini ſpiritu & anima mundi, ideis Platonicis, & aliis ſomniis. De te miror, quod opinatus ſis, te vel lixam ſaltem aut calorem inuenturum, cui perſuadere poſſes fatum, prædeſtinationem, & cætera eſſe ſpiritum æthereum in corpore plus quàm glorificato, cum ipſe per ſe ſit corpus quoddam, & duo corpora in vno indiuiduo homogeneo, niſi miſtione eſſe nequeant. Ita ſuauiter te titillas poſtea in ſancto meſaulo, pag. 29. vbi ſpiritum ſecretum æthereum in alios ſpiritus immittis, & eos in vertiginem agis. Iam *ignis eſt ille, qui cum Azoth ſufficit.* Miror iterum tui *Hermetis*, quem hiſtoriæ ſapientiſſimum prædicant, imprudentiam. De generali natura, quæ & prouidentia diuina, & prædeſtinatio, &c. inſtituit ſermonem: at dum vndiquaque terminos corradit, confundit vniuerſalia & particularia. An vero tu potius mirificus es, qui illi aſſcribis id, quod ſcire non potuit? Vnde ille didiciſſet *Azoth, quæ vox barbara eſt, & argentum viuum ſignificat*? Sed nec te ſcire, credo, quid ſibi velit illa ſententia. *Hippocrates* ſcripſit ignem calidum ſiccum, ætheręæ nimirum naturæ calidum, & aquam humorum poteſtate quatuor elementa comprehendentem actu frigidam & humidam, ſufficere ad corpora hominum, & beſtiarum conſtituenda per modum miſtionis, in qua inter ſe duo illa principia corporea alterantur, fitque ignis humidus, & aqua ſicca: verum talis miſtio in principio creationis inſtituta eſt: in ordinariorum generatione aliter ſe res habet. Agit etiam de animalium & hominis generatione tantum, non καθ' ὅλου de abſoluta omnium. Eſt quidem & hic calor

πρόνοια c. 14. v. 3.

Ignis & azoth.

& humi-

& humiditas, vel potius materia ſeminea humoris ſpeciem habens : ſed non commiſcentur tanquam elementa miſtilia.

Ignis enim internus, ſeu calor ab externo exuſcitatus eſt agens cauſſa cum ſpiritu coniuncto: humor, qui iam miſtura ſua conſtat, neque vllo neceſſariorum ad ſubſtantiam deficit, eſt paſſiuum ſubiectum; & hoc in magiſterio ſapientum quoque ſic ſe habet. Iam enim fermentum ſpeciale mercurius accepit, factaque ſolutione totum euaſit vna aqua materialis. *Fermentum eſt ſubiectum ſulphuris*, ſeu caloris inſiti tanquam in puncto centrali cubantis. Si iam ouo ſuo tota maſſa, quæ nihil aliud eſt, quam liquor mercurialis in actu ſuo, potentia ſuum ſemen, animam & ignem cum ſpiritu continens, vt tria iſta ſint ſimul in vno, *corpus* ſcilicet, *anima & ſpiritus*, concluſa ſit, inque matrice ſic iaceat, vt nulla pateat rimula, per quam ſe proripere calor & ſpiritus in actum vocatus poſſit, adhibetur *ignis ſapientiæ*, incipitq; internum ſulphur, ſeu ignis moueri, & mouere materiam totam radiis à centro vndiquaque diuiſis. *Spiritus animam complexus* fertur ad cœlum vaſis, cumque elabi non poſſit, è cœlo repercutitur, iterumque in inferiora redit, *& poteſtatem ſuperiorum & inferiorum complectitur*, donec abſolutis periodis abſolutum ſit magiſterium, & ratus ſit *filius ſapientū*. In hoc opere *ignis & aZoth* ſufficiunt: *Ignis duplex*, ſcilicet, *ſapientiæ externus, & naturæ internus*: *Azoth* autem non ſimplex aqua, aut mercurius, ſed *aqua compoſita, in cuius centro ignis potentia lateat*; & eſt tamen totum homogeneum.

Cœ]lo ſapientum. *Aſcendere ad cœlum, iterumque deſcendere.* *Filius ſapientum.* *Ignis duplex Azoth.*

Vide iam an Hippocratica ſufficientia ſtare poſſit cum ea, quam ſapientes in ſuo magiſterio proponunt. Mallem non confudiſſes ſic omnia, & vndiquaque vocabula mirifica corraſiſſes. Vnicum hoc dictum ad explicandam naturam generationis in mineralibus, vegetabilibus, & animalibus ſuffeciſſet, quin & ad declarationem aliquam licet non vndiquaque congruam mundanæ creationis, ſicut & *tabula Hermetis* habet, *Matricem* habuiſſes mundanum locum? *chaos creatum* (ita enim ponamus, quanquam Theologi paulo ſecus explicent) fuiſſet liquor ille, ſeu humor materialis. Spiritum & calorem centralem deberes medio includere puncto, vt inde vim ſuam extenderet in omnem circumferentiam. Sic enim conueniebat ſi naturaliter eſſet ortus. At hîc ſacræ ſcripturæ plus tribuendum eſt, quam noſtræ imaginationi. Finge tamen Verbum Dei & potentiam intus incepiſſe operationem ſuam. Sic aliqua erit ſimilitudo. Spiritus intus procedens vniuerſam aquæ molem fuiſſet complexus. Vnde lux, dies, nox, cœlum, & alia? Video difficultatem rei, ſi ab analogia fidei diſcedere nolumus. Ita ne ineptire videamur, *intellectum noſtrum redigamus in captiuitatem fidei.* De naturaliter autem naſcentibus ex ſemine ſato minus abſurda eſt analogia. Nam vt fit in magiſterio lapidis, ita ſeruata cuiuſq; ſingulari natura etiam in his, quæ ex ouo vel verme prodeunt, vel ex ſemine vniuoco, aut æquiuoco naſcuntur. In his quæ per inſitionem tranſplantantur, nihil fit tale. Nam iam nata ſtirps intelligitur, tantumque opus habere nutritione, & augmentatione in ſua arbore, cuius eſt factus adoptitius. In metallis item diſſimilis eſt ratio. Neque enim ſic naſcuntur vt in vtero fœtus, ſed materialis liquor conceptus eſt in minera ſua tanquam in matrice. Spiritus ſulphureus calidus, naturæ ſpecificæ vi delibutus, dum per mineram fertur, in diſpoſitam materiam incidit, receptuſque eum in metallum vertit, ſicut fit in proiectione artificioſa tincturæ albæ, vel rubræ. Vides opinor, non poſſe omnia de omnibus dici.

SECTIO XV.

Pars ſexta ſancti ſanctorum Hermetis Hartmaniani de ANIMA.

De Anima.

Ricardus Argentinus in lib. de Præſtigiis dæmonum refert, *Balaam filiis Iſrael fuiſſe Prophetam eo modo, quo Mercurius Triſmegiſtus apud Ægyptios, & Sibyllæ apud alias nationes: qui tametſi plæraque vera cecinerint, tamen idololatræ & dæmonum cultores fuerint, ſicut & Simon Magus aſſumto Iouis nomine cum ſua meretrice Selene. &c.* Tuus Hermes Hartmane, quid monſtri nobis obiicit? Tuos ſane oculos præſtigiis occupauit, vt videaris tibi videre *varia Deorum ſimulacra* & inſignia, *Aquilam Iouis*, (ſcortationes miniſtram in rapiendo Ganymede) *Iunonis pauonem*, (quæ fingitur oculos Argi in caudam translatas circumferre, & ſuperbe oſtentare) *Neptuni tridentem*, (ſymbolum trium partium terræ, quas ambit amphitrite) *vitulos, piſces, mumiam ſuſpenſam*: (fors furem à patibulo pendentem, aut Ægyptium cadauer,) ea omnia ſub communi titulo ANIMÆ proponis, quaſi anima eſſet *Silenus* quidam *Socratis* foris turpis, intus ſimulacris Deorum refertus. Satis doces Hermen tuum eſſe Deorum cultorem, & idololatram. Tune Chriſtianus ab hoc velis diſcere? Num tu iſta numina Deo abominabilia in ſanctum ſanctorum inferas? Quis eſt in Dei templo *Iupiter*, quis *Neptunus*, quæ *Iuno*? An non iſta nomina quæ Iſraeliticam gentem perdiderunt, cum Ægyptiaca & Chaldaica impietate? Tuus *Hermes* nouit *Orpheum, Paracelſum, Theophraſtum*, longe ſe poſteriores. Cur non attribuis ei *Moſis* notitiam, cui fertur fuiſſe coætaneus? Cur non vidiſti hîc *Abrahamum*, ibi *Iacobum*, ibi *Iſaacum*, alibi *Eliam, Enoch, Moſen, Chriſtum, Apoſtolos*? Magus es, Magiæ idololatricæ profeſſionem ex officio colis. Quid eſt *Mumia* illa fictitia, qua ſub imagine, ſeu idea laruata in ſtulto ſtultorum vidiſti? Eſt *Balſamina*. Hermes tuus non bene didicit analogiſmos. *Balſamus eſt ſuccus* plantæ, quem aiunt corpora à putredine conſeruare, & diu ſanitatem incolumem præſtare. Eſt adhuc in poſſeſſione Arabum & Sultanorum. At neq; hos, neq; alios poteſt ſaluos cuſtodire, quin & ipſe perit ſpiritu euaneſcente relicta reſina quadam pauca flamma combuſtili. *Anima non eſt ſuccus, non oleum, non ſpiritus corporeus.*

De diis Hermetis tribus, Deo, mũdo, & homine vide c. 6. Aſclepii: de aliis c. 8. vbi de Ioue, ſole, pãtomorpho, fato, fortuna in ſeptẽ ſphæris planetar. *Mumia.* *Balſamus.*

Quid

Quid quod anima ne tantum quidem poſſit quantum balſamus? Nam hic alienum corpus aliquo vſque tuetur, anima ne proprium quidem. Neque enim poteſt morbos per ſe vel arcere, vel depellere. Perge. ***Mumia data eſt corpori*** (porcis) ***pro ſale.*** Cur? ***ne putreſcat,*** inquis. Ha ha he. At ille ſal infantes à ſcabie putrida, morbillis, variolis, vermibus, & aliis non poteſt defendere, vti nec prouectos ætate à febribus putridis, vlceribus, & aliis multis.

Anima.

Animæ officium proprium & eſſentia eſt eſſe ſpiritum, & principium vitæ in corporibus animatis, cuius præſidio & gubernatione functiones vitales ſingularum partium vigeant. ***Anima eſt forma, actus & perfectio corporis animati, qua animatum,*** ſi quidem alteram partem eſſentialis compoſitionis ſignificat. Corpus ne putreſcat, defendere non poteſt, nec obſiſtere ſeu internis, ſeu externis iniuriis poſt peccatum. Tuus *Hermes* oblitus eſt eorum, quæ tribuebat primæ materiæ, & formæ interiori: nec cogitat ſibi infra de principiis Chymicis diſſerendum eſſe, vbi ***ſal, ſulphur, & Mercurius*** totam corporis œconomiam procurant, ſalutiſque & morborum ſunt ſequeſtri iuxta tuum *Paracelſum*, *Seuerinum*, *Crollium*, *Quercetanum*, & alios. Animula miſellula hoſpes eſt, comeſque corpuſculi dum poteſt. Cum morbis expellitur, migrat, vt verus colonus, nec in tuum hagiaſterium concedit, neque inde venit, ſed ſi bona & humana fuit, in ***ſinum Abrahæ***, quo tuo ***Hermeti*** in æternum non patet acceſſus, portatur. ſi humana quidem at mala, ***in infernum*** rapitur: ſi plantæ, vel beſtiæ, perit. Ecce tuus ſal, tuumque balſamum pauciſſima parte diuinum eſt.

Dic autem quæſo, quid intereſt inter ***Animam hanc tuam, & inter formam ſibi fabricantem corpus ſuum?*** Puto aliquid intereſſe, ſed te audire malo. Deinde an non deliras vel cum ***Socrate***, vel ***Pythagora***, ne dicam cum ***Paracelſo & Seuerino***, qui ***animas corporibus antiquiores*** faciunt, vt animal, vel animatum ſit, antequam eſt, ſed valeat ſal tuus fatuus. Dic aliud: ***Mumia balſamina ſuſpenſa***, (ita fingunt in purgatorio animas quaſdam ſuſpenſas eſſe, vt vulgus ſolet haleces) ***eſt arcana vis animæ.*** At putabam, animam ipſam eſſe.

Deſcriptiones fatuæ animæ Hartmanianæ.

Ita enim Margo volebat, quæ habet ANIMA. Iam eſt vis animæ. Dic quæ? ***Qua animata vegetantur, nutriuntur, augentur, gignunt***, ſi ſunt vegetabilia tantum: ſi & animalia beſtialia, etiam ***ſentiunt, appetunt, loco mouentur***: ſi homines inſuper ***intelligunt, ratiocinantur, loquuntur, rident, lacrymantur, diſciplinas capiunt***, & ſi quæ ſunt alia. Tune tam audax es, vt animæ facultates cum eſſentia confundas? Vide quam ſapiens ſis in tua ſchola præceptor. Audiamus plura: ***Mumia*** illa (in fumario) ſuſpenſa eſt ἐντελέχεια ***corporis organici.*** Belle. Iam Ariſtoteles placet, licet ante exploſus cum ſua inſaniente ſapientia. Recordor Muſici organi tui ***Drebelij.*** In id inuehis quandam ***intelligentiam***, quæ ludat fidibus ſuauiter. Hæc erit anima iſtius inſtrumenti. Dic, num eſt ***perfectio organici qua organicum***? Callidus es. Negantem tuum ***Hermen*** introduces. Dic Hermes, quid eſt anima? ***Idea eſt anima, cuius corpus eſt verbum.*** At vide, vt animam ſic definias, vt & animæ mundi conueniat definitio. ***Anima eſt quæ rebus motum præſtat, & animali dat ſuum eſſe.*** Quid anima hominis? ***Altera pars hominis ſimplex,*** ἀειώδης, ***diuinæ ſimilitudinis forma, quæ circumtegitur corpore coſmico, facta ex natura æterna à Deo.***

Anima Hermetis. Anima hominis.

Sed quid ſoliciti ſumus de anima Hermetis? Ipſe in cap.9. *Aſclepij* de *Ægypti* mutationibus vaticinatur, & inter alia dicit, ***Animam riſum & vanitatem putatum iri***, quod tam verum eſt de ſomniata Hermetis anima, quam verum fuit Nilum ſanguine ad ripas vſque erupturum, vt legere potes Exodi 7.v.19.20.

Anima mentis vigor.

Quid præterea eſt anima? ***Eſt vigor mentis diuerſis deorum nominibus inſignitus.*** O Hermes Hartmaniane cape Helleborum, antequam totus inſanias. Si de anima hominis ſermo ſit, (neque enim puto, te de beſtiarum & plantarum, vel etiam de Deo, Angelis & diabolis verba facere) ***Mens*** (νοῦς intellectus) ***& voluntas duæ facultates ſunt animæ ratiocinantis, & non eſſentia ipſa.*** Multo minus vigor mentis, qui eſt motio quædam agilis, & ἀγχίνοια, erit anima. Et ſi anima eſt entelechia corporis organici, qui poteſt eſſe vigor mentis? Num vigor mentis eſt perfectio, & actus corporis? Ecquid pudet te Profeſſorem Marburgicum? Quis autem eſt iſte, qui ***vigorem mentis diuerſis deorum nominibus iuſigniuit***, & qui ſunt iſti dii? An non illi Chaldæorum & Ægyptiorum *Saturnus*, *Iupiter*, *Mars*, *Sol, &c.* quorum vim Mathematici Matæologi in ſuis Genethliacis deprædicant, & induſtriam, vel fatuitatem, vtriſque mores ex eis in natos deriuant? vbi habitat iſte vigor mentis? An non in mente? Hæc enim eius ſubiectum. Cur non in anima? Neque enim anima & mentis vigor ſunt vnum & idem. ***Habitat***, inquis, ***in corpore.*** Loqueris vt politicus, vel œconomicus aliquis. ***Eſt formalis pars hominis conſtitutiua***, tuus Hermes reſponderet, de anima humana ſentiens. In quo vero corpore? PVRO ac DIVINO, non ***inquinato elementorum turbidis qualitatibus.*** Vah hominem Theologiæ peritũ? Quid tu ***Paule?*** ***Geſtamus theſaurum*** (qui maxime eſt animæ) ***in vaſis fictilibus***, 2.Cor.4.7. ***dum domi ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: externus noſter homo corrumpitur; Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?*** ***Caro & ſanguis non poſſunt regnum Dei hæreditare: oportet corruptibile induere incorruptionem. Primus homo de terra terrenus: qualis terrenus, tales terreni: Terra es***, inquit Deus, ***& in terram reuerteris. Puluis ſumus & vmbra: homo vermis & ſtercus***, &c. Ecce diuinum corpus, in quo tua habitat anima. Non iuuat te Crollianum ex Paracelſo figmentum ſeu mendacium de ***corpore ſydereo*** intra elementare. Nam & ipſum ſi eſt, terra, & vermis eſt. Deinde an tu elementare, non refers inter materialia hominis? Num tibi Deus mentitur, qui ex terræ puluere facto hominis corpori inſpirauit animam viuentem? Sed ridendus es cum tuo corpore. Anima ſcilicet cum euolabit, ſenectam ſerpentinam relinquet, & corpus diuinum vel in tartarum vel cœlum auehet. Vide Sap. cap.9. v.15. de terrena habitatione ſeu corpore, in quo anima habitat; ab eodem prægrauata. ***Anima non habitat***, inquis, ***in corpore inquinato turbidis qualitatibus.*** O te naſutum hominem, qui id potueris olfacere? Deum noſti? ***Iehouah*** eum appellabat tuus Hermes, (quanquam id nomen patribus ***Moſe*** antiquioribus

Hartmanus totus Ethniciſſa.

Duo corpora hominis [vnum ex ſale, ſulphure, & mercurio ſpiritualibus, & aſtralib. alterum ex terra & aqua damnatis.] Anima Hartmani delicatula.

quioribus non fuerit reuelatum, & *Hermes* Mosis scripta nunquam legerit) *Iehouah sunt omnia plena*, clamabat, sicut rusticus Virgilianus, *Iouis omnia plena* arbitrabatur, & dii etiam in Heraclyti casa, & ventre Silenorum habitent. Deus cœlum terramque implet, quin & vt Psalmus loquitur, in inferno adest, (Psalm.139.vers.8.) neque tamen polluitur sordibus rerum creatarum vanitati iam & maledicto propter peccatum subiectarum: & tua anima est adeo delicata? *Mundum anima donatis* Hermetici, Paracelsici, Platonici, & *omnia viuere* dicitis. Anima autem principium vitæ est. *Virgilius mentem* per totam molem mundi, omnesque artus diuidebat: *Plena animarum omnia*, *Aristoteles* esse volebat. Num omnia ista vsque adeo pura, & sine turbidis qualitatibus? Tua anima inter stercora habitabat in vtero materno. *Animas hominum Pythagorici mittebant in sues quoque*, intrudebant in tartarum, indeque reuocabant: Hippocrat. & Aristotel. cordi caloris media periodo instructo inserunt, indeque in omnem partem vim eius mittunt: alii dicunt, *totam in toto & omni eius parte esse*. Cur non & in elementis qualitatum? *Nunquam animam talem dextra hac*, inquiebat Turnus, *absiste moueri, amittes habitet tecum, & sit corpore in isto*. In Euangelio diuitis damnati anima, vt & omnium in infidelitate mortuorum, habitat in inferno, tandemque intrudentur omnes in lacum pice & sulphure ardentem. O pura & diuina loca, corporaque? *Pecudis animam in sanguine esse Deus pronunciat*; & sane is ex terris & aquis, non ex cœlo produxit plantas, & bestias, etiam vermes, quorum multi hodie nascuntur ex putridis, vt & muscæ, pulices, pediculi, vimices, mures, &c. in quibus omnibus anima habitat. Num extra elementa? Transi per omne genus animarum, & corporum, etiam ægrotantium propter sua mala sulphura, mercurios, sales, sanguines, spiritus fœtentes & alia. Nullam inuenies in mundo hoc, quæ impuritatibus corporum inquinetur, si pura sit: Sin autem impura, vt omnes humanæ post peccatum non expiatæ (quis enim mundum inueniat inter immundos, vt est in Hiobo?) non erunt in dissimili, si sint in inquinato. Iube ergo tuum Hermetem os suum impurum, & mendax comprimere, superbiamque illam qua suam animam mundam in corpore mundo putat esse, ponere: Noscat seipsum quomodo conceptus, natus & educatus sit, & aliter loqui discet.

Nota vero bonam consequentiam. Si anima habitat in sydereo hominis corpore, & non in elementari, homo tantum dimidia sui parte est animatus: altera dimidia est corpus brutum, insensatum, & inanime, quod per se immobile alterius violentia trahetur. Atqui hoc est falsum. Propriæ enim partes hominis omnes sunt animatæ. Ergo & illud.

Quod attinet ad elementa, si cœlum, aerem, aquam, terram; illa sensibilia Hermetica intelligis, cur eorum qualitates fastidis? An tua in te elementa non sunt qualia? At si qualia, an non animata? Facis propemodum, vt credendum sit, te nec frigidum, nec calidum, ni- nigrumue, aut album esse. Stulte homo, quod rei secundum naturam est, id eam non inquinat. Si elementa qualitates naturaliter habent, non possunt dici eis polluta. Quæ vero tibi sunt *turbidæ qualitates*? Num tibi licet quiduis fingere? Per naturam & per se igni, aeri, aquæ, terræ non insunt turbidæ, sed ordinatæ. In commistione contemperatæ sunt tuo *Hippocrati*, *Aristoteli*, *Galeno*, idque pulcerrima harmonia adeo vt si opera regularia naturæ spectes, *nihil nisi pulcrum* inuenias. Inordinatio ab accidente est, & præter naturam. *Elementorũ qualitates à Paracelsicis damnatæ.* *Aristot. in 1. de part. an. c.5.*

Cur Paracelsistæ non possunt ferre qualitates primas, quæ tamen sunt etiam in essentiis eorum, & elementis? *Damnantur propter Galenum, & scholas Aristotelis ipsis inuisas.* Atqui & *Hippocrates*, quem suum esse dicunt, qualitates in suo igni, & aqua habet. Quis etiã quæso est morbus, aut constitutio sana, in quib. illæ qualitates, si non primas tenet, at non absunt secundis, comitaturq; essentias? Quanta vis sit caloris, frigoris, & cæterarum qualitatum elementariũ totus medii mundi globus experitur, & Paracelsici sunt tam stupidi, vt eam non sentiant? Imo sentiunt, sed vt tantum Galenistis, & Aristotelicis repugnent, fateri nolunt. Sint homines sine qualitatibus, hoc est, monstra quædam, & ad cynosarges mittantur.

Quod est *corpus diuinum*, in quo habitat anima hermetica? *Hæ sunt* (inquit *Hermes* ille fastidiosus & delicatus, cuius anima tamen iam habitat in sede diabolorum, vtpote in idololatria sua mortui) TINCTVRÆ RADICALES. Scilicet noua vocabula sunt fingenda his, quibus antiqua sordent. *Astra, tinctura, semina, principia, &c.* in schola Paracelsica longe aliud sonant, quam gentium consensu. *Aristoteles* aliàs dixisset, *spiritum esse, & calorem, naturamq; in spiritu cognatam, analogamq; stellarum elemento seu ætheri*; sed propterea elementa non esse remota. Ita enim diuina arte omnia sunt commista, vt quod inde factum est corpus, vndiquaque sit homogeneum, cumque plura sint similaria, ita simul ac nascuntur, componuntur, vt totum per se sit pulcerrime conformatum, simulque innatæ vitales facultates pro natura cuiusque membri, anima per instrumenta generalia, calorem, & spiritus omnia gubernante, & à communi principio ea immittente. Sic elementa, essentiæque inter se conspirarunt, vt sint simul corporea pars essentiæ hominis, & non illud sydereum corpus, quod fingunt Paracelsistæ, absq; elementis solum. Voca tincturas, astra, & vel Blityri: singularis es supercilio vocabuli: rem, nisi nobiscum, veram habere non potes. Rideo vero *tincturas Cherionias*. Si quis Græculus in totum sanctum sanctorum ascenderet, audiretque vocem istam, putaret *malas esse istas tincturas* tanquam χειρίονας deteriores aut χειρίστας pessimas. *Hermeti* certe tuum non intellexisse vocabulum facile est coniicere. Ideo & de rebus ignotis loquitur. Tibi vero sputa Paracelsica, & fœtores lubentes relinquimus. Anima non habitat in oleto Paracelsi. Vbi ergo? Respondes *in his tincturis*, quas *Hippocrates* vocat δυνάμεις: vt quas Nazianz. ζωτικὰς vitales qualitates. Ecce fatuam responsionem Hermetis sapientissimi. Anima in animatis habitat. *Qualitates istæ & potentiæ non sunt animatæ. Ergo non potest in iis habitare.* Propositio manifesta est: quia *anima est principium & actus animatorum quà animata.* Assumtum certæ est veritatis. *Ch. rionia id est peior.* *An anima habitet in potentiis Hippocratis.*

Qualitates

Qualitates enim viuentis ſunt inſtrumenta animati, & animæ, non ſubiectum, nec altera pars ſubſtantiæ animati: *Potentiæ vniuerſales ſunt, quibus anima aliquid poteſt: ſpeciales ſunt facultates naturales inſitæ ſuis ſubiectis*, quæ in animatis ab animæ generalibus potentiis & organis exuſcitantur, & quodammodo ſunt animæ motiones, & effecta. Tuus *Hermes* non didicit noſtram Dialecticam, nec poteſt inter argumentorum affectiones diſcernere. *Hippocrates in lib. de vetere medicina* confert priſcorum medendi rationem, cum recentium. Illos dicit ſanitatem & morbos, auxiliaque ex Diæta, ſeu cibo, potuque æſtimaſſe: hoc ex qualitatibus ſimplicibus calido, frig. hum. ſicco, *quaſi medicina nihil haberet altius, quam iſtarum qualitatum conſiderationem & permutationem.* Hos iuſte reprehendit. Quando vero cibi, potuſque contemperati ex elementis, & eorum qualitatibus accipiuntur, *Hippocrati nec elementa, nec qualitates diſplicent.* Ex contemperatione iſta prodierunt ſucci & ſapores, quibus magna vis eſt in nutriendo, morbis, remediis. Circa hos iubet occupari medicum. *De tribus principiis Chymicorum nihil cognitum fuit Hippocrati.* Neque enim ſi δυνάμεις & ſapores nominat, ſtatim conſequens eſt, eum de iſtis ſenſiſſe, vt omnibus perſuadere volunt Paracelſiſtæ. Deinde non nihil etiam qualitatibus tribuit. Ita loquitur: *Ineſt in homine amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum, fluidum,* (πλαδαρὸν) *& alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamq; & robur, &c. Frigiditatem autem & caliditatem* (*ſimplices*) *ego omnium facultatum* (δυνάμιων) *minime potentes eſſe in corpore exiſtimo, &c.* Ponit poſtea febricitantem. De hoc dicit, quod non propter calidum ſimpliciter febricitet, neque hoc ſit ſimpliciter affectionis cauſſa; ſed *calidum & amarum* idem, *calidum acidum, calidum ſalſum,* atque ita etiam frigidum aliis facultatibus coniunctum. Hæc eſt ſententia Hipp. *qualitates non nudas & ſimplices ponendas eſſe, ſed cum facultatibus coniunctas*, vt non lædere calidum per ſe dicamus, ſed humorem hunc vel illum calidum, aut frigidum. Eme tuo *Hermeti Batauа perſpicilia*, vt textum *Hippocratis* craſſius intueatur, & videbit qualitates primas elementarias Hippocrati non eſſe *Rebes ollæ, aut relollaceas*, vt naſo Paracelſi ſunt iudicatæ. An autem anima ſedeat in iſtis humoribus ſapidis, non dixit *Hippocrates*, & quidem nec potuit dicere, cum eoſdem aſſcribat cibis & potibus vnde morbi veniunt, aut ſanitas conſeruatur, inſtauraturue, qui cibi cum aſſumuntur, non ſunt animali in humaniore, & non beluino victu. Qua fronte ergo audes citare *Hippocratem* quaſi animam in *dynames* iſtas intruderet? Sunt illæ poteſtates quidem incorporeæ: ſed ſumantur vna ſucci & ſapores iſti corporei, ſuntne tuo Hermeti vſque adeo diuina, & pura corpora, vt anima eis inſidere gaudeat? O puram bilem febricitantis, melancholici, maniaci, &c. O purum ſanguinem Cacochymici. Sed perge. *Vitales qualitates, & potentiæ Hippocratis ſunt ſparſæ per totam viuentis anatomiam*, inquis. Stultus ſane es, aut ſaltem improuidus, qui *Hermeti* illum ſermonem tribuis à quo plane abhorret. Inquinamenta iſta ſunt non ſancti ſanctorum, ſed ſterquilinii Paracelſici. Deinde non potes qualitatibus carere. Cur ergo eas abiiciebas? Vitales volo inquitiat & calor eſt vitalis qualitas cum humiditate, argumento caloris cordis vitalis; & deinde calidi inſiti, humidiq; primigenii. Animam & mentem, & intellectum *Hippocrates* non tantum circa ignem medium, hoc eſt, cordis calorem eſſe tradebat, ſed & *calidum ipſum eſſe intellectum.* Nondum didiciſti Peripateticam & Galenicam diſciplinam, aut calumniaris impudenter, ſi non vis ſcire, non intelligi à nobis ſimplices in elementis qualitates, ſed vti ſunt in miſtione, & in corpore viuo, non ſine facultatibus, & organis vitalibus. Cum tui Paracelſiſtæ *elementis externis animas & vitas affingunt*, quas qualitates quæſo in illis habent? Si ſcelus hoc eſt, veſtrum eſt, non noſtrum. Neque enim in elementis alias quam ſimplices qualitates inueniunt.

Argumentũ libri Hipp de vet. med.

Hipp. potentia non ſunt Paracelſi principia.

Hip. humores & qualitates copulat, atq; ita b's ſit inuiſus Paracelſiſtis

Qualitates vitales.

Quid autem eſt ſparſum eſſe per ANATOMIAM, id eſt, ſectionem viuentis? Num partes ſectionis per Ebraiſmum & Arabiſmum intelligis? Si hoc, ſcito, partium catalogo ineſſe etiam elementa qualiter ſe habentia. Vnde conſequens ſiue puras qualitates habeant, ſiue impuras, animam etiam his inſidere. Quid quod & vitales habeant? Tu enim dicis, *vitales eſſe præſentes omnibus membris ſua benignitate.* Iam anatomia Chymica exhibet nobis etiam elementa, quæ fuerant partes miſtorum, & quidem à *Quercetano inter principia relata*, ſicut & tu *terram principiis immiſces.* Neceſſe eſt ergo aut tuum Hermetem mentiri, aut animam etiam elementis viuentium ineſſe. Porro *qualitates illæ vitales concentruntur in partibus principalibus, vniunturque, & inde ceu diuite penu reliquis vitam affundunt.*

Sparſum per anatomiam. Anima etiã in elementis habitat.

Hîc velim tuus Hermes dicat, quot ſint principales partes in viuente, (viuunt autem Paracelſiſtis homines, beſtiæ, plantæ, mineralia & elementa.) Loquamur tantum de homine, & beſtiis perfectis. Sint tres: *Cor, cerebrum, epar*: aut, ſi mauis, *totidem ventres.* Si plures ſunt vitales facultates, tria habebunt omnes centra, & in tribus locis vnientur. Inde radios emittent ad totidem Peripherias. Nonne? Sane ex *Galeno* didiciſti, quod *virtus animalis* è cerebro communicetur cæteris omnibus, vt & *vitalis è corde, & naturalis ex epate.* ſi non potius eſt *Ariſtotelis principium*, vt ſint *omnia ab vno*, cum & ſacræ literæ & arcanorum profeſſores id amplectantur.

Inepta de qualitatibus vitalibus in ſancto ſanctorum narratio.

Vnus potius fons vitæ eſt in toto.

Nuper *Vlyſſes Aldrouandus* generationem pullulorum gallinaceorum obſeruauit, & omnino *Ariſtoteli* eſt aſſipulatus. Verum de hoc nolo tecum litigare. Scis autem ex illis fontibus per ſpiritus adminiſtros tantum influere facultates generales, & animalem ſenſus motuſque cauſam ex cerebro præſto eſſe, vitalem cum calore, & ſpiritu vitali ex corde, naturalem ex epate. Singularium partium facultates in ſingulis ſunt. Organa enim facultatum, vt pulmo, ventriculus, renes, &c. ſingularia ſunt viuentia. Non ergo debes ſcribere, *cæteris vitam infundi*, ſed: *eam cæteris per naturam ineſſe ſecundum potentiam, actuari vero à generalibus ſecundum naturam cuiuſque.* Neque enim omnia in omnibus fieri poſſunt. Generalibus vitiatis, aut ſublatis, parum, aut nihil poſſe ſingularium facultates noſti.

Et hactenus de ANIMA HERMETIS.

Vnum

Vnum saltem adhuc scire velim, num scilicet *centrum primateriale, & id quod formæ tribuebas* aliquid cōmune habeat cum anima, quæ videtur certè animatorum forma esse? Aiunt plura principia in vno corpore esse vtile esse; at natura nihil superflui patitur. An non tua tot centra sunt superuacanea? Si omnia ex illis sunt, quorsum anima.

SECTIO XVI.

Pars septima Sancti sanctorum de calido Innato.

DE hoc sinanus inter se litigare quibus volupe est, *sitne substantia an accidens.* *Aristoteles* πάσης ψυχῆς δύναμιν ἑτέρου σώματος, inquit, κεκοινωνηκέναι καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων. Hoc *corpus* vocat φύσιν, dicitque eam esse θερμὸν ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχον ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα. *Num est nuda qualitas?* Non: sed τὸ πνεῦμα ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει: Item: ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Paulo post, τοῦ ἡλίου θερμότητα, καὶ τὴν τῶν ζώων, κ᾽ ὢν ἡ περίττωμα τύχῃ τῆς φύσεως, ἔχειν ζωτικὴν ἀρχὴν pronunciat. Itaque *calor ille cum spiritu, & natura seminea in corpore spumoso coniunctus substantia quædam est & corpus.* Non autem in semine tantum est, sed cum semen se habeat vt causa efficiens simul, & materia, est principium, & materia etiam caloris insiti, humidique primigenij, & spiritus in partibus nati. Alitur enim & incrementum capit, & ni vi destruatur, comitatur animal vsque ad naturalem mortem, qua deficit, & vitæ conseruator amplius esse nequit, qua de re vulgares scholæ sunt frequentes. Tu videris tibi vidisse *prædurum quendam lapidem cui solis circulus aurei splendoris incumbat.* Lapidem prædurum cur voces non quæro. Arbitror enim te ex sapientum scriniis mysticam illam appellationem petiuisse, vt, cum ob durabilitatem lapis appelletur, tamen non sit lapis ad sensum. Incumbere ei vidisti *circulum solis:* Et tamen mox *solem non externum, sed internum vocas.* Notat *Ricardus Argentinus* in lib. de præstigiis dæmonum *impuros Iudæos Iesu Ben Ioseph, & Ben Mariæ dogma tribuisse, hominem posse etiam post creationem nasci sponte ex pingui terra solis calore temperata, vt & reliqua animalia,* quæ sententia fuerit *Anaximandri, Empedoclis, Anaxagoræ, Platonis, Pici Mirandulæ Comitis, Aristidæ &c.* quam etiam *Cæsalpinus* visus est amplecti. *Aristoteles* non absurdam omnino putat terrigenarum assertionem, & fors sententia eius est ista cum scripsit: *Sol & homo gignunt hominem.* Tune cum gentilibus istis sentis? Estne insitus noster calor fœtura, aut decisio caloris solaris? verba videntur id velle. Lapis enim per se est innatum calidum: at ei incumbit aureus solis circulus, proculdubio non frustra, sed partim vt gignens causa, partim nutriens. Si hæc tua opinio est, admonendus es etiam plantas, & mineralia innatum colorem habere. At hæc creata sunt ante solem, & ante eundem etiam vim propagatricem seminalem acceperunt, quod de plantis expresse scribitur. Non ergo sol cœli macrocosmi aliquid contulit. Sin autem Symbolum saltem aut typum esse velis dicere, vt sit principaliter eius caloris, qui cor obsidet, aut cordi analogum, vti & *magicum cor est. est calor vitalis, & sol magicus:* vide ne cætera membra innato calore, qui non foris adest, sed intus existit, spolies. Quid autem differt iste calor ab igni omnium motore, quem cum ex *Hippocrate* explices, non est alius nisi seminibus insitus? Externum non potes dicere. Neq; enim externus misti naturam ingreditur vt corpus mistile. Descriptionem, *quod sit analogum istud calidum stellarum elemento,* Aristotelis esse agnosco, sed tuus *Hermes* id nesciuit. Est autem id seminibus, & corpori spumoso insitum, vt non possit de communicato, & ex cordis penu affluente calore accipi. *Magia Chymica, Solis nomine afficit calorem vitalem:* Eum qui singulis mēbris insitus est, *Sulphur* vocat, quod vt vitale sit, humido primogenio esse sociatum oportet. De *spontaneis* scribit *Philosophus:* γίνεται ἐν γῇ καὶ ὑγρῷ τὰ ζῷα καὶ φυτὰ διὰ τὸ ἐν γῇ ὕδωρ ὑπάρχειν ὑγρὸν, ἐν δ᾽ ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τῷ παντὶ θερμότητα ψυχικήν. Calorem temporis à sole in vniuerso diffundi statuit: Hunc mediante spiritu coniungi humido corpulento, & comprehendi à spumosa bulla, cumq; sit animalis, seu animatiuus, fieri inde animal, aut plantam. Si hæc sunt vera, in spontaneis *solem internum ab externo deriuari patet.* Sed attendendum est *ad Dei potentiam* in natura. Quanquam enim sol calefaciat inferiora, tamen non posse eum vel animal vel plantam producere sine interiore principio patet. Id autem vnde sit, nisi residua Dei benedictio ex creatione? De his monebis exactius tuum auditorium, & cum aliis victimis ingredieris Sanctum sanctorum quam cum *vitulis Hermetis Gentilis.* Dicis hoc esse *humidum primigenium, oleaginosum, aërium, perfusum insito spiritu totius formæ custode, & calore vitali.* Intelligo calidum natiuum complecti tria, humidū radicale, calorem vitalem, & spiritum. Laudo, si intelligis propriæ substantiæ constituta ista esse. Sin autem ex communi promtuario cordis spiritum, & calorē influere, & insito sociari vis, distinctione est opus. Da operam vt eam à tuo Hermete impetres. Ais hæc quoq;: *Calor natiuus perenni circulatione spiritus viuifici nostri sanguinis fouetur.* Humoristáne es factus? Principia tua num sanguineo fotu, & nutrimēto opus habent? Non debent tibi adeo sordere HVMORES Hippocratici, & Galenici. Cum *aerium* dicas, putabam te velle aëre partim ventilari, ne suffocarentur, partim augescere, non quidem crassa eius parte, sed æthercam naturam æmulante, & fortasse *spiritu mundano viuifico. Sanguis calidius est natura* & ideo animæ præter alia subsellium. In sanguine calente spiritum rectè agnoscis. Hæc si potes credere & docere cur à *Galeno ad Magos Paracelsicos* propendes? Delectauerat me ista Hermetica: sed breui voluptate. Ita enim mox scribis: *Hoc* (calore natiuo, humido primigenio, insito spiritu, calore vitali coniunctim) VIVVNT OMNIA, *& vigent.* Quæ omnia? Mineralia, vegetabilia, animalia. Quid de Elementis, & seminibus, & astris? Nonne & hæc viuunt? sed arduum est intellectu si calor natiuus est id, quod cōstat calore vitali, spiritu insito, & humido primogenio, & fouetur circulatione spiritus viuifici sanguinis, quomodo insit exanguibus animalibus, plantis, mineralibus. Num in omnibus est *sui gene-*

Calidum Innatum.

Calidum insitum præduro lapidi comparatũ quasi res sit fixa.

Homines spontanei.

Astra plantis in initio nihil contulerunt.

Ignis, & innatum calidum num differant.

Sol magicus calor vitalis.

Spontaneorum ortus.

Principium internum spontaneorũ foris non accedit.

Calidi natiui constitutio.

Fomentum caloris.

Omnia viuere humido primogeno calido spirituoso.

ris ſanguis? Oportet æquiuocis, myſticis, & parabolicis Doctoribus permittere vt abundẽt ſuo ſenſu, modo non planè ſtulta dicant. Ita de *viuere* dicendum eſt. Auſteri Peripatetici, & moroſi Galenici cum Hippocraticis negant talibus iuſtis ſua conſtare ſacra. *Quomodo viuunt & vigent mineralia?* Reſpondet Hermes: *Occulte.* At inquam *vita eſt actus Secundus à principio corporis animati.* Num ergo animata ſunt mineralia, vt ſal, ſulphur, argentum viuum, metalla, gemmæ, bitumina, arſenicum, Realgaria & alia infinita, etiam aquæ minerales? Quid ni, dicet *Hermes?* An non magni magiſterij ſecretum conſtat *ſpiritu, anima, corpore, calore centrali ſemine*, & aliis quibus adminiculis arte procurante naſcitur, vt in matrice ſua, fœtus? Credo, inquam, ſed iſta omnia ſunt parabolica. Aliam vitam ex metallis, gemmis, cæterisq; expecto. Sit æquiuoca, aut analoga, quæ ex virtutibus, & effectis pateat. Eſtne in eis actu? Dum integra ſunt vti natura prodierunt, non. Cur? *Quia aſtricta ſunt corporum compedibus.* Loquere explanatius *Herme:* Puto te velle dum generantur ſoluta eſſe, & agitari inſitis potentiis ex imperfectione ad perfectionem minerarum calore, & aliis iuuantibus: cum coagulauerunt, & ad maturitatem peruenerunt, tunc retineri vim inſitam in plurimis: In aliquibus tamen in conſpicuum prodire vt in *Magnete*, qui ideo *lapis viuus* dicitur. Quæ ergo clauſtris naturæ ſunt occupata, ea actiones vitales prodere non poſſunt ni liberentur, & exaltentur. Hæc tu intellexiſti potius quam dixiſti. Cum ex Sancto Sanctorum egredieris *Hartmanne*, ſi non *Leonibus Salomonis* perterrefactus vt fures *Schem hamphoraſch*, obliuiſceris, tuis diſcipulis ſic dictitabis. Quid præterea de mineralibus *Hermes* docuit? *Obtinuiſſe Hermaphroditicam naturã Balſami.* Num ergo vim maſculam, & fœmineam, ſolarem, & lunarem? Vide quid dicas. Sunt enim multa tantum maſcula, vt *Sulphura:* multa tantum fœminea, vt *Mercurij.* Maſcula enim natura ex calore, & ſiccitate noſcitur, fœminea ex frigiditate, & humiditate, vt ſic hæc *duo iuxta Hippocratis ignem & aquam, ignem & Azoth* ſufficiant. Illud fatendum eſt, quod ſi cõiuncta fuerint, vtramq; naturam habeant, vt homines Platonici in ſympoſio ante diuiſionem in ſexus diuerſos. Arcanum eſt cum ante fermentationem Philoſophi dicunt *materiam ſuam eſſe hermaphroditicam.* Quædam mineralia habẽt plantis valde affinem naturam. De his quoq; *androgynon* vſurpes. Quod gemmarij alias *gemmas, mares, alias fœminas* eſſe dicant, id non offendit myſticam Philoſophiam. Eſt autẽ & cœlum in globo inferiore. Videndum an in macrocoſmico cœlo ſint hermaphroditi. *Nihil eſt in paruo cœlo, ſeu globo medio quod non ſit etiam in ſuperiore.* Credo opus eſſe perſpiciliis batauis. Alias monſtra ſunt *Androgyni*, & non ordinarij naturæ partus. Balſamum ex illis extractum poſſe iuuare vtrumq; ſexum, non eſt diffitendum. Quid de vegetalibus, & animalibus? Quomodo hæc viuunt? Si non ſunt mortua, aut aliqua lethargica, vel ſyncoptica ſimitiue paſſione affecta, MANIFESTE, hoc eſt, ſenſibiliter, ſimul tamen etiam ſpiritualiter. Quorſum hoc? Nam Paracelſiſtarum decretum eſt *habere ea duo corpora, vnum ſpirituale quod eſt inuiſibile, alterum elementare ſenſibus patens.* Ita & *vita* poteſt diſtribui vt vna ſit in potentia virtutum interiorum in eſſentialibus partibus, altera notabili actu conſpicua. Ego vero parum abeſt quin *Hermetem* Galenicè explicem de operationibus ſimilaribus, & organicis. Nam cum dicit *in vegetalibus, & animalibus manifeſta vita acta plurima inſtrumenta explicata eſſe, quæ ſolidam, & ſimilarem balſami naturam non admiſerunt*, quid aliud ſit cogitandum? Atqui hoc Galenicum eſt. Sed non ideo nihil eſt in iſtis inſtrumentis. Nam morbi organici poſſunt læſis eorum officiis exiſtere, vt & organica ſanitas eſt bene habentibus. Non abiiciamus, *Hartmanne*, Galenicam de organis diſciplinam, licet organum, qua organum, non habeat Balſamum tuum. Libet hic digredi, & cum adhuc ſis in Sancto Sanctorum cum tuo *Hermete*, quæſtionem *de varietate morborum Microcoſmi* mouere. Cum homo propter peccatum calamitatibus huius ſeculi, & tandem morti, ſeu interitui corporis ſubiectus ſit, conſtet autem etiam anima, de huius affectionibus & morbis Phyſica Medicina per ſe non videtur eſſe ſolicita. Theologiæ namq; & morali diſciplinæ animæ paſſiones ſunt commendatæ. Corpus autem Medicinæ Phyſicæ ſubiectum eſt. Noui *Paracelſum* quinq; *Entia morborum, Deale* ſcilicet, *Aſtrale, Pagoyum, Magicum, & naturale*, commentum eſſe, quorum mentionem facit & *Crollius*, & tuus amicus *Scheunemannus:* ſed *Seuerinus*, quantum memini, præteriit, vti & *Quercetanus.* Iam tot morbos eſſe poſſe, quot vitæ functiones lædere queunt, videor mihi intelligere, neq; id tuo Hermeti aduerſari. Viuunt autem in Paracelſia omnia: primum *Elementa*; 2. *aſtra* ſeu principia; 3. *Generalia actionum inſtrumenta. ſpiritus*; 4. *nutrimentum* quoq; vt ſanguis; fortaſſe & lac, ſemen, ſerum, pili, vngues, adipes & ſimilia. Eſt vobis *interior homo; eſt exterior:* ſunt & *conſtitutiones organicæ* ſecundum naturam: ſunt partes *ſimilares. & diſſimilares.* An non hinc morborum diſtributiones poſſumus petere? Homo enim elementaris cum ægrotat, quia elemẽtis inſunt qualitates tum ratione ſimplicitatis, tum miſturæ, quarum qualitatũ ea vis eſt, vt deſtruere elementum, & tranſmutare poſſint, quin & vitam eorũ, actionesq; labefactare, inde exiſtet prima morborũ familia, eaq; duplex, vna ſimplex intemperies, altera cõpoſita circa craſes elementares. *Non certe nulla virtus eſt qualitatum elementariũ, cum videamus frigore enecari membra, & nimio feruore comburi, ſiccitate tabeſcere, humiditate diffluere & putreſcere.*

Altera familia erit morborum aſtralium, & fortaſſe hæc quoq; duplex. Nam cum vobis ſit aliud *corpus hominis ſyderum, inuiſibile, internum. fieri poterit vt hoc per ſe ſuos morbos ſentiat.* Nihil enim vacat peccato in homine: Ergo nec pœna peccati: cumq; omne corporeum in membris hominum ſit ex *terra limo duplici, vt Crollius intellexit*, factum, proculdubio ad omne pertinet illud *Terra es & in terram redibis.* Homo vermis, Tinea, puluis, &c. Non autem poſſumus aſpectabilis hominis membra, vt carnẽ, os, digitum, pedem, caput, &c. priuare ſuo balſamo, quod in elementis latet, & inde tum effloreſcit aliquando, tum extrahitur homine in mumiam conuerſo. Æquum eſt vt duæ claſſes ſint morborum aſtralium, eæque viciſſim in tot particulares affectus diuidantur, quot ſunt membra ſimilaria, & diſſimilaria; *Cumque aſtra ſint trium generum, omnes morbi rurſum factioni-*

Mineralia viuere & vigere.

Magnes lapis viuus.

Mineralia Hermaphroditica.

Vide Kunrathi tabulas, Roſarium, &c.

Balſamum Androgynorum.

Vita plantarum, & animalium.

Duæ vitæ.

Organica conſtitutio.

Digreſſio ad morbos ex Paracelſia.

Stulta Paracelſi Entia morborum pro efficientibus, quaſi Ens, οὐσία, ὄν & efficiens ſint idem.

Viuentia in Paracelſia.

Morbi hominis elementales.

Aſtralis hominis morbi.

factionibus constabant tribus. Rursus cum compositiones sint tum astrorum inter se, tum Elementorum, & præterea etiam astrorum, & elementorum mutuo; *tertia familia morborum in compositione triplici procedet.* Ea quam varia sit, ego dicere non possum. Est enim inexplicabilis commistionum ratio. Circumspice diligenter, forte occurret aliquid tibi in Sancto Sanctorum *Hermetis.* Quod si etiam interior *homo syderalis* nō in externo sit, vt passer in suo nido, sed totus per tota diffusus, quomodo chymici solent incerationes, imbibitionesque facere, nescio an *quarta species mistura* hinc sit exoritura, in quam si aduersitas inciderit, etiam morbus esse possit.

Quartam familiam tribuendam censeo organis. Etiamsi enim quis Paracelsicus negare velit morbum contingere ratione organorum, tamen non ideo non est. Experientia enim testatur manus instrumentum ægrotare cum distortum est, tumet deficit aliqua parte, &c. Ita morbus est cum calculus obstruxit meatum vrinarium, cum ventriculus cōtractione angustior seipso est factus: Cum vterus hymene clausus, ita vt menstruus sanguis intus collectus virginem in varios morbos, vitæq; periculum coniiciat, vt his diebus factum memini, & historiæ Schenckij, Fabricij, Paræi, & aliorum indicant. Et sic de aliis. *Anima est Entelechia corporis organici*, inquiebas. Quæro num sydereus vester homo, internum illud corpus, quod à Crollio VERE homo dicitur, etiam sit animatum? Si est: habebimus & hanc familiam duplicem stemmate, ex quo nascentur rami plurimi. *Organici morbi.*

Quinta familia erit cum spiritus, calor, & sanguis patientur. Posse vero ista pati, morboq; affici nemo puto vestrum negare poterit. Nam spiritus pauci, plures iusto, inæqualiter affecti, tardi, immobiles, impuri, tenuiores quam par erat, æstuantiores, frigidiores, &c. non bene exequūtur suum munus. Calor quoq; labefactari adeo potest, vt & extingui. In sanguine omnis generis sunt tincturæ, astra, & elementa. Est enim commune nutrimentum, materiáq; omnium. Quis hanc ægrotare posse neget? Si ista omnia viuunt, vitales functiones habent. Vitalium functionum læsio per se, & actionum violatio morbum indicat. Nobis ista non viuunt. Ideo causas morbificas esse posse potius statuimus. De vnguibus, pilis, adipe, cuticula, & similibus ἐπέχω. Sum enim hic Pythagoricus, & cupio discere. Soletis & semina membris includere, quorum fructus per Oeconomiam naturalem suo tempore prodeant. Num & in his morbi esse possint dispicies.

Sexta classis communis est omnibus. Complectitur enim *morbos totius natura*, qui Catholici vocantur quo referri possunt *quatuor Entia Paracelsi*, deale, phantasticum, magicum, & veneficum, nisi spargere velitis venenum in cætera, atq; etiam astrali, & naturali communicare, vt fit in peste, philtro, morsu venenatorum, & omnino assumto, attracto, admoto veneno, aut contagio vnde totius substantiæ morbi oriuntur, & qui à vobis noui appellantur ex syderum influxu, & aliis, qualis est *morbus Hispanorum, & Indorum* ex Venere impura: *Vngaricus* seu Prunellæ; *Sudor Anglicus*, *Chorea S. Viti, Scorbutus* & alij Epidemij, vel Endemij, πάγκοινοι, αποσάδες, &c.

Septima familia erat solutionis continui, ad quam pertinent vulnera, tumores, vlcera, fracturæ & huiusmodi quę *Paracelsus* in suam *Bertheoneam* maiorem, & minorem coëgit, & in maiore nō pauca magica, & venenata admiscuit. Quidam tamen ex vobis *communes morbos* ex Catalogo tribuum delent. Num substituendi sunt, qui à vobis TARTAREI dicuntur, quos creditis *ignotos fuisse Hippocrati, & Galeno?* Non desunt, qui omnes morbos *ad flatus & spiritus Hippocratis* referant. Quid tu videris in Sancto Sanctorum Hermetis, expedias. Nunc ad rem. Calidum innatum quid est: *Est sulphur illud vitale*, inquis, *cuius extinctio mors est.* Oportet sulphur resolutum esse. Si enim coagulatum foret, nimis esset tardum, & ad officia sua ineptum, quanquam tu LAPIDI comparabas. *Calidum innatū quid.*

Primum moneo nullam causam esse Paracelsicis cur potius sulphur dicant, quam calidum innatum. Superbia quædam est, & stultitia à disciplinæ comprobatæ more euidente ad obscuros parabolismos deflectere. *Calidi innati terminus* (ἔμφυτον θερμόν) longe est euidentior, quam tropica vox *Sulphur.*

2. Cum caloris extinctio à te mors vocetur: extinguatur autem calor, vel marasmo, cum pabulum deficit, quam naturalem extinctionem volunt esse, quia ignis, qui calor hic vocatur, non habet propriam subsistentiam, sed semper est in alio quod depascitur, quo absumto per se euanescit: vel aduerso frigore per vim; vel suffocatione, qua negatur ventilatio: intelligis aliquam vim ad morbos esse etiam qualitatibus, obstructionibus, defectui conseruantis, ne omnia ad tua astra referas. *Mors & extinctio caloris.*

3. Cum innatus calor sit pars essentiæ, seu corporis illius quod analogum ætheri secundum *Aristotelem* pronunciabas, existatq; in seminibus rerum, proculdubio singulis membris erit suus. Ex illis cum extrahitur cum suo spiritu & humore, putredo sequi solet, & misti dissolutio. Hæc est mors vna singularis. Quando vero frigore contrario expellitur, humido, & spiritu saltem congelatis, erit mors altera: In marasmo tertia: In suffocatione, quarta: Cum dissipatur tum ipse, tum subiecta eius per combustionem, num alia species mortis est? Affinis est Aristotelicæ putredini. Hæc omnia cum ex Aristotele & Galeno didiceritis; qui tibi sunt elementarij ambulones, cur tam ingrati estis discipuli? Est alia extinctio caloris vitalis generalis in principio cordis. Hinc mors vniuersalis, quæ & ipsa ab istis Philosophiæ, & Medicinæ antesignanis diligenter est explicata, idq; sine SVLPHVRE Paracelsico. Non debueras adeo iniquus esse magistris tuis.

4. Mirum autem quam extinctionem dicas, cum apud te & *Seuerinum* tuum nihil extinguatur, præsertimq; sydereæ essentiæ redeant ad suum orcum, seu locum vnde venere. Tu ne hic aliud sulphur ponis quam alibi? Vbi *Sulphur* incombustibile tuum? Ita naturam vocabas. Num hæc etiam hoc sulphur est? Si extingui potest, mortale erit. At tu vocas vitale. *Sulphur Paracelsicum extingui potest.*

5. *Quando extinguitur tuum sulphur, ipsumne per se moritur, an id cui inerat?* Exempli gratia: Cum calor cordis suffocatur, num mors calori ascribenda est, an cordi, & cōsequenter toti corpori? Vtriq; scilicet, si calor viuit.

 6. Sed

6. Sed fortasse calor cordis generalis non est ille innatus ex semine. Nam à sole peti solet. Itaq; expecto num distinctionem sis alicuius facturus, & cordis calorem appellaturus *sulphur de sulphure*. Innatum vero sulphur generatum ex nō sulphure, & fortasse *Embryonatum*, quod ex orco venerit. Quid præterea est calidum innatum? *Est incomparabilis totius natutura thesaurus.* Tuus *Hermes* valde est obscurus. Num ergo totū esse *Naturæ*, quæ dicebatur *sulphur incōbustibile*, nihil est aliud quā sulphur? Num est sulphuris incombustibilis sulphur, an si idem est vtrumq;, num calidū innatum est illa ipsa natura, Leo viridis, ignis, naturæ & sapientiæ? si hoc, quorsum attinebat θεολογεῖν? Si nō hoc, sulphur combustibile, vtpote extinguibile, erit ab incombustili decisum. Non tamen ingredietur Animæ essentiam. Alias & hæc cōburenda esset. Postca quam dicis TOTAM NATVRAM? Absolutam, an relatam? Credo te hominem respicere, quanquam *Ignis Socraticus attinebat etiam animalium cæterorum corpora*, quo cum tu declaraueris *Naturam*, quærere libet hicne, an ibi de vniuersali sis locutus? Si ibi, malè accommodasti *ignem Hippocratis*, qui est pars mistorum in corporibus animalium: si hic, falsum dicis extingui posse. *Natura enim apud Paracelsistas est æterna*, vtpote potentia quædam Dei, & prouidentia circa res cretas natura constantes. Ego puto non omne esse sanctum quod tibi *Hermes* in suo hagiasterio dixit. Aliud præconium: *Calido innato omnes omnium morborum curationes absolui possunt.* Qui hyperbolis nimis licenter vtuntur, mendacij fiunt rei. Vereor ne hoc tuo *Hermeti* eueniat. Si calidum innatum est sulphur, *Panacea* quædam solum sulphur erit. *Mercurius* itaq; & *Sal* non necessario requirentur ad morborū curam: quod tamen principio Paracelsico simul & Hippocratico, quo *similia similibus primum curantur*, atque ita generali indicationi, & scopo medico aduersatur. 2. Si illud sulphur est extinguibile, corruptibile erit, & sic phantasticum fuerit illud ex *Lullio Scheunemanni*, quo vult *curationes per fixa & incorruptibilia debere perfici non per corruptibilia*, quod hæc seruare substantias, quin corrumpantur, nequeant. 3. Si calidum innatum est id, quod omnes omnium morborum curationes absoluit, omnes morbi erunt calidi, ex fundamento de similibus: aut frigidi ex fundamento contrariorum. Qua calidum est, per se non aduersatur nisi frigido, quicquid dicat vestra dementia. 4. Si innati calidi ea vis est, quæritur *quorsum externa auxilia adhibeantur*. An tantum per accidens, vt illud sulphur magis faciant sulphureum, & ex potentia in actum ducant, aut ex captiuitate liberent? Quid si modum excedendo fieret præternaturale, &, vt *Phaëthon* aliquis, totum cœlum incenderet? Panacearum externarum gloria sileat, si innatum sulphur potest omnia. 5. Fors tantum absoluit, non autem incipit, & medios motus peragit id sulphur. Quid autem faciet in magnis ardoribus, siccitatibus, tabe combustione, frigore enectis membris, & decurtatis, abscissis, distortis, obstructis, abundantibus, deficientibus, solutis, & aliis? De insanabilibus non oportet interrogare. Nam curationes absoluere dicitur. Vbi nulla curatio est, vt in dementia Hermetis in suo sanctuario, & octo modis Crollij, vel insanabilibus Hippocratis, & sicubi homo sibi ipsi vim infert, nihil poterit sulphur Hermeticum, atq; ita tandem nihil amplius valebit quam Galenicæ Medicinæ. Causam quæris? Quia *idem innatum calidum secundum rem, licet non iuxta verba, est apud Galenum, quod apud Para. elsum.* Si hic est *Panacea*, & ibi. 6. Memini tuum *Hermetem* in *materia prima* dicere eam esse *inexhaustum vitæ fontem, omnium actionum naturalium originem, morborum omnium pepasmos, crises, & sanationes moderari.* Quid differt quæso illa materia ab hoc sulphure? Si homo in se habet duplicem Panacean, quid opus est Medicina? Cur ægrotat, etiam cum nihil peccat in diæta? An vero satis est vos sic *magnifice loqui, nihil autem demonstrare?* Concedenda est Paracelsistis ista gloria, vt dicantur in aere ambulare ἀεροβατεῖν, μετεωρολέσχεῖν, ληρεῖν, &c. Aliud: *Calidum innatum, sulphur id extinguibile, thesaurus incomparabilis, Panacea, est Tota Galeni substantia.* At tu *Herme* vbi hoc inuenisti? In quo angulo tui Sancti Sanctorum id scriptum est, quod hactenus nullus, qui tuum nomen vsurpat, potuit concedere? Vide ne perperam videris. *Calidum innatum à Galeno agnitum non est sulphur Paracelsistarum*: Imō repugnat naturæ sulphuris. Nam hoc calidum siccum est, & masculū tam spiritualiter, quam corporaliter: At validum innatum Galeni est humidum spirituosum. Profero duo loca ex eius scriptis. In libello de tremore, palpitatione, conuuls: & rigore τὸ θερμὸν οὐκ ἐπίκτητον, ἀλλὰ πρῶτον καὶ ἀρχαιογονον καὶ ἔμφυτον proponit, & addit τὴν φύσιν, καὶ ψυχὴν nihil aliud esse quam illud ipsum ὡς οὐσίαν αὐτοκίνητόν τε, καὶ ἀεικίνητον. Calidum moderate extinctum rursusq; monderate accensum semper mobile (ἀεικίνητον) remanet. Accenditur vbi appetēs nutrimentum versus centrum inclinat (τῇ κάτω συνωθοῦσα τῆς τροφῆς ὀρεγόμενον) Extinguitur autem vbi foras, & vndiquaq; dispergitur (σβέννυται αἰθόμενον, καὶ πάντῃ σκιδνάμενον.) Ac mouetur ipsum innatum calidum à suo principio foras caliditatis ratione: intro vero atq; ad proprium principium illabitur, quia etiam frigiditatis est particeps (τὴν ἄνω καὶ ἔξω φορὰν, διότι φύσει θερμόν ἐστιν, κέκτηται: τὴν δ' εἴσω καὶ κάτω, ἐπὶ τὴν ἰδίαν ἀρχὴν ὁδὸν, ὅτι ψυχροῦ μετέχει.) Mixtum .n. factum est ex calido & frigido. Hæc & similia *Galenus* ibi, qui ēt frigus prohibere dicit, ne cum alimentū hauserit, & sursum contendat euanescat. Nō credo te de *sulphure tuo vitali* ista concessurū esse, quanquam id nutrimēto instaurari negare nō possis, atq; ita fugax esse, vt in extrema senecta vel parū vel nihil insit. Tu animā, & naturā diuersa esse docuisti, qui nec concedes sanitatē animalis consistere quando crasis naturæ terminos nō excedit, h.e. vt ex *Hippocrate Galenus* allegat, cum calor & frigus (innato scil. calido) tēperatura mediocri inter se miscētur: morbo vero id laborare qñ alterutra qualitas alterutrā immodicè exuperat. Hæc tu planè fastidis cum omnib. tuæ factionis sociis, quāquā *Seuerino* placuerit ψυχὴν, πῦρ & θερμὸν Hipp. idē esse. Morbos ducit ex seminibus & radicibus quas in natura habent, quæq; maledictione diuina primis, purisq; superuenerint. Consequens est sanitatē in primis purisq; constitui, & vna esse ex seminalis tincturæ, elemētorū, & principiorū naturali cōstitutione, & iusta harmonia. Sed audiatur alter loc⁹ *Galeni*. In quinto simpliciū c.8. ita ait: *Si essentia calidi innati augenda est, non oportet qualitatē* (caliditatē) intēdere: Itē: *à valde calefaciētib. euacuatur non parū substātiæ innati calidi, at qualitas residui intēditur:*

Calidum an Thesaurus totius naturæ.

Tota natura.

Omnes morbos calido curari.

Scheunemanni deliramentum licet per argentificam hygiam fractum.

Paracelsia vltra Galenium nihil potest.

Sulphur & prima materia Hartmanni collata.

Tota Galeni substantia.

Calidum innatū Galeni non potest esse sulphur.

Sanitas.

Morbus.

Essentia calidi innati.

Χρ

χρὴ δ᾽ οὐδέτερον εἶναι τούτων, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀτμῶδες καὶ θερμὸν πνεῦμα περιέχεσθαι πλεῖστον, ἀκριβῶς δ᾽ εἶναι σύμμετρον τῇ θερμότητι; quod si in pueris plurimum inest, vniuersa opera naturalia simul crescunt. Item: ἡμᾶς χρὴ γινώσκειν ἔμφυτον ἐκεῖνο θερμὸν ὅπερ καὶ πνεῦμα ἑκάστῳ ζώων ὀνομάζομεν, de quo & *Aristoteles* scripsit. Nihil autem prohibet etiam *sanguineam essentiam, & aeriam simul cum spiritu inaudire. Stoici* quidem hunc spiritum essentiam animæ esse docent. *Nos autem de anima essentia non planè audemus affirmare. Spiritus* itaq; *congenitus* si non est animæ essentia *saltem primum eius est organum.* Dicimus in omnibus animalis partibus eum contineri, non autem similem esse vbiuis, sicut & sanguinem, necessarium est. Continetur autem in spaciis vacuis non pauca eius substantia, aut magis materia paruam requirens transmutationem, vt fiat insitus spiritus elaboratus propriis qualitatibus, & operibus naturalibus conducat, &c. Non opus est vt te laurea Galenica ornatum pluribus onerem. Nosti ipse pueris tribui temperamentum cal. hum. Itaq; *si sulphur tuum est calidum innatum Galeni, erit cal. hum.* Quomodo verò tuus *Crollius negat essentias & principia esse* ποῖά τινα? At esse ἄποια. Non audit qualitates. *Galenus calidi insiti substantiam spiritum esse innuit.* Corrigit enim à stoicis acceptam opinionem, qua prius putauit esse ψυχὴν, καὶ φύσιν, quanquam in libello *quod animi mores sequantur temper.* scribat, *spiritum animalem esse propriam materiam animæ,* constare, *& materiæ speciem esse temperamentū* in mistione cōmoderata igneæ, aëreæq; substantiæ cōsistens, &c. Consenserit in hoc tecū, si vtriq; spiritus eadē res est. Spiritum facit vapidū, & calidum, h. e. humidum, calidum, sanguineæ complexionis. Si tuum sulphur est tale, *non differs à Galeno nisi vocabulo.* Cætera si accipis, *innatum sulphur non erit calor vitalis, sed naturalis,* singulis partibus cum humida, & spirituosa substantia insitus. Si ergo putamus *Aristotelem* essentias chymicas agnouisse, quid hæsitamus in *Galeno?* Cur non & hunc commode interpretamur? Sed restat quæstio. Dicis esse Galeni totam substantiam, & substantiam virtutum. Videndum est quæ sit illa *Tota substantia Galeni.* Similitudine totius naturæ, & substantiæ Galenus vult vnumquodque quod nutritur familiare sibi nutrimentum trahere: Ita se habere & purgantia, & quædam alexiteria, quibus addere possumus venena totius naturæ, & roborantia, quæq; ad sympathian, & antipathian naturalem referuntur, quales sunt *Magnetismi, & Theamedismi* seu inimicitiæ naturales. Locus insignis est apud Gal. lib. 5. Simpl. cap. 16. quem cum aliis. Fernelius in 2. de abd. rerum causis cap. 17. & notat, & explicat. ἔστι δὲ καὶ ἕτερον (inquit) γένος ἑλκτικῶν φαρμάκων οἰκειότητι ποιότητος ἐπισπώμενον, ὅπερ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὁμοιότης τῆς ὅλης οὐσίας ὥσπερ καὶ τὰ τρεφόμενα τὰς οἰκείας τροφὰς ἐπισπᾶται. τούτων δ᾽ ἐστὶ φαρμάκων καὶ τὰ καθαίροντα μὲν πάντα, καὶ τῶν ἀλεξιτηρίων δ᾽ ἔνια. Θερμὰ δ᾽ εἶναι χρὴ πάντα τὰ τοιαῦτα. Τῶν γὰρ ὁμοίων ταῖς οὐσίαις τὸ θερμότερον ἑλκτικώτερον ὑπάρχει, &c. Sic cap. 17. de alexiteriis: ἔστι καὶ τούτων ἡ φύσις διττή. τῶν μὲν ἀλλοιούντων, τῶν δ᾽ ἐκκενούντων τοῦ πεπονθότος σώματος ἢ τὸν φθαρτικὸν ἰὸν, ἢ τὸ δηλητήριον φάρμακον. ἀλλοιοῦμεν οὖν ἤτοι κατά τινα ποιότητα μίαν, ἢ συζυγίαν ἐκ δυοῖν, ἢ κατὰ τὰς ὅλας οὐσίας. ἐκκενοῦ δὲ τῇ τῆς ὅλης οὐσίας ὁμοιότητι, καὶ τῇ λεπτομερεῖ θερμότητι, &c. Apparet ex Galeni verbis *innatum calidum non esse id quod ab ipso appellatur Tota substantia rei,* quia calorem saltem ei adiungit tanquam qualitatem per quam opus naturæ totius perficitur. *Innatum calidum est in spiritu & sanguine* quæ cientur in affectibus: at quando caro, os, & cætera similia sibi familiare nutrimentum ex communi sanguine trahunt, id non fit spiritu & sanguine, quanquam non sine calore. Ita si calidum seu simplex, seu temperatum esset tota natura, cur eam non similiter ascriberet trahentibus cæteris vi insita caloris, aut putredine? Eandem autem familiaritatem proposuit Hipp. in lib. de natura humana, quam ex quatuor humoribus componit, docetq; vnumquodq; membrum sibi familiare trahare, vt sanguineum, sanguinem pituitosum, pituitam, &c. atq; ita de purgantibus. Aliqui ad crasin totam ex omnibus qualitatibus retulerunt, aliqui ad formam talem in tali materia; Et est sane *tota rei natura ex materia, & forma certo modo affectis,* quam sequuntur vires & qualitates, vt dicendum sit *Rhabarbarum non simpliciter calidum esse,* sed *calore talis naturæ.* Hinc *Galenum* quidam interpretantur non contra naturam, rationem, & experientiam chymicam, sed pro iisdem, ita vt cum de qualitatibus, & temperamentis disserit, intelligatur præsuppositum principium internum totius naturæ, quod modo efficax est qualitatibus manifestis, modo occultis, totaq; natura. Humanum, hoc est, & longè à moribus Paracelsistarum alienum. *Seuerinus* cap. 2. Ideæ: citat Arist. dictum ex 2. Gen. an. c. 3. omnis animæ, &c. vocat *fundamentum totius Medicinæ.* Nihil de hoc semine & materia apud *Galenum* deprehēdi ait. Etsi enim mentionem faciat *totius substantiæ,* tamen dicit corrigere sententiam, & indicare se totius substantiæ appellatione nihil aliud significare quam *certam commistionem calidi frig. hum. sicci.* Ita ille calumniator sputo Paracelsi obtrectatorio ebrius.

Stoicorum anima.

Spiritus cōgenitus.

Tota substancia Galeni.

Galenus ex rerum natura declaratus.

Si potestis in Hippocrate vti explicationis dexteritate, cur non & in Galeno Hippocratico? *Seuerinus* in Idea scribit vulgares medicos *totam substantiam* dixisse *inexplicabilem proportionem cōmistionis IV. Elementorum.* Si nō mentitur, non sunt Galenici isti medici vt vt verba quædam sectantur. Tuus Hermes hic, si paululū acutius vidisset in suo hagiasterio, bonus foret Galenicus, & simul hac in parte non incōmodus naturæ interpres. Nam *calidū insitum, si non est planè idē cum tota rei natura, saltē est potißimum eius tum fundamentum, tum instrumentū,* id quod Galenus de spiritu animali pronunciabat: nos autem etiam de vitali & naturali ex Aristotele, cum spiritus animalis his sit posterior. Est autem calori coniunctus spiritus, & humor radicalis, vti nosti. Notabis præterea hoc quoque: *Si tota substantia rei & calidum innatum sunt idem, cur seiunxisti primam materiam tuam omnium facultatum originem?* Cur naturam? Cur formam, & potissimum naturam explicasti per ignē? Quid dicendum de principio salino, & Mercuriali? Si calidum hoc innatum, & tota natura est sulphur, an differt à principio sulphure? *Seuerinus:* semen, vitale principium, mumia, materia prima, balsamum naturæ, idem. Hipp. facultates omnes etiam diuersissimas absolui calidi innati beneficio pronunciauit, crises, concoctiones morborum salutares ab eodē proficisci. Dum nomina consectatur tuus Hermes in rerum confusionem, & incertitudinem incidit: Idem cogita, quando *Substantiam virtutū vocas calidum innatum,* quod intelligere oportet vel de subiecto, vel facultatibus insitis, & for- *Virtutum substantia.*

 malibus

malibus, vel de efficiente organico. *Virtutes.n.in creatis sunt accidentia alicuius substantiæ*, vel subiecti, & procedunt ab efficiente. *Omnis animæ virtus aut potentia* inquit Arist. *nobilius corpus participare videtur quam vulgaria elemēta Id autem calor est & spiritus, & natura in illo spiritu analogos ætheri.* Hoc nimirum voluisti dicere. Sed Aristoteles calorē solis & animalium in semine, & semini analogis intellexit. Vide an hic sit tota rei substantia. Nos addimus locum ex 3. Gen.an.c.11. vbi hæc: *Generantur in terra humoreq; animalia & plantæ, quoniam Humor* (Hippocr. AQVA) *spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, &c.* quæ de æquiuocis scripsit: sed attingit etiam vniuoca cum ait: *In fœminis excremētum animalis, h.e. quod principium genitale à mare profectū mouens potentia tale, quale id est, de quo venit, animal efficit.* Item: *ponendum in animalibus generantibus calorem in animali contentum secernendo ex cibo ingesto, & concoquendo facere excrementum, quod conceptus principium sit, nec secus in plantis, nisi quod maris principiū habent intra se mistū. Quod calor in animalibus contentus ex alimento efficit, hoc temporis calor in aëre ambiente contentus ex mari, aut terra concernit concoquendo, constituitq;: Quod autē comprehenditur exceptū in spiritu animali, conceptum facit, motumq; imponit.* Satis opinor declarat naturam calidi innati corporei propter spiritū æthereum in humore radicali: vnde porro facultates, potentiæ, & virtutes rerū vnicuiq; appropriatæ. Galenus in 11. Methodi: Natura tum spiritus est, tum constat ex substātia solidarum particularum, quæ ex semine genitali oriuntur, & carnosarum, quæ singulæ suam habent qualitatem ex contemperatione calidi, frig. hum. sicci. Eandem rem poteras & naturam dicere, & essentiam illam Hermeticam tribus partibus, aut quatuor (vti quibusdam placet) distinctam, interque rudia elementorum corpora quasi sepultam, & paucis totum discursum sanctuarij absoluere: Poteras & iucundè conciliare *Hipp. Galenum, Aristotelem, & Hermeticos* si voluisses. Quid enim tum etiamsi nonnulli rigidi & austeri nolunt audire essentias illas Chymicas? Quæramus saltem ex illis an nihil pudeat altius iudicatum esse à Galeno cum *Euphorbium, Piper*, & similia dicit calefacere? Temperamentum quidem ille materiale & elementare frequentius habet in ore: sed cum interiora respicit, agnoscit & propriam quandam naturam, qua & piper, id est, quod est, & creuit, & nutritum est attracto familiari succo, singulariq; & proprio calore agit, atq; ita etiam suos sapores, & odores habet. Ita Galenum Galenistis morosis, & elementariis opponimus, & Seuerinum mendacij arguimus, qui tum alibi, tum c.9. in Galenum stolidè est inuectus.

SECTIO XVII.

De Elementis.

Pars octaua hagiasterij de Elementis puris.

HErmetem tuum te non in veritatis sanctum sanctorum, sed falsitatis & errorum labyrinthū duxisse, ibiq; tibi non monstrare res quæ sunt, sed quę non sunt, & opinione entiū decipiunt, præter alia etiam elementorum purorum phanthasia docet. Debuit autem is iam à tanto tempore impiis nugis abiectis sapere didicisse, quando elementaria doctrina non tantum à Philosophis gentilibus, & Christianis pure est explicata, verū etiam à Spiritu S. in sacris literis declarata vt nulla alia elementa, nec aliter esse sentiendum sit, quàm quæ etiam nunc sensibus, & experientia, iudicioque communi esse inueniuntur. Sed conferamus opiniones. Fatetur *Hermes priscus mundum constare ex quatuor elementis*, igne, aëre, aqua, terra, quæ ante quàm formarentur materia fuerint *creabilis quidem, sed non creata.* In smaragdina operi solis mystici mundi corporei ortum comparat, arbitratus vt ex aqua prima nascitur sol mysticus, ita omnes res ab illa vna re prodiisse adaptatione *spiritu existente patre telesmi totius mundi & intra se vim genitalem gerente.* Nominat ventum, terram, ignem, subtile, spissum, cœlum, locum superiorem & inferiorem in toto designans: & quia sic mundum creatum esse pronunciat, de magno intelligens, quanquam & paruo conueniat; materia vero corporea ante elaborationem fuit aqua sub qua terra latuit, spiritu & tenebris superficiem tenentibus, alterū declaratur altero. Sed antequam aqua fieret *inordinatum materiæ fluxum* fuisse *Plato Hippocrates, Empedocles, Timæus Locrensis, Democritus* & alij statuerunt. Hinc in Timæo legibus Hermetica illa de *loco, materia, & essentia* prioribus mundi fabrica, & compositione, quæ & *Hermogeniani*, aliisque hæretici in Ecclesiam Christi inuehere voluerunt. *Hermes in Asclepio mundum dicit esse canam rotunditatem, inuisibilem totam quæ ipsa sibi sit qualitatis vel formæ suæ causa, & fiat visibilis per formas specierum visibilium quarum imaginibus* (in tuo hagiasterio) *videatur insculptus.* Item: *Hyle, seu mundus*, inquit, *est receptaculum omnium, omniumq; agitatio, à Deo impletus spiritu: Locus mundi est in quo sunt omnia, quæ absq; eo esse nō potuissent; non natus cum sit, vim totius naturæ in se habet. Locus mūdi in vitali æternitate agitatur estq; æternus, receptaculum temporis. Inanis & sine corpore locato, absque quo intelligi non potest, non est. Impossibile enim est aliquid inane esse. Præstat rebus omnibus ad concipiendum sinus fœcundissimos. A Deo enim præparatus est* (non factus: æternus enim statuitur) *vt sit receptaculum omniformium specierum.* Hæc & similia Hermes priscus ex quibus Platonici dogmata quædam sua collegerunt, nempe *Locum mundi immaterialem ab omni æternitate fuisse*; Et quia inanis ille esse non potuit, materiam confuse agitatam ei indiderunt, prætereaq; impresserunt omnium rerum ideas inuisibiles. Hoc est, *Chaos* illud *Orphei*, & aliorum, qui ei incluserunt *naturam*, induxeruntq; postea *Deum* omnia digerentem non pro nuda potentia, & voluntate, sed optima tantū quæ fieri poterant producentem. Vti *Genus* contra *Mosen* de Philosophorum Græcorum sentētia scripsit. Quia vero generalis ille locus in *potentiales* quosdam *sinus* distinguitur, ex quibus omnia formis sensibilibus, si quę debuerunt esse sensibilia, assumtis prodirent, & orta luce fierent aspectabilia, extructa est illa *Stœchologia* quam tibi Hermes tuus monstrare conatus est. De ea *Seuerinus* mirificè philosophatur. Quid enim elementa? Sunt *prima receptacula totius creaturæ distributa in globum superiorem, qui continet cœlum & aerem: Et in inferiorem complectentem aquam, & terram.*

Hermetis & Platonis dogma factum est assertio hæreticorum Seleucianorum, vel Hermianorum, Manetis, Marcionis, &c.

Mundus Hermetis. Hyle. Locus mundi.

Locus Platonicus.

Nota Paracelsistarum cum hæreticis conspirationem.

Stœchiologia Seuerini.

Atqui

Atqui & hæc ſunt Elementa. Duæ ergo Elementi rationes hinc exiſtunt, *vt localis*, altera *ſubſtantialis* quæ quinque Elementa ſenſibilia continet. Ignem enim quem quintum vocat Elementum, per cætera communiter diſtribuit. Elementa ſunt *quatuor naturæ incorporeæ* (inquit) *Inanes & vacuæ, in quas Deus impoſuit lucem & ſeminales rerum omnium rationes cum principiis corporum quibus induuntur cum proditura ſunt in ſcenam mundanum.* Corpora enim ita ſunt veſtimenta, quæ à Philoſophis putantur Elementa eſſe. Sed abſurdum eſt ſimplices naturas æſtimare ex concretis, & multa veſte indutis. Tria hinc Elementa exculpuntur, *Loca, naturæ nudæ* in locis, & poſtea, *corporibus veſtitæ*: Et quia quatuor locis totidem elementa includuntur: *omnia enim ſunt in omnibus*: Euenit vt XVI. *fiant Elementa*, quatuor cœleſtia (terra cœleſtis aqua cœleſtis, &c.) totidem aërea, & aquea, & terrea. Item: *Elementa ſunt inuiſibilia æterna, nec poſſunt ſine ſeminibus, quæ ſenſibus ſapientum repræſentantur, cognoſci.*

Quinque Elementa Seuerini.
Quat. Elem. incorporea.
Tria Elem.
Sedecim Elementa.

Hic Elementis includuntur ſemina, & radices rerum, ex quibus fructus poſtea dicuntur prodire, ita vt ſi *Elementa* ſunt *æterna*, etiam ſemina æterna eſſe neceſſe ſit. Mox ſeminibus iunguntur dicta principia. *Indiſſolubili nexu inuiſibilia ſemina elementis copulantur.* Vbi ergo Elementum ponitur, ibi & ſemina. Inde adduntur principia. Hinc *cathena aurea*, licet multiplex, fatalis ordo rerum, quo inuiſibilibus viſibilia nectuntur per *vincula*, quæ dicuntur *ſpiritus mediatores participantes naturam æternorum & temporalium, & ex Theſauris incorporeis producentes corporea.* Hinc ordo eſt 1. Iliadus totius mundi, locus ſcilicet Hermetis: 2. Sinus Elementares. 3. Semina. 4. Elementa inuiſibilia in ſinibus: 5. Spiritus mechanici: 6. Corpora. 7. Seminibus principia iunguntur, & admirabilis ſcientia, etiam humana ſuperior, vt inde fructus ſequantur. Aliter: 1. Theſauri æterni ſapientiæ diuinæ: 2. Elementa inde prodeuntia: 3. Semina cum principiis, quæ fundata in alio, vt corporibus, peregrinari dicuntur. Aliter: Fontes abyſſi: 2. Semina cum vitali, & immortali ſcientia: 3. principia vitalia. 4. Elementa. 5. primordia corporum. Quia vero fons abyſſi ſemina continet, & hæc Elementis indiſſolubiliter innexa ſunt, conſequens eſt, Elementa, & abyſſum idem eſſe, nempe proximum receptaculum ſeminalis materiæ cauum, ſolidum, vt plurimum humidum, quia & ſemina ſunt ſpiritualia, & humida propter quæ omnia ſunt facta: quæ eſt mirabilis Philoſophia, quam non *Paulus* tantum ſtultitiam vocaret, ſed & quiuis ex plebe paulo attentior. Aliter: 1. Loca. 2. Prima materia, & corpora ſpiritualia interna. 3. Semina. 4. Spiritus ſeminum: 5. Fructus: 6. Corpora externa. Aliter: 1. Abyſſi: 2. Semina: 3. Spiritus. 4. Corpora inuiſibilia ex ſpiritibus: 5. Principia illis contenta. 6. Elementa interna ſpiritualia. 7. Elementa externa: Inde omnis ornatus. *Adiungitur* autem *ſeminibus, & ſpiritibus ſcientia.* Aliter: 1. Abyſſi. 2. Semina. 3. Spiritus ſocij. 4. loca generationis. 5. commercium cum corporibus viſibilibus. 6. Elementa prima & propria. 7. principia: 8. qualitates. Aliter ex cap. 9. Seuerianæ Ideæ: 1. Motor, ſeu principium vitale, forma, ſpecies, &c. 2. ſcientia motoris, qua miſtiones peragit. 3. Iliadus: 4. Mundus. 5. Semina ex Iliado in mundum prodeuntia ſcientia, & vitali poteſtate motoris. 6. Elementa, qui ſibi conſtituunt ſemina. 7. principia corporum domeſtica. *Miſtio fit ſeminibus nota menſura*, non appoſitione corporum, aut qualitatibus (de quibus Phyſici in ſuis miſtionibus) ſed *tincturis vitalibus per omnia penetrantibus, & ducentibus ſecum omnium virtutes*, &c.

Elementa & ſemina æterna.
Generationũ cathena Homerica Seuerini.
Abyſſus quid.
Iliadus & primum Elementum locus, &c. idẽ.
Miſtio.

Omnino ſpiritu vertiginis correptus *Seuerinus* neſcit vbi habitet, & in labyrinthum naturæ illapſus neque principia, neque exitus inuenire poteſt. Bonus vir: multa dicit, quaſi nuper ex Theſauris & abyſſis naturæ prodiiſſet, omniaque nuda vidiſſet: ſed nihil probat. Caret enim principio: & quia nugando vagatur per Vtopiam, totus fit *Elementarius ambulo.* Nam 1. Elementa ſunt Loca. 2. Elementa ſunt principia quia cum principiis. 3. Elementa cum Elementis ſingulis vt in vno ſint quinque. 4. Elementa globi cœleſtis: 5. Elementa globi inferioris. 6. Elementa concretatum ſeminum virtute. 7. Elementa communia, ſeu vulgaria carentia dynami interna, tantumque prædita primis, & ſecundis qualitatibus, quæ ſunt ſteriles: quæ tamen Elementa dicuntur fructus ſeminum, & priorum elementorum, inſeruientes generationibus perenni fluxu: ſunt *corpora arcanis deſtituta.* 8. Elementa conſpirantia cum principiis. 9. Elementa in ſapientiæ æternæ Theſauris, quas niſi loca dicerentur, putares eſſe exemplaria, & Ideas in mente diuina; 10. Elementa ſpiritualia, quæ primis miſceantur. 11. Sunt interna & externa: 12 Sunt propria rebus quibuslibet & vltima: ſunt communia. Ecce quanta copia doctrinæ Elementaris: & tamen Peripatetici, Galenicique vocantur *Elementarii*, non autem Paracelſici? Sunt & *Hippocratis* Elementa apud *Seuerinum.* Quæ illa? *Calidum, frigidum, humidum, ſiccum*, ſeu *ſanguis, pituita, bilis vtraque.*

Seuerini Labyrinthus.
Multiplicia Elementa Seuerini.
Elementa Hippocratis.

Non autem intelligit abſoluta Elementa, ſeu communia & ſimplicia: Sed *ſemina*, quæ elementa, & materiam talem, vt ſit calida, frig. hum. ſicca effecerunt. Alibi dicuntur intelligi humores, non qua humores, id eſt, aquei liquores, ſed qua ſucci ſunt principiis, & ſeminibus fœcundi ad ſalutem & morbos. Bona eſt excuſatio *Humoriſtarum.* Sic ergo & *Galeniſtæ* humorales, & *Elementarij* tranſcribuntur in Hermeticorum familiam, in qua præter quatuor humores eſſentiales, excrementios, & præternaturales, Item præter ſerum, & ichores, inueniunt etiam Synouiam circa articulos, & alia ſimilaria exanguia. Sed cum multa verba fiant de Locis quoque, quænam ſunt illa loca apud Seuerinum? *Elementa ſunt loca, matrices, domicilia.* Num vacua & nuda? Non, ſed *vitali validaque poteſtate munita, quæ fouent ſemina generationi conſecrata, & digeſtis temporibus ea ſuſcitant, & ad generationem promouent. Ea loca emeritis iam rebus iterum præbent receptacula in quibus ſunt immutabili quiete beata.* Nam Seuerino nihil interit, nec quicquam ex non ente generatur: Sed ex loco ſuo omnia prodeuntia naſci dicuntur, & poſtea ad eadem cum reuertuntur, corrumpi putantur. Itaque *non ſolus Deus ab æterno eſt, ſed & Loca,*

Humoriſtæ recepti in album Hermeticorum.

& semina, & rerum ideæ, seu vt cum Hermete vetere, Platone, Hermogene, Origene, &c. Paracelsistæ quoque insaniant, Locus, materia, essentia. *Loca* sunt *incorporea dimensionibus carentia.* (Ergo infinita) Si enim dimensionum lege constarent, longo scilicet, lato & profundo, non reciperent tantam multitudinem corporum, seminum & principiorum: quæ tamen ratio Elencho caret. *Qualia enim sunt loca, talia & locata*: potentialia scilicet, quæ isti vocant spiritualia, inuisibilia, incorporea. Negat infinita esse: quia *terminantur virtute vitali.* Hoc ipso inquam dimensione non carent. Sunt loca ridicula, & Vtopica vt forma tui, *Hartmane*, Hermetis. Sunt *vacua.* Cur? Quia alias aliis seminibus plus essent obligata quam aliis. Inepta ratio est. Neque enim hinc sequitur vacui necessitas. Supra Elementa, quæ eadem sunt loca, indissolubili nexu cum seminibus cohærebant. Quid præterea? *Sunt abyssus, radix, nox Orphei, orcus Hippocratis, Iliadus Paracelsi, cortices seminum steriles: Matrices, agri, ventriculi & Elementa quibus foueri possunt semina.* Species mineralium seruantur in Nocte Orphei, Iliastro Paracelsi, orco Hippocr. & rationibus seminariis naturæ, Item beatis locis elementorum. Sic Loca sunt sanguis, synouia & alij humores in quibus locantur morborum semina. Qualia sunt? Instructa suis proprietatibus vitam, & alimentum suis seminibus exhibentibus. Omnino res sunt admirabiles, vacuæ, non vacuæ, steriles, fœcundæ, æternæ, & omnia. Cum *Seuerinus* Peripateticis mistionibus, & contemperationibus sit iniquior, ipsene nullas statuit? Imo statuit. Nam *tria sua principia negat esse in Elementis*, scilicet vulgaribus externis: sed in mistis. Quænam miscet? *Elementa* (spiritualia interna) & *principia.* Quo modo? Spiritus mechanici virtute & scientia sua dum generatio est ex seminibus in locis suis, & nutritio ex alimentis, miscet primum Elementa cœlum, (pro igni) aerem, aquam, terram (quæ non illa aspectabilia externa esse oportet, sed spiritualia interna, sub externis tanquam indumento latitantia) inter se. 2. Miscet & principia inter se. 3. Principia & Elementa. 4. Omnia includit, immiscetque externis corporibus, in quibus sunt qualitates primæ, & secundæ, atque ita fit, vt hæ quoque sint cum principiis. An vero semina nullam habent mistionem? *Si fructus sunt misti, etiam radices, semina, & plantæ.* Verum mi *Seuerine* frustra laborasti. Primum poteras corrigere veterem impietatem de locis, materia, & seminibus æternis. Neque enim veritas diuina istud patitur figmentum. Deinde longe compendiosius ex *Mose* docuisses *Deum creasse quatuor Elementa ex nihilo*, simulque tunc incepisse & loca, & tempora, & tenebras, veluti priuationes, quæ ante non erant. Quanquam enim dicere possis ista omnia ab æterno à Deo decreta fuisse, & in Thesauris Sapientiæ, potentiæque diuinæ latuisse; tamen ab extra nihil fuerunt, & nostra Philosophia non scrutatur profunditatem deitatis. Cum porro elementa creata essent rudia, informiaque vtpote tenebrosa, & actu indiscreta quodammodo, *Deus intulit lucem*, & distinxit singula *actibus secundis.* Inde *Plantas* ex segregata arida iussit produci, seu, vt alibi explicatur, *ipse creando produxit.* Plantæ vero sunt corpora iam mista. *Is qui creauit*, etiam *miscuit pro sua sapientia sine ope spiritus cuiusdam mechanici, aut seminum scientia.* Mistis istis inseuit vim vegetalẽ, qua non tantum alerentur, & crescerent, sed & semen in se ipsis gignerent, & hoc instrumento se porro propagarent, in loco generationis suæ, præsentibus adminiculis externis vniuersalibus, & particularibus, quæ Deus sua confert benedictione feliciter, vti & eadem postea inducto peccato aliter disposuit. Si quæris de mistionis materia? Dico Deum contemperasse Elementa interna, hoc est, *essentias procreasse constantes puris Elementis, & calido ætherio seu substantia illa virtutum, eaque coniunxisse externis mundi externi vim passuris.* Ita possumus recte dicere Elementa esse duplicia, *interna & externa:* & interna perfusa esse *principiorum essentia*, cumque hac coaluisse in vnum: Externa vero quasi internorum crassamenta esse, contagia elementorum mundi patientia. Sunt autem hæc congenea cum aere, aqua, terra, igne extra mistionem existentia. Vnde si omnino velis Elementa discernere, diuidere ea possis in *diffusa*, seu extra mistionem, & in *mistione certo modo disposita*: Et hæc rursum distinguere in *crassamenta*, & *spiritualia*, quæ sunt pars essentiæ illius, quam quintam vocamus, constantem ex parte ætheria, & Elementari spirituali, non incorporea sed corporea. Loca vocare elementa, & alia superflua comminisci, nihil attinet. Idem dicas de mineralibus, & vegetabilibus. Ita ars separando inuenit, & demonstrat.

Loca vacua: contra Hermetem qui negat vacuũ, vt & societas Roseæ crucis.

Loca qualia.

Mistio Seuerini.

Correctio Seuerianorum Paradoxorum. Physica Theologica.

Planta.

Materia mistionis diuina.

Elementa duplicis rationis.

Quinta Essentia.

Aristotelis & *Galeni* mistiones elementares, sunt tantum populares, & ad sensus, captasque vulgatos comparatæ, vt methodus aliqua appareat scientifica. Sed cum explicant penitiorem rerum naturarum, alia est apud ipsos Philosophia. Itaque cum externas mistiones describunt, nos oportet simul de internis cogitare, & ad principium creationis recurrere. Nam *perfecta non iam miscentur, sed in initio sunt mista*, licet tanquam de iam mistis disseratur, ex arte potius quam ex natura, vt discentibus quodammodo fundamenta prima, seu rudimentes repræsententur. Alias quis summis istis viris eam infantiam, & imperitiam tribuat, vt putauerint ex vulgarium in externis mundi spaciis elementorum commistione prodire posse tam præstantes naturas quales comperimus in sympathiis, antipathiis, alimentis, confortantibus medicinis, pharmacis, alexipharmacis? Habuerunt illi *coctiones, infusiones, expressiones*, chymicarum operationum rudia simulacra, quorum reliquias spoliatas esse virtute essentiali viderunt: Item in resolutionibus aliis per putredinem, corruptionibus violentis, & similibus spiritus quosdam, & succos essentiales cognouerunt. Tamne pueriliter senserint ista fieri posse ex congerie externorum elementorum? Sed ista mittantur. *Crollius* licet *Seuerinum* de Elementis valde sequatur, atque etiam describat nonnulla, tamen illam confusam amplitudinem digessit, & circumcidit. *Elementa* agnoscit quædam *interna* quæ sunt fœcunda, coniuncta scilicet cum principiis, seu essentiis dictis; quædam *externa* in quibus vigent illæ *qualitates* potissimum, quæ *prima* elementares, & *secunda* dicuntur.

Mistio Peripatetica.

Crollii Elementa.

Hæc & *receptacula* vocat, sicut & vera spiritualia totius creaturæ, in quibus sint vita, actus,

& essentia

& eſſentia vniuerſorum entium, Item *ſemina rerum* ſine quibus elementa noſci nequeant, ita vt ſi elementa per ſe, ſeu abſtracte conſideres, ſint inanes naturæ. *Ex quatuor Elementis extractum hominis corpus* eſſe ſcribit: In ſingulis ex *Paracelſo* vult habitare quoſdam *dæmones*, &c. Omnino ponit primum externa Elementa vaga, ſeu ſeorſim extra miſtionem, quæ ſunt domicilia dæmonum, & vt videtur velle, etiam ſeminum omnium eorum quæ naſcuntur. Deinde ex his conficit *tunicas elementis ſpiritualibus internis*, inuiſibilibus, veris. Tertio habet *Elementa elementata*, quæ mihi videntur eſſe ex vtriſque elementis, & eſſentiis incluſis conflata, vt ſunt *humores Hippocratis*, qui miſti ſunt ex Elementis, & eſſentiis, & tamen iterum ſunt elementa corporum ſimilarium, quæ Elementa diſſimiliarium. Sed volo tuum Hermetem audire.

Dæmones in Elementis.

Primum Elementa tibi ille proponit tanquam *ſpacia immenſa & vacua*. Miror qui videre potueris *immenſum*, & *vacuum*, cum, vt videas, plenum lumine, & terminatum eſſe oporteat. Deinde nugatur tuus *Hermes* cum ſpacia vocat elementa. Locum ſi abſtracte conſiderare velis, imaginem fingas alicuius vacuitatis: ſed ea non eſt elementum, cum neque per ſe ſubſiſtat, neque aliquod aliud conſtituat. Si elementa vocare velis omnes rationes, & affectiones rerum, omnia in vnum chaos infinitum confuderis: & quorſum iſta veritate vacua, & inanis ſpeculatio, quæ ad impietatem Platonicam, & hæreſin Hermogenianam poteſt promouere diſcentes: ad naturam autem rerum, & medicinam quid facit? Si locata ſunt, relata affectio docet loca quoque eſſe. Quando vero corpora ipſa cum locis ſimul ſumimus, vt cum *Ariſtoteles* dicit ad generationes etiam loca, & tempora conferre, vel cum matrices nominamus, modificate dicimus, eſtque virtus non loci, qua locus, ſed corporis in quo terminus locantis & locati vnum eſt, aut ſimul. Ita delirat tuus *Hermes* loca ſpatia vacua eſſe volens, & tamen eis tribuens aſtra, ſeu ſemina generationi deſtinata.

Elementa Hartmani. Elementa an vacua ſpacia.

Semina non ſunt in locis, niſi qua ſunt corpora locata, & ſic aliud quiddam. *Si ſunt in Elementis, non in eis ſunt vt in locis, ſed vt ſemen arboris in ſua arbore*, hominis in homine, canis in cane. Ita Deus cum res crearet, non dixit *ſemina ſint in Elementis*, vel hoc illoue loco, ſed: *germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Hic ſemen effectuum eſt cauſſæ efficientis ſpeciei cuiuſque in ſe, & non in alio. Ita & de ſemine humano diſſerendum eſt, quod ſit in gignente ſecundum potentiam, fiatque actu ſemen quando poteſt ſimile procreare ſecundum naturam. Quam ſtultam eſſet dicere *ſemen Abrahæ eſſe in Elementis, inuiſibilibuſque illis locis, & non potius in lumbis patris Abrahæ?* Phantaſia inanis eſt ſeminarias rationes includere elementis tanquam locis, & inde poſtea fructus producere. *Semen per quod fructus gignitur, & ſimile propagatur eſt medium quoddam naturale à generante deciſum, eaque inſtructum potentia, vt in debita matrice, cauſſis externis accedentibus, & bene diſpoſitis, incipiat moueri eo motu, cuius principium accepit à generante, quo & moueri non deſinit, niſi accidens prohibeat, donec ad ſubſtantiam generanti ſimilem acceſſerit.* Si dicis: at ſeminea illa virtus eſt ratio in Elementis ſpecie liquoris ſoluti, vel coagulati conſiſtentibus: iubeo te cogitare eſſentias eſſe potiores, quæ deſignantur calido innato, humido primigenia, & ſpiritu vitali: & hæc vna eſſe elementaribus deciſionibus implicata, vt ſic poſtea ex hac ſemine fiat ſubſtantia, quæ ſimilibus nutrita creſcit, & abſoluitur iuſta menſura. Abiice ſtultam de loco opinionem, quæ hic locum habet nullum.

Semina in Elementis.

Cum ſemen coniectum eſt in matricem, licet tibi hanc localiter conſiderare, ſicut & Elementa mundana, quatenus in illis locata continentur, quorum viciſſim locus eſt cœli ambitus. At ſemen in ſemen gignente ſic neutiquam eſt. Si vaſa ſpermatica conſideras poſtquam perfectum iam ſemen eſt, loqui de iis poſſis, vt de vaſe aliquo ſicut & de pomorum matricibus. At iſta non ſunt elementa, nec ad rationem ſeminis, qua ſemen ſunt loca. Vocas poſtea Elementa *abyſſos*. Notum eſt ſcribi in Geneſi tenebras fuiſſe ſuper facie *abyſſi*, *Thehom*, quæ vox duorum elementorum terræ & aquæ (globi inferioris *Seuerini*) immenſam profunditatem, & voraginem ſignificat: alias & mare profundum, aut eius altitudinem. Si hoc vis, potentia creationis omnia ſemina ex terra & aquis creatorum fuerunt in abyſſo. At non amplius ſunt. Iam enim in vnoquoque creatorum generatione propagantium ſuam ſpeciem ſemen ineſt potentia, nec amplius in indeterminata abyſſo maris, & terræ. At neque tunc ſemina fuerunt in eis vt in loco. Impium id eſt Paracelſiæ ex gentilium figmentis & ineptis comparationibus commentum. Si autem intelligis *altitudinem, & profunditatem conſiliorum Dei, & in abdito prouidentiæ latentes naſcendi rationes*, temerarium eſt de elementis, & locis garrire. Ego tibi ſuadeo ne velis credere ſtultitiæ *Hermetis*, ſed ex diuinis libris, & natura per ſe inquirere veritatem. Aliqui *Chaos* vocant *abyſſum*. Sed ſenſus ad ſcripturam eſt accommodandus, non ad fabulas *Orphei*, *Timæi*, *Platonis*, & ſimilium. Tu cum *Seuerino* nugari maluiſti quam per te ſapere. *Eſt orcus Orphei.* Rideo tuum Hermetem. Si is diceret te antequam naſcereris in Orphei orco fuiſſe, vbi eſt *Pluto, Proſerpina, Cerberus, Tartarus* & alia quæ ab *Homero*, *Platone*, & *Virgilio* deſcribuntur, eodemque reuerſurum, hoc eſt, *à diaboli ſede in mundum veniſſe, & ex mundo ad diabolum reuerſurum*, indignareris opinor? Vnde nouit tuus *Hermes Orpheum in orco* fuiſſe? Vnde tu ſcis ſemina rerum ex *Orphei inferno* venire? *Vbi eras*, inquit Deus ad *Iobum*, cap. 38. verſ. 4. *cum ponerem terræ fundamenta?* Iob iuxta tuum *Hermetem* recte reſpondiſſet, *Eram in orco Orphei*: vel *Æneæ* in *campo Elyſio* vbi recenſuit *Anchiſes* animas naſciturorum. At *Iob* neſciebat ſe naſciturum eſſe. Memento, *Herme* veſane, quod ignores opus Dei: Iob cap. 36. verſ. 24. & cap. 37. verſ. 16. *Nunquid ingreſſus es profundum maris, & in nouiſſimis abyſſi ambulaſti?* Iob. 38. verſ. 16. *Abyſſus negat in ſe eſſe ſcientiam: Iob 28.* At ſtulti Paracelſiſtæ eam tribuunt ſeminibus in ea & *Orco Orphei*. Apud *Eſdram* lib. 4. qui eſt apocryphus, modificatæ locutiones tales multæ

An Elementa Abyſſi.

Orcus Orphei vide Platonem lib. 10. de Rep. vbi narratio erit Armenii genere Pamphylii.

multæ inueniuntur; vt cap. vlt. *Deus ſcrutatur abyſſos, & Theſauros illarum.* Num Elementa Paracelſi, & ſemina? *Spiramen Dei fecit omnia abſconſa in abſconſis terræ:* Num ſemina *Seuerini*? cap. 7. legimus *de animarum promptuariis* in quibus ſeruantur vſque ad diem iudicij. At illa non ſunt elementa, nec loca ſeminum quibus creſcunt mineralia, plantæ, beſtiæ. Iob. cap. 17. *Infernum vocat domum ſuam:* num Orphei orcum? *Mors domus omni viuenti.* Iob. 30. ℣. 23. Num Orphei orcus? Iob. 26. verſ. 7. *Deus extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* Ergone ſuper orcum Orphei? Pſalm. 38. 15. *Dauid dicit os ſuum factum à Deo in occulto, & compoſitionem in inferioribus terræ:* Num in orco Orphei? An ignoramus id quod vulgo fit, & *Dauid* Pſalm. 51. verſ. 7. fatetur ſe à matre conceptum eſſe ex patre? Num pater ex orco Orphei filium attraxit, qui a matre conciperetur? Quod *Salomon* Sapient. 7. 1? *Sum mortalis homo ſimilis omnibus.* Num prorepſiſti ex orco Orphei? Non: ſed *ſum ex genere terreno illius qui prior factus eſt* (1. Corinth. 15. 47. *primus homo de terra terrenus?* qualis terrenus, tales & terreni. Num *Adam* genuit filium ad imaginem ſuam: non ſuſcepit ex orco Orphei, ſtulti Paracelſi Iliado, & aliis deliramentis hominum vaniſſimorum) *& in ventre matris figuratus ſum caro: decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis*, &c. ſicut Iob cap. 10. ℣. 8. 9. 10. 11. Ita non ex Orphei orco reſuſcitabuntur corpora, aut repetentur animæ, ſed corpora ex terra, animæ piorum ex manu Dei, & ſinu *Abrahæ*: impiorum ex inferno, vt eſt Luc. 16. reuocabuntur in ſua corpora, nempe ex iis locis in quibus ante mortem temporalem non fuerant. Tu tantus Profeſſor Chriſtianæ pietatis id ignoras? Num vt ex vtero matris progreſſus es, hoc eſt, ex orco Orphei, ita in eum denuo eſſe ingreſſurus? Vide quantæ impietatis, & ſcandalorum ſis Profeſſor.

Orcus Hermetis.

Apud veterem *Hermetem Orcus*, ἅδης, eſt *Imum mundi illuminatione ad videndum carens*, vt Tartarus Virgilij cap. 10. *Aſclepij* dicit eſſe *Imum in quo fingit procellas aeris, ignis, aquæ, & fluctuum mundanorum inter cœlum & terram, in quod præcipitentur animæ pollutæ, vt pœnas æternas ſuſtineant.*

Orphei argonautæ orcus.

Nulla ibi miſtorum corporum ſemina. At tuus *Seuerinus* illo loco delectatur ad miraculum vſque. Itaque rectius poſuiſſes pro *Hermete Seuerinum*. *Orpheus* in Argonauticis ἀνάγκην ἀμέγαρθον χάος habet: Deinde Saturnum dicit λοχεῦσαι (peperiſse) ὑπ' ὁλκοῖς ἀπειρεσίοις (infinitis tractibus) ætherem & amorem διφυῆ *patrem noctis* ſemper genitæ, *vnde gigantes* terræ filij, σπέρμα γονῆς τὸ πρόσθεν ὅθεν γένος ἐξεγένοντο θνητῶν οἳ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον αἰὲν ἔασι, &c. Vbi tua ſemina, tua Elementa, tua loca, & orcus Orphei? *Vt monſtroſum quid dicatis, monſtroſa vocabula, ex pollutiſſimis gentilium ſomniis colligitis*, quæ Orpheus dicit ſe cognouiſſe: Ταίναρον ἢ νυκτὶ ἔβην (inquit) σκοτίην ὁδὸν Ἄϊδος εἴσω: & in Ægypto didiciſſe. Mirum quid Orpheus potuerit videre in tenebris: ſed mirabilius Paracelſiſtas nugas eius reponere.

Orcus Hippocratis.

Seuerinus etiam *Orcum Hippocratis* deguſtauit. At ille miſer ſtygia caligine occæcatus non vidit *Hippocratem non ſuo nomine Orcum iſtum* (ᾅδην) proponere in libr. 1. de diæta, ſed *vulgi*, cum inquit: *Homines putant hoc quidem ex orco in lucem auctum generari, illud vero ex luce in orcum dum imminuitur perire, & corrumpi. Sed oculis magis oportet credere quam opinionibus*, &c.

In orco Hermetis noui quid rerum.

Tui Hermetis iudicio Elementa pura ſunt in illo orco, fouent ſemina rerum, ſuſcitant certis temporibus, promouent ad maturitatem (intelligo ſemina quidem per ſe eſſe matura, ſed vt ex eis naſcantur mineralia, plantæ, animalia, & matureſcant, id Elementa procurare:) Deinde concedunt iterum, poſt corruptionem ſcilicet, quando expleuerunt ſua fata, ſeu ſtipendia emeruerunt ad priſca diuerſoria, & habitacula, vbi ſint beata æterna quiete immutabili, &c. quæ omnia ſunt Ebriorum febricitantium ſomnia vaniſſima. Si Elementa ſunt, qui poſſunt habere vires ad fouendum, & exuſcitare in ſe latentia ſemina? Quibus putas te poſſe iſta deliramenta perſuadere? Qua vi ad natiuitatem perducunt genita ex ſeminibus? An ignoramus ex quibus, & vbi naſcantur res generationi ſubiectæ, & quibus præſidiis adoleſcant, nutriantur, conſeruentur? Vbi eſt tuus Orcus in terra nobis & cuiuis Agricolæ nota, tu mari, & aere? Vbi eſt in vtero matris tuæ, & in lumbis patris tui, & maiorum? Plus quam ſtultum eſt *ſemina illa dicere, quæ iam ex ſeminibus corruptis ſunt enata, & cum corrupta ſunt, nihil amplius ſunt, niſi quod corpora mittant ad ſua primordia*, formæ vero, qua fuerunt id quod fuerunt, præter animam hominis, pereunt. Iohan. 12. 25. *Semen in terra mori debet vt fructum afferat.* 1. Corinth. 15. 36. *Stulte, quod ſeminas non prius viuificatur niſi moriatur. Quod ſeminas non eſt corpus quod futurum eſt, ſed granum tritici*, &c. *Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & vnicuique proprium.* Si moriuntur ſemina qui adoleſcunt, & matureſcunt? Quo modo à corruptione poſſunt reuerti in ſuum orcum? Imo quo modo ibi eſſe beata poſſunt immutabili quiete? Quæ hæc beatitudo, æternum quieſcere? Num & tui parentes immutabiliter in Inferno Orphei quieſcunt? Cane ergo eis *requiem æternam*. Deus interim faciet omnia noua ſub tempus regenerationis, & reſtitutionis omnium, & tunc creatura liberabitur à ſeruitute vnitatis, & corruptionis.

Qua vi ſemina in orcum retruſa ibi quieſcunt.

Qua vi qua ſo ſemina in ſpatiis Elementariis, Orco Orphei, & diuerſoriis ſuis iſta omnia ſtatiuntur? *Vi Verbi*, inquis: Qua vi? *Explicante multitudinem vnitam* (ex vno faciente multa) *& adaptante* (vt eſt in tabula *Hermetis*: ſicut omnes res fuerunt ab vna meditatione vnius, ſic omnes natæ fuerunt ab hac vna re adaptatione, quaſi vnum adaptatum multis euaſerit multitudo) *ſingula imperſcrutabili ſeparatione locis & congruis temporibus* Vnde tu hæc? Nunquid Deus indiget tuo mendacio vt pro illo loquaris dolos? Iob 13. verſ. 7. Quanto illuſtrius eſt oraculum Geneſ. 1. 22. 28. *Creſcite & multiplicamini?* Quo modo? Num in orco Orphei? Num in ſpatiis fictitiis, quod vocantur elementa pura? Neutiquam: ſed *vnumquodque ſemen ferat in ſe ipſo quod Dei benedictione multiplicatur. Ex vnius Adami ſanguine Deus fecit vniuerſum genus hominum*: Actor. 17. Geneſ. 15. 5. Semen Abrahæ ad numerum ſtellarum Deus auget, vt & cap. 12. verſ. 2. Non fuit in lumbis *Abrahæ* infinita ſeminum congeries, quam Deus poſtea explicauerit; ſed ipſe *Iſaacum* genuit, qui *Iacobum*, patrem XII. Patriarcharum, qui in gentem innumerabilem ſunt multiplicati ſeminibus eorum Deo benedicente, quam facul-

tatem seminum producendorum cum suo corpore & anima per generationes plures ab *Abrahamo* acceperant. Longe fœcundior est benedictio in plantis, & bestiis, vt legere est Genes. 26. ℣. 12. de semente Isaac, & de bestiis Genes. 30. vers. 30. Si sapies tuum Sanctum Sanctorum per Vulcanum mittes ad noctem, & orcum Hippocratis, & Orphei, tuosque discipulos duces in hagiasterium diuinæ veritatis, vbi non cum porcis Paracelsicis quisquilias vorent, sed Esca veritatis diuinæ abunde satientur.

Sectio XVIII.

De Sancto Mesaulo, & rebus intermediis eo consentis, primumque de eius forma Pyramidali & luce cœlesti. *Sanctum Mesaulum.*

PEr ambulasti cum tuo Hermete Sanctum Sanctorum, nempe magna fiducia, ausuque prius irrumpens in locum maiestatis, quam te in terra esse, & à nobis notioribus ad notiora naturæ perueniendum, intellexisti: A summo itaque descendis per intermediam quandam *Pyramiam*, cuius apex est in diuinis, basis in mundanis: seu conus in cœlestibus summæ simplicitatis diuisionem materialem non admittentis, fundamentum in corporeis mensurabilibus. Sane ex hieroglyphicis constat *istam figuram quasi coniunctionem principii indiuisibilis perfectissimi, & à principio dependentium, aut totius perfectionis habitam fuisse*, indeque *sumtum triangulum vni, alteri, & continuo*: seu vt nos loquimur creaturis, in quibus homogeneum, & heterogeneum, consentaneum, & dissentaneum, & continenti res omnes, vnientique creatori, seu diuinæ prouidentiæ applicatum, quanquam & *soli creatori Triuno mysterium trianguli plani, & solidi* attributum à nonnullis videamus, nuperque *Thrasibulus* in amphitheatro suo sic repræsentauerit tum *Sanctissimum Dei nomen Iehouah*, tum *Vrimjah*, seu *ignem Domini*. Notat *Cælius Augustinus* commune subiectum, & informem substantiam formarum susceptiuam eo signo fuisse ab antiquis notatam, posse quod eodem *naturam* rerum omnium parentem designari. Ab indiuisibili diuinæ potentiæ puncto per verbum voluntatis diuinæ progressa creatorum natura se dilatauit ab extra, atque ita basi solida conseruationis diuinæ constitit. Non immerito itaque & tuus Hermes per talem Pyramidem descendit, modo Sanctum Sanctorum recte instruxisset, & à sui notitia, creaturæque in diuinitatis templum iuxta Roman. 1. ℣. 19. ascendisset, quod iustum erat in naturæ contemplatione. Secus se res habet in mysterio Reuelationis per filium, qui cum in sinu patris ab æterno esset, inde ad nos descendens arcana voluntatis, & notitiæ Sacro Sanctæ detulit. Tuus *Hermes* neutiquam est Dei filius, nec scit illa secreta. Sed quas res in illa Pyramide inter cœlestia & inferiora (fors *Seuerinus* tuus dixisset inter globum superiorem & inferiorem Macro- & Microcosmicum) vidisti?

Pyramis.

Triangulus Deo accommodatus.

Primo LVCEM. Ea fingitur quæ, qualis, quanta, iuxta Dialecticorum argutias, quibus tria prædicamenta, vnum substantiale, duo accidentalia inquirunt. Sed pluribus argumentis eis natura explicari poterat.

Visa in Pyramide seu itinere ex cœlo in terram. *Lux infusa foris.*

2. Dicitur *infusa vberrim & confertim per potentissimas fenestras*. Hermeti tuo forsan condonanda seu inscitia, seu opinio est. Non enim sufficientem notitiam creationis diuinæ habuit. Sunt ex Christianæ professionis nonnulli qui cum S. *Paulo* recte quidem statuunt *Deum habitare lucem inaccessam*, quæ æternitas videtur vocari à Propheta (Neque enim Deus ab æterno ante conditum mundum in alio quam in seipso habitauit, nisi velimus aliquid aliud præter & extra Deum æternum facere & vnitatem simplicissimam essentiæ diuinæ geminare) sed ijdem aliam quandam proponunt creatam extra mundum in cœlo angelorum, seu Empyræo, quæ per potentes fenestras, postea impletas stellas, primo creationis die irruperit, atque ita lumen intulerit rudi mundo. Non desunt qui etiam nunc luminaria, & stellas velint vasa quædam, & dolia caua esse, per quæ lumen extrinsecum in mundum illabatur. Huic commento affinis est dictio tui Hermetis. Quid enim est *Lucem confertim & vbertim per fenestras patentissimas infund* aliud? Si de lumine intelligentiæ, diuinitus infusæ angelis, & hominibus loquereris, ferri posset symbolica, seu parabolica fictio. At *naturam* explicare tuus *Hermes* volebat. Qui de lapidis magisterio philosophantur, & artificium describunt, fenestras in suo laboratorio, & Athanore fieri iubent, vt ex cœlo immissa luce contemplari morem, & gestionem materiæ possint. Credendum forte est huc ipsum respexisse. Veruntamen ad alia deflectit. Quæ ergo est illa lux? *Est potentissima illa, primo creationis die à patre luminum è tenebris producta.*

1. Tim. 6. 16. *Esa. 57. 15.* *Vide haresin antitriadistarum & Vorstii apud stadiũ vbi Deus includitur æterno cœli loco, & finitur.*

Lux Hermetis noui.

Tuus quidem Hermes ista scire non potuit: tu vero quod dicis non satis lucide dicis. Apostolus 2. Corinth. 4. 6. scribit: ὅτι ὁ θεὸς ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι. Nihil aliud voluit quam quod prior Moses Spiritu diuino scripserat, εἶπεν ὁ θεός· γενηθήτω φῶς. Cum enim initio tenebræ essent cum rudi mundo creatæ, Deus postea creando per verbum omnipotens lucem produxit, non ante existentem immisit. Ita loquitur & in Esaia cap. 45. vers. 7. *Ego Dominus non est alter, formans lucem, & creans tenebras.* Num ex tenebris, quas nos luminis priuationem in medio perspicuo dicimus, tanquam ex matetia creauit? Qui ex nihilo potuit cœlum & elementa, quid ni & lucem. Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Siue ex nihilo negatiuo, siue ex tenebris Deus lucem fecit, cum prius nihil, seu non esset, fecit. Itaque videris de tui Hermetis fenestris, & materia creabili quidem, sed non creata.

Qui *effectus illius Lucis*? Ex diuinis literis certi sumus *Lucem primæuam vocatam esse* DIEM, eamq; cum tenebris oppositis vicissim circumactum discreuisse inter diem, seu diurnum tempus & noctē. Ita postea officium hoc *Solis* ad dictum est, qui motu suo tempora mensurat, lumine vero medium illustrat,

Effectus creata lucis Hermetica.

In pœnis diuinis tempore veris ſæpe habuimus dies lucidos, ſed quibus nihilominus perierunt germina propter frigus.

illuſtrat, præeſt diei, & lucet ſuper terram. Quid tu? *Lux illa omnia vegetat, fœcundat, viuificat.* Quid? *Lux primi diei*? Abuteris Hermetis tui inſcitia. Non eſt iſtud *lucis primæuæ munus*. Qui per *ſpiritum Domini ſuper aquis ſe motitantem, Deum creatorem accipiunt*, vim iſtam huic recte aſſcribunt, & huc accommodant Pſalmi 104. verſ. 30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*: Item Sapient. 1. ℣. 7. *Spiritus Dominus repleuit orbem terrarum*; Pſalm. 33. verſ. 6. *Verbo Domini*, &c. Num tuo mendacio indiget Deus ad commendationem gloriæ ſuæ? Aquæ erant tunc; Erat ſub aquis terra; Erant in aere ſuper abyſſi tenebræ, à Luce in aduerſum hemiſphærium abactæ. Nihil viui, & vegetantis naturæ erat etiam luce exiſtente. *Niſi Deus plantis, beſtiis & homini creando vim vegetam, & viuificam contuliſſet, lux nihil potuiſſet*: imo ne hodie quidem poteſt aliud quam olim, naſcunturque res etiam abſente luce modo calor aſſit, & viuunt. Dum autem dicis OMNIA *vegetare & viuificare*, & fœcundare, magnifice mentiris. Neque enim iſta vita deprehenditur in æthere, ſtellis, aere, aqua, terra, lapidibus, luto, ſicut nec in ædificiis, & veſtimentis tuis, ſi tu abſis. Sed eſt tamen illa lux etiam aliquid aliud. Quid? CALOR, *Ignis cœleſtis*. Te lucem primæuam, diei creationis primi, *Ignem* vocare aliquo modo, facile patimur. Alias tu tui Hermetis Doctor eſſe debuiſti, eumque rectius informare, nempe quod *Spiritus Sanctus illam lucem non vocet Ignem*, ſed OR; & ita Pſalm. 148. *Laudate eum Sol & luna*: *Laudate eum omnes ſtellæ* OR: *quæ eſtis lux*: Verſu octauo ſigillatim de *Igni*: *Ignis, grando, nix, fumus, ſpiritus procellarum*, &c. *laudent nomen Domini*. Hic eſt vox *Eſch*. Nouimus tamen ſtellas & luminaria vocari ignes cœleſtes, & vocabulo or etiam aliquando ignem ardentem ſeu flammam deſignari, Deum illum Perſarum, & Chaldæorum. Tunc autem VR pronunciatur. Quod ad *calorem* attinet, vt in hagiaſterio delirauit tuus Hermes, ita & in Meſaulo, ſeu aula intermedia. Neque enim *Lux* & *calor* ſunt idem, & multæ luces non ſunt calidæ. Conſule matheſin & aſtrologiam tuam de *ſtella Saturni frigida*. Hybernis ſerenitatibus quibus niues omnem proſpectum implent, ſat lucis habemus, ſed nihil caloris. Ita montium cacumina in medio aere fere frigent, licet lucis multum habeant. Quid dices de arcto ſubiectis locis? In terræ cauitatibus calor ſæpe multus eſt, at lux nulla. Calent æſtiuæ noctes etiam ſine luce. Omnino ſiue vniuerſalem calorem intelligis, ſiue inſitum ſingulis, à luce diſtat. Recordare quid in hagiaſterio ſcripſeris de prima materia, de natura, igni illo ſapientiæ, & naturæ, de forma, de calido innato. Multiplicas agentia ſine cauſſa. Vt tu es ſcopticus, & ſubſannator, ita fingis & tuum Hermetem. Facetus es in *ſuperficiarios Philoſophos*. Qui ſunt iſti? *Qui Lucem primæuam, Ignem illum cœleſtem, & calorem vocent Quartum aut Quintum elementum, aut quintam eſſentiam.* Mirum vero. Qui ſunt iſti, aut vbi habitant? In Vtopico & Moronico ſcilicet cerebro tuo. Nam alij præterea ſunt nulli. Qui totum ætherem cum ſuis ſtellis vocent *Elementum quintum*, naturamque, & eſſentiam quintam, ſunt Peripatetici, & Chymici. At hi non de primæua luce loquuntur, quæ eſt creatura diei primi, ſed de firmamento, & ſtellis ſecundi & quarti dierum. *Quartum Elementum* appellat *Hermes* ille priſcus Ægyptiorum Philoſophus ter maximus. Eum ſequuntur Plato, & Academici: Item tuus *Paracelſus*, tuus *Quercetanus*, tuus *Crollius*, tuus *Seuerinus*, qui tamen & *quintum* quiddam agnoſcit nempe ignem Elementarem per cætera diſperſum. Si iſti ſunt *ſuperficiarij*, tuus nouus Hermes quis eſt? In centro tenebrarum, & præſtigiationis ſtolidæ volutatur. Veri hermetici non in ſuperficie morantur, ſed per ignem ſapientiæ penetrant in ipſas medullas, certiſque inſtrumentis eliciunt eſſentias, quas ſiue *quartas* ſiue *quintas*, aut etiam, vt *Crollius* de homine ait, *quatuor elementorum extractum*, appellare velis, parum intereſt.

Lucẽ omnia viuificare, cũ neque ſtella neq; ignis, etc. viuant.

Calor & Ignis ſubcœleſtis, ſi hagiaſterium eſt in Dei aula.

Dan. 3. 66.

Tres ignes Hartmani & plures ſi volumus.

Valde enim calet.

Superficiarii Philoſophi.

Ariſt. cœlum primum Elementum: Lullio quinta eſſentia.

Phyſici Hartmaniani ſunt medullarũ abyſſes, orcũ, & profunditates Dei ſcrutantes: ſcilicet.

SECTIO XIX.

De ſpiritu æthereo, & influxu cœleſti in Pyramidali Meſaulo.

Vitra ſignata.

Finguntur hic primum *vitra inſcripta*. Fortaſsis phantaſticus ille *Hermes feneſtras vitreas* per quas lumen infundatur ſibi imaginatus eſt, quaſi primæua lux à Deo creata per vitreas tabulas in mundum ſit immiſſa, aut per *cœlum* quod *cryſtallinum* dicunt. In Hermetico magiſterio aliqui fornaculas vitreas requirunt, vt præter cæteros etiam *Thraſybulus*. Hic quidem foris lumen ſeſe infundit: ſed non taliter fiebat in luce eſſentiali primi diei. Quidam liquores lucidos conficiunt qui vitris contenti inde dicuntur lumen ſpargere. Quid autem hi ad luces cœleſtes? Itane ſol luceat? Quid inſcriptum erat vitris? Num ipſum hieroglyphicum, ſeu *myſticum ſignum Mercurij*, quod etiam Aſtrologi vſurpant, an literæ expreſſæ *Mercurius*? Supercilij hæc ſunt myſtici, & arcanæ præſumtionis delirantium magiſtrorum, & magicum quid characteribus tribuentium. Has mittamus ad Anticyras. In mundo magno non opus eſt vitris, nec inſcriptione iſta fatua. In magiſterio ſapientum nihil ad rem facit ſiue perſpicuam habeas fornaculam, ſiue non. Characterum vero additamentum fucus magicus eſt. Aliqui quia perſuaſum habent diabolum artiſtis illudere, cruces multas addunt. Nam ſpiritus ille malus in ſacris magicis *Iuliani* fugam ſimulauerat facta cruce, vti & apud ſuperſtitioſos; alias nihil curans cruces ſiue materiales, ſiue immateriales quæ digito in aere fiunt, vt habet Diſtichon: *Signa te Signa temere me tangis & angis*: *Roma tibi ſubito motibus ibit amor*. Crux apparet etiam in ſigno Mercurij ☿ quanquam crux eſſe non debebat. Sed ſuperſtitioſis, & magis ea præ cæteris placet, quin diuinitatem quandam habere videtur ex antiqua hieroglyphia, & *oraculo Conſtantini, Chriſtique crucifixione*. Verum alia figura fuit, nec abuſus iſte eſt ſyncerae pietatis. Nos ſigno crucis pro monumento paſsi ſaluatoris cui vim aſſcribimus, & non crucis figuræ, vtimur. Sacramentarij adeo ei ſunt infeſti, vt horreant conſpecta, cuius rei rationem reddidit *Beza*, quia *ſit argumentum ſæuitiæ Iudaicæ*. Qui artem Chymicam tractat iure vocationis ſuæ

☿

Crux.

Vide infra de ſignis triũ principiorũ, vbi crux ſignat miſeriam elementarem.

cum

cum imploratione auxilij diuini, & bono propoſito finis liciti laboratque induſtrie & perite, ille non indiget cruciatis vitris. Habet Meſaulon etiam AVES. Quas? Num quas Hermetis dicunt in opere ſapientum? An coruos & pauones? Non. Quas ergo? Mirificas. Nam in Vtopia illa ſunt *caducea volatica.* Ideo *Hartmanus* conſpicit *illa alata paſſim, ſeu quaqua verſum volitantia*, ſicut Eſaias *Cherubinas mentes.* De Mercurio vero Deorum nuncio volatico geſtante alatam virgam, poetica ſunt figmenta, quæ aliqui ſolent ad Chymicum Mercurium accommodare vtcunque ſine ſcientifica demonſtratione. Fors intelligendum eſt aues illas caduceatas eſſe media per quæ ſemina naſcentium ex orco Orphei in ſcenam mundanam ducuntur, & à morte reducuntur ex ſententia Seuerini. Somnium eſt Ebrij, aut febricitantis. Sinamus eum delectari ſuis ſpectris. Alioquin neque in externo mundo talia volant, neque in magiſterio extra vitrum interius, ſeu penetralis hagiaſterij.

Aues Meſauli.

In microcoſmo ferendum eſt quoſdam vanitates volaticas alere, & his quaſi alis per aerem volare, quod poëtæ de Mercurio Deorum internuncio fingunt, cum animas ad inferos, & inde rurſus ad ſuperos ducit, aut pacis morem imponit, vnde paci conſecratum caduceum. Videatur *Pierius* lib. 15. hierogl. Cum in *Caduceo* ſint *dracones vtriuſque ſexus Herculeo nodo coniuncti*, fors Hermes ille phantaſticus alludere voluit, aut præſignare *coniugium quod ſapientes ſtatuunt inter ſuum Gabricum & Beiam.* In eo fingunt & dracones. Sed iners eſt alluſio. Aliter *Draco aurei velleris cuſtos, Draco vorans ſuam caudam, duo dracones in horto Heſperidum*, &c. erant præfigurandi. Sed ipſe dicat ſuis verbis. *Caducea* dicuntur *Mercurium quendam Phyſicoche*: deſignare. Mirabile commentum. Volantne caducea per ſe ſine Mercurio, an vnus multas virgas in faſcem colligit, & volando circumgeſtat? Relinquatur id arbitrio eius. Mirum cur non monſtratori, ſeu deſignatori Hermeti etiam caduceum affingatur. Pictoribus enim atque poëtis quidlibet audere licet. *Caducea ſignificant Mercurium, quid ſignificat Mercurius?* An non eſt res ſignata? Imo ſignat *ſpiritum mundi ſecretum, & Ætherium Hermetis, quo agitur omnis in orbe ſpiritus: Eſt ſpiritus corporeus, & corpus ſpirituale* OMNIA *permeans.* Mira narrantur. De *Igni Hippocratis*, Igni *ſapientiæ*, Igni *naturæ* (nam varia habet nomina) audiebamus eſſe LVMEN: *omnia mouere poſſe: Eſſe ſpiritum Ætherium in corpore plus quam glorificato: Eſſe Ignem qui cum AZoth ſeu Mercurio ſufficiat*, & alia, eaque intra adyta Sancti Sanctorum. Num extra quoque in itinere è cœlo extero in mundum alium ſpiritum ætherium cognoſcimus. Quomodo ergo verum eſt quod ille ſufficiat? Quomodo iſte omnia mouet, ſi hic agit omnia? An ille tantum poteſt mouere, ſeu potentia eſt, hic mouet actu? Sed myſteria ſunt profunda. Conſideremus ſingula diligentius. In hagiaſterio proponebatur NATVRA *nomine Ignis, Luminis Spiritus ætherei.* In Meſaulo, per quod deſcenſus eſt ex puncto centrali maieſtatis diuinæ, iterum occurrit ille *ſpiritus*, vtrobique quidem corporeus, ſed intra *diuinitatem, ſeu templum Sacro Sanctum Lucis inacceſſæ* (aliis: Paracelſitis acceſſæ) *corpus eſt plus quā glorificatum*: Paracelſiſta pene dixiſſet eſſe ſuperglorificatum, vt corpus filij Dei in ſumma ſua maieſtate: (Neque enim iſtud hominum genus ſatis magnifica verba inuenire poteſt ad ſuas nugas prodendas) in Meſaulo ſimpliciter dicitur *ſpiritus corporeus, & corpus ſpirituale.* Intelligendum eſt corpus hagiaſterici ſpiritus, hoc eſt, Naturæ Sydereæ eſſe formæ proximum: cum vero ex templo excelſitatis, in quod aditus eſt *Magis* vt opinantur, egreditur in mundum, corporaſcit. Hæreticus diceret mentis diuinæ verbum NATVRÆ in mundo materiareſcere, ſicut fit cum noſtræ cogitationes ex intellectu immateriato in ſenſibilem ſonum euadunt; vt fiat Oratio Dianææ mentis deciſio, vel defluxus. Hoc opinor ſubeſt myſterium. Cur enim alias ille *ter maximus Hermes duos æthereos ſpiritus* poneret? Verum nos reſpondemus ex Pſalmis: *Deus irridet fictiones hominum, & ſcit cogitationes eorum eſſe vanas. Stultam enim fecit ſapientiam huius mundi: perdidit ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium reprobauit.* Dicentes ſe ſapere ἐμωράνθησαν. Quo principio probas iſtas tuas amentias *Hartmane*? *Pudeat Philoſophum ſine ratione, & principio loqui.* Vnde ſcis iſtum eſſe ſecretum (nempe ex priore ſpiritu deciſum) mundi ſpiritum? Si hic ætherius eſt, eſt & ille, an non materiæ ſunt eiuſdem? ſed non ſatis. Amplius eſt delirandum. Hoc *Meſauli Pyramidalis ſpiritu* OMNIS IN ORBE *ſpiritus agitur.* Quid? Num etiam ætherius prior? An duplicem habes ætherem? Facile perſuades eſſe ſpiritum dementiæ & erroris in tua ſocietate. Nam illud OMNIS non eſt extendendum vltra Paracelſiſtas, & ſimiles magos, hæreticos, fanaticos, cœleſtes Prophetas. Recordare diuinorum elogiorum. *Filius Dei ſuſtentat omnia verbo virtutis ſuæ: Spiritus Deus eſt qui operatur omnia in omnibus*, &c. Redige in memoriam ea quoq; quæ *Magus Crollius* de *Spiritu ætherio, & imaginatione ſapientis* ſcripſit ex *Paracelſo*, nempe hunc *aſtris non eſſe ſubiectum*; imo *ſapientem aſtris dominari.* Qui ergo verum poteſt eſſe nugamentum tui Hermetis, à ſpiritu tuo æthereo, qui nihil poterit vltra naturam originis, & generis ſui, omnem ſpiritum in orbe agi? Alio ſpiritu aguntur boni, alio mali 1. Reg. 16. verſ. 14. Prouerb. 1. verſ. 23. vbi ſapientiæ ſpiritus. Sapient. 1. verſ. 7. Spiritus Domini implet orbem terrarum, &c. Ita & angeli ſunt ſpiritus miniſtratorij fidelium. Ebr. 1. Apud Danielem 10. 20. eſt pugna ſpirituum, vt & in Apocalypſi cap. 12. Miror tibi non ſuccurriſſe *intelligentiam in inſtrumento muſico Drebelij*, de quo tam ſapienter, & acute diſputaſti quam vix vlla cos, aut ſtipes potuiſſet. I nunc & irride homines te meliores.

Mercurius Phyſicochemicus.

Spiritus ætherius nouus extra Sanctū Sanctorum.

Natura, Ignis, lumen, ſpiritus.

Corpus ſpirituale.

Principij petitiones.

Spiritus orbis agitari à ſpiritu Meſaulico qui eſt Mercurius & ſpiritus Mundi.

Ebr. 1. 3.

1. Cor. 12. 6.

Audiamus plura. *Iſte ſpiritus in ſomnio Ebrij Hermetis apparens, corporeus cum ſit: tamen omnia permeat.* Itane? *Seuerinus* tuus non poterat concedere Peripateticis *vt qualitates totas totis permiſceri dicerent.* Tincturis id officium aſſignabat. Tuus *ſpiritus corpulentus penetrat omnia.* Num & vitra, vt ſalis Petræi apud *Quercetanum*? Scio quid de *mundi ſpiritu Academici, & Peripatetici* doceant, idque non pro Manlianis, aut prætoriis edictis habeo. Maneat in medio, & penetret penetrabilia, maximeque ætherem, aërem, aquas. Vobis autem è fece Paracelſi eò minus eſt fidei quo impudentius,

Effluxus spiritus atherii secundi.

pudentius, audaciusque mendacia fingitis. Iam de effluxu. *Lumen naturæ, ignis naturæ, natura ipsa, spiritus ætherius prior ex Sancto Sanctorum pedem non mouebat.* Nihil enim de hoc habet Hagiasterium Hermetis. Opinio est nihil esse, cum etiam ea quæ nusquam sunt *Magi isti Gabalistici* fingant. At *secundus spiritus* effluit, vt dolia Danaidum. Vnde quæso fluit? *Ab omnibus stellis & Planetis.* Argute. Nimirum in hoc Phantastico cœlo Planetæ non sunt stellæ, seu luces cœlestes erraticæ dictæ quæ stellæ alias in Luminaria, & stellas partim fixas, partim erraticas distribuuntur, quod si nesciret *Hartmanus Theologus*, saltem non ignorare debebat *astrologus*. Sed esto. Differunt stellæ, & planetæ: quid præterea? Hermes suo comiti paulo ante monstrauerat *vitra inscripta, & caducea volitantia sub figura Mercurij*, qui dicebatur *spiritus mundi æthereus*: (In paruo mundo, & opere sapientum quid sit, diuinandum forte est) Iam *hinc inde stellarum, saltem planetarum signa in Pyramide sunt depicta.*

Characteres viui Magorum.

Nimirum *Characteres Magicos* adesse oportet. Sine illis non potest Physica doceri. Quid ni? *Viuit Deus*, inquit *Crollius*: *Viuit ergo & nomen Dei. Viuit nomen Dei: viuit ergo & scriptura, & ex consequente pictura Characterum.* Parum aberit quin literæ, & picturæ etiam adorentur. Ita *Planetæ sunt viuentes* (omnia Paracelsistis) *Ergo & planetarum nomina. His viuentibus, viuunt & signa.* Non immerito scripsit Aristoteles *animarum plena esse omnia.* Ita enim nullum erit vacuum, quanquam Hartmaniani, & Seueriniani Hermetis Elementa quædam sint *loca inania*, sicut intellectus eius qui nihil vnquam intellexit apud *Aristotelem.* Ludis me inquies. Ad stulta, inquam, quid aliud est dicendum? Veruntamen effluit ille spiritus. Num Virgiliano more? *Principio cœlum, & terras, camposque liquentes, spiritus intus alit, totamque infusa per artus mens agitat molem. & magno se corpore miscet.* Non ita. De *mente*, & *anima* mundi ille: *Hermes* de *spiritu corporeo*, & *corpore spirituali*, quæ non sunt nec anima, nec mens. Quæ est ergo ratio? *Effluit à Sole* maxime. Sane fons lucis, & luminis propagabilis sol est. Inde lumen ad lunam, &, vt aiunt, ad omnes alias stellas traducitur, reflectiturque inde in mundi medium: Sed vna vice non plus potest complecti quam hemisphærium; ab altera parte stellæ officio fungerentur, nisi nubes obstarent. Multum tribuendum est

Sol.

Soli. Est enim *vas & admirabile opus excelsi*: Syr. 43. vers. 2. *Deus luminare maius fecit in præsidium diei*, Genes. 1. 16. *Tuus, Domine, est dies, & tua est nox: tu fabricatus es luminare & Solem*, Psalm. 75. vers.

Ierem. 31. 35.

16. *Fecisti lunam in tempora: Sol nouit occasum suum.* Psalm. 104. vers. 19. Deus fecit luminaria magna: Solem vt præesset diei, & Lunam & stellas vt præessent nocti. Psalm. 135. Is *præcipit Soli, & non oritur, & stellas claudit* quasi sub signaculo: Iob. 9. vers. 7. *In cœlis posuit tabernaculum soli* qui de thalamo suo procedit exultans ad currendum viam. Non est qui se abscondat *à calore eius*: Psalm. 19. vers. 6. 7. Hæc & similia in sacris habentur. Homines maximis encomiis *Solem* ornant, quia diuinitatem quandam ei tribuerunt multi. Calendariographi non multum ei asscribunt, & est sane vt Sol fulgeat quantum potest, nos autem nihilominus frigeamus, & sterilitates & cruditates infelicemque prouentum experiamur. Sed tuus, Hartmane, Hermes causam dicere debet cur *stellæ cæteræ omnes simul sumtæ totum cœlum vndiquaque occupauerint, non autem spiritum etiam vndiquaque diuidant?* Deinde si *spiritus ille* omnia permeat & omnia agit quis eum, in Solem sic compegit? Solis lumen & calor non penetrat in terram clausam nisi paucos pedes. Vos influxus fingitis tacitos: Vnde hos probatis, & non potius eosdem maiore cum virtute, & copia cæteris tribuitis? Spiritum dicis mundi, & ætherium. Cur plus ex oculo mundi sole propagatur, quam à tanta reliqui mundi compage? Æther circumfluus est etiam sine sole, vt firmamentum primis tribus diebus. Sed ad mendacia satis. *Sol nascentium pater appellatur. Pater eius est Sol, mater Luna dicebat Hermes de suo arcano.* Alij *Iouem* patrem, *Iunonem*, seu aerem, aut terram matrem vocant. Chymicis *Sulphur* est pater, *Mercurius* spiritus, *Luna* vel sal, mater. Verum quis erat pater plantarum, & mineralium antequam Sol fieret? Quis est pater *arboris Tristis* quæ florem abiicit Sole irradiante noctu vero floret?

Lege quæso caput 38. Iobi, & disce à Deo ipso redargui. Velim & hoc scire, *si spiritus iste est Mercurius, quo modo ad Solem peruenit, cum Mercurius inferior sit Sole?* Num Mercurius influit in Solem, & inde repercussus dilatatur, offenditque in Luna? Tuus sane Hermes patrem Solem non

Sol gubernator macrocosmicus, quod astrologici vates non concedunt.

habuit cum nasceretur, sed potius ex *Orphei orco & nocte* prorepsit. Imo plus. *Nam Sol est magni mundi gubernator.* Si tuus Hermes in Ecclesia natus esset, hæreticum dicerem: nunc purus putus est Ethnicus. *Mundi enim gubernator Deus est.* Sal nihil aliud est quam organum Dei ad tempora moderanda, & lumen diurnum pro rebus agendis præstandum. Ministeriale & particulare eius officium est.

Etiam Magica vestra sacra Soli non tribuunt mundi gubernationem. Quid *Genethliaci tui & cœli vates*? An non fortius quid tribuunt *Saturno, Ioui, Marti*, cum coniunguntur, aut opponuntur? In anni dispositionibus raro sol Dominus est: raro in natiuitatibus. Redi ad astrologiam tuam, & corrige *Hermetis* tui impiam linguam. Tu vero qui Christianus es an nunquam legisti sacra biblia? Vix credo. Si enim legisses tantum scandalum non in publicas literas retulisses. Hebr. 1. 3. *Filius Dei portat omnia verbo suæ virtutis.* capit. 2. 5. *Non angelis Deus subiecit orbem terrarum. Omnia subiecit pedibus eius quem in passione carnis parumper siuit angelorum* ministerio carere, seu paulo minorem fecit angelis ita vt nihil omiserit non subiectum ei, etiam Lunam & stellas, & angelos qui eum adorare tenentur. Nosti Psalm. 8. Lege *Paulum* 1. Corinth. 15. vers. 24. 25. 26. 27. de potente CHRISTI regno *etiam secundum humanam naturam*, * *cui data est omnis potestas in cœlo & in terra* Matth. 28. ℣. 18. Ita Ephes. 1. vers. 10. 20. 21. 22. Phil. 2. ℣. 9. 10. 11. Coloss. 1. vers. 16. 17. 18. 19. 20. *De rectrice omnium sapientia habes Prouerb.* 8. vers. 12. & seq. Sapient. 8. vers. 5. *Sapientia*

** Hoc Slado & aliis Sacramentariis est vnguis in oculo, quasi ij quos Vbiquitistas vocat ab Hæretico Serueto didicissent communicatum humanitati Christi omni potentiam Si ab hæretico acceptum est quod hæreticus vna cum orthodoxa Ecclesia profitetur, Sacramētarii a diabolo didicerunt quod Christus sit filius Dei Nā & diaboli id confitentur.*

Sapientia operatur omnia, vt & Spiritus Sanctus. 1. Corinth. 12. 6. Sapient. 9. ℣. 2. *Deus sua sapientia constituit hominem, vt dominaretur creaturæ ab ipso factæ.* Per angelos quoque gubernat Deus mundum Ps. 103. 19. 20. 21. præsertim suos electos Matth. 18. ℣. 10. Ebr. 1. 14. vbi sunt λειτουργικὰ πνεύματα. Ex illis quidam præsident regnis aquis, ignibus, &c. Dan. 10. ℣. 20. 21. Apocal. 16. 5. Permittit & *malis spiritibus* vt dominentur in aere, & inter infideles Ephes. 2. ℣. 2. 2. Timoth. 2. ℣. 26. vnde *Princeps mundi Sathanas, & rector tenebrarum:* Sed Deus prouidentia sua continet omnia, ne quicquam possint ministri contra voluntatem, aut determinationem eius. Neque enim est otiosus, aut dormitat is in cuius manu sunt. Hæc & alia multa mundi magni & parui gubernatione poteras tuo *Hermeti* ostendere, & *vocem* eius *impiam* anteuertere si vel scintilla pietatis in te fuisset. Vetus sane *Hermes* quanquam & Mundum Deum dixerit esse, & hominem præter Deum omnium conditorem, & rectorem, tamen non ausus fuit his asscribere gubernationem macrocosmicam. Homo signa actionum, & occasiones ex sole, & luna sumit, temporaque illis, vt horologio, dimetitur. Gubernationem magni mundi syderibus nemo ascribit nisi à Deo alienus Ethnicus, & Paganus. Sed *quo modo influxus spiritus tui ætherei peragitur? A Sole in* LVNAM *deriuatur: A Luna susceptus mittitur in sublunaria.* Mira scala descensionis. Si tantæ potestatis est spiritus ætherius; vt omnem agat in orbe spiritum, & omnia permeet, quid *opus est ei per lunam descendere?* Citius in omnia se diuiserit quam per crassum Lunæ corpus præsertim cum silet, penetrauerit. Tua *prima materia,* tua *forma*, tuum *calidum innatum* tua *anima* longe erant velociora, & penetrantiora. Nam vt *fulgur*; aut *lumen* celeriter se distribuebant; Imo *forma centrum vbique habebat, peripheriam nusquam.* In *plus quam glorificato corpore prior spiritus scilicet in instanti poterat vagari*, & fors etiam *cogitationes* cursu anteuertere, vt *spiritus Magici*, quorum celeritate aiunt sæpe vsum *Tritemium*, ne cubitum iret incœnatus. At hic *secundus ætherius* longe degenerauit ab illo primo. Quid ni? *Immersus est in corpus tardum.* Ideo non potest descendere *nisi per Lunam.* Quid autem si *Luna sub terra esset.* Nam inter nos & solem debet existere vt ad nos perueniat. Alias ad nos quomodo spiritus perueniet? *Excutitur statim à Luna,* tanquam rigore febrili correpta. Inde in igneam regionem, & aeream rapitur, & ducitur circulo, quo modo *Aristoteles* volebat ignem suum ex alto ad mistiones, & calorem nostrarum regionum deferri. Callide. Sed natura tamen nihil facit temere. Sol suis radiis longe potentius sine luna operatur in inferiora, quam cum luna, id quod docet Eclipsis Solis. Quid ergo opus est Luna ad spiritum demittendum? Tam abstrusa scilicet sapientia in nullius Peripatetici cerebro nata fuisset. Paracelsicus *Hermes* eam ex *orco Orphei* & *nocte Hippocratis* hausit. Proba quod scribis hominum stultissime. Num putas nos phaleratis tuis tuis dictis duci? Vbi eadem sunt in microcosmo, ex vestra sententia, *nihil esse in maiore mundo quin idem sit in minore*; *vt alterum ex altero innotescat*, vt *Crollius* scripsit? Num calor cordis & spiritus vitalis non potest distribui nisi per corpus cerebri? Maiori, & minori mundo *comparatis Philosophorum.* Monstra in hoc quoque idem. Vbi est illa luna per quam Sol spiritum ætherium demittat? Aues ibi ascendunt, descendunt: ventus portat animam in ventre suo & reportat: Ascendunt habitus resoluti, coagulatique in cœlo iterum deferuntur in terram, & aquam, vt sic qui nascitur fœtus superiorum, & inferiorum vires habeat. At *nulla est media Luna.* Fiunt Eclipses ibi quoque, sed symbolicæ; nec isto modo virtus diuiditur. Apage cum tua fictitia scala ad organum musicum *Drebelij*, & vide quo modo *intelligentiæ descendant*, & fidibus ludant.

Influxus spiritus atherei Ridiculus.

Mirabilis modus spiritus à Luna in nos salientis.

Petitio principii.

Aliud paradoxum. *Luna comparatur Matri.* Sol pater nascentium dicebatur. Luna perhibetur à Sole spiritum ætherium suscipere vt Mater. Belle. Inde enim *nascetur filius stultitia.* Ex tali coniugio quis alius prodeat infans? Tabula Hermetis *Solem patrem, & Lunam matrem facit*, vt Rosarium *Regem & reginam*: Sed symbolica hæc sunt, mysticaque nec peraguntur eo modo quem tu tibi in dementiæ tuæ Mesaulo fingis. Congredi & vniri, mutuoque agere, & pati necesse est diuersas naturas in magisterio sapientum; non vnum demittit spiritum per alterum in tertium. Demissus ex æthere spiritus per Lunam in sublunaria quid facit? adplicat *se omnibus: mouet omnia.* Num omni modo? Non: Sed *prout nata sunt moueri, seu aptitudinem & dispositionem habent ad motum.* Quid si haberent nullam, nec possent recipere vim, & impressionem mouentis, quid tunc fieret? *Quiescerent.* Quo vero argumento probas istam tuam applicationem? Eia: Noli quærere. *Discentem oportet credere*, inquit Aristoteles. An non *satis est Hermetem dicere*? Non, inquam: quia sæpius mentitus, & Paganus est. Si me vis credere, quia fides ex principiis est, oportet te principia docere, sine quibus nec fidem facies, nec scientiam ingenerabis.

Luna mater.

Operatio per Lunam delati spiritus.

Petitio principii.

Est ergo id quod dicis *vmbra ex orco Orphei, & fabula ex nocte Hippocratis, aut Chao Hermetis* Qui potest se omnibus applicare ille lunaris spiritus, cum Luna sit debilissimus Planetarum, maximeque terreus, qui sua humiditate facile possit igneum spiritum labefactare? Deinde celeritate cursus præteruolat, nec potest stabilem impressionem facere, cumque phasibus sit admodum mutabilis, iam sub terra, iam supra, declinetque in partes latitudinis; disperget & dissipabit potius acceptum spiritum, quam diriget. Est autem debilior vis dispersa, quam vnita. Si item Sol sua virtute non peruenit ad omnia, cuius radij, & calor longe est constantior, qui luna perueniat? Solis calorem nubes, aut ventus facile potest discutere & inhibere: Multo magis lunæ spiritum. Quando vero vnquam per terram & maries ad nos penetrauit spiritus syderis vtriusque? Et quis quæso est iste spiritus? An non corpus? Ita dixisti. Num infinitum? Nequaquam. At semper defluit. Num itaque sydero decrescunt? Non. Generatur ergo, & corrumpitur. Belle. Ex qua materia? Esca fortasis solis, qua attrahere dicitur ex imis. Paracelsis ita placuit.

Luna non potest esse medium transmissa virtuti.

Ideo enim syderibus quoque excrementa tribuunt tanquam alimenti consumti reliquias, idque verisimile faciunt hi, qui *maculas non tantum in luna, sed & sole animaduertisse se putant.* Vnde hæ, nisi

Excrementa Paracelsi in sydera inuecta.

hæ, niſi ex attractis impuritatibus, nec dicendum ſit vlcera, & ſcabiem ex corrupto alimento in illis exiſtere? Hartmane bonum conſilium cape. Condui tibi Mœrim aliquem qui herbis è cœlo lunam detrahat. Tunc eam in poteſtate habebis, & virtute, qua voles, frueris. Aut Gabalim Paracelſicum accerſe. Hic idem poterit. Si Chymicum vis, ille tibi lunam ex qualibet herba parabit. Hanc geſta in pileo tuo. Dirigentur in cerebrum tuum omnes artes, præſertim ſi tuus Gabalis, hoc eſt, magnes in te ſimul trahat omnem ſapientiam & ſcientiam, niſi mentitus eſt tuus Crollius. Veritas eſt: *vnicuique naſcentium ex ſuo ſeminio creator Deus naturam contulit, quæ cum eſt in potentia, aliquo actu excitari debet.* Talis actus eſt calor temporis à Sole potiſſimum, vt docet experientia in plantis, & beſtiis ſpontaneis. In perfectis animalibus etiam calor matricis actuat, ſicut calor auium incubantium ouis etiam hyeme, cum nondum calor Solis vim aliquam in aëre habet. Pro eo calore aliquãdo eſt artificialis, ſiue ab igne petatur, ſiue aliis fomentis, vt apparet in fornacibus Ægyptiis, & cum bombycum oua frigidis adhuc temporibus excluduntur. Spiritus ille ſydereus, qui fingitur à Paracelſiſtis calidus non eſt. Neque enim poſſunt concedere ſua æthera qualitatibus actiuis, paſſiuiſve Elementaribus affecta eſſe, cũ ἄνοια omnia ſua eſſentialia eſſe velint. A Luna parũ eſt præſidij rebus naſcentibus, niſi cum auræ motus aliunde calorem infert, vti neque à Sole, cum ſpirant cauri, & boreæ aut nubes obſtant, frigidaque Saturni ſtella. Experti ſumus hoc in fine Aprilis Iuliani, ſeu à 16. die vſq; 27. anno 1615. Nihil enim in ſole & luna tunc erat culpæ; at pruinæ & glacies multum dabant damni arborum floribus, & vuis. Conferantur autem hæc inſana Hermetis eſſata cum ſuperioribus. *Prima materia* erat *communis mater*: Hic *alia mater* eſt *Luna*. An hæc non communis? Prima materia erat *fons vitæ*, actionum omnium naturalium, generationum, mixtionum, tranſplantationum origo, pro diuerſitate tincturarum (diſpoſitionum ſingularis naturæ in principiis eſſentialibus) in vniuerſo corpore (cui ineſt: Inerat autem in informi maſſa) producens diuerſas operationes impreſſionum & confluentiarum, moderans item ſanationes morborum omnium, & digeſtis temporibus elementis conſumtis (oportet enim abſumi elementa quæ ſunt quatuor, æther, aër, aqua, terra, apud Hermetem) ipſa (Elementa conſumta aut alias portiones ex communitate) ad procreationem nouorum indiuiduorum cogens (nimirum vt corruptionibus generationes ſubſtituat, atque ita illas compenſet) Hæc omnia in naſcentibus, durantibus, & pereuntibus PRIMA MATERIA operatur, quanquam impoſſibile ſit materiæ naturalis hanc vim eſſe. Quæ ſunt FORMÆ vires? *Æquabiliter diffuſa eſt, per omnes mundi partes* (omnia ergo erunt vnum quid. Neque enim eſt res ſeparata.) *Continet in ſe omnes cauſas propriæ ſpeciei* (tametſi materia prima etiam omnia haberet, atq; etiam IDEA diceretur) His cauſis *fabricat ſibi* SVVM *corpus, ſuos colores*, & quid non? Nec mirum. Eſt enim *admirabiliter ſciens*. Habemus ergo iam duo agentia, mouentia, procreantia Catholica: Et quia *vnica forma* per omnes mundi partes diffuſa eſt, ſibique ſuum corpus format: neceſſarium eſt etiam *vnicam materiam* eſſe, & ſic vnum indiuiduum tantum in toto mundo.

Collatio virium in diuerſis.

Prima materia Harmanni vis incredibilis.

Vires formæ Hartmanianæ.

Vis naturæ præter materiam & formam.

Tertium agens eſt NATVRA. Neque enim materia, & forma ſunt naturæ. Aliud principium quærendum eſt ab iſtis diuerſum, vt ſatis delinet Hermes. Hæc natura eſt *ignis omnia vniuerſim mouens*, & quidem *ſufficit cum aqua*. Ergo priora duo agentia ſunt ſuperuacanea. Eſt *lumen*, & *numen naturæ*: Eſt *ſpiritus æthereus*. Quorſum hic, ſi materia & forma poſſunt per ſe omnia? Sed ridiculum eſt, cum in iſtis ſint *omnia*, & *ſufficiat natura ignis*, tamen nihil præſidij eſſe viuentibus contra putredinem. Num etiam *Ignis putreſcit*? Ita eſt in Paracelſia.

Paracelſici ſunt phantaſmatibus beati, re miſeri: omnipotentes verbis, opere impotentes.

Quartum ergo agens *additur* ANIMA *pro ſale contra putredinem. Anima iſta eſt complexio tincturarum ſeu potentiarum, & qualitatum.* Licet enim forma omnia intulerit, & Ignis naturæ ſuffecerit, materiaque prima omnia peregerit, tamen ſi anima abeſſet, potentiæ, qualitates vitales, & ſal deficerent. Num iam habemus omnia? Nondum.

Animæ vires.

Calidi innati vires.

Semina quid præſtent.

Quintum agens requiritur *calidum innatum*, quod tamen etiam eſt humidum, & inſito ſpiritu prægnans. Omnia hoc viuunt, quanquam vitales potentiæ, & omnia à quatuor prioribus principiis iam dudum erant collata. *Non eſt* tamen hoc *calidum incorruptibile* in Sancto Sanctorum. Nam *poteſt extingui*, quaſi præcedentia eſſent æterna. Quid præterea? *Omnia illa licet omnia poſſint, tamen ſine ſeminibus ne γρῦ quidem, aut μῦ operantur.* Ergo ſemina ſubſternanda ſunt. Hæc non in prima materia ſunt, ſed *in vacuis ſpatiis* quæ dicuntur *elementa pura*.

Ita *Sextum* habemus τὸ πᾶν. Quamuis autem in Paracelſia omnia ſint in omnibus; & omnia ab vno, omnia ad vnum, & ſi vnum noueris, omnia noueris: Ideo & philoſophari, & Theologari apud magiſtros Paracelſiſtas eſt facilimum: tamen ſex Catholicis præſentibus deeſt *Septimum*. Hoc quid? θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. *Mundi machina Deum requirit* qui totum chorum gubernet. Is Hartmaniano Hermeti eſt SOL PATER. *Cui diuina proprietas tribuitur & gloria ſoli Deo debita is Deus eſt.* Nonne Hartmane facete? Imò. *Tuus Hermes ſoli tribuit diuinam proprietatem, & gloriam ſoli Deo debitam:* quia OMNIA *gubernare, eſt ſolius Dei. Sol ergo tuo Hermeti eſt Deus.* Iam tu pro pietate tua attexe reliqua, & impiam tuam hermeticam in orcum Orphei mitte. Vnum miror in hoc tuo Deo. Spiritus æthereus, quem fingis eſt, corpus: Eſt enim corpus ſpirituale, & ſpiritus corporeus. Is à Sole maxime effluit: nonnihil etiam ab innumerabilibus, & vaſtiſſimæ molis ſtellis cæteris. Sol eſt maior globo medio centies ſexagies ſexies: Lunæ corpus non aſſequitur magnitudinem terreni globi. Dic quæſo *quo pacto tam vaſti corporis continuo effluentes ſpiritus à lunæ corpore poſſunt ſuſcipi, & in ſublunaria deduci?* Si incorporeus eſſet ſpiritus, comminiſci poſſes ſtratagema aut Creſphygeton. At corporeus eſt. Conum Pyramidis quod fingas, nihil eſt: Et vt parcam verbis iubeo te matheſin tuam inſpicere. Perge:

Sol gubernator Gabaliſticorum omnium.

Sol Deus Hartmani.

Quæſtio de ſuſceptione ſpiritus ſolaris à Luna.

Quæ cauſſa eſt vt ille ſpiritus æthereus ex Sole per Lunam diſtributus, & applicatus omnibus omnia mobilia moueat? Audite grande Argumentum: *Quia inferiora ſunt ſicut ſuperiora, & ſuperiora ſunt ſicut inferiora.*

Cur omnia moueri dicã.

inferiora. Vt hoc credas: *Hermes* citat *Hermetem* qui ſic ſcribit de magiſterio ſapientum in Smaragdina tabula. Omnino *ſimilia mouent ſimilia: idem agit in idem: homogeneum in homogeneum.* Quod enim Ariſtotelici dicunt motum eſſe ex contrario in contrarium; & agentia, patientiaque genere quidem eſſe ſimilia, ſed ſpecie contraria; id CROLLIO iudice falſum eſt. Imo *contrarium pellitur à contrario tantum abeſt vt in ſe mutuo agant.* Facete omnia pro naſo Hartmani. *Si inferiora ſunt ſicut ſuperiora, & contra: inferiora debent per Lunam ad cœlum aſcendere in Solem, indeque viciſſim deſcendere, vt accipiant vim ſuperiorum & inferiorum.* Quæ vero in cœlo ſunt aliter non deferuntur. Apud *Hermetem* principium eſt in terra, vbi iacet *Draco, caudamque in cœlum mittit*: ſed eandem à cœlo repercuſſam deuorat. Ita *aues Hermetis* non ex cœlo prius veniunt, ſed poſtquam in cœlum volauerunt, virtute ibi acquiſita redeunt. Ita eſt de corpore, anima & ſpiritu. Iam autem *inferiora non aſcendunt in cœlum apud Hermetem Hartmanianum. Nihil ergo ipſi prodeſt axioma Hermetis priſci.* Deinde quid opus eſt deſcenſu ſuperiorum, ſi inferiora ſunt vt ſuperiora, & omnia beatitudinis ſuæ præſidia non tantum in mundana ciuitate habent, ſed & in orco Orphei?

...tur à ſpiritu ætherio.

Crollii deliraopinio.

Tertio argumentum ignorat Elenchum. *Non enim ideo ſpiritus Olympicus mouet inferiora, quia hæc ſunt vt ſuperiora.* Simile gaudet ſimili: *natura lætatur natura & in ea quieſcit.* Sic *Hippocrates* de ſuo igni, & aqua nutriti vis ſcribebat, quod in corpore animalis, ſine ſcientia determinata, vagentur, dumque in præterlapſu ad cognata appelluntur; ea agnoſcant, & aſſiſtant. *Simile appetit ſimile* non vt in id agat, ſed vt ei aggregetur, ſicut Eccleſiaſtes ſcripſit de reſolutis. Cœleſtis ſpiritus ab antiquo eſt in miſtis; & vt aiunt à mundi peripheria vndiquaque in centrum confluit. Si quis præterea à Sole per lunam adeſt; is accedet ad in imo exiſtentem cum gaudio in pace, eſtque veriſimile ſic augeſcere ſpiritus noſtros mediante inſpiratione. Id autem quo potentia mobilia mouentur actu, aliud quiddam eſt, ſiue artis, ſiue naturæ. Ideo *Hermes* ſuam materiam non potuit in opus exuſcitare, niſi igni externo ſapientiæ. Tantum de hoc. Aduocatur in ſubſidium etiam *Scaliger ſubtilium ſubtiliſſimus*; quanquam Hermeti Hartmaniano in Ariſtotelicis craſſiſſimus: Quid is dicet? *Formæ inferiores à ſuperioribus fouentur, & ſuperiores inferiorum benignitate non deſtituuntur.* Quid hinc ſequitur? Thema eſt: *Spiritus ætherius ex ſtellis, maximeque Sole in lunam ſuſcipientem immittitur; qui ſe applicans ſublunaribus, in quæ à Luna influit, mouet omnia vt apta ſunt moueri.* Argumento: quia formæ inferiores à ſuperioribus fouentur, & inferiores ſuperioribus benignitatem ſuam conferunt. Ridiculus ignorationis Elenchus. Spiritus ætherius corporeus dicebatur. Formæ ſunt per ſe incorporeæ. Deinde res quæ à corporeo ſpiritu mouentur corpora ſunt paſſibilia, quæ poſſunt recipere impreſſionem agentis quod neceſſe eſt tangere, & ſi propinq; tangit, etiam repati. Aget ergo forma cœleſtis in terrenas, & terrenæ aliquid cœleſti viciſſim conferent, & vt cœleſtes agere tangendo poſſint, ſpiritum ætherium ſibi iungent. Idne dicit *Scaliger*? Hocne eſt ex cœlo deſcendere, & materiam mobilem agere vt moueri nata eſt? Nimirum fabula eſt iſta quod *formæ exteriores interiores impellant vt poſteà materiam agitent, & ſic informent vt architectus ſibi fabricat domum*, quæ eſt phantaſia *Scaligeri* de qua nonnihil dicendum. Locus qui citatur in ſexta ſubtil: ſect. 5. *Pendere ſane* (inquit ad locum Ariſtotel. Sol & homo generant hominem) *noſtratia hæc* (ſublunaria) *è ſuperioribus* (lationibus, æthere, ſtellis, ſole) *propter æquiuocam connexionem: non propter vniuocam effectionum communionem* (Sol non poteſt facere hominem vt homo: poteſt tamen æquiuoce ex non planta facere plantam, & ex non animali animal, iuxta Ariſt: non id quod alias canis gignit, vel bos, ſed in putreſcentibus, &c.) *Sunt enim ſuperiora quaſi formæ conſeruatrices inferiorum: quia hæc cauſſa ipſa cauſſarum tuetur ea quæ fecit per ea quæ fecit* (Deus factor omnium facta conſeruat per cauſas ſecundas vniuerſales, vt cœleſtium vires, motum, lumen, & calorem) *Iccirco mouemur, quia mouentur illa, & viuimus, quia viuunt* (ſcilicet) *& ſumus quia ſunt*) falſa connexio, & traducta verba impie ex diuinis: Vbi dicimur (Act. 17.) in Deo eſſe, viuere, & moueri, non in ſole vel ſtellis) vbi vero dicit *Scaliger* ſuperiora benignitatis aliquid accipere ab inferioribus? *Paracelſus*, & veteres quidam; ſtellas nutriunt halitibus, num & Scaliger? Quam ſubtilis autem tibi videtur *Scaliger* cũ contra *Cardanum* exerc. 361. negat virtutem à Sole omnem per Lunam demitti? Tu Cardanæus es. Ergo & te refellit ibi *Scaliger*. Quoniam vero tu in deſcriptione *formæ*, quam in *Hagiaſterio* vidiſti, cum *Scaligero* loqueris; & hic *Ariſtotelis* ſententiæ innitatur, conſideremus nonnihil hanc ſubtilitatem. Ariſt. in 8. Metaph: *ſubſtantias tres* proponit, *Materiam. formam, & compoſitum* ex illis, cuius ſolius generationem eſſe dicit, quaſi nec materia, vtpote ſubiectum ſuſtinens mutationem, generetur, nec forma, vt quæ in materiam introducitur, vt ſic relinquatur *compoſitũ* gigni. Id tex. 3. dictum, repetitur tex. 8. *Oſtenſum, inquit eſt, & declaratum in aliis, quod Formam nullus facit, neq; generatur, ſed efficitur hoc. Fit autẽ quod ex his* (materia & forma compoſitum) Eadem prælixe exponuntur li. 7. Metaph. c. 9. vbi hæc: *Omnia quodammodo fiunt ex vniuoco quæ natura ſunt.* τὸ μὲν γὰρ σπέρμα ποιεῖ. ἔχει γὰρ δυνάμει τὸ εἶδος, καὶ ἀφ᾽ οὗ τὸ σπέρμα ἐστί πως ὁμώνυμον (interpres legit συνωνύμων. Reddidit enim *vniuocum* tex. 30. & 31.) Id declarat Ariſt. tex. 32. Fit, inquit, non ſphæra, nec æs, ſed *ſphæra ænea. Semper enim oportet præexiſtere materiam & formam* (vt homo naſcatur, & hominem præexiſtere naturaliter oportet, & materiam hominis) *Propriũ ſubſtantiæ eſt quod neceſſe eſt ſemper præexiſtere aliam ſubſtantiam actu exiſtentem quæ gignit ſeu facit: nempe animal, ſi animal fieri debet.* Tex. 38. *Materia* quædam *ſenſibilis* eſt, quædam *intelligibilis*: Senſibilis, vt æs, & lignum, aliaq; mobilis. Intelligibilis in ſenſibili exiſtit, vt *mathematica*. Statuit Philoſophus nõ materiam, & formam ſimpliciter naſci, ſed ſingularem & ſenſibilem, quæ eſt vltima materia, vt Socrates, &c. Totum ex materia, & forma vniuerſalibus, logicum quiddam eſt. Id non naſcitur. Sic in ſingularibus Socrates naſcitur quidem ſecundum ſuam indiuiduam *materiam, & formam*: Si vero non præextitiſſet forma gignentis, & materia geminea, naſci non potuiſſet. Ita Hipp. lib. 1. de Diæta: Nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat, verum permixta, & diſcreta alteran-

Scaliger de formis. Exerc. 6. ſect. 5. De formis inferioribus fotis à ſuperioribus.

Scaligeri phantaſia de generatione viuentium.

Ariſt. 2. Metaph. cap. 2.

Forma fabricans ſibi ſuũ corpus in Generatione.

Compoſitum gigni non cõponentia.

tur,&c. Naturaliter nihil fit ex nihilo, neq; in nihilum corrumpitur: sed ex aliquo in aliquod per efficiens quoddam. Id autem quod fit prius non erat actu, sed potentia facientis sibi simile. Si nō actu: neq; e forma quæ est actus existentis qua existit. Id quod facit, actu esse necesse est. Cum itaque simile faciat secundum substantiam, præcedat substantia necesse est, non ea quæ fit in singulari, sed quæ facit, specie similis futuræ. Ita cum corrumpitur aut in aliud abit, aut in materiam. Non enim permanet indiuidui, quod corrumpitur, seu materia, seu forma singularis. Hæc *Scaliger* sua subtilitate peruertit: Exerc. 6. Sect. 6. *Aristotelis perpetua sententia est, in semine Animam inesse quæ sibi corpus fabricet. Semen enim est sicut artifex*: (7. Metaph.) *qui eam formam imponit materiæ, non excipit extrinsecus.* In 2. Gen. an: ait *vim illius animæ esse corporis conditricem*: In 1. Gen. an: *Potestatem illam dare formam & imponere in materiam sine vllo instrumento*, &c. Sensus est: *in seminibus esse iam formam à parentibus seu gignente factam, quam potestas seminis per se sine instrumento* (calore & spiritu) *imponat materiæ*, &c. *Secum & in se habere semina formam arbitratur. Forma est perfecta intus ibi actu*, inquit. *Nisi enim esset actu, non posset agere* (corpus sibi fabricare) Arist. dicit inesse δυνάμει, quia caret instrumentis expressis. Quia semen propter animal est, & iccirco dicitur animal esse potentia: ob eam caussam forma seminis dicitur esse in potentia, quia est in potentia ad animal. Sect. 8. Est in corpore seminis vt agens in patiente; vbi de calore ad declarationem theseos. *Sensuum mancipia* vocat, qui potestati seminis tribuunt instrumentum (calorem, & spiritum plasticum) Sect. 9. Assentitur *canis semen esse canem, quia anima canis actu sit in eo.* Vocat *canem imperfectum, carentem tantum articulationibus*: Tritici animam etiam in semine tritici esse contendit quanquam dum extra terram est nihil aliud possit agere quam viuificare materiam (quasi semen tritici in granario sicco actu viuat) Sect. 9. *Actu intus est forma non sensu percepta per functiones, sed ab intellectu per rationem.* Generat arbor cum semen producit, non generatur arbor cum pullulat è semine: sed generatum iam, quia erat imperfectum, perficitur. *Canis non gignit cum nascitur catellus, sed cum semen gignit. Vnam habet animam quæ plurium generationi sufficit.* Hæc & alia multa *Scaliger* etiam exerc. 346. Vnde intelligimus in materno vtero non gigni hominem, sed in parte genitum in eo perfici, & articulari. Ita *Isaac* iam actu fuisse statuendus est in vasis spermaticis *Abrahæ*, antequam cum *Sara* exerceret matrimonium. Hæc sententia adeo non est subtilis, vt non tantum *Aristotelis* perpetuo *iudicio & doctrinæ aduersetur*, verum etiam *ridicula sit*, & *sacris literis aduersa*. Hoc enim modo Mater ad generationem infantis nihil aliud conferret nisi locum, fotum, & nutrimentum, satisq; esset ad generationem vniuoci pater, *qui iam in se genuisset filium*. Deinde cum necesse sit vt eadem forma sit coniuncta cum materia, quod in ouis conspicuum est, parum abesset quin pater etiam in seipso perficeret fœtum. Cum semen emittit, hoc foret fœtum iam generatum eniti. Cum id semen à parte patris fœcundum esset, iamque actu homo: Infœcunda vero esset *Sara, Anna, Elisabeth*, toties homo actu iam existens periret quoties semen; Imo parens semen nullum conferret ad corpus genituræ, neq; opus esset de semine eius philosophari. Sed de his alibi. Quod ait Exerc. 346. *nec formam nec materiam generari*, sed *compositum*, nisi intelligat de vniuersalibus, & præexistentibus quæ gignunt, falsum est vel ipso iudice, qui *formam gignit intra parentem*, & ex vna anima plurimas facit, idque in vniuocis; In æquiuocis *ex cœlo elicit tanquam formarum æquiuocarum genitore*. Opponamus autem Aristotelis sententiam veram, & aliquibus scripturæ dictis rē explicemus. Ita Arist. in 1. Gen. an. 2. *Generationis principia quis statuerit marem, & fœminam*: Marē, vt quod motus & generationis originem teneat; fœminam, vt quod materiæ. Item: *ex semine, qua natura oriuntur, consistunt*. Id de fœmina mareq; secernitur, & in iis, atq; ex iis hæc secretio fit. Ideo mas & fœmina principium conferunt generationis. Marem namq; id animal dicimus, *quod in alio gignit*: fœminam, *quod in seipso*: quamobrē *in vniuerso quoq; naturam terræ quasi fœminam, matremq; statuunt, cœlum autem & solem & reliqua generis eiusdem nomine genitoris, patrisq; appellant*. Mas autem & fœmina inter se differunt ratione, quod facultas vtriusq; diuersa est: Sensu autem partibus quibusdā discrepant.

Semen esse actu id quod futurum est generatione, Scaligeri opinione.

Absurditas sententiæ Scaligerianæ

Formam singulare gigni.

Principia generationis.

Mas non in se sed in alio gignit contra Scaligerum.

Differentia Maris & fœmina.

Rationis discrimen est τῷ ἄῤῥεν μὲν εἶναι τὸ δυνάμενον εἰς ἕτερον γεννᾶν: τὸ δὲ θῆλυ, τὸ εἰς αὑτὸ καὶ ἐξ οὗ γίνεται ἐνυπάρχον ἐν τῷ γεννῶντι τὸ γεννώμενον (quod in altero generare potest: fœmina quod in seipso, & ex quo fit quod generatur inexistens in generante) Ex his argumentamur: *Si mas est qui gignit in altero, vel alterum, non inseipso, aut seipsum, falsa est Scaligeri generatio, qua mas iam in seipso dicitur genuisse essentia formali, per quam res est id quod est, constans animal.*

2. Si mas in seipso dum semen gignit, simul animam procreat, fœmina est, & non mas: Fœmina enim est quæ in seipsa, vel seipsam gignit. 3. Si mas in seipso formam fœtus efficit, quia forma sine materia non est, necesse est etiam materiam singularem & determinatam efficere, & sic integrum essentia animal gignere, quod Aristotelis sententiæ è Diametro repugnat.

4. Si mas intra se gignit & materiam, & formam, fœmina non potest esse principium generationis, sed per accidens saltem, vt melioris gratia, seu absolutionis in accidentibus tantum accedit, quod item aduersatur Aristoteli. Principium certe generationis esse non potest, quod saltem locum dat crescendi. Ita fornaces Ægyptiæ essent principium generationis pullorum.

5. Si mas est principium id, quod originem motus, & generationis habet (ἔχον τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως, καὶ τῆς γενέσεως) non in se integrum forma, & materia gignit. Aliud est principium motus ad formam: aliud est forma, iam actus & perfectio. Si Aristoteles statuisset *canem* dum in se semen facit, *simul forma catellos gignere*, non diceret principium motus & generationis habere marem.

6. Cum item vnicus canis, vnicus porcus, vnicus homo, &c. plures possit procreare vno fatu, vnicoq; semine, in se iam multitudinem materia & forma animalium gestaret, eamq; saltem effunderet, vt fieret procreatio, tanquam ex vase in vas, translatio, quæ in Aristotelis Philosophia sunt absurda. Vide 3. de cœlo cap. 7. tex. 56. vbi disputat *contra eos qui generationem segregatione conficiebant*, quasi apparens quid esset & veluti ex vase processio, seu manifestatio pridem generati.

7. Si

7. Si semen est id, ex quo quæ natura oriuntur, consistunt; & ex mare, fœminaq; simul secernitur, impossibile est marem inter se gignere animal formatum, idq; postea transferre seu excludere in fœminam. Deesset enim alterum generationis principium, sine quo non est generatio. Animal autem esse id, quod mas tunc excerneret, ne *Scaliger* quidē negat dum assentitur canis masculi semen esse canem. 8. Si ista foret generatio *Aristotelis* quam comminiscitur *Scaliger*, cœlum quoq; in æquinocis *anima & corpore constans animal in se gigneret*, & genitum in terram matrem effunderet. At hoc *Aristoteles* nunquam statuit, vt patet ex 3. Gen. an. cap. 11.

9. Mater generationis non alio iure esset parens, genitrix, & mater, quam iam geniti susceptionis nutritionis, & in accidentibus absolutionis. At genitrix dicitur ratione substantiæ dum ens producit ex non ente.

10. Si mas intra se genitum forma animal transfundit, non confert semen ad generandum in fœmina, sed iam forma sua constans animal. Est enim *semen medium quod facit ad animal procreandum*, seu vt est in 1. de part. an. 1. *Principium & efficiens rei quæ gignitur. Semen generatio est: finis substantia*: Et non est prius semine id quod ex eo nasci debet, sed id à quo proficiscitur, vt duplicem rationem habeat, ex quo, & cuius. Nam & à quo decessit, eius semen est, vt equi: & eius quod ex eo futurum est, vt muli. — *Semen quid.*

11. Absurdissimū foret cum equus ex asina gignit mulum, dicere eum intra se, dum semen faceret, simul formam non equi, & sic nō simile sui, sed muli genuisse. Ita est de Leone & Pardali, de cane & vulpe, de cane & lupo & similibus, quibus apertissime refutatur *Scaligeri* circa generationē subtilitas, non minus ac Paracelsistarū. Dicere vero formam equi in Asina degenerare, & in formā muli transplantari propter locum, perinde est ac si quis putaret hominis animam in bestia posse in monstrum abire, & id quod sua substātia perfectū est, posse formam essentialem perdere, inq; brutam trāsmutari. Quam facile sic ex hominibus asinos feceris, & porcos ad exemplum veneficæ Circes? Arist. 1. part. an. 1. Non quodlibet, & vtcunq; sors tulit, ex quouis semine oritur: sed hoc ex hoc: neq; ex corpore quolibet semen quodlibet prodit. Mas non posset per se gignere nisi mares. Hos necesse esset in fœminas transmutari propter locum, id quod absurdum. Sed alia quoq; Aristotelis videamus. *Generatio est substantiæ gratia* (1. part. an. 1.) *non substantia generationis gratia*. Ex hoc colligimus; si maris generatio est non in seipso, sed in alio per semen, impossibile est substantiā iam in ipso factam esse. Neq; enim est generatio cum forma est. Fine acquisito cessat motus. Item: *Empedocles male ex fortuito accidente generationes esse dicit*: Nescius & quam *semen genitale, quod constiterat, vim talem habere* (vt ex eo gignantur membra) *oporteat, & quam res quæ effecerat prior esset non modo ratione, verū etiā tempore. Gignit .n. homo hominē, idq; ortus talis eueniet specie quoniam talis, qui gignit est. Quamobrem censendū, eam ob causam hominē his membris constare, quia hoc homini est esse. Non .n. fieri potest vt sine his membris homo sit &c.* Ex his colligimus: cum vnūquodq; sit id quod est per formā suam, cui necesse est materiā accōmodatam esse, vt sine qua non potest esse, *Scaligeri* generationē esse futilē, & inanē. Neq; .n. possibile est vt forma hominis sit naturaliter, nisi in tali corpore talibus mēbris prædito. Iā qua forma prodeat ex mare semen nouimus. Facile hominē aquam esse dixeris, aut cucurbitā Scaligeriana subtilitate. Eodē in loco: *Semen non nisi potentia est* (id quod ex eo futurū est.) Potentia autē quemadmodū ad actum se habeat nouimus. De hac vide lib. 9. Metaph. tex. 2. & seq. *Actus est rem existere non potestate. Potētia duplex est, vna actionis, altera passionis*: Illa est principiū transmutationis in alio prout aliud est: hæc est principiū transmutationis in ipso patiente passiuæ ab alio prout aliud est. Tex. 12. Est aliquid quod possibile est si nihil prohibeat, idq; tam in his quorū principium generationis est extraneū (in artificialibus) quā in his quorū principium est in ipso habente (naturalib.) Tex. 13. Actus prior potentia est & ratione, & substantia, quodammodo etiā tempore. Semper ex eo quod potentia est fit actu ens ab actu existente, vt homo ex homine aliquo primo mouente quod actu est. Lege & reliqua, vnde disces *impossibile esse vt idem eadē ratione sit actu simul & potentia*: Esset .n. & non esset simul: Et quod *semen actu non sit id quod futurum est*, possit tū esse potentia actiua, rōne principij mouentis. (Est .n. vt causa efficiens) tum passiua, rōne principij passiui (est .n. etiā vt materia) vtrūq; nō accidētiū principaliter gratia, sed substantiæ, ad quā tendit generatio. Ex his iterū contra subtilitatē *Scaligeri* cōcludimus *non posse marē intra se genitam formā cum offa humida effundere*. Neq; .n. potentia esset id quod excernit, neq; semen: Itē: *non fieri in matre perfectionē articularē tantum, sed omnino substantiā*. Ita in 2. de part. an. c. 1. *Omne quod gignitur ex aliquo ad aliquid suā generationē deducit, & à principio ad principiū pergit*, hoc est, ab eo quod primum mouet, & naturam iam aliquam obtinet ad formā aliquam, aut talem quempiam finem. Homo .n. hominem gignit, & stirps stirpē ex materia quæ subiecta singulis est. Item: *tempore materiā generationemq; priorē esse necesse est, ratione vero essentiam rei cuiusq; & formā, &c.* quod corrumpit *Scaliger* dum ait, *Aristotelis* sententiam esse, formam in semine à parente mare factam sibi præparare domicilium, atq; in ratione priorem esse. Sit certe non ratione, sed tempore esset prior. Ita cum ait Arist. *Id quod potentia est efficitur ab eo quod actu est, ita vt sint eiusdē generis*, non habet hunc sensum, quasi anima actu in semine sibi fabricet corpus, cum sine suo corpore Organico. (Est .n. anima principiū corporis Physici, Organici, potētia viui) esse naturaliter nequeat; sed alius est modus, qui explicatur in 1. Gen. an. c. 18. *Alia ex contrariis oriuntur, vt mare & fœmina: alia ex vno*, vt plantæ & nonnullæ bestiæ: *Genitura* id vocatur *quod à generante prouenien causa est, quæ prima obtinet principium generationis in his quæ coëunt. Semen est quod ex ambobus coëuntibus illis originem trahit*, vt plantarum, &c. velut id quod ex mare & fœmina primum miscetur, quasi conceptus promiscuus quidam aut animal. *Semen est ex quo aliud: fructus, quod ex alio, &c.* *Scaligeri* iudicio vir non semen, sed fructum daret. Ex semine oritur natura. Ergo nō iam actu inest. *Semē est quod ad totū suapte natura facit. Conceptū appello primam ex mare & fœmina misturam*: paulo post: *Mas formam & principiū motus*

Si esse hominis est his constare mēbris quæ simul ac nascuntur forma informantur, generatione ad substantiam tendente, in mare homo non gignitur forma sua perfectus.

Genitura. *Semen.* *Fructus.* *Conceptus.*

tus præbet, fœmina corpus & materiam: Item: *Non ita effici vnum ex patiente, agenteq́, videtur, vt quod agit, in eo quod efficitur inſit:* nec omnino ex eo quod mouet, & mouetur quicquam conſtitui: at fœmina quidem qua fœmina, patiens eſt, mas, qua mas, agens, & vnde mouendi principium eſt. Non ex iis vnum quod gignitur eſt (compoſitione ſcilicet, vel mixtione) ſed ita vt ex fabro, & ligno lectus. Patet nihil ſecerni à maris ſemine neceſſe eſſe; neq; ſi quid accedit, iccirco ex eo vt inſito eſſe quod gignitur, ſed vt ex eo quod mouerit, & forma, &c. Hæc *Scaliger* deprauat dum putat ſenſum *Ariſtotelis* eſſe marem in ſe, dum ſemen gignit, in eo ſimul formam efficere. At Philoſophus ſentit marem cõferre per ſuum ſemen non tam materiam, quam principium mouens ad formam. Semen.n.maris pro parente, & artifice eſt, & habet in ſe vim mouẽdi talem, qualem is, qui gignit ſui ſimile. Illa vi in actum producta procedit motus ad ſubſtantiam in loco debito adminiculis præſentibus, cæterisq; rite cõparatis. Vide 2. Gen. an. 1. in quęſtione à quo partes corporis generentur. *Id aut pars aliqua anima eſt, aut anima, aut habens animã.* Non fiunt ab alio extrinſecus agente. Nã q nõ tangit, nõ mouet, & à non mouente nihil afficitur. Ergo *in conceptu ineſt aliquid q aut pars eius ſit, aut ſeorſim contineatur.* Aliud *quid eſſe nõ poteſt.* Quo.n. cedat abſoluta generatione? *Deinde nihil ineſſe videtur q non totius pars ſit.* (*Ariſtoteles* putat cum generatio tendat ad ſubſtantiã, & naturam formæ, ſi eſſet in materia cõceptus aliqua anima informans, eam abſoluta generatione aut manere, aut diſcędere. Si manet, idem habebit duas animas: Si diſcedit, corrũpetur, cum naturaliter in materia eſſe debeat.) Solutio quæſtionis hæc datur: *Partim ab extero aliquid effici poteſt, partim non poteſt.* Nihil.n. intereſt *ſemen efficere dicatur, an is à quo eſt ſemen, modo ſemen habeat in ſe* τὴν κίνησιν ἣν ἐκεῖνο εἶχε; q.d. ſi ſemen in ſe habet eam mouendi potentiam, q̃ ille, qui ſemen contulit, habuit, perinde eſt ſiue dicas à ſemine effici partes, ſiue à genitore. Vt.n. in ſpontinis mouentibus, & mobilibus ſubordinatis, quodammodo illud mouet q iam quidem non tangit, ſed ante tetigit (ſibi deinceps adhærens) ſic id à quo ſemen, aut q ſemen efficit, mouet cum aliquid tetigerit, quanquam nõ adhuc tangat, & motus, qui ineſt, quodammodo efficit vt ædificatio ædes. *Omnia quæcunq; aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo q actu eſt fiunt ex eo quod potentia tale eſt. Semen igitur tale eſt, motumq; habet* (iam extra marẽ in fœmina) *& principiũ tale vt motu peracto pars exiſtat quæq;, eademq; ſit animata:* vide & reliqua. In 2. Gen. an. 3. in quæſtione nũ anima ſit in ſemine hæc habet: τὴν θρεπτικὴν ψυχὴν τὰ σπέρματα καὶ τὰ κυήματα δυνάμει μὲν ἔχοντα θετέον, ἐνεργείᾳ δ' οὐκ ἔχοντα, &c. Et mox: Neceſſe eſt omnes animas potentia prius habere quam actu: Et in fine quæſtionis: δυνάμει ἔχει, ἐνεργείᾳ οὐκ ἔχει. *Scaliger* ſuperficialiter in Philoſopho verſatus & ſe decepit, & nominis autoritate alios. Tuus autẽ *Hermes* dum errantẽ ſequitur, in eandẽ foueam incidit, & ſecũ te præcipitat, tu porro tuum auditoriũ ſeducis. Ex ſacris literis noſti *mori ſemen debere vt ex eo nouum fiat.* Si moritur, amittit formã ſuam, eiq; in materia ſuccedit alia iuxta naturam, & Dei benedictionem. In prima creatione non iuſſit Deus vt planta in ſe ſuam plantam proferret, ſed ſemen. Ita eſt & de animalibus, hoc modo, ne pater in ſeipſo generaret filiũ, ſed in vxore per ſemen. Sic in ouis nõ eſt actu pullus, ſed potentia generationis, prouocatæ incubatu matris, aut ſimilis externi agentis, quo modo Struthiocameli oua excluduntur in arena calente. *Si item in ſeipſo formam nati gigneret pater, omnes maſculi naſcerentur ſecundum naturam. Generatio enim eſt ad imaginem & ſimilitudinem generantis:* Gen. 5. v. 3. Vide loca ſupra ex Iobo & Pſalmis allegata: Iob. 10. v. 8. & ſeq. cap. 38. 21. Pſ. 139. 15. 16. Sap. 7. &c. Ad tua redeamus. Inter *ſuperiores formas & inferiores*, ſeu in iſto tuo choro, vbi fingis *ſpiritum ætherium à ſole per lunam in ſublunaria influere*, ſcribis Philoſophos priſcos MEDIVM ſtatuiſſe. Hoc cuiusmodi eſt? *Eſt quaſi, non corpus, ſed quaſi iam anima. ſiue quaſi non anima, & quaſi iam corpus copulans duo extrema, animam & corpus mundi. Hoc eſt cœli & terræ ſtabile coniugiũ, confluxus, corſpiratio, conſenſus, maritatio, æterniq; hymenæi.* Hæc tu peracute. *Plato in Timæo* animã mundi medio imponit tanquã centrũ, vnde porrectis radiis ad peripheriam omnia cõprehendat & coërceat. Sic tu materiã tuam primam, & formã depingebas: animam autẽ ſuſpendebas vt mumiam, & eius vitales qualitates per totam Anatomiam ſparſas concentrabas in membris principalibus. Itaq; non quærenda fuerit anima in ſummo, & inde per vinculum mediũ corpori mundi copulanda. In 10. de Rep. aliud *octo ſphærarũ mundi vinculum eſt, lumen nimirum fuſi inſtar à ſummo orbe per medios in imum demiſſum.* Rurſus, cùm in Timæo mundum cõponit, ſcribit Deum primo feciſſe ignem, vt aſpectabilis eſſet, poſtea terrã ſoliditatis cauſam: Quia vero duo hæc ſine tertio cohærere non poſſint, *medium aliquod, & vinculũ deſideratum* fuiſſe, quod ex ſe, & ex iis quæ aſtringit maximè vnum faceret. Id mediũ ad vtraq; extrema affectũ eſſe debuiſſe, cumq; ſoliditas nõ exiſtat vno medio: ideo duo fuiſſe inſtituta, *aërem* ſcilicet *& aquam*, vt ſicut ſe habet ignis ad aërem, & aër ad aquam, ita aqua ad terram ſit comparata. Ita Priſcus ille *Plato* facile vires cœli, quod ipſi eſt igneũ elementum, in terram deriuat per intermedia corpora vtriq; extremo cognata. De Atlantis columnis cœlũ & terram continentibus eſt in 1. Odyſſ. De aurea Cathena Iliad. 8. Cum de homine diſſeritur, anima item medio includitur, iñgiturq; corpori interuẽtu *ſpiritus caloris, & humidi radicalis.* Animam *Plato* cõpingit ex parte indiuidua, quæ eſt formalis, & diuidua, quæ materiam attingit, vt *ex eodẽ & altera fiat eius ſubſtantia tota*, quæ prima parte cœleſtibus eſt cognata, altera terrenis, atq; ita vtraq; copulet, quomodo & *Triſmegiſtus* hominẽ parte rationali diuinis iungit, corpora terrenis. In magiſterio ſapientum *anima corpori iungitur per ſpiritum Mercurialem.* Aſcendit à terra in cœlum, iterumq; deſcendit. Portauit id ventus in ventre ſuo. Eſt vehiculũ & medium coniungens tincturas. Veteres de generatione naturali diſſerentes terram matrem, & cœlum, potiſſimumq; Solẽ, vel Iouem patrem mediante aëre coniungunt. Hæc eſt *Cathena* aurea *Homeri*, vt quidam putant, quanquam verius ſit neceſſitas illa fatalis, qua *Socrates* vult diuerſa inter ſe cohærere, vt per *fuſum Parcarum. Coniugium* id vocant aliqui, & tu ambitioſa nominũ congerie rem prodigioſe amplificas. Sed ſi coniugiũ eſt, nõ opus habet alio vinculo præter amorem mutuũ, & reciprocum. Is.n. validiſſimè aſtringit amantia, ſufficitq; ad coniunctionẽ indiſſolubilẽ.

Vbi

Obiectio.
Aut internũ eſt generans, aut internũ.
Non illud.
Hoc ergo.
At ſi internum eſt, aut diſcretum quid à conceptu eſt, aut pars conceptus. Neutrũ videtur eſſe.
Solutio.

1. Cor. 15.

Medium Antiquorũ Philoſophorum.

Vbi iam eſt tuus *à ſole ſpiritus, qui animam fictitiam mundi, & ens negatiuũ enti materiali* copulat? *Plato* etiam aliud vinculum validius monſtrat, *diuinam ſcilicet voluntatẽ*, prouidentiam, potentiamq;. Nemo poteſt ſoluere mundi vincula niſi Deus, qui totum coercet ſuo nutu, ſoluetq; quando præfinitum tempus aderit totam compagem. An nihil legiſti de hac cauſa in Bibliis tuis? Tolle Dei prouidentiam, videbis in tanto elementorũ tumultu, & crepitatione mundi quantum valiturum ſit tuũ vinculum. Defluxus quoq; ille tuus à Dei potentia dependet, qui cum ob peccatũ cœlum facit æneum, fruſtra intercedit ſpiritus tuus, & animam commentitium corpori connectit.

Pſ. 74. 12. & ſeq. Iob. 26. 5. 6. & ſeq. cap. 38. & ſeq. per tota.

SECTIO XX.

De priuatione Ariſtotelis.

HErmes tuus vt in Sancto ſanctorum inſaniebat ſuper materia prima *Ariſtotelis*, ita furit in Meſaulo ſuper *Priuatione*.

Furor Hermetis Hart. in priuationem Ariſt.

1. *Ariſtotelem lumine veritatis priuat* At quem virum? Eum nempe in cuius intellectu naturæ veritas longè euidentius effulſit, quam in vllo alio ex gentilitate. Ariſtotelis ingenio cedere cogitur Hermes priſcus, cum Platone, & ſapiẽtiſſimis, acutiſſimisq; Philoſophorum ſtoicis. *Ramus* eum vexauit: ſed Ramus manet ramus: *Ariſtoteles* arbor eſt. Subtiliſſimus ſubtilium *Scaliger* tuus, ſi legeret iſtud conuitiũ, *muſcam impuram te vocaret mordicantẽ Elephantos*, donatumq; Marſyæ, aut Mydæ premio dimitteret ad tuam caulam. Quis tu es ad *Ariſtotelem* in naturalibus? Cur vituperas te millies meliorem, & lumine naturæ plus fulgentem quam vniuerſa tua Paracelſia? Sed is morbus tuus eſt. Quod nequis imitari, aut ſuperare, irrides, & probris afficis.

Collatio Hartmanni ridiculi Alchymiſta, & Ariſt. in tota Philoſophia magni.

2. Quantùm attinet ad *priuationem*, ea tuo *Petro Seuerino* in *Idea* non vſque adeo diſplicebat. *Comparabat enim tria Ariſtotelis principia tua cum ſuis Chymicis*, quanquam Paracelſici nondum ſint de numero certi. Etenim *Crollius* notat aliquos *ſpiritum* tribus prioribus adiicere. *Quercetanus tria formalia* profitebatur, *duo materialia:* Hartmannus *vnum materiale*. Cum etiam vltimum omniũ dicant eſſe in materiali vitrum; in formali ſpiritum ætherium cuius ſubtilitate nullum corpus poſſit dari ſubtilius, duo erunt vltima. Intermedia quot? Tot quot vult quisq; laborator. Nam ſalem oleum aëreum, oleum igneum, ſpiritum deſcenſorium, aſcenſorium corpulentum, Mercurium & alia ex miſtis eliciunt.

Principia Chymica.

3. Num autẽ *Hermeti Hartmanniano* στέρησις iſta debet vſq; adeo aduerſa eſſe? Non. Cur? Quia *prima materia eius*, quæ dicitur admirando decreto incomprehenſibilis ſapientiæ à Deo creatore in rudem maſſam impoſita priuata omni per ſe forma intelligitur. Rude & informe quod eſt, idq; in Sancto ſanctorum, *indiuulſam ſecũ habet Priuationem.* Nam *rude & informe* non eſt aliud quam priuatum elaboratione, & forma, cuius tamen eſt capax. Deinde cum forma dicitur ſibi ſuum corpus fabricare, *aut ex incorporeo fabricat, aut ex corpore. Illud non:* quanquam ex Paradoxis Paracelſicis hoc vnum ſit, *ex incorporeis ſpiritibus & potentiis fieri corpora*, malè accommodato illo quod ſapientes magiſtri dicunt *ex corporibus fieri debere incorporea*, quæ relata ſunt, non abſoluta. *Hæc ergo. & ex conſequẽte ex non ſuo faciet ſuum.* Id autem eſt à priuatione ad habitum progreſſio tanquã ex cõtrario in contrarium ſuppoſita cõmuni materia. Ita deſcribuntur etiam elementa pura, ſeu loca & receptacula omnigenarum formarum. *Hermes, Plato, Timæus &c.* in mundi creatione priuationem primã agnoſcunt. In XII. *Aſclepij Deus eſt Pantomorphus:* Cum duo iſta, inquit, ex quibus conſtat forma ſint corporea, & incorporea, impoſſibile eſt formam alteri ſimilẽ naſci punctis horarum, & climatibus diſtantibus. *Toties immutantur formæ, quot hora habet momenta circuli circumcurrentis in quo eſt Deus omniformis, &c.* Hoc non fit ſine priuatione.

Hartmannus priuatione carere non poteſt.

4. Quare autẽ priuationem principiis generabilium adiecerit Ariſtoteles, argumẽta habes in 1. Phyſic. & 12. Methaph. tex. 5. & ſeq. Ea debuiſti refutare, & non allatrare virum de natura optimè meritũ, inſtar canis imbellis. *De generationis principiis naturalibus* diſputat ratione, & exemplis ad ſenſum. Itaq; ea nõ ſunt ad omnia, quæ ſunt, referenda. *Potentia* generationum *actiua* aſcribitur *cœleſtiũ motui, & tẽpori ex motu Primũ mobile* cauſa cõtinuationis dicitur: *Secundũ*, cauſa generationis & corruptionis, vt apparet in acceſſu, & receſſu ſolis. Eſt & *paſſiua potentia* in materia generaliũ, & corruptibiliũ. De hac *Plato* ſcribit ꝙ *materia potentiã nunquã excedat.* Hæc cauſa eſt priuationis formæ, & ſuſceptionis alius. Ita res fiunt ex vno, & altero, cõſentaneo, diſſentaneo. Omnes rões huc redeũt. Itaq; in Phyſicis cum ad primã materiam, formã, & priuationẽ peruentum eſt, non amplius eſt ꝓgreſſio Phyſica, ſicut Chymicus nõ reſoluit amplius cũ ad ſua eſſentialia principia, & elementa acceſſit. Si diſplicet tibi *priuationẽ principiũ* vocare, & tria ponere, pone duo, & *priuationẽ* appella *oppoſitũ habitui argumentũ*, quo tamẽ in explicatione generationis, & corruptionis carere nõ potes, vti nec tenebris tuis, cũ in creatione rerũ ex eis ꝓducebas lucẽ, nec informitate, cũ eã permutares formarũ in Chao exiſtentia, nec vacuitate loci, cum eã impleres omnigenis ſeminib. indeq; res faceres generatione, iterũq; eodẽ ablegares corruptione. Principia cõpoſitionis primæ ſunt duo, mat. & form. principia generationis duo ſyſtatica, vnũ tranſmutationis, atq; ita tria. Vniuerſaliter creationis & conſeruationis, vnum: Ratione cauſarum, quatuor. Ita vario reſpectu principia variè allegantur.

Principia Ariſtotelis ſunt generationis. 2. de artu c. 10. & 11.

5. Dicit *Ariſtotelẽ* ſubſtituiſſe *loco principij priuationẽ.* Quo, vel cui? *Coniugio ſcil. cœli & terræ per id quod eſt quaſi anima non anima, quaſi corpus non corpus.* Num ergo putas generationes in medio mũdi fieri *cum formæ cœleſtes incorporeæ per mediũ deſcendunt in materiã corpoream*, vt ſicut inter formam, & ſubiectum Ariſt. interpoſuit priuationẽ, ita tuum medium ſit interiectũ inter cœlum formans, & terram formandã? Num vero *Ariſtoteles* vnquam tuas nenias ſciuit? Nouit ille vim ſolis per ſpiritum ita diſtributam vt plena quodammodo ipſi videantur animarum omnia, cumq; principium illud ψυχικὸν à materia comprehenditur, generationes ſpontaneorum fieri: de tuo vero *corpore non corpore, anima non anima* ne per ſomnium quidem quicquam vidit.

Anima non anima corpus non corpus.

Quid autem est vt tibi displiceat priuatio, cum animam quasi non animam, & corpus quasi non corpus ponas? Aut vniuersalis illa tua negatio (NON) est, autem specialis: Interminata, aut determinata. Si illud, tolle generationes in vniuersum. Nam negatione animæ animatum, & formæ formatum nunquam constitues. Si hoc, quid aliud profiteris quam habitus priuationem in materia habili? Ita non *Ens* est *priuatiuum, quod necesse est antecedere Ens aliquod determinatum, cum ex nihilo naturaliter nihil fiat, nec quoduis ex quouis.* Hinc generatio Arist. est ex non ente, q̃ & tuus *Scaliger* non negat, cum semen intra suum parentẽ animat, & postea materiam ex imperfecta perficit. *Seuerinus*, quem sequeris, negat quicquã nasci, aut interire, *quia ex loco omnia prodeant, & in eundem reuertantur.* Interim negare nõ potest *sanguinem non esse hominem*, & Deum per generationem naturalem ex vno omnes postea homines fecisse. An non vides priuationis necessitatem cum animaduertis sanguinẽ manentem non posse hominem fieri, sed oportere sua forma priuari, & in aliud mutari?

Scomma in Aristotelicos.

6. Vertis *malitiosum stylum* in Peripateticos quoq; eo nomine quod suã de priuatione sententiam apertius prodiderint ad informationem TVAM. Vocas *speciosos (si diis tuis Paracelsicis placeat) Philosophi sectatores.* Crede mihi *Hartmanne* siue placeat tuis morionibus Paracelsicis, siue displiceat, *Aristotelis veros sectatores verè esse speciosos, & illustres* eoq; argumento tibi solus *Scaliger* debet esse cõmendatus. Tu vero quis es cum tuis Paracelsistis? *Homo nebulosus, obscurus, vertiginosus, totus carbone atro, fumisq; nigris intus, & foris obsitus, qui adhuc in barathro noctis Hippocraticæ, & Orci Orphei, specusque Platonicæ latitans nondum quicquam de specioso veritatis lumine cognouisti.* Si multum tibi tribuendum est, *vespertilio strepens in musæo sapientiæ es.* Quæ te intemperie agitant vt viros summos ausis tam scurriliter habere? Num sic tuam *Academiam, & Spartam ornas?* Ante quam in rerum natura esses Christiani Philosophi nouerunt quid tribuere Aristotelicis dogmatibus deberent, tantum abest vt ex te homuncione obscuro, & irrisore inepto discere desiderent.

Hartmanni descriptio ex moribus Carbonariorũ Paracelsicorum.

Quid sine Peripato & Galenica Medicina esses miser.

7. *Viuis coloribus, ais, depingi ab istis sectatoribus priuationem Aristotelis: Scilicet.* Nempe mos hic tuus est ironicis scommatibus excipere viros bonos, qui si volupe eis esset par pari referre, possent tẽ ornare ex virtutibus *nigræ tuæ Philosophiæ.* Respondeat autem tibi ipsorum loco *Thrasybulus: phy Diabolo.* Cogitare debuisti te in Mesaulo esse. Sed diabolus tuus irrupit etiam in sanctũ tuũ sanctorum.

Colores priuationis. ἀμορφία.

8. Colores qui? ἀμορφία. ἀσχημοσύνη, ἀμυσία, ἀνορμήσια, ἀδοξία, &c. Priuatio opposita est habitui, qui forma, species, & aliis nominibus affirmatæ essentiæ formalis appellari solet. Nihil absurdi est ἀμορφίαν hoc sensu dicere, qui formæ priuationẽ, h.e. ruditatẽ, informitatemq; exprimat, qualem tu in *Chao, rudiq; & informi massa* ponis, & scriptura Hebraica appellat *Tohu, Vabohu.* Creationis simulacrũ est generatio naturalis. Intellige ergo in generatione quoq; esse exemplar priuationis, & formæ absentiæ. De homine loquitur Ps. 139. 16. *Imperfectum meũ viderũt oculi tui.* De corruptione sui disserit Iob. c. 13. 28. *quasi putredo consumendus sum.* Deus ait: *Terra es* (ex terra fabricatũ corpus habes) *in terram reuerteris.* Eccles. 12. 7. *reuertetur puluis in suam terrã vnde erat, & spiritus ad Deum:* Hic priuatur materia sua forma: vt & Sap. 9. 15. & de creatione c. 11. v. 18. *Omnipotẽs manus tua creauit orbẽ terrarũ ex materia informi* ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Habes ἀμορφίαν. Eandẽ significat ἀσχημοσύνη. De cæteris iubeo reddere rationẽ tuum *Hermetẽ priscum, Platonem, Timæum, Hippocratẽ*, & qui eos sectantur. In magisterio sapientũ quid prima materia proclamatius? At ei adiacet priuatio formæ. *Mercurius principiũ mercuriale est omniũ metallorũ*, carens metallica forma definita. Hanc vnde petunt sapiẽtes nisi à sulphure? Salẽ addũt coagulationis gratia. Tolle sulphur ex formatis, habebis priuationẽ tam in corruptione, quã generatione. Nisi stultus esset tuus *Hermes* sapientes insipientiæ non damnasset. Theologi Christiani primi diei opus accipiunt de mundi rudimento. Reliquorũ creationis διακοσμήσεις elaborationes & exornationes vocant.

ἀσχημοσύνη antecedens διακόσμησιν.

9. Dicis *verborũ portenta & rerũ, quæ in tuo Mesaulo locũ non habeant.* Ridiculè. Nullæue tenebræ sunt in tua aula? Atqui oculus tuus totus est tenebrosus. Non vides id q̃ omnes. Nec tenebræ videtur nisi sub ratione priuati luminis, nec priuatio nisi sub ratione absentis habitus. Si *nõ est priuatio in tuo Mesaulo*, quod in hoc mundo esse necesse est, *neq; habitus erit. Contraria n. sunt simul.* Contrariorũ vno posito ponendũ & alterũ est: 2. de ortu. c. 8. tex. 49. Velisne rem aliquã vocare priuationem, an nõ; nihil moror. Sit ens rationale, si nõ reale, quanq̃ cum Deus sit ẽt tenebrarũ creator, & informitatis primæ, nesciat aliqui quid sit statuendum. Non. n. omnium exactam habemus notitiam. *Portẽta verborũ* sunt tuis subtilissimis & delicatulis auribus. Vocabulis ἀσχημοσύνης, ἀμορφίας, ἀταξίας vtitur Philos. in 1. Phys. c. 7. tex. 64. dicitq; esse ἀντικείμενον: sed ὑποκείμενον τ ἄνθρωπον, λέγω, &c. στέρησιν, ὡς ἀνομοίων συμβεβηκός: tex. 66. Hæc nõ sunt. Portenta in auditoriis eruditorũ, sed notissima disciplinæ vocabula. Quid autem sunt Paracelsica illa Gabalis, Gabala, Resibisolleus, Relollaceus, Cherionius & alia? ô verba proba. Quid dices ad principiũ maleficum, & occasionatum? *Aristoteles accidens* vocabat, vt quod non est constitutiuũ generati, nec efficientis aut essentiæ rationem habet, sed accidit, cum non possit fieri hoc ex hoc, nisi priore destructo, & materia priuata antecedentibus formis. Olim tibi ista non erant portenta cum saperes: nunc cum deliras totus, calumniari bonas doctrinas mauis, quam explicare.

10. Mirabiliter insanis. Appellas *Eclipses & defectus in mẽtibus cæcorũ istorũ tenebrionũ*, intelligens *Aristotelẽ & Peripateticos Philosophos* Adi quæso *Nicolaum Guibertum Lotharingiæ illud nouum Sydus, & quære, qui sint Tenebriones. Chymistas* dicet & *Philosophos nigros. Cuculum ingratiorẽ non puto sub sole vnquam fuisse.* Tune eos *per quos Vides, aut te videre putas tenebriones* dicere audes? Tune non tantum *tenebriones*, sed & *Cæcos*? Vertamus maledictũ in laudem. *Si tu tenebrio cæcus esses, saluus esses: Nunc cũ dicas videns sum, salus à te aufugit.* Qui. n. videt sicut tuus *Hermes, Tiresia & Tamyris est cæcior. Eclipses* fataliter tibi exciderunt. Non potest esse Eclipsis vbi nullũ est lumen, nec vlla Ecclipsis est perpetuo, sed cum lumine permutatur. *Si ergo mentes Aristotelicorum habent Ecclipses, etiã lumen habet.* Hoc forma, &

Eclipsis Aristotelicorũ.

ma, & habitus quidam est, cuius priuatio *Ecclipsis* ista tua. Habent vtrumq; contrariorũ. Sunt instructiores à lumine quam omnes tui Paracelsistæ. *Contrariorum contrario adhibitum eo magis elucescit*. Videsne, an tibi perspicilia sunt applicanda? Stecht ihm den Stahr.

11. Negat Hermes tuus cœcus in natura inueniri *Eclipsin istam Peripateticã quæ στέρησις dicitur*. Nimirũ in natura sua Morõnica, & Vtopica non inuenit. In natura à Deo creata, maximè iã post peccatũ, & maledictũ, proh fidẽ hominũ, quantũ occurrit *Eclipsium*? An tu oblitus es tuæ Astrologiæ? Defectus luminis luminariũ quot mala dicuntur portendere? *Lumen forma est. Eius defectus priuatio.* Nolo Theologari. Nam *peccatũ originis te totũ confunderet*. Iube tibi aperiri adyta *magisterij lapidis*. An in iis nullæ erunt *Eclipses*? Quando de elementis disseris in tua alchymia, sunt ne in illis habitus formales potentiarum, an priuationes? Cũ comburis herbas, an non priuas eas suis formis? Quod tam in natura Macro. & microcosmica est, quam in arte, id ne audes negare? Scilicet & anima, & corpore infernum intrabis, cum excedes ex hoc mundo. O te miserum Physicum. *Eclipses in natura deprauata multa.*

12. *Missam vultis*, vos par bellũ, & pulcrum, tu cum Hermete tuo, *facere insanientẽ sapientiam*. Si ex animo loqueris, exue Cucullũ Paracelsicum, & indue togam, Chlamydemq; Galenicã, Aristotelicam, Hippocraticã, sapore Spiritus S. bene purgatam. Non insanies. Hoc tibi consiliũ do fidele. Ita enim talentum bene collocabis, certamẽ bonum certabis, offendiculum tuis discipulis non pones, & nullum in errorem induces, poterisq; rationẽ reddere bonæ villicationis tuæ. *Insaniẽs sapientia est illa quam ex stultorum Monarcha Paracelso didicisti.* Hac abiecta ad sanam mentem redi. *Insaniens sapientia Christianorum Peripateticorum non est, sed Paracelsicorum Magorum, Gabalistarum, &c.*

13. *Missam vis facere ἀμουσίαν.* Laudo. Sed illa itidẽ est tua Paracelsia. Quin ergo eam quatis foras? Quamdiu cum ea versaberis, ἄμουσος eris. Ex nõ Musico euadere stude Musicus, & ex priuatione in habitũ laudibilem transibis. Ita abiice *στέρησιν sterilẽ*. Ea vero est tua, nõ Aristotelis. Nam huius στέρησις etiã est iter ad multã frugem iuxta dictũ Christi, & Apostoli Pauli: *Nisi granũ in terram coniectũ mortuũ fuerit* (Ea res est priuatio vitæ apud Arist.) *solum manet, nec facit fructum: Si n. aũt moriatur, in multã frugem resurgit, atq; ita ex morte in vitã transit*, vt & tui magistri de suo grano in perfecto opere loquũtur. Tandẽ & κακοποιὸν vis dimittere. Præcipita ergo tuũ Hermetẽ in imum tartarum. Is. n. est *maleficus* ille, qui tibi tuisq; discipulis hactenus imposuit, fecitq; vt Dei & naturæ leges corrumperetis vt hactenus demonstratum. *Aristotelis priuatio* per se nihil viriũ ad efficiendũ. Est. n. per se non ens: de quo dicit sæpe ne esse quidẽ omnino apparere ei, qui mentem intenderit πρὸς τὸ κακοποιὸν αὐτῆς. Neq; ergo per se est κακοποιός. Imo cum Mecurium tuum lapideũ ex lapide facit *Aristoteles* etiã est κακοποιός. *Sufficiens est, inquit, alterum contrariorũ facere mutationem ἀπουσία καὶ παρουσία*: vt hoc modo non necesse sit contraria duo, & sic principia tria facere. Vnde patet *Aristoteli* non admodum curæ esse de tertio principio, propter quod tamen tu eum cum Peripateticis tam crude tractas. *στέρησις sterilis. Hermes c. 10. Asch. mors est dissolutio corporis, & interitus sensus corporalis. κακοποιὸν Ar. 1. Phys. tex. 80.*

Sectio XXI.


De seminibus in Mesaulo.

IN *hagiasterio* tuo ostendebantur *elementa pura*, inuisibilia, incorporeã. (Nam tu videre potes etiã inuisibilia, & incorporea) *spacia vacua*, tanq̃ *loca, domicilia, matrices*. In his proponuntur *abyssi, & Orcus Orphei*: In abyssis iacere docentur *semina destinata generationi*: seminib. tribuitur *vitalis validaq; potestas quæ temporibus digestis suscitetur*, vt semina in abyssis suis post Fœtum à locis promoueantur ad maturitatem. Ex his ordo quidam rerũ apparet, *Loca. abyssi. semina cruda. semina matura*, quanquã vix possim intelligere quo modo illa cruda semina possint habere vitales, validasq; potestates. Quo ponemus informẽ massam, cui inclusa materia illa prima omniũ actionũ origo? Quo formã, naturã, animã, calidũ innatum, spiritũ ætherium duplicem? Liceat fingere: elementa pura seu loca: abyssi: massa informis, natura vniuersalis, materia prima, forma prima ingenita: ex duobus his semina composita, quæ iam generationi & corruptioni sunt obnoxia. Seminibus includamus materialia elementa: elementis his principia: principiis tribuamus spiritum & innatum calidum cum natura singulari: hæc sint vincula animæ & corporis in quolibet indiuiduo, vt sint plena animarum omnia à cœli influxu, & spiritu ætherio fœcundata. Ecquid placeo? Sed tuus *Hermes* ignorauit methodũ naturæ, nec bene digessit res suas in Sanctuario, & Mesaulo. Sed nec virtutes rectè assignauit. *Quomodo n. materia prima omniũ actionum origo esse possit cum sit vacuitati & priuationi Aristotelicæ proxima?* Cum itẽ ex libro Creationis, nõ ex phãtasia nostra sit petendũ de productione rerum iudicium: In illa. n. sunt principia apodictica: cur indulgemus tantũ nostris opinionibus? Spiritus Domini non sic cõdidit creaturã, neq; etiam talẽ instituit generationẽ. Ante principiũ mundi fuit creaturarũ *Nihil*. At *Hermes* loca, materiã, & rationes seminales, h. e. vt Plato loquitur, ὕλην καὶ χώραν καὶ γένεσιν (ὕλω) ἀναγκαῖα τελχῆ τρὶα πρὶν οὐρανὸν γενέσθαι, cõminiscitur. Cũ nihil esset Deus verbo omnipotentiæ hęc suæ iussit existere creaturas, pdierũt terra, aqua, aër omnia tenebrosa, simulq; locata cum suo loco. Mox introducta lux est; factũ firmamentũ aquarũ distinctiuum; reliquũ aquæ collectũ est in sua maria, arida apparuit: Hinc ex arida iussæ pdire plantæ; & tunc proculdubio istis in superficie apparentib. *mineralia in cauernis interioribus & lapidib. extiterunt eadẽ virtute.* Secuta est syderũ creatio in firmamento, quibus assignata officia illuminationis, & temporũ per motus ordinarios. *Cum lumine simul vim illã intelligimus, qua digeruntur fata rerũ nascentiũ, & elemẽtorum*; vbi si quis velit *spiritũ quendam vniuersalẽ* ponere, nõ repugnamus. Constat certè sine solis, & lunæ potissimũ benignitate malè se habere elementa ad generationẽ, & conseruationẽ, & ad hæc prodesse *qualitatũ primarum temperamenta* pro diuersitate temporũ, & locorum. Interim autẽ singulis plantis sua singularis virtus fuit concessa per quam & esse possint, & bene esse, cedereque in vsus optimos, seq; propagare in futurum. Hic non opus est fingere *noua spacia vacua, nouas abyssos, orcos* & alia; sed *quælibet planta ex elementis corpus accepit* ita, vt in eo *sit pars quædam essentialis*, primum subiectum, & fundamentum facultatum & potentiarum singularium, *analogum ætherea naturæ*, spiritu, calido, & humido primigeniis *Mirus ordo rerum apud Hermetem Hartmanni. Hartman hospes in Physica vagatur sine methodo. Hartman impingit in sacras literas, fitq; Archonticorũ hæreticorum socius. Creatio.*

geniis dotatum,ex elementorum nobiliore ſubſtantia,& æthereo corpore compoſitum diuinitus; pars quædam quaſi rudis ſit,& craſſa ad interiorem eſſentiam continendam,& à turbis impetuoſórum foris irruentium defendendam,quam partem propiorem elementis externis deprehendimus, ſicut illum interioribus,& ætheri.*Nihil tamen virium eſſentialium plantæ foris acceperunt, ſed totum illud eis eſt à creatore Deo inſitum,& in ipſis creando productum.* Vt autem totæ plantæ ſunt actu exornatæ,ita *ſemina* ſingularum ſe habent potentia, quæ & in plantas perfectas euadunt, ſi non deſtituantur ad-

Rom.8.v. 20.21. miniculis externis,quæ ſunt Dei benedictio,locus,calor temporis,irrigatio & alia. Optima iſta fuerant ſi peccatum, & ex peccato maledictum non ſuperueniſſet. Iam vanitati omnia ſubiecta ſunt vſq; ad manifeſtationē filiorum Dei,qua creatura liberabitur ab iſtis moleſtiis,& infelicitate. Quæ vero ratio eſt plantarum,ea & animalium, niſi quod ſingulis generibus inſuper tributum ſit ſuum. Ex terra & aqua ſunt creata animalia conſtantia animabus ſuis: Eadē etiam vim procreatricem ſui ſimilis,vt plantæ,acceperunt: Habent & corpora,ætherea, & elementari partibus conflata. In explicatione naturæ omnium non opus eſt redire ad antiquum Chaos,ad orcum,ad ſpatia & reliqua cōmenta; ſed ſatis eſt poſt vniuerſalis naturæ, vti iam conditam habemus, contemplationem, ad ea quæ ſingulis inſunt,tanquam conſentanea, & quæ ſingulis ad generationem, conſeruationē, & vſum ſunt præſto,poſtea etiam ad diſſentanea,conſiderationē conuertere. Nam in generalibus,ſpecialibus,homogeneis,& heterogeneis eſt omne quod de creaturis eſt reuelatum, quāquam id poſt lapſum non tantum admodum paucum ſit, ſed & valde imperfectum; vnde diſſidentiū opinionū multitudo.*Deo gratias debemus quod in veſtibulo naturæ aliquem locum habeamus.* In Sanctum ſanctorū ante plenitudinem temporis irrumpere non ſolum eſt temerarium,& valde præſumtuoſum, ſed & periculoſum,cum clauſis ianuis accedere illam lucem non poſſimus, & interim ad alia deflectamus à quibus in errorem & perniciem ducimur,quod euenit *Hermeti,Platonici,Magis*, omnibusq; gentilium *Philoſophis*,& eorum ſectatoribus, qua ſecreta illa ſine lumine Spiritus S.conantur perſcrutari. Terreni ſumus: terrenis elementis propter peccatū capti hæremus, & circumducimur ſæpè variis doctrinarum ventis,nec opiniones nos deſinunt agitare.*Studeamus modeſtiæ & nos ipſos noſcamus.* Illa vero quæ in *libro Scripturæ* ſunt reuelata, quæq; in natura didicimus infallibili ratione,& experiētia perpetua teneamus, donec in altera vita perfectionem conſequamur, id quod continget his,qui ſe patiūtur regi & duci Spiritus S.principiis. Hunc modum Philoſophandi doce tum *Hermetem Hartmanne*,& non prius in *arcana æternitatis* inuola quā à Deo ſit permiſſum. In veſtibulo aſta,& procul intuere,ad quod duplici facultate es armatus.Nam *ſenſualem notitiam* habes,& *intellectualem.* Vtraq; iuuatur illuminatione diuina, priſcorum doctrina, & propria experientia. *Omnia probanda: verum tenendum.*

Semen ſiue ſexus confuſi,ſiue diſtincti, potentia motum talē habet,qualē ſeminis genitor actu.



Sed tuam de ſeminibus contemplationem contemplemur.

Semina Hartmanni. 1. *Semina vocas aſtra*, reddisq; rationē cur de iis non diſſerueris in Sancto S. vbi cœli virtutes generales es contemplatus. De appellatione non eſt multū litigandū. Nota.n.eſt Chymica applicatio, & relata cōſideratio. Ratio vero tua,quare in Pyramidali Meſaulo,per quod à ſuperioribus deſcenſus eſt ad inferiora,de aſtris ſeminibus agas plane eſt aliena,& pudenda. Si.n. *de aſtris cœli inferioris* dicere volebas,expectare debuiſti donec ad inferius perueniſſes. *Tu inter cœlū & terram adhuc vagaris, καὶ ἀεροβατεῖς.*

Loci conſideratio. Non eſt hic locus aſtris. Deinde vbi loci cōſideratio eſt,ibi & locati. Simul.n.eſt vtrumq;. *Hermes in Aſclepij* c.12.ait: *vocabulum locus ſolū caret intellectu.* Nam quid ſit locus,apparet ex eo cuius eſt. Principali nomine demto ſignificatio mutilatur. Addendum ergo locatum,vt locus ignis,locus aquæ,&c. ſicut inane eſſe aliquid impoſſibile eſt,ita locus ſolus quid ſit,dignoſci non poteſt. Nec eſt locus in mundo ſine locato corpore. Hæc ille. *Si ergo ſemina in Meſaulo ſunt conſideranda,etiam loca hic erant*; aut ſi loca in hagiaſterio,etiā locata, prout ibi quoq; ſeminū feciſti mentionē. Hic vnum eſt.

2. *Astri* appellatio ad essentias inferioris globi, vti dixi, non absurde adhibetur. Sed cum non tantum tincturas, & balsama, (quæ tu ad animam in hagiasterio referebas) nuncupetis astra, verum etiam radices, & semina, de hoc videndum est. In hagiasterio vocabas semina ea spatiorum vacuorum contenta, quæ vitali, validaque potestate munita destinata generationibus in abyssis suis foueantur, inde suscitentur temporibus digestis, & promoueantur ad suam maturitatem: Inde cum res iterum corrumpuntur, (quanquam Paracelsistis cum ipsi putrescant & resoluantur in elementa, fiantque terra, nihil pro sua stoliditate corrumpatur) redeant ad diuersoria pristina, abyssos scilicet, & elementa pura, id est, vacua spacia, vbi immutabili quiete sint beata. Hæc deliramenta de seminibus ausus es *Sancto Sanctorum* affingere. Si sunt destinata generationi, *quæ est motus ad essentiam seminibus determinatam ad similitudinem eorum, quorum semina fuerunt*, medium quoddam sunt, per quod, & ex quo nascantur ordinata. Ipsa quidem sunt per se quædam essentiæ corporeæ astris suis, seu tincturis, arcanis, essentiis æthereis, spiritu, calore, humidoque primigenio præditæ, vnde & Chymici sua principia ex eis eliciunt, separantque elementa: sed qua ratione sunt semina, *alicuius procreandi gratia sunt, quod nondum est*, (Falsum enim est *Scaligeri* iudicium de seminibus actu animatis) *sed futurum est*: quod vt fiat, necesse est corpus seminum destrui, si modo credendum putas, *Saluatori Christo Deo, qui est veritas ipsa, & Paulo, qui dicit, semine mortuo non prodire id corpus quod fuit*, sed *aliud quod Deus confert*. Hîc plane nullum est *astrum* in tota ratione seminis. In corpore seminis est quidem, sed id interit, & transmutatur in aliud. Non ergo potest idem esse semen & astrum, Deinde *stulta* tua *Philosophia est de semine ex abysso prodeunte, maturescente, & rursum in abyssum diuertente, ibique immutabiliter quiescente*. Quæ ratio te in hanc stultitiam coniecit? Si nescis quomodo ex semine nascantur plantæ, & homines, *Hippocratem*, qui, vt arbitror, tibi non sordet, cum senem venerandum voces, & de constitutione corporum ex igni & aqua alleges, consule. Is tibi probe explicabit. Semina maturescunt in his, à quibus secernuntur, cum primum per ordinarias mutationes extiterint. Matura cum sunt, possunt gignere tale, quale erat id, à quo sunt secreta. Hîc pereunt, & in plantam, vel animal abeunt, non manent. Si ergo regrediuntur ad suos abyssos, postquam plantam vel animal instituerunt, regrediuntur, & fortassis in tua Vtopia simul vidisti animas fabros eodem diuerti. Volunt enim vestræ Scaligerianæ sapientiæ nonnullæ *animas in seminibus fabricare scienter, & quam fabricarunt ædem, postea tradere succedenti incolæ habitandam & vtendam*. Astris sic aliquod principium & occasionem dederint, at non sunt astra ipsa. Quod si etiam forent astra ipsa, quæ Chymici ex mistis extrahunt, non tamen in abyssos suos reuerterentur, vt ibi essent immutabiliter beata.

Astra chymica.

"Verba Seuerini ex c. 5. "idea transcripta.

Semina.

Alia anima fabricans, alia incolens.

Astra.

Quid enim fit cum incensa comburuntur, sicut accidit optimis Chymicorum spiritibus? Quid fiet cum cœlum & æther, ætheriusque spiritus cum mundo, & anima mundi conflagrabunt? Estote beati in somniis vestris. Miror inueniri qui credere possit.

Orcus ad quid conditus sit, habes Matth. 25. v. 41. nempe *Diabolis & maledictis. Semina in sacris sunt duo, iustorum & iniustorum*. Psalm. 37. Illud in benedictione erit: hoc in societate diabolorum. Est enim *semen maledictum* ab initio. Sap. 12. v. 11. Illud *semen sanctum*. Esa. 6. 13. cap. 61. 10. cap. 65. 23. Est *semen verbi diuini incorruptibile*. 1. Petr. 1. 23. Cætera semina plantarum & animalium peribunt. Neque enim seminis vsus erit post hanc vitam. Vbi ergo loca, abyssii orcus tuorum seminum? Idem iudica de *radicibus. Radix semen non est, nec astrum, sed id per quod planta alimentum trahit ex terra, & ori*, aut vmbilico comparatur.

Orcus seu infernum quib. factũ.

Radices.

Paracelsistæ dum sapientiam venantur, in abyssos stultitiæ inciderunt. Ex radicibus non quâ radices, sed qua corpora sunt absoluta, essentiæ & astra, & elementa fiunt, idque non inter cœlum, & terram, globum superiorem & inferiorem, sed in inferiore. Qui radices in cœlum inferunt, mysteria parabolica loquuntur, non explicant naturam. A Deo enim primordia ducunt, & vniuersales caussas particularibus præmittunt: sed radix singularis, & indiuidua cuique in terra, aut aqua est, tanquam subiectis, & materiis corporum nascentium. *In terra enim & aqua animalia & plantæ spontaneæ nascuntur*. Ex vtrisque olim producta sunt creando, homo ex terræ puluere formatus, non ex omnibus extractus est, vt Crollius contra autoritatem scripturæ contendit. Animalibus pro terra est vterus, ouum, vermis: quin & putredo si sint spontanea. Plantis aqua & terra addicta est: Interim aliquæ innascuntur sibi mutuo. Psalm. 139. 15. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & compositio mea in inferioribus terræ. Vbi pro terra vterus, cui accrescit epar, dictum in secundis, in quo radicatio. Verum de his alibi. 2. Moues quæstionem, *de seminibus & astris tuis, qui in Mesaulo coruscent, cum persuasum sit astra tantum in supremo cœlo circumrotari*. Non male quæris. Nam & in diuinis literis erudimur, *Luminaria & stellas à Deo collocata esse in firmamento*, & sic esse naturam videmus, neque per tot mundi secula cognitum est in elementarem regionem vnam stellam vniuocam descendisse. De cœlo casuras esse sub finem mundi est in vaticiniis. Ante vero in alio loco esse non possunt, quam quem acceperunt in initio, & in quo prouidentia Dei sunt hactenus conseruata. Quocirca *Seuerinus* tuus *valde nasute illudit creatori*, & creaturis, insultatque Theologiæ & Philosophiæ principiis, communique omnium hominum sensui & iudicio, dum de elementis garrit *elementa* (cœlum, aerem, aquam, terram,) *esse naturas incorporeas, inanes, vacuas, in quas Deus Magia incomprehensibili*, (vt Dei sanctissima Maiestas etiam polluto vocabulo inquinetur) *imposuerit lucem & seminales rerum rationes, adiungens corporum principia, quibus induerentur in mundanam scenam proditura: Philosophos deceptos putasse vestimenta illa corporea esse ipsa elementa, & sic vniuersam Philosophiam contaminasse obscuratis generationum, & transplantationum legibus, &c.*

Seuerinus Deo & hominibus illudit c. 5. Idea.

Mire fatuus homo proponit *elementa imaginaria vacua*, eaque mox implet *fictitiis rationibus*,

O   *& vestit*

& *veſtit corporibus.* Si talia ſunt quî poſſunt eſſe vacua? An verò nobis non licet tales agnoſcere Dei creaturas, quales & conditæ ſcribuntur, & ſunt, & tandem etiam interibunt? An non ſunt illa elementa, quæ Moſes, Chriſtus, Petrus, &c. hoc eſt, ipſe Spiritus ſanctus omnium oculis obiicit conſideranda? Vnde didicit homo ſtultus, *alia eſſe elementa, & ſeminales in illis latere phantaſias?* Colligat elementa per ſemina: qua demonſtratione? Eadem dicit eſſe *inuiſibilia, æterna.* Deliramentum nimirum *Hermetis, Platonis, Hermogenis.* & aliorum paganorum, vel hæreticorum, in literas Chriſtianorum denuo erat referendum, ne ſolus Deus æternitatis gloria frueretur. Ita de *Aſtris* nugatur. „Semina in cœlo, inquit, progenuerunt ASTRA, dum corpora obtinuerunt perfectiſſima. „Deus luminaria fecit, & ſtellas. eaque firmamento impoſuit, vt ibi eſſent vſque ad finem mundi immutabili ſubſtantia, ſeu generationibus & corruptionibus temporaneis non obnoxia. *Seuerinus* alium agnoſcit *creatorem*, commentus *ſemina quadam, à quibus ſtellæ ſint progenitæ*, contra omnem fidem ſacram, & Philoſophicam. Pro inſano itaque erat relinquendus, nec in Academica auditoria reuocandus. Ita dum reliquis elementis attribuit *aſtra inuiſibilia*, eaque affigit cœlo, ſeu elemento ſummo, vbi viſibili ſpecie repræſententur, fabulatur anicularum ſomniantium more. Quis enim hoc ipſi dixit, aut quo principio didicit? vertiginis & mendaciorum impudentiſſimorum. Ex eodem fonte manant & hæc Hermetis tui Meſaulica.

Cap. 6. idea. Seuerinus in Deū impius de elementis æternis. De aſtris in Moſis hiſtoriā iniurius. Stellæ à ſeminib. genitæ. Petitiones principiorū.

Aſtronomia globi imi.

Aſtra enim ſua *Seuerinus* intrudet in plantas quoq; & animalia & mineralia. Quo argumento? Quia *ſtatæ ſunt Periodi motuum in omnibus actionibus naturalibus herbarum, animalium, mineralium, vt in coctione alimentorum, excretione, nutritione, pulſu vitali, morborum circuitu, menſibus, æſtu Oceani, &c. Nihil enim eſt in vniuerſa naturæ inferioris familia, quod non innatis aſtris totam aſtronomiam officiis prædeſtinatis accommodatam abſoluere poßit, &c.*

Ecce hæc eſt doctrina tui *Hermetis* ex olido fimeto & ſterquilinio *Seuerini* transſcripta. quanquam *Seuerinus* non ſic inſaniuerit, vt *Aſtra inferiora Meſaulo*, hoc eſt, ſpacio medio inter duos globos adiecerit. Argumento vtitur ridiculo. *Si aſtrum id eſt, quod actiones & paßiones quaſdam ſuis temporibus oſtendit, omne miſerum quoque & ex maledicto, pœnisq; peccatorum natum, habebit aſtrum, adeoque non homines tantum impii, ſed & diaboli ſuis aſtris à Deo conditis, aut ſaltem ex ſeminibus naturæ incluſis ortis agitabuntur.* Mala eſſe poſterius inuecta, quis θεοδίδακτος ignorat? At aſtra ſunt Dei creaturæ. Magis ridiculum eſt, quod etiam *morbis ſua aſtra naturalia* & ſemina aſſcribuntur, qui tamen in natura ſunt maledictionis, nec habent primordium ex creatione.

Aſtra morborum.

Ex talibus fundamentis *antiqua aſtrologia* accuſatur erroris, & qui de ſeminibus ex natura philoſophati ſunt, nimis anguſte diſſeruiſſe dicuntur, & omnino ſtultæ iſti ſapientiæ nihil placet, niſi quod ſua figmenta fœtida redolet. Mittatur ergo ad coruos. Pergat autem tuus *Hermes.*

Cœlum inferum Hartm.

3. *Eſt hoc cœlum inferius*, inquit. Belle. Si cœlum eſt inferius, non eſt medium inter ſuperius & inferius. Deinde ſi id cœlum eſt, in quo tua ſemina, permittendum tibi eſt, vt tuum *cœlum* habeas *in nocte Hippocratis, & orco Orphei*, quæ tamen ſi Chriſtianus es, cauere ſummo ſtudio debes. Nam ſi tuum ſemen & aſtrum erit in orco Orphei apud Cerberum, Proſerpinam, Plutonem, & furiarum greges, vbi te inueniemus? Nouimus aliquando parabolice ſic ludi, & per allegorias philoſophemata abſtruſa proponi. At tu cum tua factione non vultis videri *tropicam Philoſophiam condere*, ſed omnino *eſſentialem*, quæ ſit primæ veritatis, *& qua putatis ſcholaſticam ſapientiam poſſe firmiter redargui*, docere. Nimirum veſtrum eſt cœlum terræ miſcere, καὶ τὰ ὑπέρτερα νέρτερα θεὶς, ne deſint, qui his dicteriis fidem faciant.

Quid in infero cœlo.

4. *Quid eſt in tui Hermetis cœlo inferiore? In eo æque ac in ſublimi cœlo*, ſeu olympo ſydereo, quem globum ſuperiorem vocatis, cui *Crollius carbones aſpectabiles* (ita contemte loquitur de diuinis illis creaturis) affigit, *aſtra eſſe infixa demonſtrant ſtatæ motuum periodi, & mirifica agendi poteſtas, luculente.* Agnoſco verba Seuerinianæ ideæ: ſed contrarium ex illis concludo: *ſi ibi ſunt aſtra, vbi ſunt ſtatæ periodi motuum, in elementis corruptibilibus & humanis negotiis nulla ſunt aſtra.* Rationem pridem reddit *Ariſtoteles*, docuitque experientia, & explicant diuinæ literæ copioſe. De *Platone* & priſco *Hermete* quid dicam? Ecquid eſt ſtabile in rebus humanis, & elementis? Vt aſtrum eſſentiale quid ſit, non ad tempus ſaltem æquabiliter, & quadamtenus moueri debet, ſed perpetuitate ſubſtantiæ, interiorumque cauſſarum perpetuitatem actionum demonſtrare: non debet vacillare, & in momenta mutari, iamque ſic eſſe, mox vel vnica vertigine aliter ſe habere. Collige ergo: *In rebus elementaribus non ſunt ſtatæ periodi actionum, niſi ſecundum quid tantum. Non ergo in his ſunt aſtra.* Item *in elementaribus & humanis negotiis non ſunt cauſſæ interioris conſtantiæ, & perpetuitatis. Non ergo ſunt in eis aſtra.* Niſi bilem tuam in horas mutabilem, & temperamentum, ſanitatiſque & morborum impetus incertos vererer, ex teipſo inſtabilitatis argumentum caperem, & luculente demonſtrarem in te aſtrum nullum eſſe, quia in horas omnia tua ſint mutabilia, & ſi quid eſt certi in actionibus, perpetuique, id ex alia cauſſa pendere, quā vel ex natura tua, vel facultatibus naturalibus, tuus *Seuerinus* magno cum ſupercilio producit in *fabulam mundanam.*

Aſtra in corruptibilibus eſſe non poſſe. Ariſt. conſtantiam ex cœlo petit 2. de ortu tex. 56. 1. met. 2. Plato in Timæo & alibi de ſenſibil. b. Eccl. Vanitas vanitatū, & omnia vanitas.

Inſtabilitas in victu.

1. *Coctiones alimentorum.* At has non eſſe ſtatas, vel vnica cœna luxurioſa poteſt euincere. An ignoras, quot & quantas mutationes inferat variatio victus? *Hippocrates* vnde ſanitatis & morborum petiit fundamenta, quam ex illo ipſo, additis & cæteris naturæ adminiculis in aere, aquis, locis, genitura, affectibus: imo ne *cœlum quidem permittere perpetuitatem* noſſe debes ex firmamenti legibus, & effectibus mire variis, vbi ſæpe vnico die aer varie mutatur, & nihil conſtantiæ præ ſe ferat. Inde vero victum mutari, ſoli Paracelſiſtæ ignorant.

2. Excre-

2. *Excretiones* excernit. At has quoque raro obseruare suas vices nulli est ignotum. Si tu Medicus es, praxis te luculente docebit.

Excretiones Seuerini.

3. *Nutritiones* affert. Sane nos consueuimus edere vel ad libitum, vel esuriem. Pueri & iumenta fere toto vigiliarum tempore, si quid edulii est, comedunt sine ordine. Taceo de conuiuiis, & aliis. Vide vero qui status ordo intra nos possit esse; dum natura tam variis modis quatitur.

Nutritio.

4. *Crepat auctiones.* At oblitus est nos Nanos esse, si ad primos homines referamur. Non quidem crescimus in infinitum iam quoque: sed considera longitudines, & amplitudines adeo dispares, vt difficile sit, duos inuenire pares. Idem à seipso ætate, sanitate, morbis, nutritione, & aliis quoties differt? Cogita de plantis quoque & bestiis. & mineralibus. Vbi est illa stata augmentatio? vti dixi, si quid stati hic est, ex alia caussa, quam ex *Seuerinianis astris.*

Augmẽtatio.

5. *Generationes* cum adducere, ridiculum est. Quid in elementari regione mutabilius est generationibus, corruptionibus, alterationibus, cum hæ ipsæ sint mutationes, adeo vt *sola mutabilitate elementaria dici possint constantia esse?* Gignunt plantæ, & animalia, sed quam varie.

Generatio.

6. *Pulsum vitalem* comitari animalia corde prædita ab initio ad finem concedi potest. Dic autem, bone Medice, quoties is vel in te ipso vnico die mutatur, cum varie afficeris animo vel corpore? Quid fiet si singulos conferamus? Non astrum, quod in nobis est, pulsum vsque ad mortem durantem genere (non specie) efficit, sed altior natura.

Pulsus arterialis.

7. *Morborum circu tus*, qui status facit, hospes est in tota medicina. Tempora morborum definiuntur quidem à Medicis, verum ὡς ἐν πλάτει. Sunt principia, incrementa, status, declinationes: sed quam incertis momentis, & articulis? Ita de *crisibus* quam timide pronunciandum est? Vix in acutis aliquid *stochasmo dubio* assequimur. In *Chronicis*, quos *morbos astrales* vocant Paracelsistæ, in quibus astrorum statæ periodi maxime debebant animaduerti, omnes nerui deficiunt. *Ignorat homo initia & fines suos.* Certum est mori debere, aut transmutari hominem. Eidem iuxta *tres parcas* tria spatia assignant, sed in singulis vbi statæ motiones? In nobis sunt caussæ incertitudinis potius, quam certitudinis. Herbas apud nos, & in alia Zona, quæ temperata dicitur, vere, autumno vices experiri, non in ipsis tam est, quam in externis caussis. Alia enim earum ratio est sub Zonis intemperatis, & est, vbi perpetuæ sunt plantæ, quæ apud nos mutationem subeunt.

Morbi.
Plin. lib. 29.
1. Nulla artium inconstantior est medicina.

8. *Menses* quoque eructat. At caussa horum est in cœlestibus, etiamsi mulierum purgationes respicias.

Menses.

9. *Æstus* Oceani quin & aliorum humorum in magno & minore mundo, quam multi ex Luna deducunt? *Aristoteles* dicebat omnem vim inferiorum Regi à cœlestibus, quæ sola sunt constantia. Id iudicium non displicuit *Crollio*, & aliis multis. Quis enim stabile aliquid inueniat in his, quæ toto genere sunt mutabilia, & caduca? Tolle prouidentiam diuinam, & leges generales, videbis quid astra tua singularia, quæ necesse est tot esse, quot in singulis indiuiduis, & particulis singulorum habes naturas singulares, constans producere queant.

Æstus maris.

Addit *Seuerinus* & de *ætatibus, temporibus laborum, quietis, durationum,* & aliorum. Sed cum experientia nostra contrarium dicat, & in generalibus alias caussas ostendat, non est vt *Seuerini* contra omnes suos sensus assertionibus aliquid tribuamus, & ex consequente etiam tuum *Hermetem* irrideamus. Si Theologus esses, cogitares non de natura phantastica, sed ea quæ vanitati & maledicto est obnoxia: ires in Dei templum, & sententias legeres de miseriis humanis, & fato omnium caducorum. Roman. 8. vers. 7. Carnaliter (astraliter iuxta Paracelsistas) affectum esse, est inimicitia aduersus Deum. Non habitat in carne mea bonum. Rom. 7. 18. Mala sunt astra, quæ nobis Deum infestum reddiderunt, & nos ex luce in tenebras detruserunt, nec possunt rursus illuminare, varium animal Platonis, & leo, cum peruersa mente & cœco intellectu rapiunt nos in inexplicabiles varietates. Vide 1. Corinthiorum 4. Mesaulum tuum cum tuo Hermete ad Tartarum mitteres, etiam cum Ethnicorum scripta, & mundi historias consuleres, vbi iam est tua demonstratio luculenta? In *noctem Hippocratis* & *Orcum Orphei* fugit. Æque in imis esse astra, ac in sublimi cœlo, *veritas est Paracelsica*, non Platonica ex ideis in cœli dorso. Nostrates *mendacium* vocant, & mirantur impudentiam vestram, quod audeatis tale quid vel halare nedum scribere. Ecce *quos soles vocatis, & sulphurea principia, quam facile flammam corripiunt, & conflagrant?* Num & sol cœli? Astra inferiora, modificata illa Chymicorum, non potestis absoluere ab elementorum contagio, etiamsi rumpamini. Num & cœli essentialibus astris corruptibilia & alterabilia elementa sunt mista? An tandem te mentitum esse deprehendis? Sed perge.

5. *Astra nihil aliud sunt quam supra dicta semina.* Vah hominem acutum. *Si astra sunt nihil aliud quam semina, mutationibus sunt obnoxia, & ex orco orientia in orcum regrediuntur, ibique æternum quiescunt:* quorum nihil potest tribui astris veris. Sunt ergo *astra falsa.*

An astra sint semina.

Deinde alia ratio est astri, alia seminis, vt patet ex definitionibus. *Semen enim est generationis caussa, vt ex eo & per id tanquam principium oriatur substantia concreta. Id non est astrum.*

Tertio quid tuus *Seuerinus*? Aliquando cum *Crollio* omnia confundit, ita vt *astra* sint *cœlestia, terrestria, elementa, principia, tincturæ, semina, &c.* aliquando distinguit. Nam *astris cœli inserit semina, fructuum suorum origines, & mechanicos fabros, qui fabricent in elementari regione morborum &c. caussas.* Seminum officium est perenni vicissitudine, decretis, digestisque tempo-

Incertitudo doctrinæ Paracelsicæ.
Officium seminũ apud Seuerinum.

temporibus, fructus, & indiuidua huiuſmodi ex fontibus ſuis producere, & eſſe in cœleſtibus aereis & aqueis, habereque talia aſtra.

Apud Paracelſiſtas nihil ſcitur.

Vnde apparet incertitudo doctrinæ. *Modo nihil aliud ſunt quam aſtra, modo in aſtris ſunt ſemina, iam ſemina habent ſua aſtra in aliis, quæ aſtra non tantum ſunt generationis principia, ſed omnino omnium actionum*, ſicut tu delirabas de materia prima, forma calido innato, ſeu natura & aliis. Conſequens eſt in tota Paracelſia, hagiaſterio tuo, meſaulo, & aliis figmentis nihil eſſe ſcientifici, atque ita te cum tuis ſociis apparere ſapientem, ſed non eſſe: atq; vtinam in ſpeciem ſaltem ſaperetis, ne plane inſipientes & ſtulti eſſetis iudicandi.

Aſtra iacere in elementorum promptuariis.

6. *Aſtra illa*, quæ nihil aliud ſunt quam ſemina, ſi credere dignum eſt, (Nam tota Chymia hoc ignorat) *in elementorum promtuariis iacent.* Stulte. Aſtra ſunt miſtorum interiores eſſentiæ, reſpondentes natura elemento ſtellarum, nec ad generandum aliquid, ſed ad conſtituendum miſta, conſeruandaque deſtinata. Ideo & nutrimenta ſunt partim, partim medicamenta; partim media. Si in miſtis iacent, non in promtuariis elementorum. Miſtum non eſt elementum.

Deinde *ſi fictitium eſt elementum, aſtra quoque ſunt fictitia, quæ eis tanquam locis vacuis aſſignantur. At illa ſunt fictitia. Ergo.* Minorem probo, quia nec à Deo creata ſunt talia, qualia deſcribuntur, neque poſterius extiterunt, atque inſuper tam ſtolide finguntur, vt nullus ſapiens ne veriſimilitudinem quidem poeticæ fictionis in eis agnoſcere poſſit, nedum veritatem vllam. Itaque neque apud veteres ſapientes, diuinos, humanos, quicquam de eis legitur, neque vllo principio, aut experientia demonſtrari poſſunt, multo minus id, quod de eis dicitur. *Somniantes in Orco Orphei* Paracelſiſtæ talia commenta ſpumant, tamque eis adhærent, vt quicquid in diuinis literis legitur, quicquid apud Philoſophos priſcos, recentes, quicquid publica experientia, & lex mundi populorumque dictat, præ iſtis ſuis ſputis contemnant.

Eſt autem & hoc ſapientiæ cuiuſdam ſuperciliosæ, cum dicitur; iacere, non in elementis, ſed elementorum promptuariis. Aliàs elementa ipſa ſunt capſæ, matrices, & promtuaria in Chymicis parabolicis: in plana Phyſica partes ſubſtantiales miſtorum.

7. *Habitant illa bella aſtra in promtuariis Vtopicorum elementorum tanquam in ſede patria.* Imo ſunt in exilio ſi ſunt. *Cuius locus nuſpiam eſt, id nuſquam eſt. Illorum aſtrorum locus eſt nuſpiam. Ergo.* Aſſumtum declaro natura creati, & exiſtentis mundi. Quod autem ſibi fingunt locum Paracelſiſtæ, eum ipſi quærant in ſuo Orco, ſed extra Phantaſiam tenebroſam inuenient nullum, etiamſi apud Cerberum & Plutonem quærent.

Aſtra Hartmani quare fruantur in ſuis locis.

8. *Fruuntur inæſtimabili copia eſſentiæ & vitæ.* Interrogare hîc libet tuum *Hermetem*, quam pridem ex illis locis venerit, vt tam apte poſſit de ibi habitantibus aſtris nugari? Cur te non induxit in iſta loca vbi habitant? Monſtrat tibi ea in Meſaulo, & dicit tamen habitare in locis vacuis inanium elementorum, & Orco. Tune ex orco veniſti? Tune in locis vacuis? Non opinor. Aliud ergo meſaulum tuum, aliud latibulum aſtrorum. Miror quî ex vacuis elementis, & orco coruſcare, & oculos tuos mouere potuerint illa aſtra, quæ nuſpiam ſunt. Vnde *Hermes* tuus didicit *iſta aſtra frui vita inæſtimabili copia*? Superiora non viuunt. Multo minus inferiora elementorum contagio infecta, & in carceribus tenebroſis mortua, nihilque plane agentia.

Fabula de elementis & ſeminibus.

Petitio principii.

Fruuntur etiam inæſtimabili copia eſſentiæ. Quî hoc credam, cum *nox & orcus* ſint priuationis eſſentiæ & tenebrarum ſedes? Quis patietur ſibi perſuaderi, ſi tua elementa ſunt vacua? Audio *Seuerinum* inſtar ægri ſomniantem, & *fabulas* narrantem *de vacuis elementis, quorum natura ſit ornata ſeminibus iſtis cohærentibus indiſſolubili nexu, quæ nequeant per ſe ſenſibus cenſeri*, ſed *progreſſa coniugio infelici principiorum plurima patiantur tanquam in carceribus, ad quos declinent ineuitabili fato*; *&c.* Mira ſomnia dei infernalis Morphei. Ego vero peto demonſtrationes, & quia *ſenſibilium principia ſunt ſenſibilia*, volo edoceri ſenſibiliter. Aliàs inanitates veſtras nihil eſſe niſi vanitates iudicandum eſt. Ita argumentor: *Quod non eſt, non poteſt frui inæſtimabili copia eſſentiæ. Aſtra tua & ſemina non ſunt. Ergo.* Aſſumtionem probo, *quia locus, quibus affinguntur, non eſt.* Vos fingitis: Sed figmenta veſtra ſunt laruæ inanes, & *rebiſollæ imagines*, vt vobiſcum loquar, *Ariſtophanem* mortuum eſſe, gaudete. Alioquin materia fieretis *nebularum. Democritum* quid facturum putas? *Atomos ſuos* facilius defenderet, quam vos veſtra ſemina.

Aſtrorum Hartmani affectiones priuatiuæ.

Pollutio dictorum Sp. S. contra II præceptum, ſeu III. Caluiniſtarum.

9. Quomodo affecta ſunt aſtra tua in ſuis locis? *Nec ſitiunt, nec eſuriunt, nec vim inferunt aliis.* Lepidus es. Quin dicis nihil nec agunt, nec patiuntur, quia ſunt vmbræ ſomnia? Deliras fingendo. Semina in rationibus ſuis non habent eſurire, ſitire, vim aliis inferre. Non ſunt his deſcribenda, quæ in ea non cadunt. Alioquin ſi velles diſſentanea congerere, βλακευόμενον deberes. Non poteras tamen fabulari de tuis ſeminibus, niſi *inquinares oracula Spiritus Sancti* impuriſſimo tuo halitu. Quod Deus Eſaiæ 49. verſu nono & decimo pronunciat *de electis liberatis ex vinculis, & tenebris, quod paſcua eorum ſint futura tempore Euangelii in viis & collibus, nec ſint ſenſuri ſitim, eſuriem, æſtumque, & vim ſolis, quia miſerator eorum ſit eos recturus, & ad fontes aquarum ducturus, quæ verba repeiuntur* Apocalyp. 7. verſ. 15. 16. 17. *de his qui poſt magnas tribulationes in æternam beatitudinem ſunt recepti*: id tu tuis ſordidis figmentis, & mendaciis accommodas, quaſi aſtra tua commentitia ſint res quædam exiſtentes, & deſtinatæ cœleſti felicitati, & venerint ex mundi huius tormentis propter confeſſionem ſynceræ fidei, &c.

An non

An non pudet vel cogitare eiuſmodi inſanias? Quis vnquam ſic delirauit, vt proprietates Electorum Dei transferret adſomnia fictitia de rebus brutis? Sacramentarii aliàs ferre non poſſunt realem proprietatum communionem in Perſona CHRISTI. Negandum eſt, te Sacramentarium & Caluiniſtam eſſe, quia propria filiorum DEI communia facis etiam laruis nihili.

Duo adhuc quæro, cum tua ſemina ſint in *Orco Orphei*, ex quo *Eurydicen* ſuam Cithara reducere ille conatus eſt, bene ne an male ibi ſunt, an neutraliter ſe habent? Cum in tenebroſo loco ſint, ſcintillare, vt iuſtorum animæ, non poterunt. *Vt habeant aſtra Hartmani in orco*

Deinde ſi in iſtis locis aut vacuitatibus potius ſunt, num cum in ſcenam mundanam, vt figurate (omnia enim veſtra ſunt fabuloſa, & eſſentialibus diuinæ, humanæque ſapientiæ oppoſita) loquimini, prodierunt, eſuriunt, ſitiunt, vim inferunt, vim patiuntur, lacrymantur, cruciantur, ſeu vt ait tuus Deus *Seuerinus, Infelicitatem coniugij cum ſulphure, ſale, & Mercurio Chymicis, experiuntur*, vt gaudeant, ſe ſolui iſtis principiorum carceribus? Vide quæſo quantum veſaniæ tibi ſit defendendum Paracelſicis iſtis inſaniis in palæſtra propoſitis. Nobis delirio omni delirantius eſt, ſi quis velit dicere, ſeminibus, & aſtris, quà ſunt id quod ſunt, tale quid competere. *Si in orco ſunt beata, in hoc mundo ſunt infelicia.* *Vt afficiantur in mundo ſenſibiliū.*

Quid dices ad oraculum diuinum: *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valde bona?* Num ergo ſemina in ſcenam mundi illata non erant tam bona, quam in abyſſis, & Orco Orphei? Peccatis maledicto vitiata dices. Ha ha he. Quo ergo mediatore expiabuntur, vt in inferni ſui beatitatem redeant? *Igne peribunt, nec in omnem æternitatem amplius erunt ſemina.* Extrue quæſo illis nouum locum, qui nec infernus ſit nec cœlum, ſed forte aliquid aliud quam purgatorium Papiſticum. *In orco Orphei ſitiunt, & eſuriunt damnati.* Felices ibi finguntur eſſe, ſed non ſunt. *Qui cum Deo in cœlo viuent, de ligno vitæ edent.* Nam id Apocalypſ. 22. 2. ſingulis menſibus proferet fructum ſuum, & folia ad ſanitatem gentium. Tua ſemina, quia maledicta, non erunt amplius. Ecce hæc ſunt tuæ Philoſophiæ conſectaria. Ita ornas ſpartam tuam in Academia Haſſorum, & tibi tantopere places, vt alios rideas? O te malum pecus. *Diues Lu. 16 valde ſitiebat in inferno orphei.*

10. Tua aſtra & ſemina in inanitatibus ſuis non ſitiunt, non eſuriunt, non lædunt, forte nec dolent, aut aliquid aliud ſeu agunt ſeu patiuntur; *progrediuntur* tamen. Vnde quæſo? *A fonte vnitatis.* Ergone *Orcus Orphei, abyſſi*, clemento, loca vacua, ſpatia inania, habent etiam *fontem vnitatis.* Vide an ſatis ſis ſanus. Ex vnico naturali ſemine poſſunt naſci fœtus multiplices, vt centenarium fructum *Iſaac* meſſuit: Chriſtus dicit, *Semina in agro Dei recepta, & ad frugem promota fructum ferre trigecuplum, ſexagecuplum, centuplum.* Plantæ etiam innumerabilium potentiam habent: beſtiæ ſe multiplicant mirabiliter, vt in piſcibus videre eſt & auibus; ne quadrupedes, præſertim canes, & ſues ſunt tardi. Inter homines inueniuntur multiparæ. Vnitas eſt in parentibus & corpore geniture. *Scaliger putabat ab ea ſic accendi multas formas, vt ab vnico igni infinita candelæ.* Non repugno, ſi cætera ſint paria. At *tua ſemina iacent in abyſſis*, abyſſi ſunt in vacuis locis; & adhuc ſunt fontes vnitatis. Iſtane ſunt loca vacua, in quibus tot res ſunt? Ego puto, tuam eſſe ſententiam ex eo fonte venire, & eâ portâ emitti, qua Æneas rediit ex Orco, id eſt, eburna. De vniparis ſilendum eſt, & de ſterilibus. Carent enim pedibus ad gradiendum. *Aſtra & ſemina Hartmani progrediuntur, [ergo ſunt animalia ſenſu & motu progreſſiuo prædita.]* *Quomodo vnum ſemen multiplicat ſpeciem ſuā.*

11. Quo progrediuntur? Reſpondet tuus *Hermes* ex tuo *Seuerino* fabuloſe: *In hanc mundanam ſcenam.* Non auſim quærere, quæ ſit ratio progreſſionis, violenta, an naturalis. Nam video, te in Hagiaſterio vidiſſe id fieri *vi verbi explicante vnitam multitudinem.* Noui quidem ſic loqui & *Seuerinum*, qui etiam hac phraſi vtitur, *Ineuitabili legis mandato decretum eſſe veſtigia vitæ, eſſentiæ, & bonitatis vniuerſis creaturæ partibus adeſſe debere*; (quod quam verum ſit, ipſe viderit. Ego tale decretum in libro creationis non inuenio. Deus ad gloriam ſuam non indiget veſtro mendacio.) Item, *iuſſa eſſe mundum adminiſtrare officiis, exiſtentiis, vitis, eſſentiis ſeparatis, &c.* cum ait, *infelici coniugio principiorum multa pati*, apparet, ea aſtra & ſemina non eſſe talia per naturam, ſed violenta coactione. *Scriptura ait: Benedictione diuina. Vide Pſal. 104. 147. Gen. 49. Deut. 28. v. 12. Theſaurus Domini cœlum, non fictitius orcus.*

Tu quoque id fateris, cum eis *quietem æternam & beatam tribuis*, poſt reditum ad ſua loculamenta. Sequitur enim in mundana OEconomia miſera eſſe. *Seuerino* prodeunt ex *æternis theſauris ſapientiæ diuinæ.* Hoc cum videbat fieri, conſidera quæſo, qualem Deum, & quam obedientiam creaturarum tua factio fingat. In ſacris nil lego de tua progreſſione violenta. *Cum nihil eſſent rerum Deus dixit, & facta ſunt.*

Quo modo progredi poteſt id quod non eſt? In æternis Dei decretis fuiſſe omnium rerum creationem, concedo: ſed inde non ſic ſunt producta, vt vos fabulamini. Deinde tua explicatio non *de creatione* inſtitui debuit, quam *Hermes* plane ignorauit, ſed de *naturali generatione.* An ignoras, te ſemina generationis naturalis cauſſa propoſuiſſe? Veruntamen nulla vi & ipſa fiunt, in mundumque prodeunt, nec generant violente. *Nulla vi generatio naturalis fit, nec producuntur res ex latibulis ſuis violente in natura.*

Ita loquitur Spiritus Domini Pſalmo centeſimo decimo quinto, verſu tertio, *Deus noſter in cœlo, omnia quæ vult fecit.* Pſalmo centeſimo trigeſimo quinto, verſu 6. *Magnus eſt Dominus Deus noſter? omnia quæcunque voluit, fecit, in cœlo, terra, & omnibus abyſſis.* Pſalmo centeſimo quadrageſimo octauo, verſu quinto, *Ipſe dixit, & facta ſunt. Ipſe mandauit, & creata ſunt.* Ita Pſalmo trigeſimo tertio, verſu nono. Iob 23. 13. Num vero inuita & coacta faciunt mandatum Dei? Non. Pſalmo decimo nono, verſu ſexto. *Sol exultat vt gigas ad currendum viam.* Iob capite trigeſimo octauo, verſu ſeptimo. *Laudant Deum aſtra matutina, & iubilant omnes filij Dei, omnisque creatura eſt in procinctu ad parendum Deo, qui ea, quæ NON SVNT (non latent in aliqua vacuitate) vocat tanquam ſint*, vt Sanctus *Paulus* loquitur Roman. 4. 17. De locis quæ occupauerint

creata. Vide Iob.38. & considera, num creaturæ in eis sint non sponte sua. Syracides cap. 39. vers. 39. *Omnia opera Domini bona: omne opus hora sua subministrauit. Omnia in tempore suo comprobabuntur.* Lege cap.43. de creaturis ad mandatum Dei paratis. Ita capit.39.vers.22.& seq. *Quicquid ille mandat, fit opportuno tempore. Prompte exequuntur mandata Dei, & parata sunt vbicunq; Deus eis vti vult in terris; & cum hora venerit, non cessant.* Refer huc miracula.

Sequitur ex dictis, omnes Dei creaturas per naturam suam, quam per creationem acceperunt esse in mundo hoc aspectabili, & non per vim cogi. Natura ipsarum est ipsa Dei voluntas & iussio prima, secundum quam fuerunt perfectæ, & optimæ. Cum vult Deus, parent ipsi etiam contra suam naturam cum gaudio, vt cum sol & luna consistunt ad preces Iosuæ, cum mare instar muri erigitur, & viam præbet ambulantibus &c. Nota hoc argumentum Hartmane, *si semina & astra, quæ vocatis, in hoc mundo essent vi aliqua, alicubi essent secundum naturam.* Neque enim vis eis inferri potest, nisi cum præter naturam afficiuntur: & quod alicubi est vi, id alibi esse natura necesse est. Assume: *Astra tua in elementis mundi aspectabilibus per vim sunt.* Id enim & expressis verbis Seuerinus & Hermes TVI asserunt, nec tu negare potes, qui locum beatum post emerita stipendia eis assignas, ex quo & prodierint. *Necesse est ergo, vt alibi sint per naturam.* Iam seminum ille chorus mundi compagem constituit. Habetis semina vestra in visibilibus cœli carbonibus, in æthere, aere, aqua, terra, mistis mineralibus, vegetabilibus, animalibus, quibus mundi ædificium constat. Ponendus ergo *alius mundus est præter aspectabilem, isq; æternus*, quia *nihil nascitur nec interit Seuerino.* Vbi hic? In orco Orphei: in vacuis locis elementorum, &c. Probabilior est mundus idealis, seu intellectualis & exemplaris Platonis, quam ille vester. Platonis enim non in orco est, sed in cœlo per Ideas. Fors Democritum in scenam reducitis mundos infinitos parturientem & destruentem vicissim sensu Riolanæo, & vulgari scholarum: Imo ne vna hæresi contaminati sitis, ad eos acceditis, qui materiam & locum, & ens Deo coæterna faciunt. Sed progrediendum est, *Semina & astra vestra prodeunt in scenam mundanam.* Sunt ergo, antequam prodeant: si sunt, alicubi sunt, idque per naturam, cum progrediantur inde & eodem reuertantur, atque ita *duos mundos conficiunt*, illum verum, hunc laruatum, vti & Plato delirabat. Dum autem de progressione in scenam loquimini, satis declaratis, *vestram Philosophiam esse allegoricam*, & recte scripsisse *Iacobum Zuingerum*; *Si quis Paracelsistis detrahat laruam allegoriarum, tunc eorum Philosophiam & medicinam eandem fore cum Græcorum, aut nihil nisi mera commenta.* Allegorice philosophari, est calorem inducere rebus, non autem naturam aliter se habere demonstrare, nisi mentiri quis velit. Ita apologi, Poetæ, & alii fictores solent.

Paracelsistæ faciunt duos mundos.

Scena mundana.

Mundus laruatus.

Allegorica Philosophia, mortua & sepulta potius q̃ viuens.

Quæro ex te, quid sentias *de mortuorum resurrectione*? In altero seculo, eruntne *astra & semina* tantum, an etiam *corpora aspectabilia*, & quidem quod ad homines attinet, ratione essentiæ eadem cum his mundanis sublata saltem mortalitate, & inductis his, quæ vitæ alterius rationi secundum statum beatorum & damnatorum conuenient? Puto te affirmaturum, *cum Iobo te in carne tua, si in Domino, & non in Caluino mortuus fueris, visurum Dominum.* At caro non est semen, & astrum tuum beatum, sed indumentum eius, & larua. Si hic mundus est laruatus, & talis qualis scena fabularum, propter semina vestitu scenico induta, erit & ille alter. Sin autem ille alter non, quorsum de hoc quasi imaginario, & non vero deliratis? Quid aliud verba vestra significant, quam Platonicam de sensuum incertitudine fabulam, & Pyrrhoniorum, scepticorumque Philosophorum temeritatem? Vnum te admoneo, Hartmane. Sunt hæretici, qui negant, corpora numero eadem resurrectura esse. Ex Paracelsi tui & Crollii positionibus haud difficulter potest colligi elementaria, & aspectabilia nostra minime reditura, atque ita non eadem numero. Ratio est: quia statuunt alium in nobis hominem sydereum & spiritualem, qui sit capax immortalitatis: elementare corpus damnant. Hæretici huc trahunt verba Pauli 1.Cor.15.v.37.& seq. Matt. 22. 30.&c. Vide Sladum contra Vorstium parte secunda.

De resurrectione.

Iob. 19. 26. Ezech. 37. Dan. 12 2.

12. *Semina* porro illa *cum in scenam mundanam progrediuntur*, veluti *peregre proficiscuntur.* Fateris ergo ista semina in hoc mundo non esse per naturam, prout ante dicebas, cum in suis inuisibilibus promtuariis elementorum purorum sunt, esse *quasi in patria. Mundi* itaque te iudice sunt *duo*; vnus seminalis, seu astralis verus, & suis seminibus naturalis; alter scenicus, laruatus, peregrinus, & præter naturam. Videris autem mihi occultum etiam hic coniicere in diuinas literas, & ad earum enunciata alludere. Genes. 47. 9. *Iacob vocat vitam suam peregrinationem.* Psalm. 39. 13. *Aduena sum ego apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Psalm. 119. 19. *Peregrinus ego sum in terra.* Ebr. 11. vers. 13. *Peregrini & hospites sunt super terram.* 2. Corinth. 5. *De terrestri domo corruptibili & alia æterna in cœlis. Dum domi sumus, in hoc corpore peregrinamur à Domino.* Phil. 3. 20. *Ciuitas nostra in cœlo est.* 1. Corinthiorum 15. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, &c.* Hæc & similia fortasse inducunt te vt astris & seminibus aliam patriam, campum Elysium scilicet Platonis, & Virgilii, (quia in orco Orphei est) asscribas ab hoc mundo, ita vt hic sint in exilio, in orco vero Orphei, in patria. Sed admonendus es, dicta Scripturæ non loqui de astris tuis, verum de integris hominibus corpore, & anima constantibus: Item facere discrimen interni & externi, veteris & noui, carnalis & spiritualis hominis, non iuxta phantasiam Paracelsi & Crollii in essentia, sed in affectionibus, & statibus, ita vt idem numero homo sit carnalis, & mundanus, seu secularis, modo spiritualis. Lex peccati, & spiritus, concupiscentia carnis, & spiritus, istud discrimen inuenerunt.

Seminum peregrinatio

Ad peregrinationem quod attinet, Sanctus Paulus etiam sic loquitur 2. Corinthiorum 5. 8. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus peregrinari magis à corpore, & præsentes esse ad Dominum:* Item: *Dum domi sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, &c.* In sua patria quoque peregri-

peregrinus eſt Apoſtolus ratione affectus, cumque Spiritu Dei ducitur à corporeis paſſionibus abducitur. Tales fingebat Socrates etiam Philoſophos ſuos.

Ab his iterum mollis cliuus eſt ad negandam reſurrectionem huius, quia hæc tantum ſit veſtis peregrinatoria, cuius in patria nullus ſit vſus. Itaque deponendum corpus hoc craſſum, & Gabaliſticum tantum in cœlum, vel orcum (vbi impii) inferendum, quo modo hæretici quidam volunt etiam Chriſtum inter aſcendendum in cœlum corpus, cum quo reſurrexit, poſuiſſe, & ſpirituale in cœlum vexiſſe: qua de re conſulantur Theologi. Non conueniebat anſam dare hæreticis opinionib. Chymici quidem aliquando ſic loquuntur: ſed res ipſa plana eſt. Aſtra Chymica (non ſemina vt ſtulte loquimini) rerum generabilium, & corruptibilium propriam patriam, & locum habent in hoc mundo. Alter enim eſt immortalitatis, nec indiget ſeminibus. Hic ſeminandum eſt, vt ibi ſine fine metamus. Deus abolebit ſemina huius mundi, & omnia noua, eaque incorruptibilia faciet.

13. *Quid agunt* SEMINA *illa &* ASTRA *in mundana ſcena? Venerunt ex elementis puris*, hoc eſt, *vacuis ſpatiis, in quibus eſt nihil*, vt & ipſa nihil niſi deceptionem phantaſiæ eſſe intelligamus. Cum in ſcenam prorepſerunt, iam *callent fabrilem*. Qui hic? *Fabricant ſibi* PRINCIPIA. Ex qua re? *Ex elementis*. Proh fidem humanam. *Principia ex elementis?* At principiis nihil eſt prius. Si ſunt ex elementis, non ſunt principia, ſed principiata: Principia vero ſunt elementa ipſa, quæ dant originem principiis ſeminum. Quid tum poſtea? inquies. Sic oportet philoſophari in ſchola Hermetis Paracelſici. Turbide inquam; & crude. Nam alias pernegant Paracelſiſtæ, principia ſua eſſe elementaria. Forent enim qualitatibus elementaribus inſtructa, & ſic coinciderent cum elementis *elementariorum ambulonum Iohannis Hartmanni*, magni apud Marburgenſes Alchymiſtæ. At alia ſunt iſta elementa. Nam Hermes Hartmanni triplicia habet. 1. *Puras vacuitates*. 2. *Elementa materiam principiorum*, quæ ſunt ſpiritualia inuiſibilia, vt & *Crollius* canebat: 3. *Elementa externa rebiſollea*, quæ ſunt fœdæ tunicæ aſtrorum, ſeminum, balſamorum, tincturarum, principiorum, &c. Callide. Non putarem id eſſe in rerum natura, quod nec fuit, nec eſt, nec erit, niſi in Vtopico delirantium ſomnio apud Morpheum in orco Orphei. Nos fruemur elementis, & ouis quæ Deus creauit: ingenii elementa & oua eſurientibus Paracelſiſtis relinquemus. Qualia ſunt principia, quæ ſibi ex elementis fabricant ſemina, & quæ? Suntne corpora? Non: ſed principia corporum. Quanquam enim alias Chymicorum principia ſint corpora; tamen hic non ſunt, ſed tantum initia & rudimenta. Exempli gratia: In canino corpore ſunt principia matura corpora. At in ſemine canino ſunt tantum initia, & rudimenta. Neque enim ſalem, mercurium, & oleum ex ſemine expreſſeris, vt ex carne, adipe, & aliis canis iam nati & adulti. Inquam ego: *Hoc nihil aliud eſt quam potentia corpus, & non actu*. Quod enim non eſt, ſed futurum eſt, id ſimpliciter iam non eſt, neque poteſt naturalium quicquam eadem ratione ſimul eſſe, & fore. Reſpondent Paracelſiſtæ; ſe nihil curare potentias Ariſtotelicas: ſua eſſe eſſentialia actu, magica, Gabaliſtica, Cabaliſtica, myſtica, arcana, quibus oportet aſſentiri ſine inquiſitione euidente. Non enim ſub ſenſum cadunt. Eſte ergo beati cum veſtris ineptiis & offutiis. *Principia illa, quæ ſibi fabricant ſemina, & aſtra, ſunt ipſis ſimilia & domeſtica*. Mirum. Si ſunt domeſtica & ſimilia; non ſunt laruæ ſcenicæ, nec verum eſt ſemina hic peregrinari. Domos enim ſibi ſimiles fingunt, & ſic ciuitatem habent. Vbi enim domus cuiuſque eſt, ibi ciuitas eſt, niſi villa, aut pagus, aut ſyluaticum luſtrum ſit, vel caula, non aula, nec prima, nec media, nec vltima. Sed ſiue in caula ſiue aula ſint, domi eſſe ſatis eſt. Saltem enim non viuunt in exilio, atque ideo hæc mittantur. Si ſimilia ſunt principia quæ aſtra fabricant, cur non ex aſtrorum materia, ſed ex elementis? Illud conſideratione dignum eſt. *Hermes* in hagiaſterio narrabat de FORMIS, quæ ſibi iuxta SCALIGERVM (qui tamen de animabus diſputat) in ſemine ex corpore ſeminis fabricarent corpora ſua, colores, ſapores, qualitates quantitates, ſitus, figuras, conſenſus, durationes, & alia. Hic idem audio de FABRIS. *Suntne ſemina & formæ interiores vnum idemque, an formæ per ſemina fabricant*, ſicut Vulcanus per Bronten, Steropen, & Pyracmonem? Ego quidem fateor me neſcire. Paracelſo ſunt magiſtri & diſcipuli: Fors formæ ſunt magiſtri, aſtra diſcipuli. Tuum erit *Hartmane* collegium tuum erudire. *Crollius* forte dixerit, *formas fabricare corpus ſydereum & ſpirituale; aſtra aliud quoddam, quod ſit elementare*. Sed tunc obſtat quæſtio de ſimilitudine. Si enim aſtra ſunt iſti fabri, & ſibi ſimilia corporum principia fabricant, non poſſunt eſſe ex ELEMENTIS.

Semina antequam in mundum veniunt, fabrilem artem ſciunt.

Principia ex elementis.

Triplicia elementa Hartmanni.

Domus ſeminum.

Fabrica ſeminum. & aſtra fabri.

Verum hic Naſus Hermetis corrugatur: Quaſi vero non & cœlum & æther eſſet elementum. Ex cœleſti materia, quæ fiunt apud Paracelſiſtas, etiam fiunt ex elementis, idque duplici ratione: 1. quia cœlum eſt quartum elementum: 2. quia omnia elementa ſunt in omnibus Ergo & in cœlo. Inquam ego: Verba audio, ſed principiorum veſtrorum nulla video principia. Demonſtrate quod dicitis. Si in ſcena eſtis, liceat vobis ad tempus fabulari: at in Philoſophia pura, & eſſentiali fabulæ locum non habent.

Ex elementis & cœlo fieri idem.

Petitio principij.

Verum aliud quæro: Dicis aſtra & ſemina fabricare ſibi in mundana ſcena principia corporum: *An non ergo ipſa ſunt in corpore, aut corpora? Omne agens naturale aut corpus eſt, aut virtus in corpore. Nam ſeparabile eſſe non poteſt, quod natum eſt in corpore eſſe* Si non eſſe natum in corpore eſſe, qua neceſſitate ſibi fabricaret corpus? Reſpondent, per ſe ſine corpore eſſe. Ideo & primus naturaliſque locus eſt vacuitas, abyſſus, orcus incorporeus, vt habitent in incorporeo proprie. Cum corpus ſibi fabricant, ex accidente hoc eſt; Coguntur enim neceſſitate fati, ſicut Ouidius in exilium non ſponte ad Getas miſſus ibi ſibi domum conſtruxit. At, inquam, petitis principium, non datis. Nihil enim adhuc affertis niſi verba inania.

Aſtra Paracelſica eſſe ſeparabilia & ſine corpore reperſe.

Si inseparabilia sunt ea, quorum natura est esse in corpore, aut in alieno sunt corpore, aut in proprio, si proprium sibi fabricant, ante opus hoc, in alieno fuisse necesse est. At nec possunt ex alieno sibi facere proprium. Quod naturale est, id cuique est insitum & proprium, non coactum aliunde, aut vi expressum. Quæ Deus creauit, omnia suam in se & per se naturam habent, vti eam ab ipso acceperunt. Si non: tota creatura aspectabilis nullam habet propriam naturam, nec potest ex ea agnosci CREATOR nisi accidentaliter per Laruam; imo semina non possunt esse generationibus naturalibus destinata. Vnde didicerunt fabricare? Apage cum istis quæstiunculis. Multiplex est responsio. *Hermes Hartmani* dicere potest; Quæ vi progrediuntur in scenam mundanam, ea et fabricare didicerunt, nempe VERBI diuini, à quo, vt formæ, *admirabilem scientiam acceperunt, vt sciant omnia sibi familiaria & externa*, possintque ad ea accommodare corpora, quod & *Scaliger* sensisse videtur. Psalmus inquit: *Deus docet homines quæ sciunt*, hoc est, antequam nascerentur, nouerant omnes suas sortes, & mundi statum; & hæ sunt notitiæ nobiscum nascentes, & infusæ: quæ non possunt adesse, nisi cum seminibus afferantur. Psalm. 19. 3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, hoc est, semen in nocte Orphei latens cognoscit ab aliis seminibus, in noctem reuersis, quis sit status mundi, & quo corpore indigeat, quomodoque debeat sibi simile aliquod fabricare. Ita Es. 1. 3. *Bos cognoscit possessorem suum, & asinus præsepe*, hoc est, semen bouis & asini scit quas domos sibi debeat facere. Hierem. 8. vers. 7. *Ciconia, grus, hirundo in cœlo cognouerunt tempus suum*, hoc est, astra istarum auium nouerunt, quando in scenam mundanam debeant progredi. Psalm. 104. 19. *Sol cognouit occasum suum*, hoc est, astra prædestinationes suas nouerunt, quando prodire in mundum debeant, atque iterum occumbere. Quod dictum est de corporalibus, id intelligendum de spiritualibus: & quod de astris superioris globi, idem & de astris inferioris. Est enim vna eademque vtrobique Oeconomia.

Fabricare vnde didicerint semina, Paracelsica explicatio. Paracelsica nascentia sunt & sciũt antequam nascantur.

Dupliciter ergo iuxta Hartmanum sciunt, 1. vi verbi. 2. disciplina mutua in orco.

Scientia seminum antequã prodeant in naturam.

Secundo, si *Platonem* & *Pythagoram* consulas, formas antiquiores formatis intelliges. Eæ pridem fuerunt in mundo, & didicerunt omnia. Sciunt equidem, in quibus corporibus fuerint. Talia sibi fabricant denuo. Quid si vero anserinum, asininum, aut cucurbitæ facerent? Nam & in his corporibus fuerunt.

Circularis generatio & corruptio tãtum apparens, nõ vera.

Sed *Seuerinus* procedat. Is optime potest rem expedire. *Nihil interit, nec quicquam nascitur*; sed vt Ecclesiastes loquitur capite primo, versu quarto, *Generatio præterit, & generatio aduenit. Terra* vero (id est, orcus orphei, & locus) *in æternum stat.* Vide ibi de sole, de fluminibus, &c. *Omnia ad locum, vnde venerunt, redeunt. Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Id quod fiet. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos, &c.* Hæc magice sunt explicanda, non quomodo scholares Theologi solent. Verus Magus fuit *Salomon*. *Terra* ergo *locus est æternus capiens omnia astra.* Inde *prodeunt digestis temporibus: eodem redeunt*, fiuntque generationes circulo. Hinc est fabrilis scientia seminibus. Ecce huiusmodi nænias ex suo orco obtrudunt discipulis Paracelsistæ, voluntque eas tam firmiter credi, vt omnia Peripatetica & Galenica, quæ aduersari videntur, ideo sint damnanda. Sed illos stultitia sua fecit insanabiles. Tantum enim tribuunt stulto Paracelso, quantum non alii vlli, vt videre est in Encomiis hyperbolicis *Crollij*. Si audiendus est *Salomon*, non excerpenda quædam dicta sunt, & Paracelsicè interpretanda: sed totus scopus inspiciendus. Hoc autem ille potissimum spectat, vt ostendat, *omnia humana esse vana.* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, inquit, sicut & Psalm. 39. v. 7. 12. *Profecto vniuersa vanitas est omnis homo viuens*, qui tamen ab Hermete & Crollio *magnum miraculum* vocatur. Hermes etiam *Deum* appellat. Sed *stultorum infinitus est numerus*, inquit Ecclesiastes c. 1. v. 15.

Magica explicatio scripturæ.

Paracelsistæ infestißimi elementorũ mundanorũ contemtores & hostes.

14. Num satis est astris principia corporum domestica & sibi similia ex elementis fabricasse? Non. Quid ergo præterea agunt? *Asciscunt elementa, vt externa vestimenta.* Nimirum hæc sunt tertia illa elementa, quæ sensibus percipimus, & quibus propter VNICVM pene *Galenum*, scholamq; Galenicam adeo infesti sunt Paracelsistæ, vt mirum sit, cur non in suis ipsorum corporibus viui comburant. Veruntamen noster *Hartmanus* dignatur *terram honore principij*, vt suo loco apparet. Callide certe. Limis intuitus est in Genesin, & vidit *Adæ* corpus ex puluere terræ factum esse, & in terram reuerti debere. Mentitur enim *Crollius*, cum scribit, *extractum esse ex omnibus elementis limi superioris & inferioris.* Videamus ergo quid sit rei præmissa hypothesi: *Quæ est ratio creationis, eadem est & generationis, quantum attinet ad materiam primam.* Sit enim non: *Adæ* ergo corpus ex terra quidem esset, at non *Euæ*, nec posterorum Adæ, atque ita non subiecti essent cæteri corruptioni in terram, quod tamen & sacræ literæ testantur, & experientia comprobat. 1. Cor. 15 47. 48. Qualis terrenus, tales terreni. Quomodo itaque fecit Deus Adamum? Iuxta *Hartmani* deliria, Deus vi verbi debuit adire orcum Orphei, & inde semina tot asciscere, quot futuræ erant partes similares in corpore humano. Semina progrediuntur. Quò? *Ad locum elementorum inuisibilium.* Ex his formarunt sibi principia corporum interiorum similarium: & ex similaribus fabricarunt membra dissimilaria. Istis iam apparatis venerunt ad *elementa mundana* aspectabilia, indeque terram, aquam, aerem, ignem contemperarunt, & sibi fecerunt tunicas, vt non tantum FABRI sint, sed & SARTORES. Quas tu mihi vero stultitias & deliria comminisceris? Paracelsicas, Hermeticas, Marburgicas ex schola Hartmani. Ita fit & in generatione. At neq; creatura, neq; natura ista patiuntur, estq; historia Spiritus sancti longe alia, vt supra ex *Iobo & Psalmis* ostensum est. Respondent Paracelsistæ. *Verbo* at *non sensu.* Verba sunt Galenica & Peripatetica, seque habent vt crustæ & cortices. *Sensus* interior est magicus, essentialis, Paracelsicus, spiritualis, quem soli spirituales id est, magi & Gabales intelligunt. Ite vero vos Paracelsistæ ad coruos cum vestra bilingui Philosophia.

Collatio creationis & generationis. Semina spiritualia venire ex elementis elemẽta sub elemẽta tanquã sub tunicas & tentoria. Astra sunt sartores in Paracelsia.

Literalis

Literalis sensus solus est certus: *Misticus* etiamsi possit tolerari, tamen nisi idem spiritus sit interpres, qui eius est autor, nihil habet certi. Ita est in natura. Corpus tuum in sepulchro putrescit. Num tunica tenus duntaxat? Non. Tua principia quoque putrescent, & in terram abibunt. Semen tuum, quo es fabricatus pridem, interiit. Quid fieret si combureris? Quomodo sis genitus, disce ex Psalm.119.& Psalm.51 Iob.10. Quî sis corrumpendus, habes Genes.3 19. Iob. 17.13. 14.capit.14.per totum. Ps.90. 3.& seq. Psalm.103.14.15.16. 1.Corinthior. 15. &c. Elementa sensibilia mundi non sunt tunica intus conditorum seminum, astrorumque in suis elementis spiritualibus, sed pars materialis, quod inducat corruptio, nutritio, sustentatio, & communis gentium consensus, & experientia cum ratione. His qui contradicit, quia sensu communi caret, pro fatuo est relinquendus. Mira vero fictio est, *semina ex abysso progredi in scenam mundi.* Habebuntne aliquid de mundo, an nihil? Erantne partes mundi à Deo conditi, an non? Si ex mundo petunt principia, & elementa, de mundo non sunt, sed de abysso infernali. Bella origo creaturarum Dei. Quid in scenam ingreditur, nihil est de scena: & si nondum habebant interiores domos, & exteriora vestimenta, nudane in scenam veniebant? Si hoc est, quî potuerunt non tantum in scena consistere, verum etiam in ea agere, fabricare domos, & vestes suere? Agentia & patientia oportet in materia esse, & tangere. Debent enim esse similia, & sibi familiaria legere. Quî fieri hoc potest, si toto genere sunt aliena, & nihil habent in se mundani, atque ita ne simile quid mundanis? Si enim haberent, idem esset mundanum. Necesse enim est genere conuenire. Sed in Paracelsiia nihil tam absurde fingi potest, quod non excusetur per spiritualem Magiam. Magi possunt omnia; Ex nihilo facere aliquid, & rem producere ex abyssis, item pônere antequam sit, & ei affingere actiones instrumentarias sine instrumentis, vt *Scaliger* suis animabus: Item introducunt in scenam nondum natas; & cum non sint, tamen sciunt, & fabricant, & fiunt, aliaque mirifica agunt, vt si Aristophanes superesset, nouas nebulas deberet scribere, aut si Empedocles, Timæus, Democritus, & similes in vitam reuocarentur, cogerentur nouum atomorum mundum fabricare; aut Hercules furens nouis exerceretur spectris.

Figmenta mirifica de seminibus.

Magia Paracelsica tota ex insanis figmentis.

Mirabilis ille Goclenius tamen in suis Magicis & vnguento armario excusationem inuenit. Ita enim scribit: Nulla hîc opus est sensibus mensura: nulla ambitiosa verborum pugna, & inani demonstrationum conatu: q.d.neque physica, neque logica hîc aliquam vim habent. Sola enim spiritualis magia valet: vtpote Crollii Gabalis (Diabolus) imaginatio, fides. At, inquam, cur sine ope Diaboli non perficitis ea quæ dicitis? Si vobis simpliciter credendum est nihil demonstrantibus, quanto magis nobis demonstrantibus?

Mirabili longe mirabilius est, cum externa elementa tam vastis spatiis distent, quomodo ista astra in ouo piscis aut cancri, aut auiculæ, vel ventre animalis, aut vix conspicuo plantæ semine, aut inuisibili grano argenti viui, auri, & similium, imo saltem in vltimo puncto grani frumentacei possint sibi panniculum vnum ex cœlo asciscere, alterum ex aere, ex aqua tertium, quartum ex terra. Explodimus eos, qui de mistis sic loquuntur, ac si hodie fierent elementorum coitiones & contemperationes. Paracelsistæ longe stultius & absurdius ex sua Cabala, Magia, Gabalia, & aliis deliramentis nugantur, quam isti Magis ergo explodendi.

15. Quid fit, postquam iam sunt vestita intus, & foris? Respondet Hermes: *Infelici vestimentorum*, (id est, elementorum sensibilium naturæ, quæ sunt etiam *Aristot. Galeni*, *Hipp* & omnium veterum & recentium Theologorum, & Philosophorum elementa vera, iusta, increata, & hactenus conseruata, vsque ad Paracelsi insaniam, qui cum suis sectatoribus elementa ista spuria iudicauit, & relollacea, vt loquitur homo putridus de Dei creaturis) *commercio plurimum patiuntur.* Si apud sanæ mentis homines disserendum esset, quærerem.

Vide Seuerinus ideam c. 7

1. *Sitne idem pati plurima coniugio infelici principiorum*, & pati plurima commercio elementorum, non locorum, nec spiritualium, sed externorum? Illud cap.6. Seuerinus scripsit, hoc Hermes Marburgicus.

An astra pati ab elementis relollaceis & sterilibus Paracelsi recte dicantur.

2. *Si patiuntur, necesse est, vt homogenea sint elementis externis* relollaceis, sterilibus, vt ea Paracelsici describunt. Non enim patitur contrarium à contrario, sed simile à simili, iudice Crollio. Si sunt elementis externis homogenea, familiaria, & domestica, etiam sunt concordia, amica, & consentanea. *Natura enim natura lætatur, & eius præsentia iucunde fruitur*, vt sapientes prisci dixerunt.

3. Si plurima patiuntur à suis vestimentis, idque sciunt mirabili scientia iuxta *Hartmanum*, cur non vel manent in suis lustris vacuis abyssorum, vel celeriter se expediunt?

4. Vestes solent foris circumiici. At illa elementa sunt intus, omnino perfecte mista cum essentiis. Talia quæ sunt, in actu mistionis in se mutuo agunt, at non cum ad vnitatem essentialem & perfectionis finem peruenerunt. *Fine præsente cessat motus.* Consentaneum est, nihil pati à concordibus.

5. Valde abiecte Hermes de astris loquitur. Non meminit apud ea esse *vim actiuam*, & *non passiuam.* Deinde non recordatur, quod auctore *Seuerino Paracelsus* ista elementa sterilia faciat, & sic contemnat, condemnetq;, quasi nec comburere possent corpora, nec putrefaciendo in terram redigere, nec aliter lædere. Eia absit à seminibus & astris, vt pati possint ab elementis. Si ab elementis externis patiuntur, elementa externa sunt formalia, & actiua, astra vero materialia & passiua, atque ita elementis longe ignobiliora. Vbi vero ista ingentia præconia de vi saluifica & medica principiorum Paracelsi? Iam salus astris erit ab elementis.

Paracelsici magi suas chymicas essentias infra elementa abiiciunt.

Seuerinus fuit emunctæ & acutæ naris. Num semina illa distinxit, atq; ita has quæstiunculas anteuertit. Procedat distinctio. *Semina in cœlo progenuerunt astra*, inquit. Euge *Hartmane.*

Duplicia semina Seueri.

Cœli aſtra creata an ignoras? Si creata in principio aliqua parte ſextidui, non ſunt genita. Deinde ſi ſemina genuerunt aſtra, non ſunt aſtra ipſa. Tua ſemina ſunt aſtra ipſa. *Nihil gignit ſeipſum.* Imo dices, *carbones cœli* ab aſtris & ſeminibus internis prodierunt. Sunt ergo internorum filii. *Elementa ſunt inuiſibilia æterna: ſemina nobiſcum negotiantur, & ſenſibus ſapientum ſæpe repræſentantur.* Mirum vero. At *duo corpora* aſſumunt, *vnum ſpirituale*, in quo non videntur: *alterum* craſſum *relollaceum*, pro veſte, qua vt monachi cucullati, aut laruati in ſcena apparent. Quî hæc concordant? Sic res habet: *Elementa & ſemina in ſuis fontibus*, in quibus id vidit *Seuerinus*, tam certo, quam ego inter fixas ſtellas muſcam minorem ex vermibus caſei, & culicem, *olim fuerunt vnita, nec officiis diſtrahebantur.* Credo hoc, inquam, vel iniurato. Nam elementa illa ſunt nuſquam: Ergo & ſemina. Rationem peto ex forma hagiaſterii Marburgici: *Centrum enim habent vbique peripheriam nuſquam*: Et ſemina ſunt formæ quædam. Sed quî tamen officiis inceperunt diſſentire? Reſpondet mirificus *Seuerinus*: Cum *prodierunt, ex æternis ſapientiæ diuinæ theſauris* (abyſſis, locis, elementis puris Hartmani) *iuſſa adminiſtrare mundum.* (Sunt enim λειτουργικὰ πνεύματα ad miniſterium emiſſa, vt intelligentiæ cœlorum fictæ, quæ *Drebelio* inſeruiunt ad *Galiardam* cantandam de arbitrio *Hartmani*, Item angeli aquarum, ignis, Perſiæ, Græcorum, Iudæorum, &c.) *ſeparata ſunt officiis, exiſtentiis, vitis, eſſentiis, &c.* Ergone illæ relictæ vacuitates, & orcus orphei & per ſe habent ſua officia, eſſentias, exiſtentias, &c. Ita ait *Seuerinus* ille inter genua Iouis eruditus. At cum loca deſeruerunt, quid eis accidit? *Neceſſe fuit in alio fundari.* O factum bene. Quia enim non ſunt per ſe ſubſtantiæ, ſed accidentia relollacea, indiguerunt fundamento nouo. Quam vereor, ne in ſterquilinium incidant. Sed perge. *Iſta ſunt ſeminum & elementorum imagines potius quam ſemina. Cum in mundum venerunt, loca obtinuerunt diſcrepantia à virtute, & ſimplicitate locorum priorum, ſicut & ſemina ipſa huc delata ſunt impuriora, quam ea, à quibus tanquam fontibus prodierunt. Semina prima, & quæ ex primis ſunt nata conſpirant officiorum ſimilitudine, habentq; ſignatutas eaſdem licet diſtent puritate. Coniugium hoc cum elementis facit, vt ſemina nunquam deſtituantur corporibus.* Hæc & alia multa *Seuerinus.*

Semina Paracelſi mundum adminiſtrant.

Quædã ſunt ſemina, quædam ſeminũ imagines.

Intelligimus ergo, ſemina non illa prima, æterna, idealia, (ſunt enim vti deſcribuntur, nihil aliud quam conceptus quidam mentis, qui finguntur eſſe aliquid ſeparati, & loca ſua habere more poetico) ſed ſecunda, quæ Verbo Dei ad extra operante euaſerunt creaturæ corporibus inditæ. Sic, vt *Crollius* loquitur, de medicinis, quaſi ſunt incorporata, ſeu *incarnata.* Hæc pati poſſunt elementorum commercio, non illa exemplaria, & ideæ ſeu conceptus diuinæ æternitatis. Inde & diſcrimen eſt in officiis. Nam in mente Dei omnia ſunt abſolutiſſimæ perfectionis. In mundo patiuntur contagium propter coniugium cum corporibus. Itaque ſimilia quidem ſunt officia, ſed non eadem. *Primum coniugium eſt cum ſpirituali corpore*, ſeu aſtrali, quod, quia nunquam eſt ſine elementis internis, etiam vocatur elementum: *Secundum eſt* cum craſſo externo, & viſibili, cuius ſocietate magis patiuntur ſemina à puriſſimorum fontium puritate paulatim degenerantia, & impuritatem elementarem contrahentia. Inde ſoluitur & quæſtio, *qui à principiis dicantur pati, cum hoc eis eueniat ab elementis. Sunt enim principia & elementa vna.*

Semina idealia & incarnata.

Coniugium idearum cũ corporibus.

Semina patiuntur & à principiis, & ab elementis

Itaque nihil intereſt, ſiue ab his, ſiue ab illis pati dicantur, & quidem à ſpiritualis corporis matrimonio minus afficiuntur: ab externorum vero elementorum contagio magis. Hæc poſſum ex *Seuerino* exculpere. Si iudices, nihil aliud inuenias, quam Platonicum phantaſma, & magicum commentum. Homo inelligendo circa *Ideas* occupatur, quæ ſunt *vniuerſalia intellectus.* Inde magi fingunt *mundum intellectualem. Plato* docuit illas ideas alicubi extra cœlum eſſe in loco contemplationis æternæ, vbi animæ felices ſapientum verſantur, & res, verumque vident vti eſt, & non per imagines fallaces, ſenſuum, vt fit in mundo ſenſibili. Qui in ipſam Dei immenſitatem irrumpunt, etiam *in Deo* putant ſecernere illas *ideas, & rerum exemplaria ſeu archetypos*, quale quid fit, cum artifex aliquis humanus ædem aut nauim facturus prius intra ſe format archetypum; deinde hunc in chartam pingendo coniicit; tertio ad ſimilitudinem exemplaris huius operatur. Nonne Deus *Moſi* ſic oſtendit *tabernaculi formam*, quam ipſe prius in mente cogitauerat? Ita eſt de aſtris & ſeminibus Paracelſi. Primo ſunt in abyſſis æternitatis: Deinde exprimuntur in ſpiritu ſydereo aſtrorum cœli, quod eſt locus formarum: Inde tandem illigantur elementis, vt ſic bis ſint antequam ſint. Hæc ratio euidenter oſtendit, quo modo ſemina ex abyſſo æternitatis in mundum veniant, & poſt fatales terminos iterum in eandem abyſſum reuertantur, atque ita in Deo æterno ſint æterna, hîc quidem in beatiſſimo ſtatu extra omne periculum; ibi vero, nempe in mundo, inter tumultus elementorum corruptibilium, à quibus multa patiuntur. Hæcne eſt & tui Hermetis ô Hartmane, ſententia? Si eſt quorſum attinebat fingere aliquid noui? Hæc pridem celebrata ſunt ſcriptis Platonicorum, inueniunturque etiam apud magos, qui per ſuam ſcalam aſcendunt in *Enſoph, & arcana maieſtatis diuinæ pure contemplantur. Marſilius* quoque, & autor Theologiæ Ariſtotelicæ eadem fuit in opinione, nec diſſentit is, qui librum de mundo conſcripſit. Sane non eſt abſurdum fundamentum ab homine ad imaginem Dei condito notitiam aliquam diuinorum petere, cum & S. *Paulus* ſcribat τὰ γνωστὰ τοῦ θεοῦ in creaturis patere. Sed primum videndum eſt, *ne ab immenſitate ſapientiæ diuinæ abſorbeamur*, & in illam ſuperbiam incidamus, quæ angelorum primatem è cœlo in tartarum præcipitauit: Deinde *ne imagines vim latius extendamus*, quam par eſt, & *ex homine Deum faciamus*, vt Hermes priſcus: præterea cogitandum, nos iam in corrupto noſtro ſtatu *nihil poſſe ſine reuelatione diuina de ſpiritualibus cognoſcere.* Animalis homo non intelligit ea, quæ ſunt Dei.

Ex. 25. 49.
Ebr. 8. 5.
1. Cor. 2. 14.

Iam

Iam enim ab imagine delectus eſt, & ſi velit Deum talem iudicare, qualis eſt imago poſt lapſum, quo profundius ſpeculeris, hoc longius à Dei natura diſceſſeris. *Habitat enim lucem inacceſſam.* Si enim reuelata myſteria coniunxeris cum lumine naturæ, tamen non aſſequeris perfectionem. Nam *in hoc ſeculo per ænigma videmus*, ſuntque omnia noſtra imperfecta, & *ex parte ſcimus.* Hæ rationes modeſtiam ſuadere debent Paracelſicis, eorumque ſpiritus ſupprimere, *ne altiora humanis viribus ſibi arrogarent*, cumque *Dauide & Paulo* non ſcrutarentur maieſtatem, nec monente Chriſto in *ſublime tollerentur*. ſed fruſtra monemus, iſtos magos diabolica ſuperbia tumidos. Ad *Paracelſum* quod attinet, is ſane noluit videri ſua commenta ex libris Platonicorum habuiſſe. Itaq; etiam fingendo delirat magis hoc fundamento: *Quæ in aſpectabili mundo & corpore geruntur, ſunt indicia eorum, quæ in inuiſibili exiſtunt.* Hinc ſicut ea quæ in Comœdiis & Tragœdiis repræſentantur, ſunt ſimulacra verorum, quæ ex illis intelliguntur, ita putat in ſcena magni mundi fieri. Quæ ſunt in homine, ea in macrocoſmo eſſe, ſentiendum eſt. *Triplex genus aſtrorum eſt microcoſmicum, macrocoſmicum, ſeu cœleſte & ſupercœleſte.* Inde *triplex* quoque *homo, ſenſibilis, æthereus, & intelligibilis.* Quæ circa nos fiunt in globo inferiore, ea aguntur, & præluduntur in globo ſuperiore: & quæ in hoc ſunt, ea in æternis ſimiliter ſe habent. *Semina* itaque in loco elementorum purorum primum exiſtunt: inde transferuntur ad *athereum ſolium*; ex quo immittuntur in *elementa* infera. Sic *triplex eſt elementorum* genus; *triplex eſt ratio ſeminum* Et ſane omnia per ſemina exiſtere dicuntur, quia hic eſt in mundo minore, ita in vegetabilibus & mineralibus.

1. Tim. 6. 16. *1. Co. 13. 9. 12* *Pſ. 131. Rom 12. 3. Luc. 12. 29.* *Fictionum Paracelſicarum fundamentum.*

Nota: Si ita eſt in cœlo, vt in terra; modis ſaltem diſcrepantibus; & ita porro in abyſſis extramundanis vt in cœlo, MISER eſt ſtatus ſeminum, & ex conſeq. omnium rerum in elementis puris Paracelſi, cumque ea fingantur ab æterno eſſe, miſeriam oportet eſſe æternam, conſideretur calamitas microcoſmi, ex quo iudicant de macrocoſmo, &c.

Neceſſe ergo eſt ea ſemina ex cœleſtibus in elementaria venire, & in cœleſtia ex ſupercœleſtibus ſeu abyſſis immiſſa eſſe.

Hæc eſt origo ampullarum magicarum de ſeminibus, aſtris, tincturis, principiis, & aliis vanitatibus Paracelſicis, quæ alius aliter pingit, & fiducia huiuſmodi commentorum omnia Philoſophorum placita ſubruit. Volunt doceri homine naturæ, & gratiæ, ſine vllo Doctore alio. At vtrumque interpretantur ex ſua phantaſia: & licet fingant rotas, harmonias. circulos, ſphæras: tamen explicatio diſſentit.

Sed quod *Paracelſus* pro fundamento ex lumine naturæ, vti arbitratur, habet, id fundamentum plane eſt nullum. *Neque enim verum eſt, quod ea quæ ſunt, & geruntur in terreno globo ſint ea quæ prius extiterunt in cœleſti*, tantum hoc diſcrimine, quod hæc noſtratia ſint veſtita tunicis aſpectabilibus; cœleſtia vero ſint inuiſibilia in ſpiritu corporeo quidem, ſed non apparente. Phantaſia hæc nata eſt ex *Chaldæorum & Ægyptiorum* aſtrologorum, præſertimque Genethliacorum ſomniis: Deinde nec illud verum eſt, *quod quæ ſunt in cœlo ſpiritualiter, ea ſint extra cœlum in abyſſis ſuis per nudum exiſtendi modum, immaterialiter, nudis tantum formis.* Nuſpiam eſt talis locus. Neque ergo vſpiam talia ſunt locata.

Ratio eſt, quia creationis naturæ reuelatio longe aliud demonſtrat, vti & alia ſcripturæ infallibilis principia de *duobus* tantum *locis extra ſeculum, damnatorum ſcilicet & electorum* non datur locus tertius.

Non ſunt plura duob. locis extra ſeculum.

Sumta autem iſta phantaſia eſt ex magorum commentis, qui cogitationibus ſuis vltra humanam potentiam in neſcio quæ diuina inuolarunt. Non autem videri volunt loqui de mentis diuinæ ideis, vbi omnia ſunt præſentia, & viuunt, nec differunt in Deo ab eſſentia diuina: ſed cogitant de aliqua re creata, ſeu loco, & abyſſo creato, in quo rerum mundanarum ſemina ſint per abſtractionem, non mathematicam, ſed realem, quo modo metaphyſici conſiderant entia, vt formaliter ſunt. Verum, vt dixi, fundamentum eſt nihil. Itaque & nihil eſt quicquid ei innititur. Diſce iam *Hartmane*, tuas ſpeculationes eſſe vanas. *Semina enim rerum naſcentium, quia facultates corporeas habent, ſine corpore non ſunt*: nec à Deo ſunt primum ſecreta, inq; abyſſos diuiſa, poſtea corporibus ordine digeſtis temporibus deſtinata, ſed creata ſunt, vt ſint in corporibus ipſis, quibus dedit potentiam ſeminii, ad propagationem ſpeciei, gignendi. *Plantæ, & animalia in ſe gignunt ſemina, non excipiunt foris.* Non ſunt hoſpites ſemina, ſed in ſuo ſtemmate quodque, vt in patria naſcitur. Itaque & cum nata ſint in talibus corporibus eſſe, quæ præter elementa impura habent etiam nobiliorem quandam &ætheri cognatam ſubſtantiam, per ſe non infeliciter habent, ſed iucunde. *Id enim cuiq; iucundum eſt & amicum, quod ei ſecundum naturam maxime.* Talis ſtatus erat in *Paradiſo* ante peccatum. Optima enim erant omnia. *Peccatum inuexit maledictum.* Hinc male habent & patiuntur non ſemina tantum, ſed res totæ. Tota enim natura eſt ſubiecta vanitati. Accedunt flagitia ſingularia, quæ pœnas exaſperant, vt patet ex Deuter. 28, & 32. &c. capitibus, ſicut & paſſim per totam ſcripturam comminationes, & pœnarum hiſtoriæ docent. Interdum tamen remedio eſt *Dei benedictio*, & placati per Chriſtum oratione diligente & pietate, *gratia.* Hic ſemina iterum cum ſuis plantis, & animalibus bene ſunt conſtituta. Hæ ſunt veræ cauſſæ afflictionum, non tua illa commentitia ex nugis *Seuerini.*

Veritas de rerum ſeminibus, eorumq; vel ſalute, vel aduerſitate

Videamus & ſequentia tua.

16. Quæ ſunt paſſiones ſeminum ex infelici corruptibilium Elementorum, externorumque veſtimentorum commercio?

Reſpondet Hermes: *Admittunt partium diſtantias, & extenſiones.* Ridiculũ inq. Cur non dicis ea crucifigi, aut in Eculeo diſtendi? Nõ ſentiũt. Nihil ergo patiunt infeliciter. Deinde ſemina ſunt q. luces

Paſſiones ſeminum. Seuerin. c. 6. idea: qui fortaſſis aliquã do ſemen fuit, & meminit ſe talia paſſum eſſe.

ces quædam. Lux eo præſtabilior eſt, quo pluribus communicatur. Ita ſol purus eo beatius fungitur ſuo officio, quo minus impeditur ſplendor eius. *Semina ſunt incorporea. Nihil ergo ſecundum naturam à corporibus ratione corporearum paſſionum, quales ſunt diſtenſiones, patiuntur.* Inſuper quæ in miſtione ambigunt, & magis ſunt formalia, qua materialia, eorum natura eſt communicabilis, quoque amplius ſe dilatant, eo ſunt nobiliora, vt patet in tinctura croci, odore moſchi, lapide Philoſophorum, &c. *Quo generoſius & integrius ſemen eſt, eo dilatatur magis*, ſi nihil obſtet; eoque ſe multiplicat felicius. Abi ergo ad carceres cum tuis diſtantiis, & extenſionibus. Cogita quid de materia tua, & forma interna ſcripſeris. *Ibi diſtentio & dilatatio non erat infelix.* Nos à Deo ſtudioſe impetrare conamur, vt ſemina agrorum noſtrorum bene dilatet & extendat, vt centuplum fructum in remedium caritatis annonæ proferant. In benedictionibus eſt dilatatio ſeminis. Gen. 1. 22. 28. cap. 9. 1. cap. 15. 5. Ita *Noah* Gen. 9. 27. *orat, dilatet ſeu ampliet Deus Iaphet.* Semina, qua ſemina, virtute dilatari vtile & bonum eſt. Si corpora intumeſcunt, vt fit, cum in agrum irriguum ſparguntur, id eis non accidit miſerum, quia naturale.

Quod naturale ſeminib. eſt, id eis non eſt moleſtũ, vt multiplicari & creſcere in ampliũ, ſuique ſimile gignere.

Anguſtia locorũ ex amplis ſpatiis.

17. Quid præterea patiuntur? *Includuntur inſuetis locorum anguſtiis.* Mirum inquam & hoc. Qualia quæſo oportet fingere ſemina ſecundum naturam?

Miſera ſemina: ſiue dilatentur, ſiue coarctentur, male ſe habent: iuxta illud, Non eſt pax impiis.

1. Si contra naturam ipſorum eſt partes diſtare, & diuulſas eſſe, naturale ipſis erit omnes partes eſſe ſimul, & vnitas. Sed cum ſe habeant inſtar puncti & centri, vnde virtutem in ambitum emittant, partitionem admittent nullam & ex conſequente, nec diſtantiam partium.

2. Si præter naturam affecta ſunt in corporibus, naturaliter ſe habebunt extra corpus. At creata ſunt ineſſe ſuis corporibus, quorum ſunt ſemina, eiſque innaſci? Num tuum in te ſemen eſt infelix?

3. Si cum diſtenduntur pro menſura ſubiecti, ſeu materiæ, quod *corpus genituræ* dicitur, præternaturaliter afficiuntur, *naturaliter habebunt, cum ſunt contracta* in anguſtiſſima ſpacia, tuncq; erunt maxime ſemina cum minutiſſima. *Maxime enim tunc vnumquodque eſt ſuum cum qua naturaliſſime diſpoſitum eſt* At experientia teſtatur ſemina tunc naturaliter maxime eſſe affecta cum in agro pullulant, & ad generationem ſui ſimilis cum multiplicitate feruntur. *Si item præter naturam eſt diſtendi, ſecundum naturam erit in anguſto eſſe.* Qui ergo tuus *Seuerinus* auſus eſt id ſcribere? Qua fronte tu *mendacium* in tuas ſcholas reducis? Quo argumento probatis ſemina extra corpora quibus à Deo ad procreandum ſunt indita, & in quibus etiam generata, fuiſſe non in anguſtiis, neque his aſſueuiſſe, ſed in ſpaciis laxis? Argumento ſcilicet figmentorum ſtultitiæ veſtræ. *Nullus vnquam fuit, eſt, erit, talis locus. Falſum ergo non aſſueuiſſe anguſtiis.* Id docet experientia ſemina prodire *ex principio mole minimo, poteſtate magno.* Si diceres prius valde extendiſſe potentiam ſuam, ſed poſtea in anguſtum contraxiſſe, indeque iterum in latum diffundere, veriſimilius dixiſſes, & magis apposite ad artem magni magiſterii, vbi *vnicum granum millies millium poteſt facultatem habere.* Sed tu tam peritus es rerum naturalium, quã tuus *Seuerinus*, qui tamen c. 7. non tam abiecte de iſtis ſeminibus ſcribit. Quod in vacuo orco eſt tali qualis magicus Seuerini, id vagari pro libitu poteſt. Quam pridem veniſti ex illo orco? Goclenius tuus non obligat ſe demonſtrationibus. Ergo & tu audacter finge.

Schola Hartmaniana & Gocleniana in turpem magiam degenerarunt.

Semina ocyus abſolui cupere, & tarditates decretorum DEI mirari, quaſi in Deum inſurgerent & parcas ſtoicas.

18. Accidit adhæc eis etiam quid aliud: Quid? *Demirantur temporum tardas reuolutiones.* Hoc ſic explicandum eſt: Cum in fictitiis ſuis locis, ſeu puris elementis dicantur quiete beata frui, in corporibus autem externorum elementorum infelix coniugium pati: *deſiderant ſolui, & eſſe in abyſſis*, ſeu orco orphei, vnde venerunt. Mirantur itaque non abbreuiari tempora, ſed tamdiu protrahi, & non celerrime auffugere. Hæc tu *Hartmane* ſine pudore ſcribis? Tuumne ſemen ad orcum feſtinat, aut potius nihil eſſe concupiſcit? *Melius eſt eſſe quam non eſſe, & viuere quam non viuere, agere præclare, quam otiari.* Id enim eſt virtutis. Sed quotuſquiſque Philoſophorum eſt quin conqueſtus ſit *de breuitate vitæ*? Quam ſæpe eadem querela occurrit in Pſalmis? *Miſeris mors eſt exoptabilis.* Syra. 41. v. 3. *Semina tua in hoc mundo ſunt miſera.* Non *immerito ergo cupiunt mori.* Ita Rom. 8. 19. *Expectatio anxia creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.* Eſt enim ſubiecta vanitati inuita. Ideo congemiſcit nobis, & parturit, &c. Hæc quidem in ſacris occurrunt; ſed non eſt ſententia, quod ſemina cupiant è mundo diſcedere ad abyſſos ſuos. Tota creatura maledicto obnoxia eſt propter peccata humana. Liberari vult, non ex mundo abire; ſed in ſua ſtatione Deo in mundo reformato ſeruire, vti & cum gaudio facit, cum Dei clementia & benignitate iuuatur. Male te feciſti participem alienæ ſtultitiæ.

Ariſt. 2. gen. an. 1. Cic. in 3. Tuſcul. Iob. 7. 6. c. 8. v. 9. c. 14. 5. Pſ. 39. 6. & 90. v. 3. 4. 5. 6 & 103, v. 14. &c. cap. 2. 23. 24

19. Fuit qui diceret, *Optimum homini eſſe nunquam naſci, vel natum ſtatim abire.* Autor Sapientiæ Salomonis rectius agnoſcit, *hominem à Deo inexterminabilem factum eſſe: Inuidia vero diaboli mortem in mundum intraſſe, quem imitentur, qui ſunt ex parte illius.* Deus in quarto præcepto (Caluiniſtis quinto) promittit longæuitatem honorantibus parentes. Pſ. 91. 16. *Longitudine dierum vult implere in ipſum ſperantes.* Tuus *Seuerinus* miratus eſt tarditatem reuolutionum. Quare ergo ſemina eius in corpore tamdiu hæſerunt? Cur tam diu ſunt lapides, montes, quercus, cerui, cornices, Adamus, Mathuſalem: at Iacob 130. annos natus *breuem ſibi peregrinationem* tribuit? In Dei ſanctuario cauſſa patet, non autem in *Heremetis* nugatoris, qui deſideria aſtris ſuis & ſeminibus feruentia aſcribit, vt Atropos feſtinet filum moræ mundanæ abſcindere. Quid ergo retinet in vita? *Sunt corpora aſtralia,* inquit, *vtriuſque naturæ vincula viſibilia, inuiſibilibus connectentia, à quibus omnes impreſſiones, receptiones, repulſiones, omnes illecebræ ſenſibus inſidiaturæ, omnia ornamenta corporibus obducta in mechanico proceſſu generationum prouenıunt.* Hæc ille in Meſaulo. At in hagiaſterio *materia prima* PHILOSOPHORVM *erat fons vitæ inexhauſtus.* Ergo hæc cauſa vitæ ſingulis debet eſſe, cum ſit mater & nutrix. *Eſt actionum omnium naturalium, generationum, mixtionum, tranſplantationum origo. Ea occupat vniuerſam corporis anatomiam, & producit impreſſionum & confluentiarum diuerſas operationes pro diuerſitate tincturarum:*

Retinacula ſeminum in mundo.

Delirium magicũ: Mechanicus proceſſus ſeminum, quaſi arte creſcerẽt quæ ſemine prouenıunt.

cturarum Ea moderatur etiam morborum sanationes, & cum elementa sunt consumta, (nihil enim est de elementis: aliàs & ipsa consumeretur) *ipsa permanet ad nouorum indiuiduorum procreationem per semina.*

De Forma non minora miracula pronunciantur. *Ea continet in se omnes causas propriæ speciei*, (quæ proculdubio erunt multæ) *quibus suum fabricat corpus, colores, sapores*, (nam & forma colorata & sapida est) *qualitates* (num etiam Relollaceas Paracelsi?) *magnitudines, situs, conformationes, consensus*, DVRATIONES, *omnes signaturas intus foris inhærentes consentaneas officiis adiungit admirabili scientia.* Quid de natura, anima, calido innato, similibusque dicendum? Sic augmentor: *Si ex aliis longe validioribus caussis semina rerum in corporibus manere coguntur, non configendæ sunt aliæ infirmiores.* Frustra enim fit per plura, quod fieri potest per pauciora, & natura respuit superfluum, si sit ordinata. *Prius est.* Quid enim quæso cogitari possit, quod non ad materiam primam, & formam phantastici Hartmani pertineat? *Ergo est & posterius.* Iterum: *Si tot caussis retinentur semina in suis corporibus, frustra desiderabunt solui, & esse in suis abyssis.* Si enim desiderarent, quorsum natura molita esset tot caussas? Nihil fit frustra. Quid si dicerem? Seminum NATVRA hæc est, vt sint cum corporibus, quæ si destruas, ipsa esse nequeunt? Si natura hæc ipsis est, naturali appetitu manent cum corporibus, nec opus est vinculis. *Similia naturâ sunt congregabilia, & amica sibi adhærere, & vniri mutuo affectant per se.* Verum quid opus est philosophari? Astrologia & Magia Paracelsi sic statuit. Est enim tota nugatoria. Non mirum itaque ex *Seuerino* Paracelsico similes nugas proferri. Non ignorandum autem est, *Seuerinum* ab Hermete *Hartmani* discrepare. Is enim cap. 6. *Ideæ* scribit, *semina esse vincula vtriusque naturæ*, inuisibilia visibilibus coniungentia, &c. Ouum *Hartmanus* sapientius voluit esse sua gallina *Seuerino*. Bella ergo disciplina, in qua quod cuiq; videtur, id pro vero habendum est. Cum idem Danus ex primis elementis sarcit secunda, tanquam fructus illorum, quæ iam corpora, iam loca incorporea vocantur, vinculis vtraque connectit, spiritus scilicet corporeis, & corporibus spiritualibus. Merito relinquerentur stulta stultis. Consideremus tamen illa vincula. In descriptione spiritus ætherei à sole influentis duo extrema erant, *Anima mundi, & corpus: formæ superiores & inferiores.* Vtraque connectebantur per *spiritum*, qui vna parte erat *vt anima*, altera *vt corpus*. In descriptione animæ erant *elementaria corpora turbidis qualitatibus inquinata*, (quasi inquinamentum sit, cum DEVS aquam frigidam, terram siccam, aerem humidum, ignem calidum creat.) Erat illud *diuinum & purum radicalibus tincturis præditum, medium inter animam & elementa externa.* Cum itaque hîc semina quoque & corpora dicantur vinculum quoddam medium, idque astrale habere, non immerito quæritur, idemne sit cum vinculo animæ & corporis? *Quod potest animam magni mundi macrocosmo iungere*, & in hoc illam constanter retinere. Quod etiam potest conciliare formas superiores & inferiores: Quod potest singularium viuentium animas particulares suis corporibus innectere, *idem etiam poterit semina corporibus, in quibus nascuntur*, & ex quibus ad generationem similis transsumuntur *copulare*, & multo magis semineam vim, quæ est in spiritu, corpori genituræ illigare. *Ista vero omnia perficit spiritus æthereus*, in vniuersalibus vniuersalis, in singularibus singularis. *Crollius* hoc facile concesserit, qui *inter corpus hominis & animam, alium hominem astralem*, seu sydereum interiicit. Quocirca non est aliud vinculum fingendum etiam inter semina & corpora seminum. *Aristoteles* bene philosophabatur de calore, spiritu, & humido in corpore genituræ, vnde sequebatur *comprehensio animalis principii*, Nostri Medici etiam consentiunt Physicis. Vident enim sublato vel spiritu, vel calore, vel humido radicali, quin & sanguine, de quo Deus ipse dicit, *quod vitæ & animæ bestialis sit sedes*, extingui viuens, & animam non posse in corpore permanere. Sed hæc non sunt ad saliuam Paracelsi. Aliud etiam est cœlum terræ per societatem formarum cohærere, aliud animæ mundi seminum cum magno mundi corpore: aliud cœlestia elementaribus per influentem spiritum conglutinari. Hîc *nouam choream* inceptamus. In hac oportet restim non vna parte attingere animas, alterâ corpora; sed vnâ semina, alterâ corpora *semina sunt inuisibilia corpora: corpora elementaria externa sunt visibilia. Vinculum vna parte est inuisibile, altera visibile. Ergo bene connectit.* Hoc videtur Platonicum vinculum esse ex aere & aqua. Nonne. Neutiquam Platonicum illud. Quid ergo? Sunt *astralia corpora*. Hui. Suntne olympica, syderea, spiritualia *Crollij*? An sunt interna elementa? Nam tria elementa pura, media, & impura itidem sic colligari videntur: & notaui apud *Seuerinum* inter semina, & corpora externa interiici elementa interna: hoc est, ignem cœlestem aerem olympicum, aquam astralem, terream sydeream. Credibile est hæc esse illa astralia corpora, aut saltem ex illis consuta, aut proxima loco & dignitate, & officiis, & tincturis, nec non *Cherionio*, hoc est, teterrimo putore *Paracelsi*. Sed nolumus fidem nostram astringere. Itaque pro mortuorum næniis illa Hermetica *Hartmani, Crollij, Seuerini* habemus.

Ambulonis formalis stultitia.

Admirabilis vanitas.

Natura hominum est esse cum corporibus.

In creatione Dei calumnia.

Vincula stultitia Paracelsica.

Opponitur Physicorum & Medicorũ diuina veritas.

Le. 17. 11. 14. Deut. 12. 23.

Corporũ inuisibilium cum visibilib. connexio non indiget medio si sunt συμπαθῆ, vt aer & aqua, Aristotelis symbolica.

Adhæremus autem diuinis literis, quæ indicant, *Deum iussisse plantas oriri, quarum vnaqueq; in se suum semen haberet*: oriri vero non ex Orphei Orco, Iliado Paracelsi, locis vacuis, abyssis, & similibus teretismatis; sed *ex terra*, quæ erat arida. Potens enim erat creator talia facere, vt & in animalibus.

Quæ & qualis condita est natura, ea & talis vsque hodie permanet, & cum noua erit, putasne Paracelsista, quod secundum tua somnia sit futura? Non *oportet* in naturam inferre nostras speculationes, quibus creatorem informamus, sed *ex natura scientiam capere*. Tu *astra dicebas nihil aliud esse, quam semina in abyssis.* Iam cum ea corporibus agglutinas, interea interponis astralia corpora pro glutine. Dic quæso quid differunt *astra inferiora, & astralia corpora?* In atrio tuo audiemus *principia hypostatica* esse *seminum rationes & soboles*. Sane ex seminibus procedunt non tantum *principia*, sed & *elementa chymica*, cum omnibus illis, quæ ad totius ex semine geniti constitutionem pertinent, prouidentia diuina omnia gubernante, & iam fœcundante semina, iam continente; prout

Principia hypostatica Paracelsisomniantis, esse vera sint nobiliores misti partes.

ſunt mores hominum. At tu quid vis tibi cum illa *aſtralia corpora inter inuiſibilia ſemina, & viſibilia elementa interponis?* An non ſunt hæc illæ eſſentiæ quas Chymici *ex ſeminibus quoq;* eliciunt? Tu pro tuo *Naſo* ridebis. At ego *te ſtultiorem* vidi neminem. Fatuus erat *Paracelſus* cum ſuis commentus, ſtultus *Seuerinus*, qui ſtolida figmenta ornare ſtudebat? tu longè *ſtultiſſimus*, qui vtriusque deliramenta videns nihilominus inſanis. Cur non manes in his, quæ te docent diuinæ literæ, quæ conſenſus ſapientum, quæ res ipſa, quæ experientia, quæ Chymica adminiſtratio? Num te Magica tua prodigia ab inſania liberabunt? Num Gabaliſtica? Num perdita Aſtrologia? Minime vero. Sedes in tuo Theatro commentitio, & fingis *corpora inuiſibilia*, hoc eſt, *aſtra & ſemina*. Vnde ſcis eſſe inuiſibilia, ſeu ſenſibus negata? Quid tibi Phyſico cum inſenſibilibus? Num ideo credendum eſt eſſe, quia tuæ inſaniæ ſic videtur? Non eſt in te principium credendi, vti nec in *Crollio, Seuerino, Paracelſo*, & ſociis. Viſibilia, ſeu ſenſibus obuia quæ ſint, non ex te diſcemus, *cuius ſenſus ſunt magia excæcati*, ſed ex natura ipſa. Expone iam: quam vim habent illa *vincula aſtralia?* Num tantum connectunt, copulant, glutinant, vinciunt, ligant? (oportet enim te imitari copia verborum grandiloqua.) Non. Quæ ergo officia habent? (Loquimini enim de natura vt de aliqua repub. aut aula principis, in qua multi ſunt officiales: Et nihil aliud poteſtis, quam ruſticari cum hominibus plebeis, qui quia ſcientias non didicerunt, non poſſunt loqui ſcientifice, ſed nominant quiduis, vt incidit, vocabulis ruris, Officinæ opificum, & aliorum ſtudiorum.) Audite ampullas etiam tumidiores iis quæ in prima materia, in forma, in calido innato, natura, anima & aliis proflabantur. Quid poſſunt? 1. *Ab iis proueniunt* OMNES IMPRESSIONES. 2. *Receptiones.* 3. *Repulſiones.* 4. *Illecebræ ſenſibus inſidiaturæ.* 5. *Omnia ornamenta obducta corporibus in mechanico proceſſu generationis.* Papæ? Num prima materia iam dormit? Si aſtralia corpora omnia poſſunt quorſum ſuperiora longe validioribus viribus dotata? Fors intelligenda ſunt *ſemina & aſtralia corpora ſimul.* Adde, inquam, & *elementa.* Adhuc ergo prima materia, calidum innatum, ignis naturæ, &c. erunt ſuperflua. Delirat, qui ſeminum rationem extendit vltra generationis prædeſtinationem.

Naſus Hartmannicus.

Goclenius: non verba, demonſtrationes, &c. hic valent. Ideo ſenſuales Philoſophos faſtidit.

Facultas vinculorum aſtralium.

Paracelſiſtæ non didicerunt artes & ſcientias, quia loqui ex earum diſciplina [illegible] ſunt.

[illegible] poten[illegible] aſtralium corporum.

Impreſſiones fatuæ.

Fabula narratur *de impreſſionibus.* Quænam ſunt illæ, & quid imprimunt? Num qualitates, ſapores, odores, colores? Ad hæc erant à materia & forma. Num maculas & alia? At hoc officium erat primæ materiæ, niſi dicendum eſt Impreſſiones præcedere, & poſtea ſuperuenientem primam materiam iuxta eas operari. Sed formæ tamen dabatur ſignaturarum internarum, & externarum procuratio. Ebrius erat tuus *Hermes* cum iſta incondita effutiret.

Receptiones ſtultæ.

Quæ ſunt *receptiones? Imprimere eſt agentis recipere patientis.* Si aſtralia imprimunt, qui recipiunt? An ſubiectum ad recipiendum diſponunt? proueniunt ergo ex eis receptiuitates. At iſtæ ſunt potentiæ materiales in ſubiecto.

Repulſiones.

Quas narras *repulſiones?* Niſi fallor per receptiones amicitiæ, concordiæ, conſenſus, ſympathiæ, ſunt intelligendæ, per repulſiones contraria: Ibi Magnetiſmi, hic Theamediſmi. Chymici longe compendioſius Philoſophantur. Nam iſtas motiones referunt ad *ſpiritum inſitum*, propriumque vnicuique ſi ſunt naturales, atque ideo *totam naturam* aiunt conſpirare quidem ad iſta pathemata, ſed actionis, paſſionisque cauſam maximè eſſe in ſpiritu proximo formæ inſtrumento, cuius ſedes eſt eſſentia, quæ & extrahitur. Fiat periculum in *Magnete.* Hic ferrum trahit in integritate naturæ ſuæ. Igniatur, vt deflagret ſpiritus, & ſulphur, vel ſaltem ſinatur exoleſcere: nihil trahet. Sed & eſſentia ex eo fiat vt oleum, vel reſina: hæc quoque non trahet ferrum. Eſt enim *mendacium Paracelſi de extinctione eius in oleo ferri ad trahendum validiſſime?* Sunt tamen aliqua quorum eſſentiæ ſpiritales etiam in Chymicis operantur συμπαθῶς, ἢ ἀντιπαθῶς, vt videre eſt in purgantibus, confortantibus, venenis, alexipharmacis, nutrimentis. Ideo potiſſimas dant Chymici *extractionibus*, quę tamen ſi ſpiritu ſuo deſtituantur, parum poſſunt, vt videre eſt in vulgari *Rhabarbari extracto.* In tuo Chymeio meliorem, *Hartmanne*, Philoſophiam inueniſſes quam in *Seuerino.*

Toti naturæ ſymp. & antipathias naturales deberi.

Quæ ſunt illæ *illecebræ inſidiaturæ ſenſibus?* Num has quoque aſtra obiiciunt? Ego puto *bonum ex auro, argentoq; Theſaurum, aut redemptores aquæ tuæ vomitiuæ*, aut formoſam puellam, &c. ſenſibus tuis magis inſidiari, quam aſtralia corpora cum omnibus ſuis illecebris. *Obiecta mouent ſenſus.* Bonum apparens facit inſidias. Appetitus facile commouetur. Longe melius *Plato* de his quæ voluptatem, aut dolorem ſeu inferunt, ſeu inferre poſſe iudicantur. *Sub te ſit appetitus tuus*, inquit Deus, *& tu illi dominaberis.* Mala ſunt iſta aſtralia corpora à quibus profluunt illecebræ inſidioſæ. An vero nulla ſunt quæ illecebris reſiſtunt? De *ſpiritu & concupiſcentia carnali* inter ſe pugnantibus legere *Paulum* poteras, non aſtra accuſare. Eſt intus, eſt foris quod homines, vt *Siren* illicit in inſidias. Aliæ ſunt ad bonum illecebræ, vt diuinæ iuſſiones, promiſſiones, præclara & hominem decētia bona, veluti virtus, ſcientia, exempla optima, &c. Cur aſtris veſtris & ſeminibus non etiam has tribuitis? Natura homo ſcire deſiderat, amat ſuam coniugem, prolem, & alia licita, ſicut & ſui conſeruationē. Sed reuoco me. Ita res eſt, inquiet tuus Hermes inſidioſus. In rebus extra homines, & beſtias ſunt quædam argumenta bonitatis, quæ nos & beſtias ad concupiſcendum iniuſte permouent, vt cum *Eua inſpiciens fructum arboris vetitæ* illicitur in inſidias aſpectu, & opinione comeſtu bonum eſſe, cum faceret ſapientes. Hic præcedebat *malus monitor ſerpens:* Sed vnde erat in re quod illiciebat? Hermes ait *ab aſtralibus corporibus in ſocietate ſeminum.* At *Eua* neque de aſtralibus Paracelſicis quicquam ſciebat, neq; de ſeminibus pomi. A Deo id pulchrè erat conditum. Num per aſtralia, & ſemina? Id quod allicere potuit *Euam* inſitum rei, color, & odor fortaſſe fuit. Hæc accidentia tu ad formam interiorem referebas, & in ATRIO *colores Mercurio, odores Sulphuri* aſſcribis quæ non ſunt neq; aſtralia illa corpora, neq; ſemina, ſed eorum ſoboles per generationem orta.

Illecebræ inſidiantes ſenſibus.

Pulcra Lauerna, da mihi fallere, da iuſtumq; bonumq; videri, Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubē. Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra profanis.

Quo iam te vertes? Quo niſi ad Leonem, Chimæram, & Paralogiſtam Platonis? *Bonum per ſe* [illegible] *illicit: Hæc omnia tibi dabo, &c. Matth. 4. 9. Item tentatoris illa 1. Theſſ. 3. Apocal. Iacobi 1. v. 13.*

Ecce aſtrum quo Eua pellecta eſt in Inſidias, talia fors ſunt & Goclenianα cum Seuerianis magiis.

illicit: ſed non in inſidias debet. In te iſtud ſitum eſt. Non pati debes, ſi ſapis, vt *Delila* illa, & *Pandora* decipiaris. Quæ ſunt *ornamenta* reliqua? In genere *omnia*. Quæ? num ſenſibus nudè patentia? Non: ſed obducta, ſeu *induta corporibus*. Quando? *In proceſſu generationum.* Quali? *Mechanico.* Nam ſicut Burggravius Achillæam armaturam, ſeu Panopliam fabricat, ita ſemina opificium Mechanicum exercent. A quid erat formæ iuxta *Scaligerum*. Semina *non* ſunt *formæ*, *ſed* vt ſubtiliſſimus cum Hartmanno vult, *formæ domicilium*, ſeu fabrilis officina, Dij te perdant *Herme*: vt omnia cõfundis? Chymici veri longè ſecus iudicant cum *Ariſtotele*, & literis diuinis. *Deus ornauit creaturas ſua ſapientia.* Hæ conſtant præter animas ſi quæ ſunt animatæ, & formas materiali *corpore duplici*, vno interno, quod eſſentiam formalem RELATE vocant, altero externo, quod elementare dicunt. *Ornamenta interiora*, quæ referuntur *ad qualitates occultas & totam naturam*, ortum ſuum habent *ex inſita ſeminum potentia in ſpiritu, calore, & humido radicali vnitis & ſic diſpoſitis vt motu genitoris ad ſimile ferantur ſi aßint adminicula iuſta* Inhærent autem poſt ortum, & matureſcunt in his corporibus quæ conſtituta ſunt ex tribus illis primis non ſine elemẽtis, ſed cum illis ipſis purius impurius permiſtis, quæ cum etiam corpus ſeminum conſtituant, ſuo modo in hoc quoq; inueniuntur. Verum in generatione inſumuntur. Ornamenta externa etiam ſunt interiorum potentiarum præcipuè, ſed commercio externarum cauſarum, & accidentium turba mire variant. Sunt quaſi effloreſcentiæ eſſentiarum in elemẽtari parte. Itaq; *formaliter* magis ſunt illarum, *materialiter* magis huius. Ideo & *qualitatibus primis & ſecundis* ſubiacent, & fere ſunt *volatica*. Conſidera auium colores mirificos, & plantarum, animaliumq; & mineralium. Pauci ſunt conſtantes. Hermes Hartmannicus dum obducit ornamẽta corporibus temerarius eſt. Nam ad pauca reſpiciens nimis audacter pronunciauit. Non eſt obductio, ſed compoſitio, & contemperatio vtriusq; partis.

Ornamenta ab aſtralibus.

Ridicula ſemina in tabernis Mechanicam exercentia.

Corpus Chymicum duplex, ſed non Magicũ Paracelſicum: nec naturale, ſed artificiale per ſeparationem ſubtilis partis à ſpiſſa.

20. Semina illigata corporibus per corpora aſtralia quid ſuo ſatu efficiunt? *Producũt indiuidua.* Qualia? *Differentia perfectione, & fœcunditate.* Vnde diſcrimen? *Ex corporibus quæ ipſis obueniunt.* Illa indiuidua quorſum, & quæ in loca ponunt? *Deponunt in* PEREGRINIS *matricibus.* Cur nõ in propriis nidis? Num ſunt CVCVLI? Ideo, quia *omnia inclinant ad humanam prouinciam.* Num hic ea deſerunt, & auolant, aut abeunt ſicut ſtolidi Struthiones obliti ſuorum in arena ouorum, aut vt corui pullorum deſertores? Non: ſed *grata viciſſitudine actionũ reficiunt.* Mira omnia, & ſtupore pleniſſima. Diuinæ literæ nos ſic docent: *Deus plantas & beſtias fecerat generabiles, & corruptibiles.* Hominem etiam fecerat poſt protoplaſtos generabilem quidẽ, ſed ante peccatũ ex toto *inexterminabilem*: poſt peccatum immortalem anima tantum. Corpus enim corruptionis damnauerat propter tranſgreſſionẽ mandati, animam pœnis ſuis ſubiecerat, dato tamen contra æternas remedio, ſi pareret iuſſis, donec nec in reſtauratione omniũ etiam corpus repararetur. Interim cum indiuiduis nõ poſſent eſſe perpetua, ſpecie continuauit iubens creſcere, & multiplicari vnumquodq; ex proprio ſemine, quod plantis eſt hermaphroditicum, & beſtiis nonnullis imperfectis, vti & Zoophytis, quanquã vtrumq; genus etiam ſit ſpontaneũ: hominibus & beſtiis perfectis diuiſum iuxta ſexus. *Naſcuntur ergo ſimilia ex ſimilibus per ſemina genitorum vniuoce, quia ortus ſpecies eſt talis, & hoc eſt eſſe vnicuiq; ſecundũ ordinem naturæ.* Per accidens exorbitatio parit *monſtra* Quæ nõ ex vniuoco ſemine fiunt, ſed æquiuoco, in terra & aqua naſcuntur *benedictione diuina*, quæ ex creatione adhuc in illis eſt reſidua, licet ſæpe hæc generatio in pœnam cedat. *Calor & ſpiritus vitalis in humido genitali terræ & aquæ principiũ concipit animale, aut vegetale.* Phyſici ſapientes ſic de hac generatione diſſerunt vt eſt apud Ariſt. lib. 3. Gen. an. c. vlt. Procurat autẽ generationes ſua prouida voluntate & potentia Deus. *Adam* inde gignit filiũ *ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuam, ex cuius ſanguine Deus fecit poſtea vniuerſum genus hominum.* Hinc filij & filiæ *ſemen parentũ* vocantur. Externa adminicula per ſe patent. *Mas gignit in fœmina; hæc in ſeipſa: Vterq; cõmuni ſemine*, vt ſupra quoq; expoſitum. Neq; n. naturaliter fieri poteſt, vt vnum ſolũ gignat in diſtinctis ſexu perfectis. Miraculum eſt *Chriſtum ex virgine natum* eſſe: & tamen hic quoq; *ex ſemine Dauid ſecundũ carnem.* Hanc ſapientiam tu *Hartmanne* non ignoras. Quæ ergo dementia te decepit vt ſtultitiæ Paracelſicæ, & Seuerinianæ attẽderes, mentẽq; aduerteres, pro veris prodẽs falſiſſima ſomnia? ſed iudicentur.

Diſtinctio indiuiduorum ex ſeminibus naſcentium.

Nota brutã ſalinã magorum.

Falſitas.

1. Quanquam *falſum* ſit *aſtra & ſemina eſſe eadem*, quod illa ingenerabilia ſint, & incorruptibilia ſi per eſſentiam vox accipiatur, ad quorũ ſimilitudinem Chymici etiam ſua *extracta*, quanquam non abſolutè, aſtra appellarunt: hæc generationis & corruptionis naturalis leges obſeruent: *Omne enim ſemen naturaliter exiſtẽs corruptibile eſt, & poſtquam genuit, deſinit eſſe id quod fuit, imo in ipſo gignendo conſumitur*: quod facile probat totum genus animalium, & plantarum, vnde & vbi nulla generatio eſt, ibi nec ſemen eſt, & quoties generatio ſeminalis repetitur, toties ſemen nouum requiritur: tamen concedamus Hermeti Seueriniano, vt dicis cauſa pro re eadẽ vtraq; vox vſurpetur. Tribuũt autem Paracelſici ſemina non miſtis duntaxat in triplici claſſe inferioris globi mineralium, vegetalium, & animalium, verũ etiam elemẽtis, & ſtellis cœli inuiſibilibus. Quæ ergo *Hermes Hartmannæus de generatione indiuiduorum* proponit, ea vtriq; globo cõuenire putandum eſt. Per ſe vero patet *aliud* eſſe quod *generat*, *aliud* quod *generatur*. Illud enim *actu* eſt: hoc *potentia*, nec fieri poteſt, vt id quod potentia eſt, ſit ſimul actu, cum motu generationis ſit futurum. Eſt præterea etiam *aliud ex quo* fit generatio, quod *Hermes primam materiam vocabat, quæ conſumtis elemẽtis ad nouorum indiuiduorum procreationem permanet.* Si generatio eſt mediata, requiritur & mediũ, vt hoc in loco ſemen ſiue vniuocum, ſiue æquiuocum, quod & *rationẽ materiæ propinquæ habet, & efficiẽtis principij* inſtrumẽtarij. *Naturaliſſimũ eſt in perfectis generationi obnoxiis gignere tale quale ipſum quando deſtinata tempora per diuinã prouidentiam id requirunt. Omnis enim naturaliter agentis finis eſt ſimilitudo paſſi quantum fieri poteſt.* Siue in ſubſtantia, ſiue accidentibus niſi quod per accidens eueniat. Nos in præſente diſſertatione recipimus quod *Hermes* tam in hagiaſterio, quam Meſaulo dicit *procreationem Indiuidui ſpectari*, quę non

Omne ſemen quod eſt generationis gratia trãſmutabile eſt.

Semina Paracelſica vbiq;.

Ratio ſeminis,

Finis generationis.

P 2 eſt

eſt niſi in eo genere rerum vbi ſpeciem ſic vel multiplicari, vel conſeruari neceſſe eſt; vt ſi *Adamus*, & *Eua* manſiſſent in Innocentia, *generatio ad multiplicationem ſaltem indiuiduorum profeciſſet*: nunc cũ mors ob peccatum euenerit, facit etiam ad conſeruationẽ ſpeciei cuius indiuidua decedunt in hoc ſeculo. In plantis, & beſtiis vtrumq; cõcurrit. Semper autem ad vniuocam, & ordinariam generationem primum reſpiciendum eſt. Analogicum enim & æquiuocum eſt poſterius. Ex dictis hoc argumentum extruitur: *Vbi nulla eſt neceſſitas multiplicationis indiuiduorum, vel conſeruationis ſpeciei per indiuiduorum ſucceſſionem nouam, ibi nullus eſt locus generationi*: Vt in numero manentibus perpetuo, nec deficientibus. *In globo cœleſti nulla eſt eiuſmodi neceſſitas. Nullus ergo in eo generationis eſt locus, & ex conſequente nec* SEMEN, contra ac Paracelſici garriunt. Aſſumptio patet. In cœleſtibus enim ſunt aquæ vltra firmamentum; Eſt firmamentum qua ſtellarum locus, quem ætherem dicimus: Sunt luminaria, & ſtellæ. Omnium iſtorum eſt definitus numerus ab initio vſque ad finem: Omnia perpetua ſunt per voluntatem creatoris, qui eis talem naturam creando dedit. Nec ſtella interit, nec luminare, nec æther, nec aquæ vltra cœlum; non deſeritur ſtatio, & locus ab vllo: nec obſeruatum id eſt hactenus, & ſacræ literæ diuturnam durationem ſignificaturæ, ſtellas in exemplum trahunt, vt Pſalm. 72. ver. 5. 7. Pſal. 89. v. 30. 37. 38. Atqui tamen *Paracelſus* & *Seuerinus* in aſtrali mundo omnia ſic præludi volunt, vti fiunt in elementari. Reſpondeo: *Petitio principij eſt*. Verba audio: rem demonſtrari poſſe nego. Deinde *in cœleſtibus eſſe ſemina dicunt, quia per omnia elementa ſunt ſparſa*. Nego hoc quoq;. Neq; enim & huius principium docetur. Rurſus: *Cœlum in elementis gignit* cometas, ventos, pluuias & alia meteora. *Ergo ſemen horum eſt in eo*. Reſpondeo: Finge iſta à cœlo gigni, ſi de æthere intelligas: at non eſt neceſſe ex ſemine generationem fieri. Non enim omnis generatio eſt ex ſemine. Imo inquiunt *ſydera ſunt quaſi mas: Elementa ſunt quaſi fœmina. Semen ergo ſuum in fœminarum matrices imponunt, & ibi gignunt*. Inquam rurſum: Miror cur non dicant ſydera parere oua vt Struthio, & cuculus, eaque poſtea excludi. Qui Iouem & cœlum patrem aërem Iunonem & terram matrem dixerunt, modificate locuti ſunt, propter vniuerſalem vim gubernandi & efficiendi. Interim vbi deeſt ſemen determinatum in generabilibus, ibi ne gry quidem poteſt ille metaphoricus pater. Quid opus eſt inanibus nugis? *Probate quod ſemina ex ſyderibus cadant in elementa*. Finge cadere: cum vniuoca generatio ad ſimile ſecũdum ſpeciem tendat, gignere planetæ planetas, ſtellæ fixæ fixas debebant. At hoc non eſt. Degenerarent itaque ſemina. At impoſſibile eſt ſemper degenerare. *Ordinatum eſt prius inordinato*. Saltem aliquando & vt plurimum generaſſent ſui ſimiles ſtellas. Sydera in ætherea & elementari regione res apparentes producunt motu congregatiuo, diſgregatiuo, lumine (vt illuminationes) calore, & aliis viribus: nullo vero ſemine. Gignant analogicè, & æquiuocè, quanquam hæ ſubtilitates non valeant apud Paracelſiſtas volentes *generationis eſſe proprias*, quas declarant tum arte humana, tum natura plantarum & animalium: Hermes quoq; in hagiaſterio conſumi elementa dicit, & indiuidua noua procreari in materia prima; vnde neceſſe eſt intelligi vniuocam generationem: Sed *eſto analogica, & æquiuoca: non ergo ex ſemine proprio*, quod ipſa aſtra in ſe ſeu ab æterno habeant, ſeu produxerint: ſed ſi ſemen eſt dicendum, id erit in ipſis elementis & corporibus vi ſyderum extrinſeca & vniuerſali progenitum, atq; ita non aſtrorum ipſorum quod & experientia teſtatur in terra, mari, ſub terra, & in ipſius quoque aëris nubibus. Ad generationem itaq; erunt *cauſæ vniuerſales, & æquiuocæ ſydera*, ſicut & ad deſtructionem. *Cauſæ inſitæ, & ſeminalia principia eſſe non poſſunt*. Inſuper longe alio modo in æthere, aëre & alibi conſiſtunt fiuntq;, quæ dicuntur meteora, quam Paracelſico iſto, quem ſtultitia, & contemtus veritatis priſcæ progenuit. Obtinuimus ergo primum hoc, & ſeminalem generationem indiuiduorum ex globo ſuperiore æthereo deiecimus.

Nullam eſſe cœleſtium generationẽ, quia nullus ibi indiuiduorum defectus. Ergo nec ſemen.

Petitur principium.

2. Iam erit diſputatio *de indiuiduorum in aëre, aqua, & vera procreatione*, quanquam rectius non de his, ſed de mineralibus, plantis, & animalibus diſſereremus. De *igni Ariſtotelis* non audemus verba facere. Quidam enim eum elementum eſſe negant: Quidam omnibus communem faciunt, nec eſt vt totam Camarinam Paracelſicam ſimul moueamus. *Aërem* ſuperiori globo adiiciũt iidem Paracelſici: ſed natura eum generabilibus & corruptibilibus adiungit. Nec eſt vt de hoc quoque litem moueamus. Qui ergo procreantur indiuidua in elementari regione?

Indiuidua ex ſemine in globo inferiore.

Ariſt. in Gen. an. c. 11. de flamma.

Primum vincula ponenda ſunt per quæ ſemina trahantur in hanc regionem, & corporibus in ea exiſtentibus glutinentur. Ea *vincula ſunt valde longa*. Nam vna extremitate attingunt *abyſſum*, ſeu Elementa pura, & *orcum Orphei*, vel etiam æternitatis profunditatem: altera iunguntur elementis medij mundi. Cogitandum eſt tranſitum fieri *fulminis inſtar*, aut quomodo pyrio puluere ſaturata fila percurrit ignis, aut vt ventus ſegetem tranſit, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Quicquid ſit, de loco in locum fieri tranſitum ſubitaneum neceſſe eſt. Diſtant enim receptacula ſeminum, & corpora elementorum aſpectabilium. Sed quid de hac poſitione aliud dicendum quam eſſe *melancholici dormientis viſum* ſeu apparitionem à Morpheo Poëtico? Proba *Herme* & non pete principia.

Modus procreationis ſingularium in globo imo Hartmannicus.

Petitio principii.

Secundo ponenda ſunt corpora, quæ obueniant ſeminibus per vincula occurrentibus. Neſcio an fingendum ſit ex orco per vnam partem vinculi accurrere ſemen: ex elementis per alteram adeſſe corpus, vt in medio ſpatio ſibi obueniant mutuo; veluti ſi ſint duo magnetæ ſe mutuo trahentes & in media diſtantia cõuenientes, ibique ſe oſculantes: vel, quod magis appoſitum, ſi quis extinctam, adhuc tamen fumigantem candelam ſupponat ardenti: fumus aſcendit, flamma deſcendit, & ſic in puncto medio fit noua incenſio: quæ ſic fieri etiam in magno mundo credendum eſt halitibus ad cœlum contendentibus, & igneo calore deſcendente, vt in medio exoriatur flamma, vt cometa. Verum quid perdimus verba? *Tota vanitas eſt iſta fictio*.

Neque enim iſta eſt ratio ſeminis, *quod neceſſe eſt eſſe alicuius determinati ad aliquid certum in cor-*

in corpore genitura à stipulantibus his quæ ad generationem indiuidui requiruntur. *Generat enim quod est vniuocum proprie*, vt homo hominem, canis canem, rosa rosam, &c. *Semen* per quod peragitur generatio non ex orco per vinculum aliquod hauritur, sed *fit* & *maturescit in ipso generante vniuoco, habetq; potentiam motus ad simile in sua matrice auxiliaribus copiis præsentibus.* Hic non obuenit semini corpus, sed in corpore iam est semen tale in tali, iuxta naturam eius, qui generat per se, vt in plantis confuso sexu; in animalibus vt plurimum distincto, vbi tamen communis genitura fieri debet ex semine vtriusque. Incrementum postea est ex materia disposita in matrice. *Hæc sunt ipsius naturæ documenta, ratione & experientia comprobata, & diuinis literis roborata.* De analogica & æquiuoca generatione posterior est contemplatio. Negata vniuoca, non est vt de æquiuoca disputetur, cum huius consideratio siue illa sit imperfecta.

Semen vniuocum.

Tertio, cum ait *Hermes Mesaulicus* semina producere indiuidua, prout corpora ipsis obueniunt, quid aliud dicit quam generationẽ indiuiduorum per semen esse fortuitam, & æquiuocam? Si enim aliter statueret, dixisset indiuidua prodnci non vt corpora obueniunt, sed *vt ratio talis speciei diuina ordinatione & prouidentia postulat*, in quem sensum & *Paulus* loquitur 1. Corinth. 15. vbi ait *Deum dare nascenti corpus quod vult ipse. Generatio enim indiuidui magis specie & forma æstimatur, quam corpore, & subiecta materia.*

Hartmanni Indiuiduorũ prouocatio est fortuita & æquiuoca.

Quarto; videtur iste Hermes Hartmannicus limis intuitus esse generationem æquiuocam *Aristotelis* & inde verba emendicatus quanquam praua accommodatione. Ita inquit Philosophus: *Generantur in terra, humoreq; animalia & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodam modo plena sint animarum omnia. Quamobrem consistunt celeriter, cum calor ille cõprehensus siue exceptus est. Comprehenditur autẽ, & humoribus corporeis incalescentibus efficitur velut bulla spumosa. Sed differentia nobilioris, ignobiliorisve generis constituendi in comprehensione principij animalis est. Huius autem rei causam & loca habent & corpus quod comprehenditur, &c.* Hæc ille. Hermes videtur per calorem, & spiritum accepisse semen, & eius vinculum. Deinde in humore, & terra corpus aliquod appetens generationis, seu dispositũ ad certi indiuidui productionẽ excogitasse. Dum semen errat in vniuersitate, non habens rationẽ certi alicuius, & determinati indiuidui, sed generatim vim aliq̃ indeterminatam ad productionẽ huius illius, forte incidere in dispositum corpus, atq; ita fieri hoc vel illud pro vt erat corporis dispositio. Hæc generatio incerta est, & fortuita plane. Dic *Hartmanne*, an non saltẽ verba tua tale quid præ se ferunt? Vbi vero materiæ tuæ primæ potentia indeterminata? Quid *Seuerinus* crepat? *Semina nunquam destituũtur corporibus propter coniugium. Quandocunq; quas figuras, magnitudines, &c. debent repræsentare, momento assunt corporũ rudimenta officiis illis apta: Et aderũt siue defectu donec seminũ expleta sit prædestinatio. Cum singulis seminibus dona sint plurima, Item scientia, & mechanici processus prope innumerabiles, nec singula possint iisdem momentis faciem materiæ occupare: statis temporibus formarũ copiosa varietate materiam vestiunt.* Hæc ille. Donat semina scientia mirifica, sicut tuus Hermes formas sanctuarij. Hac scientia legunt sibi materiam, seu corpus sibi ex materia fabricant, & sic nascuntur indiuidua tui Seuerini. Non autẽ tantum *scientiam naturalem habent, sed & artificialem mechanicam.* Sunt ergo Vulcani tui *Paracelsi*, qui corpora perite, prudenter, & sapienter legunt, & ea sibi adaptant; non autẽ fiunt hoc vel illud prout corpora obueniũt. Mirum vnde sciuerit *Seuerinus innumerabiles processus mechanicos* habere illa semina, cum natura perpetua ostẽdat *simile nasci à simili*, in cæteris secundũ analogiam, & prout accidit. *Quid autẽ insita scientia, & mechanica prudentia cum fortuna?* Quid cum turba accidentium? Est & hoc ridiculum quod ait, *semina materiam formis vestire variis*, cum potius materia vestiat formam in vno vnam actu. Sed Paracelsitis proprium est delirare.

3. Gen. an. 11.

Ridicula procreatio indiuiduorũ Seuerini.

Semina mire scientia.

3. *Semina immissa in corpora producunt indiuidua differentia perfectione, & fœcunditate.* Repeto indiuiduæ speciei differentiam proximè prouenire ex natura ortus talis secundum speciem ad similitudinem generantis, qui & semen contulerat. Gignit vniuersale quodammodo; sed propinquius particulare, vt homo hominem, & Philippus ex vxore Olympiade Alexandrum. Hic humana specie à hominibus differt, quia ex homine ortum habet: à patre differt indiuidua & singulari sua natura, quam singulari generatione ex determinato parentis semine accepit. Specificam hanc vocari, Græcis εἰδοποιὸν quia speciem singularem, quam sequuntur proprietates indiuiduantes, seu personales, notũ est. Si itaq; illa perfectio, quam *Hermes* tuus nominat, est forma singularis, & indiuidua, quam in animæ descriptione vocabat corporis organici ἐντελέχειαν (actum, perfectionem substantialem, perfecti habiam) fallitur. Cum putat eam existere *ex modo obuenientis corporis.* Si accidentalem perfectionem intelligit, ea aut *motus est perfectiuus*, qualem fabricationem formæ ascribebat ex rudi materia per elaborationem quasi artificialem, seu mechanicam absoluentem corpus certum, & vltimam materiam cum suis ornamentis inducentem: aut est iam *perfecti sua essentia exornatio* ad complementum totius pulcritudinis & bonitatis, vtilitatisq; in fine existentium: quomodo conceptus iam materia, formaq; rudibus constitutus, in matrice perficitur, vt fiat fœtus omnibus mẽbris elaboratus, iamq; ad exitum paratus; qui postea per annos ætatis magis magisq; crescit, & ad fines, officiaq; sua idoneus euadit. Illam corpus, in quod illabitur semen, minime præstat, sed *motus semini potẽtia inexistens*, qui in vtero in actum euocatus pergit ad essentiam destinatam spiritu & calore operantibus. Habet autem semen suum secum corpus. Itaq; non necesse est illabi in aliud ex alieno loco insiliendo. Illud saltem notandum est in plantis id statim integrũ esse: in diuersis sexu, ex commissione duorum particularium seminum coalescere, & aliquando semen maris tam exili esse corpore, vt virtus potius in spiritu esse videatur quam corpus. Fœmina enim potissimam partem materialis corporis confert, vnde nata est *Aristotelis* opinio marem dare formam, fœminam autem materiam. Augescit autem hæc in fœmina ex sanguine. Fors itaq; *Hermes* tuus *Hartmanne* arbitra-

Differentia indiuidualis.

Arist. in 4. Gen. an. 3.

4. Gen. an. 1.

2. Gen. an. 4.

 tur

Paracelſiſtæ naturã cum arte confundunt, & de ea hic ſtatuunt vt de quodam fabro corripiẽte aliquod lignum & ex eo fabricante ſibi domum.

tur ſemen eſſe maris tantum; quod inde mediante ſpiritali, ſeu æthereo corpore inſiliat in materia in fœmina contentam, & poſtea *fabricet* ſibi ex ea tale corpus, quale fieri poteſt; vt ſi nõ *Mercurium*, at *Vulcanum* vel *Therſiten*. Verum & falſum hoc eſt, & nihil facit ad naturam indiuidui. Falſum ideo dico, quia & *fœmina confert ſemen*. Ideo *Chriſtus* erat ex ſemine non tantum progenitorum per intercedentes generationes, ſed proximè *ex ſolius Mariæ virginis ſemine*, vt ſic non viri ſemen, ſed mulieris contereret caput ſerpẽtis. Deinde fœmina habet organa, vaſaq; ſpermatica, in quibus ſperma proprium fit actu, vt docet euidens per anatomiam conuictio, neq; naturam putandum eſt illa organa, & materiam ſeu humorem in eis fruſtrà generaſſe. Quod nihil faciat ad naturam indiuidui, ſeu ſpeciei ſingularis, numero differentis ab aliis, iam dictum eſt. *Ratio enim qua quid eſt quod eſt, à motu eſt*, vt forma gladij ab artificis opere. Neceſſe tamen eſt materiam ſequacem eſſe, & motui obedientem. *Non enim fit quoduis ex quouis ſed vnumquodq; ex determinato in ſingulari generatione.* Vnde ad integrum, ſeu integritatem indiuidui aptitudine ſua facit materia, ſed non ad ſpeciem.

Fœcunditas.

Differentia in fœcunditate ex eadem cauſa à tuo *Hermete* petitur. Intelligo primum vt fœcundum hoc ſit, illud ſterile, id exiſtere ex ſeminis in materia receptione, ſeu qualitate materiæ. *Prout obuenit ſemini materia*, inquit, *differentia indiuiduorum fit fœcunditate*: veluti vt vno ſatu vnius indiuidui vnoquoq; ſemine naſcantur gemini, & multiplices fœtus, id tu materiæ aſcribis quomodo & *Scaliger*, qui putat *multiplicari fœturas inſtar ignis, cuius infinitæ faces poſſunt ex vna accendi.* Vt aliud indiuiduum ſit viuiparum, vt elephas: aliud ſterile, vt mulus, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, id ipſum quoq; non ſemini, ſed materiæ, & ſubiecto comprehendenti tribuendum. Deinde vbi ſemen nullum eſt, vel nulla fit eius receptio, ibi nullum indiuiduum produci poſſe arbitrãdum, quando omnem generationem ex ſemine, vt & omnẽ fructum Paracelſiſtæ conficiunt. Prius literæ magis eſt conſentaneum, cum fœcunditatẽ quidem ponere videatur, ſed diſcrepantem multiplicatione. Ideo hic expediendæ ſunt quæſtiones. Cur *Abraham* Gen. 16. generet ex *Agare*, non ex *Sara*; Et poſtea ex *Sara vnigenam*, ex *Cetura*, Gen. 25. plures: Item cur fœminæ *apud vnum maritum ſint ſteriles, apud alium fœcundæ*: Cur vnæ pariant vna vice geminos ternos, quaternos, &c. aliæ vix vnum fœtum. Ad pecora, iumenta, piſces, cancros, arbores, frutices, ſuffrutices, herbas, mineralia quoq; procedendũ. Nam de *ſtellis quaſi genitoribus* iam tacẽdum vt & de geniis, qui à Paracelſo ſingulis inſeruntur elemẽtis, & *Flagis*, quas nugas repetiuit *Crollius*. & eſt admiratus. Vnico flatu tuus *Hermes* quæſtiones illas abſoluit omnes. Cur. n. ſic, vel aliter? Quia materia, ſeu corpus ſemini obuenit hoc, vel illud, ſic, vel aliter affectũ. Inde ꝙ ex ſemine & corpore fit indiuiduũ, eſt ſterile, vniparũ, multiparum, idq; variè. Sed plura venire in cõſideratione, ſequẽtia declarant.

Generatio perfectorum.

Primum de animalibus perfectis vt loquamur, quia ſexu differũt, principiũ prolificum vtriusq; potentiæ eſt aſſignandũ, quia natura ſic conſtitutũ eſt. *Deinde principiũ illud eſt in humore ſpirituoſo, & calido*, qui naſcitur in eo ipſo, qui principiũ cõfert, ita vt vtrumq; in perfectione ſeminis ſit ſimul. Hunc *humorẽ materiam proximã* vocamus, ſed ſanguinẽ in ſanguineis remotiorẽ, in exanguib. excrementũ analogũ.

Cur vnum fœcundum alterum ſterile. Vide Ariſt. in 2 Gen. an. c. 4. & 5. & 6.

Ratione huius quæ cauſa eſt vt vnũ indiuiduum ſterile ſit, alterum fœcundũ, vnigenũ, multigenũ? Tacemus de cauſa hyperphyſica diuinæ prouidentiæ: nolumus afferre quicquam de ente magico Paracelſi, nec de ente veneni, aut imaginario. Ens aſtrale ſeponemus. De ſolo hoc loquẽdum eſt, cum ſemen incidit in corpus ad indiuiduũ fabricandum. Primum itaq; fieri poteſt vt *ſeminale principiũ per ſe ſit debile*, nec poſſit vim perducere: 2. *Vt materia ſit improportionata* ratione excedentis quantitatis. Vnumquodq;. n. agens non excedit naturæ ſuæ terminos. 3. *Vt plane indiſpoſita*: 4. *Vt ſeminale principium* nullũ. 5. Vt *adminicula externa* deſint, 6. Vt *locus* ſit ineptus; 7. Vt *accidens aliquod* impediat prouentũ, & ſi quæ ſunt cauſæ plures. Pater fœcundus filio concedere poteſt vim genitalẽ fœcundam. Huius *ſanguis eſt materia ſeminis maſculi*: proportionaliter iudicandum eſt de fœmina. Si iã ſanguis crudior, morboſior, & aliter ineptus, vt in pueris, ſeminibus, morbidis: principiũ ſeminale non cõprehenditur. Si inſtrumenta genitalia, & officina ſeminis deficit, ſi calor, & ſpiritus non reſpondent: ſi aliquo accidente ſemen impeditur; ſi nõ poteſt ſeminari vt eſt iuſſũ: ſi intus putreſcit, &c. Ecce tibi ſterilitatis cauſas ab vna parte materiali, & inſtrumentali. Contra ſi omnia benè diſpoſita ſint, pater erit prolificus. Semen enim felix gignit. De matre eadem poſſunt dici, & præterea etiam ſolum genitale conſiderari. Ipſe *Saluator* dicit *fœcundũ quoq; ſemen plantale locorum diuerſitate, & fotu inæqualiter fructificare.* Coniũge iam vtriusq; ſeminis mutuam affectionem ſympatheticam, dyſpatheticam, antipatheticam: Totam generis naturam adde. Conſidera tempora generationum & partuum: & præterea vide de nutritione fœtus. Ad magnam copiam traheris. Non in ſola materia eſt ſterilitas, aut fœcunditas. Itaq; tuus *Hermes* vix vnicam cauſam attigit. Ab animalibus ad plantas deſcẽde. Inuenies etiam ſingulares quasdam cauſas, easq; non tam multiplices, quã occurrunt in animalibus. Veruntamen ſeminificam vim quælibet planta in ſe adeo pertinaciter habet, vt etiam inſitione in aliam eandẽ retineat, nec mutet allapſum ſucci ex ſtemmate alieno. Semen ſuæ naturæ conueniens producit materialiter, & formaliter. Hoc cum in terram mittitur, in eadem proficit primum ſucco congenito, deinde familiari terræ. Oportet autem & hic cœli clementiam, *non ad ſpeciem, ſed bonum prouentum*, concurrere: oportet loci naturam adeſſe: nec parum arte proficitur, & aliis. Hæc omnia cum mouerit tuus *Hermes*, mirum eſt cur cœcos duces ſequatur, & differentiam indiuiduorum ratione fœcunditatis alliget ad obuenientem materiam. Ex ſacris diſcere potuit quamq; ſpeciem à Deo procreatam eſſe, & ſingulas in ſe propagandi ſuum genus potentiam ſiue per ſemen, ſiue alio modo accepiſſe, nec inſtituta eſſe latibula in orco orphei,

Opus lapidis.

ex quibus ſemina vinculo aliquo extraherẽtur in materiã, & corpus obueniens. De mineralibus nõ opus eſt verbis. Magiſterium ſapientũ te cõfundit. Nam materia mercurialis hic omnibus metallis, & ſemimetallis eſt cõmunis. Semen in eã iniectũ non parit indiuidua pro materiæ obuẽtu, ſed propria vi transmutat in id metallũ cuius ab initio fuit, & ſpeciem ſuam multiplicat. Verum hæc mitto.

4. Semina

4. *Semina dicuntur indiuidua differentia perfectione, & fœcunditate deponere in peregrinis matricibus.* Philosophema hoc flagris & scutica dignum est. Tune tibi persuadere potuisti semen ex orco Orphei per funiculum astralem extractum in corpus incidere, & in eo fabricare indiuidua differentia, posteaque hæc intrudere in matrices peregrinas? *De matricibus peregrinis.*

1. Ridicula est fictio illa tota: quasi sic fieret generatio naturalis vt sculptor ex diuersis lignis pro eorum dispositione diuersa facit signa, eaq; postea in alia officina elaborat: aut quomodo figulus, aut fusor diuersa fictilia aut imagines format, posteaque in fornacibus solidat, aliterue perficit: aut vitrarius, gemmariusq; sua opera expolit. *Aliter natura ex semine naturali procreat, aliter artifex.* Quanquam enim hic in nonnullis imitetur naturam, in aliquibus superet: Veruntamen seminarias dispositiones inferre sola vi artis humanæ, impossibile est.

2. Falsum est semina extra suas matrices gignere indiuidua. Tuus Hermes respexit non figmentum caninum *Scaligeri*, de cane patre intra se gignente catulum, ita vt ex sua anima in corpore fœminis accendat animas catulorum plurium, quæ animæ sibi fabricent corpora, vt fiant catuli imperfecti. Hos postea coitu cum cane fœmina dicitur transfundere in matricem eius vbi perficiantur. Quis tam sit fatuus quin videat *Scaligerum* ista temere commentum fuisse? Nondum est semen canis productiuũ si non cum fœmineo in vnũ coaluit. Ex vtrisq; enim constituitur principiis. Qui ergo extra matricẽ fœminæ non vnũ, sed multos catulos simul in se mas facere queat? Hac de re etiam supra, nosq; in Casimiriano nostro peculiari exercitio istam opinionem exagitauimus.

3. *Quæ vero necessit as sit semina deponere sua indiuidua in matrices peregrinas?* Num, vt supra dictum, cuculi sunt? Num vt equi & equæ asini & asinæ suum genus permutant, gignuntque non indiuidua ad similitudinem speciei, sed monstra, & partus degeneres? Non est cani mari peregrinus ager ad gignendum canis fœminæ matrix, vt nec *Adamo*, vterus *Euæ*, ad filios procreandos: Imo hæ matrices etiam fœmineum semen excipiunt. Quod si istæ matrices sunt peregrinæ, quænam sunt domesticæ? Tune vterum tuum habes, & matricem in qua prius genuisti filios, eosque postea ex natali solo intrusisti in agrum alienum? Bellus certe es genitor. Ita porcos facilius genueris. An vero semina tua pridem in vacuo corporibus orco generarunt? At hoc est impossibile. *Omne enim semen naturale in materia formam habet.*

4. Quæri & hoc potest num semina immediate deponant, an mediate, quomodo quidam dicunt *animas cœlitus infundi* per irradiationem quandam, aut calorem, spiritumq; tanquam per canales. *Marcioni* hæretico, & similibus istum tuum modum facilime persuaseris. *Sapit hæresim Marcionistam.*

5. Fortasse id verum est in *plantis* & *mineralibus*. Videamus. Plantas nasci in humore, & terra irrigua, adiuuante spiritu, & calore, seu natura quæ locis subest, & quæ ex generalibus in subsidium venit, in confesso est. Habet & insitio aliquam vim ad generationem earum, & accidit vt etiam sponte naturæ planta innascatur plantæ, eaque vtatur pro terra, vt muscus, viscum, &c. imo compertum est ceruorum cornibus infixam hederam creuisse. Habent multæ ortum spontaneum. Omnibus istis pro matrice est id in quo primum oriuntur, fouentur, & incrementum capiunt, perficiunturque: sed nos in contemplatione naturæ *non oportet raro contingentia* propter aliquod accidens *respuere*, sed *perpetuitatem, & ordinariam generationem præ* oculis habere. Deus iussit ex terra prodire plantas. In terra etiam affixæ radicibus sustentantur. Si quæ aquis innatant, eæ aut itidem radicantur in terra, aut aquis lutosis pro terra vtuntur, vt lenticula palustris & aquas nauigationes Indicæ memorant in superficie maris sine fundo prouenire. *An plantæ in peregrinis matricibus procreentur.*

Iam sententia *Hermetis* tui est *semina ex orco attracta per astralem funem incidere in obuenient corpus, & ibi fabricare indiuidua, fabricataque in peregrinos vteros intrudere vt ibi proficiant in fœtum absolutum.* Qui hoc fieri posse credit, Enthusiastica sua & fanatica persuasione totus est dementatus. Neque enim id quod tu fingis semen est plantæ, sed illud ipsum quod simul cum corpore genitore suæ, seu sponte in terram, & humorem cadit, seu opera hominum immittitur. Negas? Communi sensu cures, & experientia publicæ reclamas, teque rident rusticorum seruitia. Attamen *videtur semen* illud, quod Agricola serit, *plantam iam esse.* Habet enim apicem pro radice, & reliquum corpus pro germinibus, vt videre est in leguminibus, & aliis. Radix, & germen naturaliter coniuncta plantam constituunt, quanquam imperfectam. Apertior res est in his quæ vel insitione surculorum, fustium, viua radice, geminis, seu oculis seruntur, vel irrigatione producuntur, vt fungi in lapide fungifero, aut cum decoctorum fungorum ius affusum arboribus ibi causa est vt nascantur noui, vel vbi radices concisæ, & satæ in herbas proficiunt, quod per cortices peragitur, &c. Hæc iam sunt plantæ in manifesto, vel in occulto, quales etiam Chymici possunt in dilutis salinis ostendere, non iam natas, sed ex occulto in conspicuum protractas. Inde argumentum: *Si quæ seruntur, aut alia ratione proueniunt plantæ vel in aperto ante sationem plantæ fuerunt perfectione externa saltem deficiente*, vel *in occulto, vt in primis entibus extractis, dilutis decoctis*, &c. (vnde & ex aqua iam destillata in vitro enata herba visa est, quæ in occulto fuerat) *necesse est non hoc primum semen esse quod seritur, aut depangitur, sed hoc iam plantam, semen autem prius aliud quod ex elementis puris per astralia corpora in elementa corporea productum, hic plantam constituit, eamque postea matrici alij commisit perficiendam.* Detur enim hoc, omnem plantam nasci ex semine, tam in vniuocis, quam æquiuocis. *Est autem antecedens*, vt iam exemplis naturæ & artis est comprobatum: & quæ ratio vnius nascentis est, ea est omnium. *Ergo & consequens.* Id autem in quo lacuit semen primum, quid aliud sit quam elementum purum, & locus vacuus? Alicubi semen esse necesse est. Non enim est quod nusquam est, vt peripheria formæ Hartmanicæ. Si fuit in loco pleno, fatali necessitate ibi generasset. At non generauit ibi, sed in mundi scenam vbi sunt corpora disposita per astrales spiritus protractum. Nihil ergo absurdi habet speculatio Hermetis de orco Orphei & reliquis. *Argumentum Paracelsicũ pro Hermete Hartmaniano.*

Paracelsice nihil gignitur, sed tantum ex loco occulto prodit in apertum.

Fateor hanc esse rationem Paracelsi qua persuasus est, nihil quod vulgo fit gigni, sed tantum ostendi prius genitum, & apparere cum se explicat in matrice visibili specie. Accusatur ab aduersariis quod *tres essentias* non extrahat ex mistis, sed arte per naturales caussas in eis procreet. Si enim sal actu inesset, proderet se salso sapore. Iam eum ignis combustio gignit vt alios sapores iuxta Physicam Aristotelis. Sed *Paracelsus* obiectum diluit sua Chymia. Nam vt in lacte non gignitur butyrum, aut caseus à Galathea, sed pridem genitus separatur: vt in muria, aqua marina, lotio & similibus sal non nascitur cum excoquitur, sed prius actu inerat: ita arbitratur fieri & in cœteris generationibus. Et tamen ex semine suo vnumquodque prodiisse statuit. Vbi ergo nisi in primis Elementis latitante ex quibus cœli vinculo eruitur, & corporibus committitur? Probabilitatem magnam huic opinioni affert spontanea generatio: & miracula artis Chymicæ, cum insitionibus. Accedit declaratio per *mechanica opera*, & θαυματουργα illa quibus repente aliquid ostenditur, quod momento nasci primum non potuit, vt in Magicis. Sic in aere multa ex occultis Thesauris in quibus latuerant, prodeunt in conspectum. Itaque corrigenda est vulgaris Physica, quæ *apparitionem vocat generationem*, nec intelligit ex longe abstrusionibus principiis procreationes existere, aliudque esse productionem in scenam mundanam, aliud generationem. Hæc pro Paracelso dici possunt. *Sed respondendum est ad singula.* Semen, quod Agricola serit, non humana inuentione semen est, sed diuina. Qui ergo id negat, diuinam autoritatem conuellit. *Vocatur* autem *semen* ideo *quod ex eo primum secundum naturam oriatur simile ei cuius erat semen*, in his quæ creator semine nasci voluit, ad speciem conseruandam, & multiplicanda indiuidua. Ebræis *Sera*, vel *Zera*, arab. *Zara* semen, quod vsurpatur de arboribus, herbis, animalibus, hominibus mare, & fœmina. Ita Leuit. 12. 2. mulier semen suscipit, & parit masculos, fœminasque: Gen. 38. ℣. 9. *Onan* effundit semen suum in terram ne liberi fratris nomine nascerentur. De semine mulieris solius habes Gen. 3. 15. Gen. 1. 11. 12. de semine plantarum non creato seorsim in aliquo loco vacuo, aut orco Orphei, sed in plantis ipsis cum prius nullæ essent, neque etiam astra vlla existerent à quibus potuisset semen illud fictitium in corpora protrahi, & inde facta planta in scenam mundanam introduci. Si item talis ratio esset seminis, qui mater aut parentes possent dicere semen suum, & progeniem sine mendacio, vel tropo? *Qui Christus natus vere esset ex semine Abrahæ secundum carnem?* Manifestatus esset saltem traiectione per virginem, non ex ea natus, atque ita non foret frater noster secundum carnem, nec caro de carne nostra.

Refutatio ex autoritate diuina.

Græcis σπέρμα παρὰ τὸ σπείρειν, vt & Ebrais spargere semen, seminare, Zarà. Matth. 13. v. 3. 24. 27.

Nota impietatē dogmatis Paracelsici.

Responsio de semine satio.

Quod ergo dicitur semen id, quod homines seu spargendo committunt terræ, vel de pangendo, iam esse plantā argumento partium, fallit Elencho ignorato. Non enim radix est illud punctum in semine, nec cæteræ partes sunt folia, licet in leguminibus se explicent: sed in apice isto qui videtur in frumenti semine, & aliis est principij seminalis potestas. Reliquum corpus alios habet fines. Nam in aliquibus lactescit, & corrumpitur, quod *Saluator* dixit MORI. Lacteo vero succo primam originem plantæ alit, donec ex terra possit extrahere nutrimentū. Legumina explicant partes suas quasi folia, sed eas non pertinere ad integritatem plantæ perditio indicat. Corpora ista alias etiam sunt alimentum animalium, & alios vsus habent. Si illæ partes essent plantæ iam constitutæ, deberet manere, tantumq; adolescere in terra & crescere, non autem perire, & transmutari. Ita est in animalibus quæ ouo, vel verme nascuntur. Sic statuendum de perfectioribus quoque & homine. *Semen potentia est vnumquodque: actu vero nequaquam.* In æquiuocis secundum analogiam se res habet, & respondet ille ortus proxime creationi. *Sicut ergo in creatione non erat prius id quod creabatur, sed tunc primum fiebat; ita & in ortu æquiuoco.* Supra produximus argumentū de homine ex Ps. 139. & Iob. 40. vbi Deus interrogat Iobum *vbi fuerit tempore creationis.* Proculdubio nihil fuit, nisi quātū dicuntur omnia in arcano Dei consilio destinatione æterna extitisse. *Quod autem destinatur saltē, id nondum est, antequam destinatio in actū veniat.* Satis erant hæc hominibus non monstrosis. Nemo enim contra diuinam autoritatem vel mutire debebat. Sed vt pertinaciæ quoque Paracelsistarum satisfiat, reliqua etiam sunt diluenda. Quæ seruntur insitionum variis modis diuersum habent iudicium. Quæ depanguntur talcolis, seu surculis; aut viua radice transplantantur, aut vt salices, &c. thyrso, aut vt quædam radices capitibus, quia omnia iam viuere necesse, negantur semine vniuoce feri, aut nasci, sed saltem transplantatione, sicut & integræ plantæ ex loco in locum promouentur. Sic *Taglicotius* curta quædam restituere didicit. Ista iam sunt seu plantæ, seu cutes, carnesque. Itaque non fieri debent. Quæ per inoculationem transsumuntur, eadem referri possunt. Nam & gemmæ, seu nodi arborum iam sunt quodammodo inceptæ plantæ. Non itaque indigent generatione simpliciter, sed potius nutritione, & augmentatione. Fungi, zoophyta, & similia potius æquiuocæ sunt generationes, quam regularis, vt & tuberes. Hæc enim prodeunt ex limositate terrarum. Aliqua tamen huius generis, vt obseruauit CL. C. *Bauhinus*, etiam semen habent. Ex aquis decoctionis, & aspersione qui fungi fiunt, saltem accipiunt dispositionem, & occasionem ad generationem, sicut & qui corticibus, seu corticum succo nascuntur. Nam & hoc genus æquiuocum est, & creationis simulacrum. Itaque in talibus parum est præsidij Paracelsistis. Benedictio diuina, & prouidentia in eis elucescit, non illa ex *orco Orphei*, & *fictitiis abyssis* protractio poetica, quā facilius putes ab aliquo *Hercule* ex tartaro *cerberum* extractū vomitu suo *aconito* originem dedisse, quam Paracelsicas nugas amplectaris.

Æquiuocus ortus fungorum.

Quis quæso non existimet decoctione fungorum si vniuocum semen in eis fuisset, periisse? Sin autem expressus saltem succus affunditur arborum truncis, is mistus phlegmatico muco iterum coalescit in plantam, ad quam erat dispositus, non seminio vniuoco, sed æquiuoco. Par ratio est *visci innascentis* arborum ramis ex succo intus secreto, quanquam aliqui semen ei tribuant, sed quod degeneret. *Muscus arborum* item excrementitiorum humorum soboles est nec necesse est talia iam facta ex orcoque repetita imponi arboribus & ibi adolescere. Tuberes autem qui sine radice specie pilæ

sub

Solutio argumenti.

Effigies plantarum in suis extractis.

Porteta Seuerini de Generatione animalium.

sub terra consistunt nihil alid sunt quam mucus concretus, immista sæpe terra. Ad argumentum respondeo per distinctionem. Quæ enim insitione surculorum viui radice, & similibus modis crescunt, ea quidem iam sunt plantæ viuæ: sed earum productio non est noua generatio. Quæ vero ex occulto dicuntur in apertum prodire non iam incipiendo esse, sed dudum constituta, aut intelliguntur de gemmis, seu nodis arborum in quibus delitescunt surculi aut de veris, & propriis seminibus, vt pomi, pyri, oleris, leguminis, hordei, rosæ, vrticæ, &c. In illis sane fit ex latente per augmentationem productio, sicut & ***dentes puerorum ab initio occultati gingiuis postea ex alueolis pertusa gingiua emergunt.*** Hæc autem non vocatur generatio, sed generati incrementum. In his, quæ scilicet semine vniuoco seruntur, falsum est iudicium de latentibus iam generatis, actu existentibus, vt ante dictum est. Quod attinet ad exemplum effigiatarum plantarum in primis entibus, & dilutis ex sale, & succis, &c. de quibus *Quercetanus* scribit, Item pulchrum modum nuper dedit *Philippus Mullerus* in miraculis Chymicis cap. 4. lib. 4. pag. 88. & seq. id sane *miram vim naturæ* ostendit, & conuenit cum plebeia fungorum per expressum succum procuratione: sed non conuincit *Paracelsi* sententiam esse veram. Nam omnia quæ ad talium plantarum repræsentationem pertinent, non ex *orco* petuntur, sed iam insunt potentia naturæ in partibus principalibus. Erant prius actu per generationem naturalem. Ille actus corruptus fuerat opere artis. Potentia mansit, & virtus tum alia, tum etiam vegetatiua, quanquam non integra: neque enim possunt plantæ tales perfici: sed rudimento saltem, vt imago seu simulacrum potius sit plantæ qua planta. In humido radicali, spiritu & calore proprio seruatis talis vis est. In putrescentibus, hæc denuo comprehensa fiunt vermes, aut in alias herbas degenerant. Extractum primi entis, aut essentia potest in vitro tam solerter moueri per calorem conuenientem, vt phasma, seu phantasma plantæ appareat, sicut & in stibio, vel similibus aurea tinctura monstrari. *Paracelsus* in archidoxi, deque restauratione, & resuscitatione etiam alia exempla habet, & veteres de *phœnice aue* similia sunt commenti. Verum neque ex particularibus quouis modo euenientibus vniuersale fieri potest, neque per ea ordinariæ, & generali procreationi detrahi, vti neq; figmentum de seminibus in abyssis comprobari. Quæ igitur annectuntur ratiocinationes de recessu Elementorum purorum, locis, receptaculis, & aliis in abstruso extra mundum, per se collabuntur, nec sunt quicquam aliud quam inanes speculationes. *Semen non est hoc quod post futurum est*, inquit Darius: *attamen neque est* NON ENS: *quia quæ indies* NOVA *fiunt ante delitescunt in semine, & fruuntur meliore* VITA; *& cum corrumpuntur non ad* NON ENS *festinant, sed ad fontes suos recurrunt: &c.* quæ quis rerum peritus, & sapiens non pro fatuis habeat? Ita stulta sunt & hæc: *Animalia gignuntur iunctis seminibus congressu maris & fœminæ: seminalis materia generatur in balsamo animali, quæ impregnata cum turget paroxysmum profert: Inde flos generatur qui est* VERVM SEMEN *animalium, vtpote principium continens in se spiritus mechanicos*, &c. *Semen est* digestum & perfectum. Verum est id confici ex alimento: Semen est spiritus facile transiens: Est vitale principium continens spiritus & tincturas quibus sibi fabricat corpus, &c. Semina generationi consecrata sunt in Elementis hoc est, locis, domiciliis, &c. delitescunt in abysso vnde prodeunt, & quæ diuersoria quietis desiderio repetunt: Semina nobiscum negotiantur: nunquam destituuntur corporibus (licet loca sint incorporea ex quibus assunt, & quo redeunt) sunt prima; sunt inde nata, &c. quæ vt concilies & explices quæ non deliramenta & portenta sunt confingenda? De mineralibus quoque differamus.

Mineralia num sint in seminibus actu antequam sunt.

Seuerini de mineralibus deliramenta.

Dicat aliquis nos otio & tempore nimium abuti dum istam scabiem tam solicite scabimus. Sed veniam dabunt viri amantes veritatis, si *propter ingenuam philosophandi consuetudinem, & veritatem diuinam, humanamque* hanc quoque molestiam deuoramus. Ita *Seuerinus* scribit cap. 8. Ideæ: *Mineralia non custodiunt speciem indiuiduorum procreatione seminis beneficio, sed semina eorum & species in seminariis naturæ rationibus vigent. Ab illis suo tempore prodeunt terminum naturæ expectantia. Species eorum conseruantur in nocte Orphei, Iliastro Paracelsi, Orco Hippocratis; seminariis naturæ rationibus, locis elementorum beatis, vbi destinatum expectant fatum. Cum instat tempus, species illæ vitalibus principiis & spiritibus mechanicis comitatæ mundum ingrediuntur, petentes loca & alimenta consentanea. Cabala & Philosophia adepta hic opus est. Sine notitia generationis horum non possunt nouorum morborum generationes demonstrari, Viuunt mineralia, quia habent ratas periodos paroxysmorum, venarum ordinatas progressiones, compositiones corporum consentaneas, efficaces virtutes saporum, colorum, ætates, morbos mortem, &c. semina eorum in abyssis delitescentia, vbi digesta tempora expleuerint, ineunt coniugium cum spiritibus: Ex spiritibus fiunt corpora, licet initio inuisibilibus: corpora in se continent principia Elementa, ornatum omnem: nouerunt quibus locis debeant prodire: vires superioris naturæ, scientiæ, & rationes vbique penetrant. Vbi inuenerint confluentiam, constituunt anatomiæ suæ rudimenta, proponuntque dona sua & scientiæ maiestatem, lætantes se non venisse in vacuum*, &c. Hæc & alia multa mirificus ille *Seuerinus*.

Poëtam aliquem tibi audire videaris, qui in vacuo Hermetis, seu Eulenspigelij theatro monstret tibi admirandas imagines, & verbis otiosis, nugacissimisque & ambitiosissimis ad prodigium vsque commendet, cum tamen nihil nec rerum, nec imaginum sit, sed omnia fingantur esse vt in comœdia, aut somnio furentis, vel Melancholici & Ebrij, vel potius Morionis, qui sibi etiam vigilans imaginatur multa, quæ nullibi sunt. Talia repræsentant Magi de quibus in Crollianis. Nihil autem pudet hos homines. Mentiuntur plus quam Calendariographi, idque cum austera autoritate, cui si non credas, demens habearis.

Petitiones principiis.

Vbi vero demonstrationes vestræ ô lepidi fictores? An Deus dormit, aut desijt dispensare generationum fata? Qua necessitate *abyssos istos vestros* introducitis? sed perpendamus dicta.

Hartmanus iſta tranſcripſit & ſuo Sancto Sanctorum (ſtulto ſtultorum,) tanquam *Nectar & ambroſiam* inſeruit. Itaque pariter delirare, & deliramentis, nebuliſque inanibus gaudere eſt cenſendus.

1. *Mineralia negantur ſemine proprio propagare ſuum genus*, nempe vt vniuoca animalia, & plantæ. Notandum itaque Hermeticum Meſaulum non condere præceptum generale de indiuiduorum in materia prima per ſemen vniuocum procreatione.

Seueriani aduerſantes arcani magiſterii ſapientibus.

2. Attamen *ex ſemine fiunt.* Vbi illud? Si aurum non in ſe habet ſuum ſemen, vnde naſcitur? Committo hic Paracelſiſtas cum illis qui dicunt *in vnoquoque metallo eſſe ſemen proprium* differens à ſeminibus plantarum, & animalium incluſione arctiore, & remotiore potentia. Hoc eſt placitum profeſſorum ſapientiæ in magno Magiſterio. Ex hoc fundamento explicant pene omnes rationes tranſmutationis metallicæ.

3. *Semen mineralium*, inquit Danus, imo & *ſpecies illorum deliteſcit in ſeminariis naturæ rationibus.* Quæro quæ *ſint illæ ſeminariæ rationes naturæ?* An non fuci, nebulæ, fraudes, deliramenta, monſtra furentium? Non eſt ſatis verba ſonare. Rem ſubeſſe demonſtratam oportet. Ratio qua ſemen eſt id quod eſt, eſt forma ſeminis, quæ eſt potiſſima pars definitionis. Ita latebit ſemen in ſeipſo, vel ſua definitione potentiali: Ariſtot. diceret eſſe ſemen potentia. Ex tali nihil generatur actu. Deinde *ſi ſpecies ſimul deliteſcunt, quid opus eſt ſeminis?* Hoc enim ſpeciei gratia eſt, quæ per indiuidua in generalibus continuatur. Si concilianda hæc ſunt, *ſpecies generabuntur in ipſis ſeminariis rationibus à ſeminibus.* Cogita quæ ſit diſcrepantia *inter ſemen, & rationem ſeminariam* ita vt illud in hac tanquam in loco deliteſcat. Imo *ratio ſeminalis eſt ipſa ſeminis forma, aut ſaltem efficiendi potentia in locis ſpermaticis.* Falſum autem eſt ſpecies mineralium, & ſemina in rationibus ſeminariis latere. In mineris terræ fieri poteſt vt ſimul ſit principium aurificum, & aurum ſpecie ſua abſolutum: In ſeminaria ratione deliteſcere vtrumque non poteſt. Erit enim alterum actu, alterum potentia. Hoc latere poſſit, at non illud.

4. Quid autem diuerſum iam dictum eſt ab vniuoce, & æquiuoce naſcentibus animalibus, & vegetabilibus? An non de iſtis quoque idem affirmatur? Spiritu mendacij agitantur miſeri, nec cogitant quam conſentanea dicant.

Loca Paracelſica ſeminum extramundana.

5. Iam procedunt *vanitates cogitationum vaniſſimarum, Nox Orphei* & reliqua. Quaſi vero Deus cum mineralia conderet iſtiuſmodi portentis opus habuerit. *Plutonem* gentiles præficiunt theſauris terræ: *Magi* diabolum cuſtodem ſæpe defoſſorum animaduerterunt. Similes illis ſe faciunt ſtulti Paracelſiſtæ. In fodinis ditibus metallorum aliquando *dæmones* deprehenduntur tumultuoſi, aliquando ludiones tantum. Num ergo fodinæ ſunt *nox Orphei, Orcus Hippocratis, Iliadus Paracelſi* & alia περιπόματα? At fodinæ in mundo iam ſunt: Orcus, Iliadus & reliqua extra mundum in Vtopia vel Moronia finguntur. Impij homines, ſi iuxta cap. 6. Ideæ *ſemina* alia poteratis petere *ex æternis ſapientiæ diuinæ Theſauris*, cur non & hæc? Aut ſi & hæc, quid opus eſt. Sanctiſſimam Dei potentiam, & prouidentiam contaminare nocte, orco, & aliis abominationibus?

6. Ridicula ſunt *loca Elementorum beata.* Quod nihil eſt niſi vacuitas, & vel negatio, vel priuatio, qui poteſt eſſe beatum?

7. *Expectare ſemina*, & ſpecies mineralium *fatum deſtinatum*, quis dixit iſtis ſomniatoribus, niſi *Morpheus*, aut *manes per portam Eburnam orci?* Si ſpecies ibi expectant, non ſemina, aut ſi illæ quoque, non naſcuntur in mineris. Si expectant, aliud quid beatius petunt. Nam *dum in ſemine quid eſt, nondum eſt, & ſic nec beatum.* Fertur enim deſiderio in id quod ſperat, quod ſane eſt melius bonum. Nihil ſperat miſerius quid. Mendaces ſtolidi, vbi veſtra memoria? Qui expectat id quod non eſt?

8. *Species quæ expectauerunt, extra mundum iam ingrediuntur mundum.* ô fatuos. Semina erant, non ſpecies; Et ſemina à Deo non extra mundum poſita, ſed creaturis, quæ ſunt partes mundi, inſerta. Quod *ſi extra mundum foris adueniunt, noua creatio eſt, non generatio naturalis.*

Pompa ſeminum intrantium mundum.

9. Qua pompa veniunt? Theatrica μετὰ πολλῆς φαντασίας. Finguntur *ſemina, ſpecies, principia vitalia, ſpiritus mechanici*, ſeu manuarij opifices. Hic comitatus incedit vt *Thais* cum ſuis ancillis portans quid rerum. Semineralia iam ſunt ſpecies, quorſum vitalia principia, & plaſticos ſpiritus ſpecierum generandarum gratia, hoc eſt, ſeipſa efficiendi habent? Num vt generent, fabricentve ſibi ſimilia ſpecie metalla? Non. Hoc enim eis negatum. Formæ nudæ ſunt, & foſſores quidam incorporei. Hos oportet ſibi corpora fabricare. Sic incedunt in mundum & apparent. Mirum autem. Non male *Paracelſus omnia elementa dæmonibus impleuit.* Ex eo genere erunt & mineralium formæ iſtæ ſeu ſemina, ſpecies & reliquæ laruæ. Vbi ſemina vera ſunt, nata in ſuis animalibus vel plantis, ibi ſimul ſunt ſpiritus, calor, & humor in potentia. In matricibus per actus externos actuantur. Ad hoc non eſt opus ex alieno mundo, aut tartaro ingreſſu. Deus naturam aliter condidit. Metalla & alia mineralia iſtiuſmodi ſemina non habent: an alia, inferius apparebit.

10. *Semina illa loca petunt.* At prius erant in beatis. Cur petant miſera, cum à Deo non ſint condita ad miſeriam, ſed tantum ad ſeruitium, quod in integritate præſtitiſſent laudabiliter, iam ob maledictum nequeunt.

Nutritio ſeminum mineralium.

11. *Petunt & alimenta.* Num ſemina? Quid nondum natum eſt, qui petere poſſit alimentum? Semen, qua ſemen, omnia neceſſaria in ſe habet. Id quod ex ſemine iam natum eſt, & naſcitur, nutritione indiget. Rident autem iſta voracia mineralium ſemina in ſchola Paracelſiſtarum foſſores. Nouerunt quidem creſcere metalla, ſed *comedere, & ali negant.* Relinquatur tamen iſta lis ſub iudice. Fors enim aliqua ratio eſt alimoniæ qualis & flammæ, aut qualis gemmarum

rum cum in matricibus ſuis incrementa capiunt, & ex paruis fiunt magnæ per augmentum materiæ.

12. Iſta *nemo credit niſi Gabaliſta, & Magus.* Ariolare. Aut enim ſunt Poëtica figmenta aut mendacia: quia carent demonſtratione. Idem dixit & Goclenius in magico ſuo libello vbi nec expoſitioni per verba, nec demonſtrationi, nec ſenſibus ſe aſtringit. Simpliciter credendum eſt magis & diabolo.

13. *Nouos morbos* alias Paracelſiſtæ ex aſtris petunt, aliiſque entibus. Ex mineris terræ proflari halitus *charoneos* peſtilentes, & tartareas mephites non ignorant Galenici, vti nec quod ſuis locis ſit ſua natura, vnde populares morbi. Si interim etiam naſcuntur mineralia in ſubterraneis, & tempeſtates (Witterung vt Metallici vocant) excitant, id ſignum operantis naturæ, ſed non ſemper generantis verum etiam diſſipantis generata, præſertim imperfecta, vt & argentum, eſſe nouerunt Metallici.

14. *Vitam mineralium* quod attinet, ſi ea eſt Metaphorica, non pugnamus. Aliquando & tota natura, ratione apparitionis ad voluntatem, & nutus Dei viuere dicitur. Quod ſi vniuoce viuunt, cur ſeminis eorum alia ratio ſtatuitur quam vegetabilium? Accidens enim duræ illigationis rei per ſe diſcrimen non facit.

15. *Semina* in abyſſis *coniugium* ridicule *cum ſpiritibus* incorporeis *contrahunt.* Si vtrumque eſt immateriatum, & incorporeum, qui poteſt fieri corpus? Num formæ ſunt ſeparatæ, quæ poſtea corporibus illigantur, vt *Socrates* & alij de animabus narrant? Non ita. Sic enim non eſſent ſemina. Num ſeparatæ potentiæ? Nugæ.

16. Si corpora à ſeminibus aſſumta, aut ex ſpiritibus facta habent, iſta omnia quæ *Seuerinus* dicit, videat *Hermes* de ſua *materia prima, forma interna, principiis*, & aliis. De *notitia* locorum, & *ſcientia* deliramentum ſæpe repoſitum, non opus habet verbis. Vanitas eſt Paracelſica. *Semina ſapientia.*

17. *Lætari ſpiritus ſociatos ſeminibus ſe non veniſſe in vacuum hominis* inconſiderate nugantis commentum eſt. Non ita dudum erant beata in ſuis locis vacuis, quo & poſt corruptionem reuertuntur & quieſcunt beate, vt aiunt. Iam lætantur pleno. Verum in malam rem cum iſtis. Patet cum *Seuerinus* nihil niſi inanes nugas, & poëticas fabulas de mineralium ſeminibus narret, nec principio immoto poſſit narrata demonſtrare, vana eſſe quæ de ſeminibus mineralium ex alio mundo in hunc venientibus ſcribit, eaque hoc vaniora, quia eis ſemen vniuocum nullum poteſt dari, & ſapientes in magno magiſterio metallorum longe aliud docent, quod etiam credibilius. *Si in vacuis locis beata ſemina non poſſunt lætari in pleno.*

Legimus autem apud *Ariſtotelem* etiam nonnihil de generatione metallorum, & aliorum foſſilium, ſuntq; non contemnendæ metallurgorum, & Phyſicorum peritiorum de ea ſententiæ. Attingamus & de his nonnihil, quanquam in Syrraxibus noſtris ſat ſint multa. Ἐν αὐτῇ τῇ γῇ (inquit Ariſt.) δύο αἱ ἀναθυμιάσεις ἡ μὲν ἀτμιδώδης, ἡ δὲ καπνώδης εἰσί. δύο δὲ καὶ τὰ εἴδη τῶν ἐν τῇ γῇ γενομένων. τὰ μὲν ὀρυκτὰ τὰ δὲ μεταλλευτά. τῆς ἀναθυμιάσεως τῆς ἀτμιδώδους ἐστὶ ὅσα μεταλλεύεται, χυτὰ ἢ ἐλατά. ποιεῖ δὲ ταῦτα πάντα ἡ ἀναθυμίασις ἡ ἀτμιδώδης ἐγκατακλειομένη, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς λίθοις διὰ ξηρότητα εἰς ἓν συνθλιβομένη καὶ πηγνυμένη οἷον δρόσος ἢ πάχνη ὅταν ἀποκριθῇ. ἐνταῦθα δὲ πρὶν ἀποκριθῆναι γεννᾶται ταῦτα. διὸ ταῦτα ἔστι μὲν ὡς ὕδωρ ἔστι δ' ὡς οὔ. δυνάμει μὲν γὰρ ἡ ὕλη ὕδατος ἦν. ἔστι δ' οὐκέτι οὐδ' ἐξ ὕδατος γενομένου διά τινος πάθους ὥσπερ οἱ χυμοί· οὐ γὰρ οὕτω γίνεται τὸ μὲν χαλκὸς, τὸ δὲ χρυσὸς, ἀλλὰ πρὶν γενέσθαι πηγνυμένης τῆς ἀναθυμιάσεως ἕκαστα τούτων ἐστί. διὸ πυροῦται πάντα καὶ γῆν ἔχει. ξηρὰν γὰρ ἔχει ἀναθυμίασιν. ὁ δὲ χρυσὸς μόνος οὐ πυροῦται. Hæc Ariſt. de quibus alibi quidem explicatius dictũ eſt: nunc pro præſente materia notare conuenit. *Ariſtotelica metallorum generatio.*

1. *Metalla in terra gigni.* Non itaque ſemina ex orco *Seuerini* poëtico petunt. Plus fidei eſt *Ariſtoteli* quam *Seuerino*, qui eſt autor futilis, & recentes nugas ebrij *Paracelſi* admiratur.

2. *Materiam* eorum eſſe non vaporem nec exhalationem ſiccam, ſed *exhalationem vapidam*, ſeu vapidæ ſimilem. Neque enim eſt vel aquoſitas elementi ſimplicis, vel omnino vapor: ſed iam miſta perfecte materia, quam nos *argentum viuum, Mercurium*, & *ſpiritum mercurialem* vocamus, qui in reſolutione ſua vapidus halitus eſt: In coagulatione aqueum quid, vt reſpondeat ſimilitudine vaporibus, & aquis meteororum aqueorum. Falſi ſunt ergo illi, qui Philoſophum vulgari aquæ, & vapori attendiſſe volunt, atque ita tantum *Elementarium nebulonem* fuiſſe.

3. *Halitum* illum metallicum vaporoſum *vult includi tum aliis mineris, tum maxime lapidibus* in quibus cogatur propter ſiccitatem, quam Chymici dicunt eſſe de natura *ſulphuris* & *ſalis* in lapidibus exiſtentis. Hinc facile colligere eſt: *an naſcatur in lapidibus illis, aut aliunde intrat.* Non naſci putaſſe in illis *Ariſtotelem*, patet ex declaratione exemplari per rorem, & pruinam, quæ conſiſtunt in aere inferiore ex terra aliquo vſque eleuata, & ſecreta. ὅταν ἀποκριθῇ cum ſecreta fuerit inquit, non à lapide in quo cogitur, ſed à loco primæ reſolutionis, quo in loco antequam ſegregentur talia fiunt. *Quale eſt id quod reſoluitur, tale eſt & reſolutum*: & quale hoc, tale illud, vt oſtendit Chymica extractio. *Si itaque id quod recipitur in minera & conſiſtit eſt de natura metallica, poſteaque perficitur in certa ſpeciei metallum: ſequitur materiam reſolutionis etiam eſſe metallicam*, atque ita exhalationem talem. Huc refero verba: ἐνταῦθα πρὶν ἀποκριθῆναι γεννᾶται ταῦτα, vt ſic metallicus ſit vapor ille prius quam ſegregetur, atque ideo etiam aqua metallica δυνάμει, actu ſpiritus qui poſtea coagulatur, & figitur in matrice ſua minerali. 4. Neque tamen vult Philoſophus habitum iſtum vaporoſum, licet ſit potentia aqua, ſic in metallum concreſcere vt prius in aquã tranſeat. Præoccupatur enim ab aliqua paſſione, ſicut pruina, quæ potentia quidem eſt aqua, qualis & vapor erat; ſed tamen pruina fit antequam in aquam conſiſtat. Declaratur res ſuccis, diciturque non ſic fieri hoc æs, illud aurum, ſed, vt prius, *concreſcente exhalatione ante quam in ſuccum abeat.* Inde poſtea fit vt imperfecta metalla ignium vehementia in ſpiritum & fauillam vertantur, &c. Videtur *Ariſtoteles* metallis *ſeminariam originem* tribuere ante quam comprehendatur eorum materia, quæ quaſi ſemen fœmineum, & materiale eſt maſculino principio comitante, in lapidibus: In his perfici quidem, vt in matrice, ſed non primum oriri. Si hoc in metallis eſt, erit etiam in gemmis,

& conſe-

& conſequenter in aliis principalibus. De obiter naſcentibus excrementitiis, imperfecte, & fortuito miſtis, non opus eſt verbis. Num ergo *Seuerini* opinio ſtabilitur? Concedere poſſumus, Lapides illos recipientes habitum metallicum eſſe inſtar matricis in qua perficiatur fœtura, quanquam non generaliter. Nam pro alembico poſſunt eſſe, in quo tantum fit exceptio, & coagulatio eius quod prius erat id quod eſt: At inde non eſt conſequens ex ORCO Orphei, & aliis extra mundum phantaſmatibus venire ſemina primum in corporea Elementa ductu ſpiritus aſtralis, poſtea in mineras terræ. Et cum vtraq; parte eſſentiali iam ſint integrata, in vteris tantum configurari, & grandeſcere. Quis iſta portenta miſero homini ſuggeſſit alius, quam ſpiritus medacij, & erroris? vt plantis, & animalibus ſua fundamenta, & origines, propagationum per ſemen indidit in Deus creatione, & hactenus conſeruat, ita & mineralibus ordinariis. Itaq; & hiſtoriæ naturales, & foſſionum metallicarum nihil aliud oſtendunt. *Gemmarum matrices.* Sunt in multis cognitæ, vt vanum ſit aliquid naturæ, & aliquid mundani extra locum mundi quærere. Finge vero omnia animalia vegetalia, mineralia alibi fabrefacta concipi aliis matricibus, num ideo hæ peregrinæ illis? Vah os impudens quod cum ignominia naturæ hoc auſum eſt effutire.

Refectio ſeminum & ex ſeminibus natorum indiuiduorum mutua in matricibus ridicula.

5. *Porro ſemina illa indiuidua*, quæ depoſuerunt in peregrinis matricibus, *dicuntur reficere ſe mutuo grata actionum viciſsitudine.* Vertiginoſi hominis vertiginoſus ſermo. Quid vult dicere tuus Hermes? Num in matricibus ſemina ſe reficiunt, & indiuidua tantum an indiuidua, & ſemina ſimul? priora duo incredibilia ſunt, niſi matrices grandes, & multiplicium capaces facias. Semina vero, & indiuidua ex illis facta ſe mutuo reficere grata actionum viciſſitudine delirantis ſomnium eſt. Cum enim indiuiduum ex ſemine natum eſt, ſemen definit eſſe id quod eſt, & iuxta *Chriſtum, Paulumque*, moritur. Scribatur ergo hoc quoque in campo vnde falſa mittunt inſomnia Manes. Finge autem *in aliquo vaſto vtero multa indiuidua* ſimul à ſeminibus eſſe depoſita, moleſtia ſibi erunt mutuo, & alterum alteri ſubtrahet nutrimentum. *Scaliger* cum catellos ſuos iam animatos in canis fœminæ matricem ex mare poneret, nihil ſciebat de illa refectione; ſed perfici docebat vnumquemque catulum per ſe, ſicut & cum plura ſemina in vno agro plantulas pariunt, hæ *non reficiunt ſe mutuo.* Quæ ergo ſit illa grata *viciſsitudo actionum?* In perfecto animali facultates ſibi inſeruiunt mutuo, & membrum membro vices rependit; vt ventriculus mittit chylum, accipitque viciſſim ſanguinem; cordi præparat nutrimentum, & ab eo ſpiritum vitalem, ſanguinem, & calorem haurit. Ita cum cerebrum, aliaſque partes animalibus functionibus ad dictas ex ſuo promtuario reficit, ipſe viciſſim reficitur ſpiritu, & virtute animali. *Hermes* tuus, *Hartmane*, te vult docere ipſe indigens ludimagiſtro.

Phantaſtica refectio in matrice depoſitorum.

Noua lingua noua fatuitas.

6. *Quorſum autem ſemina ex abyſſis per aſtralia corpora producta deponunt facta à ſe indiuidua* in matricibus peregrinis? Quia inquit Hermes, *omnia inclinant ad humanam prouinciam.* Belle. Noue dicendum erat ad ſaliuam Paracelſiſtæ Dani. Qui enim ſic loquitur: quia omnia humanæ ſaluti debent inſeruire, iuxta dictum, *omnia propter hominem*; *Homo propter Deum*: is non ſapit Paracelſiſtis. Parabolice & Poetice eſt dicendum, ne deficiat os allegoricum, ſed videatur Magice, Cabaliſtice, & Gabaliſtice ſapientiam per myſteria pronunciare. Si inclinant indiuidua ad humanam prouinciam, num etiam in eam veniunt? Deinde ſi veniunt, quid ibi agunt? Salutemne, an morbos pariunt? *Seuerinus* ſane negabat intelligi poſſe nouos morbos (adde & curari) ſine notitia figmentorum de ſeminibus ex orco, cum ageret de mineralibus.

Ex Seuerino tranſlata verba.

Cum de *ſyderum impragnatione* ſcriberet ad pariendas pluuias, ventos & alia, aiebat: *ſydera fructus deponunt in peregrinis matricibus, & cuncta ad terram inclinant, eiuſque fœcunditatem promouent.*
„ Firmamenti procreationes in aere abſoluuntur, & hinc inferiori globo communicatur: aerei
» fructus ex centro ad circumferentiam procedunt, ibique coagulationem & perfectionem conſe-
» quuntur. Semina aquæ pariunt in terræ gremio, & deinde tendunt ad ſuperficiem. Terra fru-
» ctus edit in hac circumferentia in quia viuimus. Itaque omnia ad locum hominis confluunt.

Hæc *Seuerinus*, ex quo tuus *Hermes* ſumſit verba, maleque applicauit. Si verba æſtimantur his quæ in natura eueniunt per Dei prouidentiam omnibus conſulentem, voluit dicere *Seuerinus quædam à firmamento produci in aere*: quædam in *aere naſci*; quædam *in aqua*; *alia in terra*: omnia principaliter pro homine, tametſi inſeruiant etiam plantis, beſtiis, & mineralibus. Ille quidem ſuo ſenſu Paracelſico locutus, ſed nos oportet rerum veritatem ſpectare.

Firmamentum cur factum.

Cuius gratia firmamentum cum ſtellis ſit factum, tum ſacræ literæ docent, tum experientia commonſtrat. Fabula eſt de aſtris prægnantibus & ſemina deponentibus in peregrinis matricibus, vbi proueniant quidem, ſed fructus non edant niſi ſpurios, & monſtroſos, qui non reſpondeant ſuis exordiis. Tam dictio abſurda eſt, quam ſententia. Quis ſic auſit de natura inter corpora externi mundi nobiliſſima loqui niſi delirus? Vnde ſint pluuiæ, venti, & alia meteora aquea, aereaue habes 3. Reg. 18. vbi nubes non è cœlo ſed ex mari aſcendit, & Geneſ. 2. Vapor de terra exit, & vniuerſam irrigat. Amos 5. 8. & cap. 9. verſ. 6. Qui vocat aquas maris & effundit eas ſuper faciem terræ. Sed fruſtra dicitur quid in eum qui inſenſibilibus contra ſenſus diſputat.

Si cœlo aliquis fructus tribuendus eſt, is in terra & aqua euidentius apparet quam in aere, qui excipit horum exhalationes proximè. *De aquæ ſeminibus* itidem in peregrinam matricem immiſſis eadem eſt fabula. Terra ſaltem in ſe ſemina concipit, & promouet. Non itaque omnia peregrinos quærunt vteros vbi vero iam *figmentum de ſeminibus ex orco?* Si etiam *de cauſſa finali* generationum differendum erat, non erat prætereunda *gloria creatoris*, & œconomia cæterarum mundi partium. Si gloria quærenda eſt creatoris; non erat tam abſurde, & impudenter de crea-

turis

turis mentiendum, atque etiam ea ponenda quæ veritatem diuinam, quantum in ipsis est, euertunt. Non indiget Deus stultitia & mendaciis diaboli ad suam gloriam illustrandam. Atq; hactenus de rebus Sancti Mesauli Hermetis. Nunc *atrium* ingrediemur.

SECTIO XXII.

De Atrij prima parte, quæ Elementorum semimortuorum regio *dicitur.*

Atrium Hartmani.

DVo in sacro codice leguntur è cœlo, tanquam loco superiore, ad terram, locaque inferioris mundi peruenisse; vnus *filius Dei vnigenitus*, de quo legere est Iohan. 3. vers. 13. 31. cap. 1. 18. cap. 6. 32. 33. 46. 50. 51. cap. 8. 23. &c. Hic ad nos veritatem detulit: alter est *Sathanas & Lucifer* de quo Es. 14. 12. Luc. 10. 18. Apoc. 12. ℣. 9. qui est magister homicidij, & mendaciorum, cui non amplius locus est in cœlo 2. Pet. 2. 4. Iudæ ℣. 6. *Hartmanus* Paracelsicus adiecit tertium, *Hemetem*, scilicet quendam, repetentem *Petri Seuerini Dani* Paracelsiam cum Scaligerianis quibusdam opinionibus, quæ ex cœlo fingit se afferre. Fuit autem primum in Sancto Sanctorum, ibique omnia mysteria sapientis creatoris vidit: neque hoc tantum, sed & *prospexit in ea quæ non sunt*, hoc est, Elementa pura, spatia vacua extramundana, orcũ Orphei, in quo vidit *semina omnium rerum euntia, & redeuntia* tanquam *ex promtuario Esdræ* in idem vadentia ad fabulam in hoc mundo peragendam. In cœlo & extra cœlum postquam lustrauit omnia, ad mundum elementarem se contulit: quanquam & in cœlo, & extra cœlum Elementa viderit. Ad Elementarem autem deferri non potuit sine *scala Pyramidali*, fuso parcarum videlicet apud Platonem, &c. In hac quid viderit, admirantes audiuimus. Nunc postquam, fors vt miser ille *Vulcanus* in *Lemnum*, appulit etiam nostratia nobis explicare ea cum fiducia aggreditur vt putare quis possit nullum neque veterum, neque nouorum seu seipsum nosse; seu ea quæ sunt circa nos in locis conuersationis humanæ, & ideo opus fuisse mittere hunc θεὸν ἀπὸ μηχανῆς (non *Lazarum* ex sinu *Abrahæ* aut aliquem ex mortuis, vt est apud *Lucanum*, vbi *Thessala saga sexto Pompeio* vmbram ex *orco Orphei* reuocat, sicut *Endorica* vmbraticum *Samuelem Sauli* desperabundo) qui nos certiores faceret de domesticis nobis, idq; proculdubio ex Enthusiasmo aliquo ex loco *Danheuseri* in monte Veneris; aut *Tritemiana Magia*, qua defunctas solent Veneres repræsentare. Quid multis? venit ad nos *Hermes* ex Sancto Sanctorum, per mediam aulam in atrium in quo habitant homines cum bestiis, & alia omnia sunt quæ Deus medio mundo transmutabili, seu generationibus & corruptionibus subiecto inclusit. Hic monstratur nobis primum *locus Elementaris*: Deinde *principia corporum mixtorum, & simplicium*, tandemque *Elementa ipsa*, quibus subiicitur *inuectiua in Elementarios Philosophos*. Iste enim *Hermes* adeo iracundus, & stomachabundus est, vt ne in *Sancto Sanctorum* quidem potuerit se cohibere: quid faceret in *atrio* extra sanctitatem illam duplicem? Blasphemare quidem in atrio securius poterat, quia à sanctis remotius est, & non tangit Deos Sanctuariorum: Verum bilem ibi magna ex parte exonerauit. Itaque hic insanit lenius. Iam ad rem.

Contenta atris Hartmanici.

1. Agnoscit *Harmanus* hactenus vagatum esse in prolixis periodis extra oleas, vereturque ne *Eccentricus* suo cum monstratore euadat inuolutus istis periodis, seu potius labyrinthis. Num ergo quæ in Sancto Sanctorum, & Mesaulo sunt visa nihil ad rem pertinent? Num ambages saltem extraneæ fuerunt, & circuitiones temerariæ? Crediderim hoc lubens. Nam somniantium laruas tantum recitari video, & chartas inquinatas esse *Seuerianianis quisqualiis ex sterquilinio Paracelsi temulenti*. Non male vereris, *Hartmane*, ne si perrexeris *Eccentricus* fias. Nam tametsi forma tua interior, *quæ centrum habet vbique peripheriam nusquam*, non facile id patiatur, tamen ex materiæ potestate, & mentis modo excedere leuissimo impulsu possis, & inter insanos computari. Reuoca ergo te ab istis ineptiis, & diuinam, humanamque veritatem noli stolidis figmentis contaminare; & in *aere ambulando* tuis discipulis persuadere te ingentia mysteria fundere cum totus ineptias.

Hartmanus Excentricus.

Aristotelici sunt ambulones Elementarii, sed Hartmanici ambulant in aere & in peripheria nusquam & centro vbique.

2. Malus es poeta. Neque enim ista fingere conuenit versantem in *Sancto Mesaulo* vbi nulla errandi debet esse occasio, & vagandi temere. Natura tale quid non patitur, si est ordinata, & per se nuda conspicitur. *Deum* autem tibi obiicere *species* falsas nescio an dicendum sit. Verius enim est illud quod S. Paulus scribit Rom. 1. 21. 22. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, &c. & 2. Thessal. 2. 10. 11. ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, &c. Item: *dedit eos in reprobum sensum, & permisit vt spiritus mendacij exiens sit falsus in ore Paracelsi, Seuerini, & cæterorum prophetarum eius factionis*. Misit spiritum vertiginis in sapientes Ægyptij Hermetis, vt circumacti per variarum viarum perplexitatem multiplicibus doctrinarum absurdarum ventis vagentur, dumque putant se in arcanis maiestatis diuinæ esse, non videant in specu Platonis hærere, decipientes semetipsos vanis speculationibus, & suos discipulos.

3. Satius fuerat ergo pridem retrogressum esse: Veruntamen, & nunc consilium est. Relictis ergo fabulamentis abstractionum metaphysicarum, & nugarum poeticarum ex nebulis meteorolescharum quid agendum? *Perlustremus* (inquit Hartmanus) *quæ in prima, ima & obscuriore delubri parte stabulantur*, hoc est, margo chartæ habet, de *rebus corporeis philosophemur*. Iterum malum poetam agis, immemor præcepti Horatiani: *Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem*. Tu cum terrenus esses, corporeusque natus & educatus in prima, ima, & obscuriore parte templi mundani debueras hinc ad lucem superiorem aspirare, & non prius in lucem inuolare, ibique combustis alis in tenebras illabi, *Icari* fabulosi socius potius, quam *Hermetis* sapientis comes. Terrena audiens

Propositio de rebus corporis.

non credis, & cœleſtia tentaſti? Quæ verò eſt materia conatus tui? *Res corporea.* Priora ergo fuerunt incorporea, vt *materia prima* Philoſophorum in rudi maſſa occupans vniuerſam corporis anatomiam; Item calidum innatum prædurus ille lapis, humidum primigenium, lux, & ignis cœleſtis, ſeu quintum elementum, *ſpiritus ætherius* quaſi iam corpus & anima, *corpus & animam mundi extremis ſuis* coniungens, &c. Sane permittendum tibi eſt vt metaphyſicum agas. Iam ergo concreta corpora, quæ & re vera, & naturaliter corpora ſunt, non finguntur eſſe, contemplaberis, hoc eſt, ſi recte intelligo, vtrumque globum *mundanum ſuperiorem, conſtantem cœlo & aere* iuxta *Seuerinum* & *inferiorem ex terra & aqua* compactum percurres. At in hiſtoria non video cœlum, & aerem, ſed aquam & terram tantum. Num itaque cœlum, & aer ſunt referenda ad res incorporeas, quæ ſint extra mundum aſpectabilem in vacuo, vel Sancto Sanctorum, vel interiecta via Pyramidali? Ego puto te adhuc aliquid paſſionis ex Enthuſiaſmo habuiſſe, cum ex cœlo deſcenderes, & incorporeis relictis ad corporea accederes.

Elementarius ambulo per aquam & terram.

Locus corporum.

4. Qualis eſt locus rerum corporearum? Eſt *prima, ima, & obſcurior pars delubri.* Cryptum puto te deſignare qualis in purificatu ſolita eſt ædibus ſacris ſupponi, aut in quali gentiles ſua immania ſacra celebrarunt humanis victimis diabolo conſecratis, oblatiſque. Non debuiſti de natura circa nos tam abiecte ſtatuere. An oblitus es eam in principio plus ornatum eſſe toto cœlo? An non meminiſti hunc eſſe locum cui inſeruiunt aſtra, vbi ſunt mineralia, vegetalia, animalia, omniumque princeps homo, imago illa Dei? Hic habes oppida, & Reſpub. hic regna, & principatus, hic hierarchiam diuinam, & Dei inter homines templa interiora, & exteriora: ad hæc loca ipſe filius Dei deſcendit: ad hæc Spiritus Sanctus miſſus eſt: Ad hæc vox patris perſonuit: Hic ingentis ſtuporis miracula ſunt facta, Hic viget œconomia, hic artes inuentæ, & Philoſophia: omnino hic Deus, & angeli quoque conuerſantur, eſtque hæc pars rerum longe pulcerrima ſi conferatur cum cæteris mundanis. Tuus *Hermes magnum miraculum hominem* huic parti præfecit, vt & *Crollius.* Tua Magia, Gabalia, Cabala, Chymia, Medicina, &c. quid eſſent ſi hæc mundi pars non eſſet? *Paruum mundum* hic habes, & *aſtra* tam quam in cœlo, niſi *Seuerinus* tuus & *Hermes* mentiuntur. Quid præclarius haberemus ſi peccatum, & male dictum non ſuperueniſſet? Hic admirabile eſt nomen Domini.

Medii mundi prærogatiua.

Pſalm. 8.

5. Sed ſingula Epitheta videamus. PRIMA *pars* dicitur. Erit ergo tuum *Sanctum Sanctorum*, aut ſaltem *orcus Orphei* vltima. Quis te ſpiritus non hinc in ſumma, & poſteriora duxit, ſed prius in apicibus templi, & altiſſimi montis iugo collocauit? ſuperbiæ, & vertiginis. Primam partem reſpectu noſtrum, ſeu ſenſuum, & notitiæ, conuerſationiſque noſtræ eſſe agnoſcimus. Illa occurrit non ſenſibus prima, & ex proximo. Hinc aſſurgere ad Dei notitiam debemus. Nos enim prius intuemur: inde quæ circa nos: & *ex nobis notis penetramus ad nota naturæ*, indeque per *ſcalam Iacobi* in cœlum contendimus. Mathematicus incepiſſet à centro; ſed Chymicus conſiderat prius ſignaturas extrernas, indeque ad principia intus latentia procedit.

Notitia naturalis primordia & progreſſus.

6. *Eſt & pars ima.* Niſi *orcus Orphei* obſtet, aliquo reſpectu tibi eſt aſſentiendum. Apud *Tænarum* deſcendiſſe ſub terras *Orpheum* fingunt: & adhuc hodie ſtatuitur *purgatorium*, & *infernus* ſub terra. Ita eſt apud *Virgilium*, *Platonem*, alios. Primum & *imum chaos* nonnulli ponunt. Horum iudicio oportuit tuum Mercurium caduceo ſuo *Cumæum* antrum aperire, & te ad ſtygem ducere, indeque per *tartarum ad campum Elyſium.* Sic obtinuiſſes *Thraſybuli* OMNIA. Sed extra iocum in ſacris quoque legimus eiuſmodi reſpectus. Ita enim eſt Epheſ. 4. 9. *Quod autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ,* Ita ſæpe tota creatura cœli & terræ nomine deſignatur, terra inferiorem locum temente, vt Geneſ. 1. & 2. Coloſſ. 1. 16. 20. Philip. 2. 10. *In nomine Ieſu omne genu debet flecti cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* (exceptis Caluiniſtis. Hi enim immunitatem habent, & in nomine Ieſu nec genua flectunt, nec capita aperiunt) vbi ſunt loca tria: & quid de *Abyſſo* ſtatuendum Apolyp. 20. Videtur ſane inferior adhuc locus eſſe ex quo poſt 1000. annos rediturus erat Sathanas non in cœlum, ex quo eſt excluſus, ſed in terram. Cum diluuio terræ inundarentur, venerunt aquæ ex fontibus abyſſis magnæ, & catarhactis cœli. En & hic tria ſunt loca, & aliquid terra inferius.

Vide Prou. 8 & Iob. 38.

Ariſtot. 3. de cœlo c. 13. tex. 72.

Pythagorici ignem medio incluſerunt, & videntur eius crateres eſſe in *Æthna*, *Hecla*, *Veſuuio*, aliiſq; ardentibus voraginibus. Plato *abyſſum in Tartaro fluctuantem*, agnouit, legimuſq; in chartis nauticis alicubi mare per fauces quaſdam ſubire terras, indeque regurgitare. Si itaq; eſt adhuc inferior locus, tuus *Hermes* non totam naturam tibi monſtrauit. Sed tu fortaſſe metuiſti barbæ tuæ, ne ſi deſcenderes & ignea quoque loca luſtrares eam amitteres vt Satyrus Promethei flammam oſculando.

Vide Virgil. 6. Æn. Tum Tartarus ipſe; &c. & Luc. in 6. Pharſal. Indeſpecta tenet vobis qui tartara, cuius vos eſtis ſuperi, &c.

7. *Eſt pars obſcurior.* At tibi *orcus Orphei* & *abyſſi* ſeminum erant *lucidi.* Qui ea videre potuiſti quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec futura ſunt, quæque in remotiſſimis extra mundum creatum ſtabulantur, accuſaſne obſcuritatis ea quæ ſunt circa te? An non ſis irridendus, vt *Thales*, cœlum veſtigans, at non videns ante pedes foueam, in quā incidebat? Fortaſſis obſcuritas in te eſt, vtq; in veſpertilionibus imbecillitas oculorum. Alias Chymici, qui ſe Hermeticos appellari non abnuunt, beneficio Vulcani, & aquarum ſoluentium penetrant in rerum compoſitarum abdita, indeq; extrahunt in lucem manifeſtam naturæ interiora. Alij in corticem, & ſuperficiem eliciunt, quæ penitus in centro latitant. Dum autem hoc faciunt, nō ſunt extra mundum in cœlo Empyreo, aut inter ſtellas, ſed in terra in qua & tu. Vnum tibi deeſt. *Crollius duplex lumen* habet; vnum *gratiæ*, alterum *naturæ.* At ille non attendit admonitionem Saluatoris, qua iubet *cauere ne lumen quod eſt in nobis fit tenebræ.* Id cum non agnoſcerent gentilium Philoſophorum plæriq; pene omnes in tenebris profundis hæſerunt. Paucis naturæ lumen aliquantulum illuxit. Tunc autem tenebraſcit lumen cum perſuaſionibus

Sophiſticis

Sophisticis ex opinionibus sine principio solido indulgemus, quod euenit tibi, & omnibus Paracelsistis. *Chymicæ inuestigationes* aliquid lumen præbent: Sed id vos obscuratis fungis, & fumis somniorum vestrorum. Vobis itaque obscurus est locus corporum naturalium in tota Physica, & Medicina. Consilium autem do fidele: *Ingredere primum in Sanctuarium scripturæ*, indeque *ignem sapientiæ* syncerum & purum, vt est in principiis eloquiorum Dei sine corruptelis hæreticis, effer. *In hoc lumine aliud videbis lumen*, seu accendes lumen naturæ. Si enim sine illo per hoc solum velis illuminari, errabis, relabêrisque in tenebras, quia imagine Dei amissa hoc lumen valde turbidum euasit, vt expurgari prius debeat qua pure luceat. Si tu velis ad vitiosum candelarum ignem de coloribus gemmarum, aut pannorum purorum iudicare, an non errabis? Ita vero & tuum lumen illumina, & Philosophorum. *Tertio patere tibi accendi lumen experientiæ*, & hanc iudica syncere. Omnia cum feceris, tamen confiteri cogeris *ea quæ scimus minimam partem esse eorum quæ ignoramus*, & *ex parte nos cognoscere* Vbi iudicium est exercitatum, & industria cum studio, & meditatione: vbi oratur, & laboratur sedulo, ibi habitat sapientia. Audiendi sunt & *prisci sapientes* primum *Authentici*, seu *Canonici* in sacris: Deinde eorum luce perlustrandi non Canonici. *Qui sibi soli sapere videtur*, nec immotis principiis innititur: aut qui, vt Cicero, cum *Platone*, *Scaligero*, *Paracelso errare* mauult quã cum aliis vera sentire, atq; sic adhæret Hermeti, Hippocrati, Galeno, Auicennæ, Aristotelici, &c. ille non philosophatur liberaliter. Relinquendum est aliquid etiam Medis. Nos homines sumus, & *humani nihil à nobis alienum putamus*. — *Iter ad lucem.*

In arduis contingit errare etiam sapiente sapientiori nisi maneat in principiis immotis. Illuminauimusne iam locum nostrum, vt eum perlustrare possimus, an nondum? Audeamus, & faciamus quantum possumus. Si nondum videmus liquido, & adhuc erramus, *illustrari rogemus patrem luminum*, & & si veritas nobis manifestata fuerit, non cunctemur quin nostras quoque opiniones corrigamus: & sunt apud sapientes δεύτεραι σοφώτεραι. Tu recte dicis *non perlustrandum tantum esse, sed & ponderandum*. Qui enim perfunctorie res intuentur, aut ex interuallo remotiore, quiq; oculum in rem ipsam penitus imponunt, & non PERLVSTRANT, facile errant, & spectris decipiuntur. Sed ponderatio quoque requiritur. Neque enim sensibus externis volebat fidere *Plato*: Intellectum purum, & exercitatum requirebat. Inde iudicia post mortem in nudis peragit. Velamenta obstant synceritati contemplationis. *Philosophia* μελέτημα τοῦ θανάτου est & *Philosophum oportet à corporibus mentem abstrahere*: quæ cum Chymia nostra segregatoria seu spagirica belle conueniunt. — *Impossib. est homini huius mundi existenti non in multis hæsitare, &c.*

SECTIO XXIII.

De forma regionis Elementaris.

ITA quæris. *Qui fit quod quadratam hæc extima habitatio formam obtineat?* Respondet *Hermes*: *Quia tota elementaris est regio, crassa, fixa, & ægre mobilis loco, sicut basis & fundamentum ædificij.* — *Regio elementaris dicitur esse quadrata.*

1. Vocat *extimam habitationem*. *Extimum* dicitur respectu intimi. Quæ ergo hactenus recensuisti in hagiasterio, & Mesaulo erunt intima: Mirum. Siue circulum, siue globum ponas, extima sunt quæ in circumferentia: Intima, quæ in centro. Elementaris regio est intra mundum, & nos in medio habitamus. Nonne? Comparas locum BASI, seu fundamento ædificij. At hoc non est plane extra ædes, sed subest ædibus, & in ipsis consideratur tanquam pars earum. *Fundauit Deus terram super basi sua. Non mouebitur in æternum, inquit* Psalm. 104. vers. 5. Iob. 26. vers. 7. ait: *Qui extendit aquilonem super vacuum. & appendit terram super nihilum.* Hæ sunt *columnæ mundi. potentia Dei & iussum, prouidensque conseruatio*. Hoc modo basis sit extra mundum, tametsi & in mundo tanquam extremitas loci & locati simul consideretur. Fors extimam dicis respectu cœli, quod sursum est stellarum loco definitũ. Consentio. Alias in medio mundi habitamus, quod respectu ambitus supra verticem nostrum, dicitur inferius, alias mutata rota subeunte quoque pedes nostros. Alia ratio est quod sensibus exterioribus primum occurrant res corporales. Sed tunc & sydera sunt extima. Mallem intimam habitationem dixisses cum sapientibus. Ita enim est in maiore mundo. In minore inuersus situs est. Nam *cœlum intra hominem est*: Elementaris regio foris. Hoc quoque est Chymicum. Si hac respicere voluisses, extimis non accensuisses principia. Sed transeant ista, sitque *extima regio, quia extra nos est.* — *Extima regio.*

2. Qua est forma? *Quadrata*. Cur? *Talis enim est ædificij basis*. Num ergo mundus totus est ædificium, medius globus eius Basis? Nec *Plato*, nec *Seuerinus* nec *Sacer codex* tibi id concesserint. Ille enim *Cubicam* terræ figuram tribuit, vt qui habet & sursum & antrorsum, retrorsum, dextrum, & sinistrum: hic globum retinet, vt & cæteri qui verum amant. Sacra scriptura cœlum gyrat, & terram sua basi firmat etiam rotundam, vt Ecclipses lunares ostendunt, & circumiectorum figuræ. Psalm. 19. v. 6. 7. Eccles. 1. 5. 6. Prouerb. 8. 26. 27. vbi orbis terræ vt & Sapient. 1. 7. 1. Paral. 16. 30. & alibi. Tu scis illa, & tamen *Hermetem* mentientem introducis. Falsum argumentum est: *Extima habitatio est quadrata: quia tota elementaris regio est sicut fundamentum ædificij.* An non hoc possit etiam esse circulare, sexangulum, octangulum, & alia figura? Deinde cuius est fundamentum? Num cœli? At qui hoc circulariter vacuo mouebitur circa elementa? Roga *Paracelsum* & *Seuerinum* vt dicant quot, & quæ sint elementa. Horum situ describetur tibi regio elementaris, nimirum tota rotunda, & globosa totius mundi corporei complexu, & ambitu, in quo internus nodus est solidus, aut solido comparandus (neque enim datur vacuum) Inde ambientia corpora — *Forma elementaris regionis quadrata.* — *Cœli columnæ Iob 26. 11. terra fundamenta Prou. 8. 29 Iob. 38. 4. 6.*

 sphæræ,

ſphæræ formam habent, vti bene noſti. Vnde ergo forma quadrata? Putabam te rationem redditurum eſſe ex Arithmetica, quia *numero quaternario ſunt omnia mundi corpora* ex ſententia *Paracelſi, Seuerini, Quercetani, Crollii, Hermetis, Platonis*, &c. aut *Pythagorice*, quia is numerus ſacer eſt. Tunc autem hanc figuram elementari loco qui cœlum, quartum elementum ſimul continet rectius aſſcripſiſſes in Sancto tuo Sanctorum, vbi tamen forma non eſt quadrata, ſed ſphærica. Vide iam qui ſolidus poſſit eſſe tuus mundus ſi ambitus eſt ſphæricus, corpus medium quadratum.

Craſſum an quadratum. Alia argumenta. *Cur regio elementaris quadrata? Quia eſt craſſa.* Nego hoc vim arguendi habere. Neque enim neceſſe eſt quadratum eſſe quod craſſum eſt. Poteſt enim & cubitum eſſe, & teres, vt craſſa quercuum ſtemmata. Deuteron. 32. verſ. 15. Incraſſatus eſt Iacob. Num quadratus? Boues craſſi ſunt, num quadrati figura? At *vulgo craſſum quadratum dicunt.* Modificate inquam; non quod figura tali ſit, ſed quod dimenſione. Aliud: *Quia fixa*: At neq; hoc arguit: *Fixum an quadratum.* vnde tuo ter maximo Hermeti iſtæ ignorationes Elenchorum, petitiones principij? Quis tibi perſuaſit aurum fixum debere potius quadratum eſſe, quam rotundum, qua forma ſunt guttæ liquefacti, vt & argenti viui? *Fixa eſt regio elementaris.* Falſum dicis magna ex parte. Terram ex centro immobilem fixam appellare poſſis, at quid de aqua, aere, ſpiritu igneo, quæ etiam ſunt elementa? Quid de volaticis meteoris? Erat bene potus tuus Hermes cum de his garriret. Si enim ſobrius fuiſſet, cogitaſſet ſe elementaris regionis contenta facere *Mercurium*, quo nihil inconſtantius niſi figatur medicamine, aut alia arte, Item *ſulphur* fugax, & *aquam*. Si cogitaſſet de vegetabilibus, & animalibus, totque ſpiritibus, & flatibus, palinodiam è veſtigio cecinisſet.

Idem dicit Crollius in admonitoria pag. 101. Tuus ſocius *Scheunemanus* in peſte ſua exagitat medicamina naturæ, quia non ſint fixa, & in igne conſtantia & adducit *Lullij* autoritatem licet ſententiam mutauerit argentifica Hygia. Tu iſta omnia facis craſſa & fixa. An non te ipſum inſpiciebas? *Regionem*, inquies, *dixi eſſe craſſam, fixam.* Ridicule inquam. Locus non capit locatorum qualitates extra rationem locationis. Conſidera aquam vt locum, neque craſſa erit, neque tenuis, licet in ſua natura vtrumque admittat. Ita ſubtiles ſunt ſpiritus, ſunt & craſſi coagulati at non neceſſe eſt locum talem eſſe. Si item fixa eſt iſta regio, quia eſt regio conſtans elementorum, cur non idem dicis de regione cœleſti? Aliud: *Regio elementaris eſt quadrata.* Cur? *Quia ægre mobilis loco.* Ha ha he. Tuus *Hermes* profecto ne Tyro quidem eſt in Phyſicis, & audet docere alios? Phy ſtultitiæ & ruditati. Quis vnquam loco mouit regionem elementarem, vt inde pateat ægre mobilem eſſe? Columnæ cœli contremiſcunt increpante Deo. At hic eſt omnipotens creator, qui totum mundum in ſuâ manu habet, poteſtque cum vult concutere, & perdere. Tu de natura loqui volebas. At, inquies, mouetur terra παλιντρόπως. Inde eſt maris æſtuatio. Finge hoc inquam. Num ideo & regio eſt ægre mobilis? Cui vero potius credendum Spiritui Sancto, an *Cæſalpino*, & aliis terræ motoribus *Neptunis*? Qui *fundauit terram ſuper baſi ſua*, inquit *Spiritus Sanctus*, *non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Ita Eccleſiaſtes cap. 1. verſ. 4. *Terra in æternum ſtat.* Non ſi montes commouentur, & colles contremiſcunt, ſaliuntque vt hœdi vi Dei ſuccutientis, ea eſt natura terræ. Mouetur vi etiam in tremoribus, & terræmotibus. At ipſa tota ſtabilis manet. Sed moueatur ægre: Num ideo *quadrata*? Ita *Timæus*: Genera quatuor à nobis
» paulo ante digeſta (τὰ γιγνόμενα τῷ λόγῳ γένη) diſtribuamus εἰς πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ὕδωρ, καὶ ἀέρα. γῇ μὲν τὸ κυβι-
» κὸν εἶδος δῶμεν (terræ cubicam figuram damus) Nam omnium quatuor *maxime immobilis terra eſt*,
» & corporalium omnium compacta maxime. Tale vero illud præcipue factum eſſe neceſ-
» ſarium eſt, quod firmiſſimas, tutiſſimaſque (ἀσφαλεστάτας) poſſidet baſes. Vide & reliqua. Cognoſce ex Deo Philoſophorum, qui ab Hermete Ægyptio didicit, non vnam figuram competere elementis, ſed aliam eſſe terræ, aliam aquæ, aeris, ignis qui baſes habeat pauciſſimas, acutiſſimus, penetrantiſsimus. Sed ne de hac quæſtione ſimus prolixiores, legatur Ariſtotel. lib. 2. de cœlo tex. 72. cap. 13. & ſequent. vbi de motu quiete, figura, &c. copioſe diſputatur, & terram ſphæricam eſſe, immobilemque argumentis concluditur.

Sectio XXIV.

De regionis elementaris mutabilitate.

Miſerum atrium. EXplicata figuræ ratione videt Hartmanus *cruces, & interſectas lineas.* Quærit igitur quid hæc portendant. Loquitur rebus conuenienter. Quia enim portenta ſunt ea quæ in atrio fingit, ideo recte interrogat quid portendant. Non ſunt communia, aut vulgaria ſigna, ſed περισσώματα. Sed quid tamen portendunt? Nihil portendunt re vera. Etenim *Hermes* ait *eſſe ſigna affectionis cuiuſdam in atrio contentorum*, & quia ſe interſecant lineæ, fors etiam loculamentorum, ſeu ſtabulorum limites deſignant. *Cruces* ſunt multæ; & ſignificant omnia quæ ſunt in atrio ſubiecta eſſe *cruci*, hoc eſt: *Atrium eſſe Noſodochium quoddam in quo omnia mutationibus, & corruptionibus ſunt obnoxia, nihil ſtabile aut firmum.* Quinque vero res poſtea includuntur, *tria* ſcilicet *principia*, Mercurius; ſulphur, & ſal: *duo elemementa* aqua & terra: quæ ſeorſim ſint, an permixta in præſens non quæratur. Illud ſaltē
Crux. mirum videtur vnde CRVX, quæ eſt ſignum hieroglyphicum, & magicum, ad Noſocomium, mundanum ſit translata. In ſacris aliquando nota eſt qua diſcernuntur pij, electiq; ab impiis vt Ezech. 9.
Baro. in ann. an. 316. 48. & an. 24. 93. ℣. 4. *Tranſi per mediam ciuitatem & ſigna* T (vel ת) *ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus*, &c. Apocalyp. 7. ℣. 2. vocatur σφραγὶς *ſignum magni Dei quo ſignantur ſerui Dei in frontibus eorum*: quo ſigno poſtea abuſus eſt diabolus in ſuperſtitioſis, & Antichriſti ſocietate, vt eſt Apoc. 13. 16. Et *faciet omnes puſillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & ſeruos habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis*, &c. Tantum autem huic ſigno tributum eſt, vt ſiue

materiale

materiale esset, cum, vel sine imagine crucifixi, siue formale digitis in aere effigiatum adoraretur, crederetur que diabolus, & omne sinistrum eius præsentia fugari, vt in sacris magicis *Iuliani apostatæ.* Aiunt in Ægyptiorum quoque mysteriis fuisse. Vnde etiamnum hodie multus eius vsus est in magia. Religiosi, crassis superstitionibus abiectis, pro monumento salutis, à Christo in cruce pro mundo occiso partæ, habent. Id creditur in cœlo vidisse *Constantinus Magnus*, & ideo vexillo, seu Labaro suo adiecisse, vt esset signum fiduciæ, de salute & victoria contra hostes, qua de re vide *Pierium* in hierogl. lib. 50. de palma significante piorum vitam. *Baronium* an. chr. 34. sect. 93. an. 312. sect. 13. & seq. multis: vbi sect. 22. dicit *apud Ægyptios fuisse salutis & vitæ hieroglyphicum etiam ante conuersionem Constantini, Romanis autem portentum malum.* Lege & quartam partem examinis *Chemnitij* titulo de imaginibus, nominatimque de *signo crucis*. *Cyprianus in Epistola ad Demetrianum* explicat signum illud illitionis postium forma Exod. 12. vers. 7. 13. & quod Matth. 24. vers. 30. de apparitione signi filij hominis in cœlo scribitur, id *Baronius* & alij Pontificij explicans de signo crucis salutari electis, formidoloso impiis.

De Vi crucis Baron. in Annal. an. 293. sect. 3. & an. 112. 6. an. 153 34. 35. 286. 21. 218. 2. 224. 8. & multis in locis tomi tertij Annaliũ.

Alias vocem ipsam quod attinet, satis manifestum est in Euangelio significare *afflictionem* quam Christi fideles in hoc mundo sustinent, item *prædicationem* ipsam de salute per CHRISTVM crucifixum: vt Matth. 10. vers. 38. ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. 1. Corinth. 1. 8. ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ. Ephes. 2. 16. *Christus per crucem interfecit inimicitias in semet ipso, & euangelizauit pacem nobis.* Omnino crux piis & fidelibus Christi est honoris, gloriæ, & salutis monumentum.

Crucis significatio modificata in sacris literis.

Hermetem ergo Hartmanianum oportet Ethnicum esse, aut saltem imperitum valde istius signitum id quod transfert *ad elementa & principia* in medio mundo, docetq; ea significari *morbos in Nosodochio mutationes, corruptiones, instabilitatem.* At, mi homo, tu tuum morbum ista accommodatione inepta prodis.

Imperita & inepta crucis adhibitio.

Primum enim si *Nosodochium* est locus mundi medius propter elementorum mutabilitatem, etiam Nosodochium fuit in prima creatione. Nam & tunc mutabilia erant elementa.

Nosodochiũ.

2. *Quod est eis secundum naturam, quomodo fit præter naturam, atque adeo morbidum?* An non elementa natura sunt talia, & quod naturale est, id cuique bonum, & iucundum.

3. Si accusas superuenientem vanitatem ex maledicto propter peccatum, eadem accusatione comprehende etiam cœlum, & sydera, adeoque totam creaturam mundanam, quæ est præteritura, & conflagratura.

4. Dum etiam principia includis Nosodochio omnibus Chymicis te comedendum, & ridendum propinas. Neque enim ista spargirorum censu elementarium conditionibus subiiciuntur, sed cœlestibus naturis æternis, seu incorruptibilibus asscribuntur, atque adeo etiam appellantur ASTRA. Quod si hæc sunt Nosodochij, cur semina inclusisti Sancto Sanctorum, & Mesaulo sancto? Mutationem ista pati negari non potes, dum *inuita extrahis ex orco Orphei, illigas elementis internis, & externis; hincque post multam afflictionem ad orcum remittis.*

5. Absurdum est principia in atrium morbosum intrudere, & posteriora facere, quæ ipsa voce erant prima. *Primo* vero *nihil est prius.* Sed delectare tuo Nosodochio. Nam si alia deessent exempla tuus *Hermes* satis demonstraret te mente ægrotare, & adhuc ἀμουσίᾳ illi succumbere quam in *Aristotelis* priuatione exagitabas. Si enim sanus esses in elementari mundo res nobilissimas non præterisses, atque etiam animum expiatum & optimis à Deo donis exornatum vidisses.

6. Vocas *Nosodochium Magnum*. At paruum, *homo*, μικρόκοσμος, *potiore iure Nosodochium est.* Quæ elementis eueniunt, morbi non dicuntur, sed quæ homini præter naturam, & inde quæ bestiis quoque, & plantis. Neque tamen semper est Nosodochium. Est enim & status secundum naturam, atque adeo sanitatis, iucunditatis, lætitiæ vigoris. honoris, in quo veteres nonnulli admodum diu perseuerarunt. Quare illud tuum OMNIA prudentius enunciare debuisti, & inter caduca, seu temporalia & æterna; corporalia & spiritualia; absoluta & relata, substantialia & accidentalia discernere.

7. *Sint omnia mutationibus, & corruptionibus obnoxia: at non semper per modum morbi* & interitus. Nam & generationes, augmentationes, alterationes, & motus locales in melius fiunt, aspiratque semper ad optimum natura.

8. *Nihil stabile esse dicis in tuo atrio* Nulla ergo habet fixa. At fixa tamen erat regio. Si locus fixus est, nec potest esse sine locatis, quid ni & locata fixa sint quodammodo? *Mutare formas* inquit Aristot. & *aliis aliisque vicissim apparere, est generatione continuari & æternum esse.* Ita species durant. Tu in tuo Hagiasterio materiam primam permanare dicebas, & generationes fouere. Vbi vero istæ sunt nisi in medio hoc mundo? Terram sacræ literæ adeo stabiliunt, vt etiam *Adamante* faciant durabiliorem. Ille enim mutabilis est: at terra ab initio vsque ad finem durat. Adamanti aurum comparant, & vtrumque fixum esse, sicut & Talcum, dicunt Chymici. Sed tu ex sacris suffuratus es aliquid, & Physicis tuis Chymicis miscuisti. Quod si cogitasses nonnullos de mundi conflagratione non aliter loqui, quam de renouationibus, & extractionibus suis Chymici, agnouisses etiam in Nosodochio aliquid stabile. Morbi enim saltem tolluntur, nempe vanitas creaturæ, vt est apud *Paulum*, ipsæ essentiæ seruantur.

1. de cœlo tex. 107. De indissolubili terra in 3. de cœlo tex. 62.

9. Iam intelliges etiam aliqua FIRMA esse in globo inferiore. Discrimen absolutorum, & relatorum poterit te admonere: Item: substantiarum & accidentium. Si cum verbo Domini, & spiritualibus bonis comparare velis, sane nihil in mundo est firmum. Sin autem voluntatem Dei, & naturam, Dei prouidentia constantem, consideres, peripheria mundani globi firma, necesse est & centrum firmum esse; & re vera terra antiquior stabiliorque cœlo est. Ideo in sacris legimus:

Firmitas nõ deest medio mundo.

Firmauit terram ſuper ſtabilitate ſua, non mouebitur, ſeu inclinabitur in ſeculum ſeculi. Pſalm.104.5. Pſal. 89.3.5.12. Pſal. 93. ℣. 2.3. Eccleſ. 1.4. Quod ad hominem attinet, noſti eum in hoc Atrio eſſe: at Deus *inexterminabilem* fecit Sap. 2.23. Et licet corpore mutetur, tamen in conſpectu Dei id fit tantum mortalitate, vt eſt apud *Paulum* 1. Cor. 15. ℣. 42. & ſeq. vt & apud *Iobum, qui certe in carne ſua viſurus eſt Deum; ipſe & non alius.* Vt habeas ſcholaſticum Thema ſic argumentor: *Si nihil eſt firmi in atrio tuo, neque vllum axioma erit neceſſariæ veritatis, nec principium vllum. Vt enim res eſt, ita enunciatio:* vt τὸ ὄν, ita τὸ ἀληθές. Sapienti ſat dictum.

Sectio XXV.

Pars ſecunda, Atrij de principiis ab elementis diuiſis.

Diuiſio atrii. Hermes monſtrat ſuo diſcipulo Atrij diuiſionem in duo quaſi ſtabula, ita vt Noſodochium hoc habere neceſſe ſit duas cameras cum ſuis cœnaculis, vnam in qua morantur ægroti ſimplices; alterum, in qua contagioſi, vt leproſi. *Prior* eſt *principiorum vitalium, & ſanabilium: poſterior elementorum ſemimortuorum, & deſperatorum.* Cameræ interſtinguuntur *macerie.* Oportet pertexere telam, & fabulam vſque ad plaudite perducere. Vt ergo inceptum eſt μυθοποιεῖν, ita pergendum.

Principia Hartmani in morbido loco. Primum miraculum fictionis eſt quod *principia ſtabulo morboſo includantur,* quæ tamen tantopere à vita prædicantur, quantopere aliud nullum. Neque enim tantum ſalutis & ſanitatis ſunt arbitri, & ſequeſtri, verum etiam omnes morbos aſtrales curant, vt communiter ſentiunt Paracelſici qui tamen, ne gratis delirent, eadem & cauſſas, & ſubiecta morborum faciunt *inexplicabili varietate, quia ſimilia ſimilibus alias non ſanarentur, nec incurabilia fierent curabilia,* modo gradus, & modus miſtionum ſciri poſſent. Hoc vnum deeſt perfectioni Paracelſicæ, quam tamen licet re non farciant,

Principia ſcientiam habent (ſemper cauſſas cognoſcunt.) verbis ſaltem reficiunt cum dicunt illa principia SCIENTIAM *morborum, & membrorum ſeu locorum affectorum habere.* Itaque vt Paracelſiſta aliquis ſit purus putus ſtultus, & ad lyram aſinus, tamen ſcientiſſimus eſt medicus, quia *principiis vtitur admirabiliter peritis & ſcientibus*, ſicut *Scaliger* & *Hartmanus* formis.

2. Repeto illud quoque: *abſurdum videri principia ſtare in atrio*, cum deberent eſſe in aditu Sancti Sanctorum, quod πρόναον vocabatur.

Maceries inter principia & elementa. 3. Quæ ſit illa *maceries* quæ inter principia, & elementa interiecta eſt? Fortaſſe phantaſma quoddam eſt. Ideo dicit Hermes, recte perpendendum eſſe ſi quis velit perſpicere. Eſt in Atrio, non foris. Vt ergo vineæ diſterminantur rudi muro cõgeſtis lapidibus neglectim, ita & partes atrij. Si naturam adimus, & vtimur anatomia noſtra eſſata, elementa inuenimus *vel vt membra mundi* integrantia, qualis eſt *aer* quem attrahunt reſpirantia, *aqua*, in qua aquatilia verſantur: *terra* in qua mineralia proueniunt, ſeu ex qua eſt corpus noſtrum, & in quam abit rurſus dum putreſcit in ſepulcro: *vel vt partes miſtorum.* In illis Paracelſiſtæ aiunt ineſſe ſeminia principiorum modo inſcrutabili, & ab omni ratione alieno. Quidam ex veteribus voluerunt ineſſe ſeminarias quaſdam rationes naſcentium abſque ſatu, vt ranarum, murium, locuſtarum, &c. Sed neutri poſſunt demonſtrare id quod opinantur. Si in verum Sanctum Sanctorum ingrederentur, ſub alis Cherubim inuenirent arcum teſtamenti, in qua eſt codex ſacer de creatione, benedictione, maledictione vnde ſemina vel vniuoca, vel æquiuoca vtriuſq; generationis peti poſſunt cum felicitatibus, & aduerſitatibus. Nos qui Chymicis elaborationibus ſtudemus cõperimus quidẽ in aere & aquis exiſtere corpora quędam principiis analoga; ſed deprehendimus non ibi nata eſſe, verum aliunde inuecta. Quidam dicunt eſſe fructus ſeminum à ſyderibus in has matrices depoſitorum: alij volunt effloreſcentias eſſe principiorum, quomodo ex arboribus exudant lacrymæ reſinæ & ſimilia. Sed conſtat primum ineſſe miſtis & ex his extrahi arte, interdum & ſponte ſegregari: quod facile agnoſcerent etiam Phyſici peripatetici, ſi vellent attendere, & quæ natura ſeparat, ſtudio excipere. Dum autem in opore Spagirico artificioſe verſamur, ſeparamus ſubtile à ſpiſſo. *Subtile* obtinet nomen eſſentiæ, cœli, aſtri, quintæ naturæ, arcani, principij, tincturæ, & ſimilium prout eſt elaboratio, & relatio, ſeu habitudo. *Spiſſum* retinet nomen elementi craſſi, & potentiis interioribus, quibus tertiæ & quartæ qualitates debentur, priuati. Putatur eſſe de natura, & familia externorum elementorum. Nam non tantum affectiones communes id docent, ſed & aggregationes, nec id ſacris literis eſt ignotum. Vt enim ex terra & aquis facta ſunt mineralia, vegetabilia, & animalia ratione corporum, ita & in eadem reſol-

4. Meteor. 1. uuntur, quod intelligebat, & dedicerat *Ariſtoteles* quoque in 3. de cœlo tex. 33. quanquam *Empedocles* & *Democritus quaſi ex vaſe ſegregauerint elementa* dum miſta reſoluuntur, cum potius dicere debuiſſent *in elementis miſtorum incluſas latere eſſentias*, quæ inde extrahuntur relicto corpore fatuo, quod elementis materialibus datur. Vbi iam maceries? ſiue perpendam ſiue perſpiciam, atq; etiam Lynceum argonauticum adhibeam, non poſſum maceriem iſtam videre. Elementa & principia ſunt in vno corpore homogeneo. Quando vero ſeparata ſunt, ſuis ſe proprietatibus manifeſtant. Num hæ ſunt illa maceries? Dic ergo *maceriem eſſe vnumquodque ratione ſingularis naturæ ſuæ.* Dic eſſe definitionem, & alia argumenta diuerſitatis. Localem diſtinctionem facit maceries, non rationalem & naturalem in his quæ ſunt commiſta. Itaque cum ſeparata iam ſunt, & principia in apothecam illata, elementa in ſterquilinium miſſa, bene interuenit ſepimentum.

Principia vitalia. 3. *Principia* dicuntur *vitalia.* Id quale ſit, forte à Cabaliſtis, Gabaliſtis, & Magis petendum eſt. Vulgares anatomici *ſpiritus* vitæ procuratores vocant *vitales*, ita *ſanguinem*, & *calorem vitalem* ex corde influentem alia membra: Item: *principium vitale cordis*, quod vitæ primũ eſt fundamentum, facultas ſcilicet in corde, quæ & cauſſa motus perennis. Anima communiter præſidet omnibus. Eſt & *aura vitalis* quam carpimus: *animal vitale*, quod vitã profert. Ariſtoteli eſt ἀρχὴ ζωτική, vitale

ſeu

seu animale principiū, q̄ est in spiritu, calore, & motu, &c. si mecū fuisset *Hermes*, interrogassem quo sensu diceret. Proculdubio nihil vulgare sapuisset, sed *vitalia principia* ideo dixisset, quia penes hos est virtus interior, & essentialis, ita vt quicquid principia habet, illud habeat causam, & fundamentum virtutū, quæ sunt vitalium actionum fons & origo. Viuit *Sulphur, Mercurius, Sal*, quia sapores odores, aliasq; energias, seu efficiendi potentias habent. Imo viuit & res fœtens, purgans, nutriens, venenum, &c. quod nihil habet virium, non viuit: sed est mortuum, caretq; principiis. Ideo principia vitalia sunt ea quæ vitam, hoc est, vires, & facultates, potestatesq; conferunt, & exercent. Hæc placent Paracelsicis. Quid autem si de ventriculi facultate, & actione interrogem, vt & de spatis, cerebri, renum, testium, mammarum, vteri & reliquorum? Suntne & horū causæ principia illa? Negare potest *Hermes* tuus iure. Ratio est, quia cum mortua est planta, vel animal violenta morte extinctum, principia illa salua sunt in membris, sicut & extrahuntur, vt mumia ex suspensi cadauere, præsertimq; mirifica illa Vsnea suspendiosorum Goclenij in vnguento armario: at omnes illæ facultates exoleuerunt. Non fit autem hoc tantum anima separata, sed & spiritu, coloreq; instrumentalibus saltem, vt in suffocatis, & frigore enectis, in quibus insita, & radicalia adhuc interueniūtur. Neq; tamen sine his tribus vita est. Ideo & *Aristoteles* præclare: omnis animæ siue virtus siue potentia corpus diuinius participare videtur quam vocata elementa, id quod calor, spiritus & natura ætheri analogos appellatur. Primum vitæ principium est *anima ipsa*: Deinde *generalia animæ instrumenta* quibus vita administratur; *tertio radicales illæ essentiæ* cum communione elementorum in singulis in quibus propriam habent naturam, eamq; duplicem, vnam, quam exerunt in viuis præsente anima, & adminiculis debitis sine obstaculo; alteram quam per se etiam in defunctis ante putrefactionem ostendunt, maxime nudam offerunt post artificiosam extractionē, & exaltationem. Id luculente apparet in nutritione, medicatione, & aliis. Si adiuui tuum *Hermetem*, & non tantum de principij nomine aliquid subieci, verum etiam de ratione τῦ ζωτικῦ, debet ille mihi suauium, & in posterum non tam ieiune & crude Philosophabitur.

Viuere pro aliquid virium habere essentialiū.

4. *Principia* vocat etiam *Sanabilia*. Dormitabat in atrio cum hæc vox ei excideret. Neq; n. hæc ratio in atrio valebat, vbi omnia secundum naturam conspiciuntur. Si principia in consideratione abstracta & nuda, qua sunt id quod sunt, secūdum suam formam, sunt sanabilia, perdere possunt sui sanitatē. Cogita iam, cum in hac sit esse principiorū, ea debere tota perire. Principio perdito, vnde sit restauratio? Veruntamen *ex accidente possunt laborare*. Multa. n. sunt à quibus afficiūtur. *Aristoteles* calorem innatum, & humidum radicale cum spiritu in putredine corrumpi docuit. Nos experimur copia, & inopia variare, vt & puritate, impuritate, sympathia, antipathia & aliis. Quando itaq; considerantur materialiter, *si possunt pati præter naturam & de statu sanitatis ex parte deturbari, etiam poterunt sanari*, quanquam melius loquūtur, qui dicunt non ipsa principia sanari, vel ægrotare, sed membra quorum sunt principia. Causis. n. id non recte tribuitur. Cum bene se habent principia & elementa non deficientibus cæteris necessariis, sanum est membrum: cum male, ægrotat. Itaq; *medici hi sunt, qui principiorum noxas tollunt*, & sic naturam instaurant. Inde sanescit membrum: iuxta Hipp. φύσιες ἰητροὶ τ̃ νόσων. Oportet autem præsupponi integrum viuum, & membrum ei naturali vnione cohærens. Quod si in principiis iam separatis sanitatem, & morbositatem cōsideres, abutaris vocabulo, & nescio an Paracelsici id sint concessuri, qui principia astra immutabilia, & incorruptibilia esse decreuerunt. Quicquid sit, elementis affinia fiunt si mutationes sustinent. Sanabilis Mercurius, sanabile sulphur, sanabilis sal, aut in concretis est, aut in extractis, arteq; elaboratis. Hic non facile id dicas: Ibi propter passionem totius ab his non ad sanitatem constitutis pronunciare possis. Vere nō sanatur sulphur ventriculi in cruditatibus ex interna causa; sed ventriculus sulphure refecto, aut exaltato. Ita est de cæteris.

5. *Maceries illa principia vitalia & sanabilia dirimit ab elementis.* Quanquam *Seuerinus* scribat elementorū officia esse communiora, obtinere rationem materiæ, principiorum proprietatibus & actionibus destinata mirabili proprietatum potestate vigere, indissolubili nexu ita eis cohærere, vt naturæ legibus nunquam, vix vlla artis industria, idq; non perfectē separari possint, quæ assertio illud maceriæ officiū dirimendi valde exiliter, tenuiterq; & pene non concedit: tamen quia *elementi vox* non vti rei attribuitur, *Hermes* dicere debet de quibus elementis sentiat. Primum *elementa erant Loca*, matrices, domicilia, vitali validaq; potestate munita, quæ semina generationi consecrata foueant, &c. 2. Sunt *elementa principiis indissolubiter connexa*, mineralia mineralibus, vegetabilia vegetabilibus, animalia animalibus: quorum est commistio beneficio seminum: 3. Sunt *alia elementa communia externa*, corporea, postrema, quæ non miscentur principiis, habent mortuas qualitates, &c. 4. Sunt *spiritualia & prima* in quibus penetrationes dimensionum habent locum virtute spirituum mechanicorum. 5. Sunt *corpora damnata*, quæ in Chymica spagiria remanent, postquam principia cum internis, commixtisq; elementis sunt separata. 6. Sunt *elementa parturientia* nō in propria sed peregrina regione. 7. Alia *Aristotelica*, quatuor scilicet mutabilia, vnū immutabile: *alia Paracelsica*, quæ numerū quaternarium in duobus globis non excedunt. Sunt fortasse etiam plures elementorum classes, prout Morpheus somniorū parens ebriis Paracelsistis formas offert: quomodo *Seuerinus* vniuersalia & particularia elementa habet, & vocabulū mirificè trāsplantat, vt & spiritus vitalis ipsi sit elementū, & sanguis cum aliis quatuor humoribus, quorū quinq; agnoscit, ne minus sit humorista. Ita elementa superioris, & inferioris globi proponit, ne cedat elemētariis Physicis. Inter illas septē classes autē quænam est q̄ maceria tua dirimit à principiis? Vt concisius dicam, num id est in mistione, an extra? *Miscentur* autem *Seuerino perfecta perfectis, vel impurum corruptibili, vel perfectū corruptibili*: Aut *elementorum inter se, elementorum cum principiis, principiorum inter se, & deniq; omnium mutuo est mixtio simul.*

Elementa & principia indissolubiliter connexa.

Significationis elementi.

Ad miſtionẽ negantur venire elemẽta illa quę *loca* vocantur, neq; cõmunia, nimirũ illa Galenica & Peripatetica: ſed *interna, ſpiritualia, & ſingularia*. Si itaq; de miſtis intelligẽdus diremtus iſte eſt, vbi maceries? *Seuerinus* tibi nullã concedet, aut vix vllã. Itaq; extra miſtionem erit. Quia.n. elementa ſunt capſæ, domicilia, receptacula, matrices, &c. principiorũ; hæc autẽ in eis iacentia cum ſeminib. diſtinctio eſt inter domũ, & incolam, ſeu hoſpitẽ, ea erit & inter principia, & elementa, hæcq; vocabitur maceria. Sed qui poteſt hoc verũ eſſe? 6. Qualia.n. ſunt tua elemẽta? *Semimortua, & deſperata.* Si forent capſæ, & loca, vitali poteſtate eſſent munita dicente *Petro* & ex eo tuo *Hermete*. Neq; vero etiã poſſunt eſſe illa quæ principiis indiuulſe cohærent in miſtione. Neq;.n. hæc ſunt vel tota, vel ex dimidio mortua, ſed vitalia & ſpiritualia, internaq; duplicẽ rationẽ habentia, materiæ ſcil. propriæ, & receptaculi tum principiorũ, tum ſeminũ. Relinquitur vt ſint *impuritates* quæ obiter obrepſerũt, ſeu excremẽtitia illa corpora, & cruda, indigeſtaq; quæ à ſeparatione ſpagirica ſuperſunt, & à vulgo artiſtarũ vocantur *phlegma, & terra damnata, ſeu caput mortuum.* Hæc autẽ congenea ſunt elementis cõmunibus Peripateticorũ, quę ſi ex miſtis ſeparantur neceſſe eſt ad miſturã concurriſſe, vt nõ quiuis videat quomodo dictũ ſit à Seuerino, *communia elementa non cõmiſceri*. Profundius eſt hoc oraculum q̃ vt Galenicus captus aſſequatur. Sunt quidẽ miſtilia illa elementa. Sed quo modo? Nimirum eo quo quis ex aqua & puluere faciat lutũ & glebam; vel lapidẽ rudem arenariũ, laterẽ, &c. At non miſceri poſſunt ſeminibus, & principiis. *Si.n. miſta eſſent, virtutes haberet ex homogenia miſti. At non habent. Sunt.n. ſemimortua, nec poſſunt ad vitã reduci, quia deſperatũ & conclamatũ eſt de eorum ſanabilitate.* Item ſi miſta eſſent, non ſepararentur. Nullum.n. quod Deus & natura colligauit, ſolui poteſt ab vllo præter eum, qui coniunxit. Itaq; & cœli partes ſolus Deus diſiunget, & turbabit. Iam facili artificio ſpagirico in officina *Hartmanni* ſegregantur. Qui ergo poſſunt commiſta fuiſſe? Ita res videtur eſſe: ſicut *luna ideo eſt maculata*, quia cum eſſentiali alimento attraxit impuritates quaſdã, quæ coagulatæ in corpore eius conſtiterunt: (Sic.n. placuit quibusdã) ita dum fierent, & alerentur miſta accidit ex impuris elementis aliquid ſubire, & hærere ꝙ poſtea ſeparatur, quia ad eſſentiam miſti nunquã pertinuit. Hic ſi quis maceriã non videt, eum pronũciabit *Hermes* plumbo cæciorẽ. Hanc puto eſſe explicationem eorũ quæ in Atrio mõſtrauit *Hermes* de principiis, elementis, & eorũ interſtitio, vbi obiter tractus ſum etiã ad *miſtionis contemplationẽ* cuius, ſicut & aliorũ multorum, in templo Hermetico nulla fit mẽtio. 7. Quærendũ autem reſtat num iſta ſint vera, an nos fallamur ſpeculationibus vanis.

Miſtio. Eſſe *aliquam miſtionẽ corporum naturalẽ, & artificialẽ* nemo negauerit, qui ſpagirian didicit, & eſſe aliquid nouit. Si.n. nulla eſſet cõpoſitio & miſtio, nulla eſſet ſeparatio. Ea *quæ ſeparantur aut ſimplicia ſunt, aut miſta.* Dicitur quidẽ omnis pars cõponens ſimplex reſpectu totius compoſiti, vt cum pharmacopæi ſpecies contemperant, vt fiat electuariũ quæ *ſpecies ſimplices* dicũtur, cum reuera ſint miſta naturalia: ſed ſi per ſe conſideretur vnumquodq;, nihil ꝓhibet quin ſit miſtũ.

Purum ex miſto ſegregatum. *Separat ſpagiria purũ ab impuro.* Neutrũ eſt ſimplex. *Purum* quidẽ in partes diuerſas conſiſtentia, viribus, nobilitate, &c. Vt in *ſpiritum, Mercurium, ſulphur ſalem, terram benedictam virginẽ*, poteſt reſolui: ſed nihil harũ eſt quin ſit & ipſum miſtũ, vt verius hac in parte ſit *Seuerinus elementa à principiis ex toto ſegregari nõ poſſe*,

Principia nõ ſine elementis. patetq; ratio, quia nullũ principium eſt, quin analogũ ſit cœlo ſimul, & alicui elementorũ ex prædominio; ſuntq; elementa talia, vt exaltationibus induſtriis poſſint ætheri exæquari, vti & naturaliter globus imus cum ſummo continuatur, ꝙ fieri ſine cognatione magna conſtanter non poſſe.

Elementa exaltari poſſe.

Amor ſympatheticus. Eſt quidẽ & de *ſpiritu mundi omnia continente, & de prouidentia, voluntateq; Dei tanquam vinculis firmiſſimis*, cogitatio: ſed nihil obſtat quin & *familiaritatẽ naturarũ* afferamus. Hic.n. *ille amor eſt congenitus quo ſimile ad ſimile fertur, & ei cohærere gaudet.* Hic poſt Dei voluntatẽ eſt cõſtantis nexus coniugiiq; conſentientis fundamentũ vnicum. Ita cœleſtibus illigata ſunt elementaria exaltata, & his illa viciſſim.

Miſtio Ariſt. & Galen. Hinc factũ opinor, vt veteres Philoſophi & Medici, quiq; hos ſequũtur *miſtiones per ſola elemẽta cõfecerint, & eorũ qualitates*, quia facilioris & methodi, & intellectus cauſa per ſenſibilia repræſentarunt & interna, quomodo *Seuerinus Hipp.* nonnulla effata de humoribus & elementis interpretatur. Quid multis opus? Conſentiendũ eſt ita ſe rem habere. *Conuincimur n. experientia, & tam ſenſuũ quã rationis teſtimonio.*

Principia ſunt id purũ quod ex miſtis extrahitur. Hermes ergo tuus non intellexit diſcrimen abſolutũ inter elemẽta & principia, ſed relatũ, & principia dixit *purum* in miſtis; elementa *impurũ* ꝙ ſeparatur nihil habens, aut ſaltẽ parum de poteſtatib. interioribus, quæ ſunt totius ſubſtantiæ occultę, & formales ꝓprietates. Si Paracelſiſtæ *Meſuen* non contemnerent, viderent apud eũ id ꝙ nomine principij dicunt, appellari *formam*; materiã autẽ, ꝙ nomine elementi.

Forma Meſue & materia. Huc facilè & *Hippoc.* de calido in elementis inferiorib. manente igniq; & aqua attrahi poteſt, & *Ariſt.* de corpore facultatũ nobiliore elementis, & *Galenus* de innato calido, ſpiritu, humido primigenio, totaq; craſi interiore, & natura, quæ ab elementis ſunt diremta, quanq̃, vt methodus ſit facilior, elementariter exponantur.

Elementa ſemimortua. Hac æquitate concedere poſſumus *elemẽta atrij tui eſſe ſem. mortua*, quia non omnino poſſunt exui principiorũ poteſtate, vti neq; principia poteſtate elementorũ. Dominantur autẽ in illis virtutes eſſentiales, hic elementales.

Elementa ſterilia. Ideo illa eſſentiis aſcribuntur, hæc elementis, quæ dicuntur *ſterilia*, quia *eſſentias gignendi potentiã ſunt deſtituta*, nec habent poteſtates interiores miſtorũ. Sterile ꝙ eſt mortuo comparatur, vt & *Paulus* loquitur Rom. 4. de *Abrahæ* corpore νενεκρωμένον καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας σάῤῥας. Si ſeparata elemẽta plane *mortua capita* dixiſſes, non ſine Chymica diſciplina dixiſſes iſto reſpectu. Puto autẽ *Hermetem* etiam ad qualitates primas & ſecundas oculũ direxiſſe.

Elementares qualitates nõ ſunt ſpernenda. Illas quidẽ *Seuerinus* mortuas vocat, & *Crollius* valde abiectè de eis ſcripſit: ſed non eſt mortuum ꝙ viuentibus mortem inferre poteſt. Nouimus quantus earum ſit vſus, & quanta vis in ſanis, & morbidis cõſtitutionibus, & quod nec eſſentiæ quidem iis careant, licet id *Crollius* cum aliis nonnullis neget.

Num ſeparata elemẽta deſperata. 8. An ſint *deſperata* illa elementa videndũ eſt. Arbitror *deſperare tuũ Hermetem* de ſeparatis impuritatibus, quia nõ poſſint ſic exaltari vt ſeminum vim recipiant, & poteſtates eſſentiales recuperet, hoc vt terra cinamomi fiat cinamomifera, &

phlegma aquã vel oleum cinamomi ſapiat. Solent itaq; cõmuniter negligi,& in publicum effundi. Verum non tam leuiter totũ eſt tranſeundum. Vulgares Paracelſiſtæ *damnatã terram* vocant, appellant *venenũ, qualitates eius ſteriles, relollaceas*, multaq; alia contumelia afficiunt naturã elementorum, per quæ tamen nobis Deus benefacit,& improbos punit, inducẽs & morbos, & ſanitates aliaq; eorum virtute. Iudicantur autem eorũ blaſphemiæ ex verbis eorundem. *Si quæ ſeparantur ſunt venena: hæc autem poſſunt arte in ſalutaria medicamenta transſmutari, nõ ſunt deſperata.*

Venena poſſe corrigi.

Venena poſſe mutari plenis buccis Paracelſiſtæ prædicant, tantumq; igni naturæ aſcribebat *Palmarius Gallus*. *Paracelſus per eſſentias quintas tota corpora mutat in eſſentias*, & quid aliud promittit *magiſteriorum diſciplina?* Ita tuus *Hermes* pugnat cum artis potentia,& artificũ confidẽtia. Imo & paucis inſpectis temere pronũciat. Terra.n.ſeparata ex miſtis ita deſperata non eſt, quin poſſit reuerberationibus, ſublimationibus, & aliis exaltationum modis ſalubris reddi, vti & in *virginem* trãſmutatur.

Terra Virgo.

Num tu huius nullã vim putas eſſe in medicina? Vnde maior exiccationum, & aſtrictionum vis expectatur? Num in tua medicina nulla ſunt *aſtringentia, exiccantia, claudentia, ſiſtentia fluxiones, iſchæma, &c.* Cogita ſimiliter de *phlegmate* cuius inſuper etiã externus in Chymia vſus eſt. Nihil eſt in naturæ rebus de quo deſperari debeat. *Suo tempore*, inquit Siracides, *omnia vtilia apparent. Neq;.n. quicquam in natura Deus fecit fruſtra.* Tune deſperes de exhauſtis ſale cineribus? Ecce ſalis petræi, aluminis, Chalcanthi excoctores in cumulos diuidunt reliquias, quæ quinquennio fermè iterum imprægnantur, & denuo ſalẽ pariũt. Idem excoctis quibuſdam mineris tribuitur. Vnde ex Scoriis antiquis non raro metalla conflantur. Admone ergo tuum deſperabundum *Hermetem*, ne de eo, cui Deus cumulatim benedixit, deſperet. Si enim non fundet cinamomum, alia officia vtilia præſtabit.

Salium exhauſta terrã recuperant principium ſalis.

Sectio XXVI.

Tertia pars Atrij continens principiorum deſcriptionem.

Deſcriptio principiorũ.

DE tribus principiis ſpagiricis magnis non ita pridem contentionibus actum eſt inter Hermeticos,& Galenicæ Medicinæ ad literam profeſſores *Quercetano, & Riolano* cauſam hanc ſtrenue agentibus. Euenit vt & ego,& *Iacobus Zuingerus* nonnihil diceremus, nec *Martinus Rulandus* ſibi ſilendum putauit. Res eſt in aperto. *Chymiatris ſua principia non poſſunt adimi.* Radices enim habent in natura firmas, experientiaq; & vſu comprobantur. Id ſaltem tenẽdum eſt, non debere latius extendi quam fert eorum natura, & artis ſpargiricæ finis, qua in re peccauit Paracelſus; deinde *Elementa per ea non deſtrui*, nec ſeparabilia poni, ſed coniunctim vtraq;. Itaq; & *Seuerinus, & Crollius* negarunt expreſſe poſſe perfecte ſeparari: vtraq; vero compoſitorum, ſeu mixtorum corporum conſtitutiua eſſe pronunciant ita vt principiis tribuant poteſtates interiores, elementis exteriores, quas qualitates tactiles, & primas vocant: illis ſeminiorum virtutem, & vitalium operationum fundamentum, vt & Ariſtoteles: his affectiones externas quæ in ſimplicibus mundanis vigere comperiuntur, quibus tamen propter ſocietatẽ nec principia carẽt. *Formalia* etiã *ab antiquis Chymicis aſſcripta ſunt eſſentiis extractis, materialia elementis*, & tamen inexplicabili cõnexione cohærẽt in miſto vtraq; nec Chymia ſeparat aliud quã ſpiſſum, craſſum, ignorabile, impurũ, viribus tertiis, quas occultas vocant, deſtitutum.

Spagiria quid ſeparet.

Hæc ſunt irrefutabilia. Paracelſici vt in aliis, ita & hic volunt eſſe ſui generis. Itaq; non omnes eadẽ de principiis, elementis,& ſeminibus docent. *Crollius* tria eſſe ait: quoſdam tamẽ Theophraſtæos addere quartũ, *ſpiritum* nempe: alij *tria actiua, duo paſſiua* ponunt: alij *vnum paſſiuum* tantum.

Diuerſa de principiis. *Pag. 18. 19.*

Certum autẽ eſt ex aliquibus *plures formas* educi, ex aliquibus *pauciores*, non differentes coagulatione,& ſolutione, ſed naturis, quarũ tamen quædam ſunt trãſmutabiles, poſſuntq; etiam omnes poſt ſui depurationẽ reduniri, vt fiat *eſſentia tota totius miſti vires vndiquaq;*, exceptis his quæ vitæ vniuocæ ex præſentia animæ debentur, *cõplexa*. E.G. Ex roſa fit *ſpiritus & oleum*, vtrumq; quidem ſulphureum, ſed naturæ differentis: poſtea *aqua mercurialis*: Et alia deſcẽſoria *ſalina*: inſuper *ſal. & terra virgo*. Quæ hinc ſuperſunt, *terra inanis, & aqua inſipida*, elementis externis accenſentur. Ex vino etiam plura elicueris, nec pauciora ex plumbo & aliis.

Partes roſæ.

Crollius de principiis.

Verum conſideremus quid recentes ſpagiri *Paracelſo* addicti nonulli proponant. *Crollius* principia conſiderat vt ſunt compoſiti corporis naturalis conſtitutiua, *Nullum corpus à natura compoſitum*, inquit, *in plura, paucioraue poteſt artificio ſolutionis diuidi quam tria, liquorẽ, oleum, ſalem.* In his tribus quodlibet creatum generatur,& conſeruatur. Ex his vult eſſe *materiam primam*, quæ ratione eorũ ſit triplex: deinde has tres ſpecies ſeparatas eſſe in *quatuor diuerſa corpora*, quæ vocat *elementa*, vt mundus cum omnibus creatis corporibus nihil aliud ſit quam Fumus coagulatus è tribus ſubſtantiis, quæ ſint materia è qua omnia corporalia ſint creata.

Mundus quid.

Creatio Moſaica Paracelſiſtis aduerſa.

Hæc ſi ita vt litera ſonat, ſunt accipienda, *aduerſantur creationis apud Moſen hiſtoriæ*. Neq; enim verum eſt quod *Deus primã materiam ex tribus illis principiis fecerit*. Præmiſſa.n. eſt elementorũ creatio, quæ, quia nihil habebãt lucis,& vium eſſentialium miſtis inexiſtentiũ, ideo tenebroſa, & inania, informiaq; dicuntur, nec fuerunt principia ante conſtitutionẽ miſtorũ perfectorũ, ſed ſimul ac hæc ſunt facta,& ipſa inceperunt. Nihil erat plantæ ante plantarũ creationem niſi elementa; Et ſic de mineralibus,& animalibus. In elentis,& ex elementis cœleſti natura incluſa Deus fecit corpora cõpoſita differentibus naturis conſtantia, ſimul ſeminium propagatorium ſuum cuiq; ſpeciei ſublunariũ indidit. *Non concedimus principia Chymica eſſe prima omnium conditorum*, neq; ſimpliciter natura prima; ſed tantum corporum compoſitorum poſt elementa, neq; eorum omnium, verum ſolummodo iſtorũ quibus concredita eſt eſſentia efficax, nobilioribus facultatibus, q̃ elementaribus prędita. Multa.n. ſunt *cõpoſita ſterilia* ex quibus ſpagirus vix quicquã eſſentiale elicuerit. Itaq; nec recipiendum eſt quod dicit *illam materiam triunam poſtea in quatuor elementa diſtributam eſſe*; quod ſi verum eſſet, vnumquodque elementum omni ſua parte homogenea eſſet ex Mercurio, ſale, & ſul-

phure,

phure, atque ita nihil diſcriminis inter eſſentias & eſſentiarum capſas ſeu receptacula: item nullum elementum, nullumque corpus foret ſimplex, ſed omnia miſta: quod nemo ſapientum concuſſerit. Eſt autem *temeritas quædam de opere creationis aliter ſtatuere, quam Spiritus Sanctus reuelauit, & plariq; ſapientum iudicarunt*. Citat ille *Seuerinum*. Sed ex quo nihil aliud poteſt colligere, quam 1. loca & receptacula eſſe ſeminum in ipſis conditorum: 2. hæc ſemina in ſcenam mundanam proditura veſtiri principiis, atque ita coniugium fieri vinculo quodam aſtrali: 3. Principiis illigata eſſe elementa interna inſeparabilia: 4. Totum eſſentiale externis circundari, & ſic aſpectabile fieri. Indulſit & *Seuerinus* ſuis imaginationibus, nec ea dixit, quæ Spiritus Sanctus, ſed potius quæ *Hermes Ægyptius & Plato de præexiſtente loco, materia increata, & ideis*, quæ ſunt illa ſemina fictitia, ſicut loca elementa incorporea prima, & materia intelligibilis potius quam ſenſibilis. Non mirum itaque eſt principiis authenticæ literæ neglectis tum inter ſe diſſentire Paracelſiſtas iſtos, tum vnumquemque abſurda & ſecum pugnantia dicere. Sunt autem hæc effata *Seuerini*: Quæ miſcentur generationes & fructus producunt. *Elementa*, (in quibus ſunt procreationum & ſeminum differentiæ,) *conſtanter dicimus non miſceri*. Alia ſunt Philoſophorum elementa: illa prima & ſumma fundamenta naturæ non attingunt. Semina vniuerſa oſtendunt analogiam elementorum & principiorum. Hoc pacto in omnibus rebus inſunt elementa quatuor, eaque miſceri, vt terra habet 4. element: Item aer, aqua, cœlum. Vnumquodque elementum ſufficit producendis ſuis fructibus. Seminum beneficio elementa colligantur. *Diſtinguuntur principia & elementa*. Horum enim officia ſunt communia, & materiæ rationem obtinent: illa proprietatibus & actionibus deſtinata mirabili proprietatum poteſtate vigent, quanquam indiſſolubili nexu cohæreant. *Semina in abyßis* deliteſcunt: digeſtis temporibus *coniugium* faciunt *cum ſpiritibus*; ex his fiunt *corpora*, quæ in ſe continent principia & elementa, ornatumque omnem. *Corpora ſunt triplicia*: 1. terrena, aquea, aerea, cœleſtia: 2. corpora elementorum, in quibus nulla dynamis, ſed ſteriles qualitates calid. frigid. hum. ſicc. &c. Hæc elementa ſunt fructus elementorum primorum & ſeminum. 3. alia corpora ſeminum proprietates imitantur; &c. id eſt, ſunt compoſita ex elementis & principiis, in quibus purum ab impuro ſegregatur. Vocantur *aſtra*, & diſtribuuntur in VII. Planetas, &c. Corpora δυνάμεων propriora ſunt ſuis exordiis, ſuntque *ſpiritualia*, vitalia, valida, vegeta: *Impura* quæ ſeparantur, ſunt terrena, craſſa, concreta, mortua, &c. Chymici ſepararunt concreta, & tum alia elementa conſpexerunt, tum alia principia potentiora ſeminum proprietates magis explicantia. Hæc non vulgariter intellecta corpora vniuerſa conficiunt; (in omni miſto potente inſunt cum elementis, vt prius dixit.) Ita Cap. XI. In omni generatione elementa & corporum principia conſtituuntur à radicibus & ſeminalibus rerum principiis: ex elementis & principiis ſunt nutrimenta. Fit ſocietas viſibilium & inuiſibilium corporum, & ſpirituum ſpiritus in corpora degenerant. In hac ſeminis progreſſione elementa, corporumque principia ad miſtionem confluunt. *Omnino Seuerini ſententia eſt eſſe* 1. Elementa localia. 2. In his ſemina exiſtere. 3. Semina & elementa hæc producere elementa ſecunda: 4. Item principia naſci vi eorundem. 5. Copulari ſemina & elementa quodam ſpiritu. 6. Accedere externa elementa, &c. vt & ante dictum. Vnde patet fabulari *Seuerinum* quoque, & *Crollium*, licet Seuerinianus videri velit, tamen cum ipſo in explicatione non conſentire. Loquitur quidem Seuer. cap. 8. in hunc modum: Myſteria naturæ vi ſcientiæ innatæ & vocis ex inuiſibilibus propemodum principiis elementa primum diſponunt: mox trium principiorum diuerſas proprietates, officiis deſtinatis accommodatas ſeparando, partes conſtituunt, &c. Sed hæc diluuntur ſeminibus. Tutiſſimum eſt ſequi ſacras literas, & commune iudicium ſapientum cum experientia chymicarum reſolutionum. Iam ad *Hermetem* Hartmani. 1. *Principia ſunt corpora*. Bene, Iam ergo materia & forma conſtituta, dimenſionibuſque ſuis comprehenſa. Si autem forent materia prima creationis *Crollij*, aut ſpiritus illi, qui poſt dicuntur euadere corpora, non poſſent hoc genus defendere. Ita different etiam à ſeminibus fictitiis, ab elementis, ſeu vacuitatibus, & abyſſis commentitiis, aliiſq; nugis Paracelſicis, quales videmus in ſancto duplici. In deſcriptione ſeminum legimus ea ſibi fabricare principia domeſtica corporum & elementa. *Eſtne idem corpus & principium corporis?* Corpora *Seuerinus* coagulat ex ſpiritibus incorporeis. Hi poſſunt *principia corporum* dici ſociis ſeminibus. At *Hermes* non videtur hoc velle. Neque enim confundit ſemina, ſpirituſque cum principiis. Apud Philoſophos *corporum prima conſtitutio eſt ex materia & forma incorporeis*: Inde ſunt elementa: hæc corporum miſtorum. Aliqua ergo ratione principia ſunt incorporea, vt Ariſtotelica: aliqua corporea. Ita ſecundum *Hermetem* principia, quæ iam ſunt corpora, poſſunt eſſe membra corporum aliorum conſtitutiua, quo modo Phyſici mixta ſua ex elementis conficiunt. Debebant autem addidiſſe etiam Chymica in elementis, quæ Hermetici κατ' ἐξοχὴν appellant *principia, non corporum ſimpliciter, ſed corporum mixtorum*; neq; horum omnium, ſed tantum eorum quæ ſemina facultatum efficacium in ſe habent. Neque eſt hæc principii vſurpatio abſurda. Nam & apud Peripateticos non eſt eiuſdem ſignificationis, ſuntque re vera *quædam principia* omnia prima *Noetica vel Phyſica*: ſunt *principia mixtorum* καθόλου: ſunt certorum generum. Chymici ad vſum ſanitatis & morborum ſua accommodant. Itaq; non ſunt explodendi cum diſcrimen faciunt inter elementa nuda; & eſſentias commixtas, quæ principia facultatum appellant. Quod autem Paracelſici circa ea multum delirant, id non curandum. Deliramenta accidentaria non poſſunt tollere rerum veritatē. 2. *Principia ſunt corpora vitalia*, inquit Hermes. Obſcurum hoc. Num enim conferens vitam eſt vitale, an habens, exerenſque talibus operationibus? Obſcuritatem pariunt ſuperius propoſita. *Prima materia* dicebatur *fons vitæ*, & origo actionum omnium naturalium, generationum, mixtionum, tranſplantationum; idque non quouis modo cauſaliter, ſed productiue, dum dicitur *operationes producere*. Neceſſe autem eſt illis etiam vitales

Seuerinus de pr. & el.

Diſtinctio princip. & element.

Corpora triplicia.

Tria elementa. 1. loca. 2. Interna. 3. Externa.

Principia Hermetis Hartmani.

Corpora ex ſpiritibus.
Principia vniuerſalia.
Principia miſtorum.

Principia certorum generū. Sūt .n. quædam abſolute prima quædā relate
Principia vitalia.
Vitalia plura.
Prima materia Hartmani.

tales cõprehendi. Aut ergo principia, & materia prima ſunt idem; aut neceſſe eſt, quicquid habent efficaciæ principia, vi materię primæ habere. Hoc ſi eſt, qui ſunt principia? Si illud, qui mixta? Deinde de *forma* nõ dicebantur minora: tertio de *natura*, ſeu calido innato: quarto *de ſeminibus*: quinto *de calido innato* ſcribebatur eo omnia viuere: de *humido primigenio*, id eſſe perfuſum vitali calore; *Spiritum* quoq; eſſe viuificum: *Sulphur vitale* calidum innatũ vocabatur. Qua iam ratione diſtinguenda ſunt iſta *vitalia?* Imo & loca vacua muniebãtur *vitali validaq; poteſtate. Si principia ſunt ea, quæ vitalem poteſtatẽ habent, debent eſſe ratione huius omniũ prima.* Alias principia non erunt, ſed principiata, quia ab aliis accepiſſe prioribus neceſſe eſt. An vero τὸ *vitale* non eſt proprium quid & definitionis pars aliqua, ſed cõmune adiunctum à prima materia, Imo locis primis ſeu elementis puris in omnia deinceps ſparſum? Si ſic eſt: quod materia prima eſt vitaliũ operationum productiua, quod ſemina vitalia, forma, calor inſitus, ſpiritus, humidum radicale, natura, anima, ſpiritus æthereus à ſtellis influẽs, &c. vitalia, *id omne à loco incorporeo*, imaginario, abyſſis, orco orphei & aliis cõmentis primũ traxerint. *Ratione vitæ aut principia prima ſunt, aut illa quæ principiis præmittuntur. Non principia. Ergo illa.* Aſſumtio probatur, quia ante genita principia vitalia multa ſtatuuntur. Ex conſequente *principia non erunt niſi nomine tantum principia*, aut ſi etiam re, non ratione virtutũ, ſed corporeæ tantum cõpagis erunt: quod apud Chymicos ſapientes eſt abſurdũ. Nos ſtatuimus, poſt creationem, *naturam* ſingulis miſtis generationi deſtinatis, inditã nõ eſſe vocabulũ inane: ſed principium quoddam virtutum, & vitæ radicatum in tribus hypoſtaticis interioribus, ſpiritu, calore, & humido primigenio; quæ ſunt creata principia: Hæc poſtea in toto viuente ex ſe procreant. *Semen*, quod eſt principium generationis totius. *Totum quod generatur fit ſimile illi quod ſemen contulit. Tendit enim ad ſimile. Semen potentià eſt, id quod naſcetur ex ipſo:* Et hoc ſecundum ſpeciem totam prioris naturam habebit. Creata ergo in miſtis propagabilibus principia per ſemen transferuntur modo generandi in conſequẽs, in quo adoleſcunt, & adulta viciſſim generant.

Forma. Natura.

Vitale omnium primum.

Natura quæ creata eſt in generabilibus miſtis.

Cum autem hæc ſint tum corpora, tum poteſtatum ſubiecta & cauſæ. In miſto vero *duplex corporum genus* ſit, vnum *elementare*; alterum *eſſentiale*: vtraque quidem miſti ſunt conſtitutiua; ſed Chymici honorem principij deferunt his, in quibus poteſtates interiores, & eſſentiales vigent. Hæc poteris probare diuinis, humaniſq; argumentis. VITALE quod attinet, id multiplex eſt analogia. *Vita eſt vniuoca, vel æquiuoca.* Illa originem trahit tam in creatione, quam in natura creata à Deo, qui eſt benedictus in ſecula, Trahit ab eodem & altera ſuum primordium. Prior eſt in animalibus, & vegetalibus, omninoq; animatis. *Anima* eſt eius cauſa formalis, ſi quidem eſt *animati quà animatum forma: Animatum autem ſine vita nihil eſt* Hæc vtitur inſtrumentis generalibus. Vt ergo illa eſt originale principium vitæ ſecundum naturam: ita *inſtrumenta* ſunt per rationem inſtrumenti *vitalia*, ſuntq; ἔμφυτον *ſpiritus, & calor* vitalia. His natura humidũ quoddam item generale ſubiecit, quod in ſanguineis dicitur *ſanguis*, & in corde præditis potiſſimum *arterialis*. Hinc Deus ipſe dicit *vitam eſſe in ſanguine, & ſanguinem animam* Deut. 12, 23. Leuit. 17. v. 11. 14. *Anima carnis in ſanguine eſt: ſanguis animaliũ* (beſtiarũ) *anima eſt*. In exanguibus eſt analogum. Hæc ſunt illa principia quibus vita, actus ille ſecundus, in viuentibus procuratur. At viuunt & partes viuentiũ *ſpeciali vita*, quæ exeritur functionibus, vt cortex, lignum, germen, radix, in plantis, in animalibus caro, os, ventriculus, &c. *Particulariter* ergo & hæc *vitalia* dicuntur à propria, & ſpeciali forma. Sicut autẽ ibi vita erat principij & organorũ: ita & hic. Vẽtriculo. n. epati, cordi, cerebro, &c. peculiaris ratio & facultas ineſt vnde ſunt id quod ſunt, & ſuas functiones adminiſtrant, generalibus, & cæteris recte habentibus. In quibus autẽ eſt hæc ratio? Dicimus *in iuſta contemperatione eſſentiarum, & elementorũ pro ratione generantis, & ſeminis.* Talia. n. erant hæc actu in generantibus: talia potentia in ſemine: talia iterũ actu exiſtunt motu ſeminis determinato. Actiones autẽ requirunt inſtrumentariã formam: *Senſus poſſunt etiã in ſimilaribus* eſſe. Sunt. n. magis paſſiones, ſed non ſine præſide *anima ſentiente, quæ eſt principiũ ſenſus & motus animalis*. Hæc de vniuoca vita quæ alibi copioſius declaratur. Interim natura ſingulares quaſdam vires conceſſit materialibus primordiis corporũ, quas habent etiam illa vita deleta. Hę ſunt ad ſanitatẽ, & morbos comparatæ, vt ad tantũ ſit viuens, ſed & bene ſit, & vires habeat quibus aliis cõmodet. Hic iam Phyſicæ ſuccedit medica conſideratio. *Chymicus* explicat fundamenta huius vitæ, & monſtrat hanc vim in hac parte eſſe, illam in illa. *Eſſentialium ſubiecta vocat principia: qualitatũ primarum & ſecundarũ elemẽta.* Differre autem hanc vitam ab illa manifeſtum eſt. *Rhabarbari* eſſentia ſuam vitam exerit purgando bilem, cum vſu medico adhibetur vita prima iam deleta. Quid ad vitã plantalẽ purgare, venenum eſſe, nutrimentum eſſe? Hæc etiam illa extincta inſunt. Attamen contulerant aliquid etiã ad vitam primã. Sed hoc officiũ ceſſat in mortuis. *Medica vita eſt*, & in mineralibus. Ideo & hæc dicuntur vitã habere, eamq; ex ſeminio analogo. Elementa non ſunt inualida. Quis. n. hoc negaret niſi dementiſſimus & maximè inſenſatus Paracelſiſta? Verum non dicuntur principia medica propter qualitates nimis generales, quæ tamen ſi attrahantur ad ſpeciem, eidem vitæ accedunt. Si hæc non concedis, fatere te in ſpecu Platonis adhuc deliteſcere.

Ex duabus miſti partibus principium illa dicitur quæ facultatum interiorum ſedes eſt.

Vitale & vita. Anima.

Principia Chymica medica vitã reſpectu ſunt principia, nõ abſolute.

3. *Principia ſunt corpora actiua dicit Hermes.* Primũ idem tribuebatur materiæ primæ. Quod. n. producit operationes, & morbos ſanitateſq; moderatur actiuum eſt. *Actio eſt motus agentis in patiẽte diſpoſitio quà agens. Actiuũ eſt motiuum*, vtpote mouendi potẽtiam habens. Principia itaq; ſunt *motiua*. Motus ſpecies ꝓductio eſt, & moderatio. Dicet Hermes à materię primę actiuitate, & motu differre, quia materia remotè ſit cã actionũ, principia ꝓpinque: Dico viciſſim; materia ergo prius principium eſt, atq; *ita erit principij principiũ.* Deinde ꝙ producit operationes pro diuerſitate tincturarũ diuerſas, morborũ coctiones, criſes, & ſanationes moderatur, non vſq; adeo remota cauſa eſt, nec dicitur per principia iſtud agere. Verum, quia ſtultũ eſt primæ materiæ tale quid tribuere; *Eſt. n. eius tota potentia paſſiua, vtpote quæ ſit commune ſubiectum generationum*: hoc mitto.

Principia actiua. Materia prima item actiua.

Forma etiā actiua. *Natura factiua.* Secundò *actio formæ* interiori dabatur. Nam *corpus sibi suum fabricare* perhibebatur, quasi aliquod separabile esset. Hoc erit alterum principium principiis prius, quanquam speciali, & valde seruili officio destinatum, vt stultitia eo sit illustrior.

Tertiò *natura* dicitur *facere*. Est autem & hoc agere. *Ignis omnia vniuersim mouet: Est viuus: Et ille ignis est natura.* Habemus tertium principium vniuersale principiis posterioribus, permittēdum, & quidem mirum est, hoc *vniuersim omnia mouere*, non autem idem dici de materia prima, quæ longè est generalior. Sit & hoc insanientis sapientiæ argumentum.

Anima actiua. Quartò *anima scribitur esse actus corporis organici.* Et hæc ergo est actiua. Appellatur nomine *tincturarum radicalium, & vitalium qualitatum*, quæ cum & principiis cōferantur, *animam principium esse* sequitur. Quod si istas qualitates generaliori modo habet quam hæc principia, consequens adhuc est *esse aliquid prius primo & principia non esse nisi nominis æquiuocatione*, præsertim cum tincturæ illæ, & *Principia aliūde viuere.* qualitates reliquis dicantur vitam affundere. *Principia* itaq; *tria ex se non viuunt.* O misera & egena principia.

Humidum calidum actiuum. *Vitæ fontes vniuersales quatuor.* Quintò *humido primigenio vitali calore perfuso omnia viuere dicuntur.* Quod facit vt viuant omnia, itidem est actiuum, & omnibus causa prima vitæ, adeòq; principium, & sic principia Atriensia iterum non habebunt in se vitæ fontem. *Committatur* autem *calidum innatum cum anima*, hoc est, tincturis & qualitatibus vitalibus, Item cum naturæ igni, & inter se de primatu certent. Idem enim his tribus generalem ascribitur: Imo & materia est fons vitæ. Ecquod ex his quatuor palmam obtinebit.

Loca actiua. Sextò *potestatē vitalem* habent & *loca vacua*. Quam aliam nisi actiuā? Ea vero omniū prima esse necesse est. Nihil.n.locari potest ni locus sit, adeo, vt Philosophi quidā non ratione tantum, sed & tempore, & existētia locum mundo præmiserint. Locus ergo, seu elementa pura erunt actiuū principium omnium primum, & Atriensia Hermetis longis spatiis antecedent.

Quintus fons vitæ. Septimò in Mesaulō dicitur *lux cœlestis omnia vegetare, fœcundare, viuificare.* Necesse ergo est & hanc esse principium. Omnia.n.qui dicit, nihil excipit: & vegetare, fœcundare, viuificare est AGERE. Lux ergo item est actiuū principium, quod nō tantum sede mouebit principia Atriensia, sed & materiam primam, actiuū vitæ fontem, & reliqua, nisi fortè cum igne naturæ conspiret. At tunc eo fiet fortior, præsertim si & calor innatus accedat.

Octauò est *Mercurius quidā Physicochymicus*, qui dicitur *secretus mundi spiritus, qui nomnē spiritum in orbe agat.* Et sit spiritus corporeus, corpusq; spirituale omnia permeās. *Si omnē agit spiritum qui est in mundo, estq; corpus, necesse est vniuersale corpus actiuū esse.* Præcedentia septē fortasse dicētur actiua vniuersalia incorporea (quanq; de humido primigenio corporis ratio negari nō possit) vt sic hoc modo à principiis atriensibus, quæ sint corpora actiua differant. At quomodo spiritus iste nō erit principiū actiuum, cum *cum corpus omnis spiritus agitatiuū dicatur?* An vero non aget etiam spiritus principiorū atriensium? Si ita, rursus habemus *principiū principiis prius*. Alij tamen Paracelsistæ olfacientes deliramenta ista cruda, & incondita idē dicunt esse principia, astra, tincturas, spiritū æthereum, &c. Sicut & calorē insitum, & ignem naturæ cum sulphure conciliant. Quid.n.opus est tam variis figmentis: Si item vnum potest omnia quorsum cætera *cum Deus & natura nihil faciant frustra?*

Nonò accedunt semina. Proh fidem Hermetis, quanta sunt hæc virtute? Mirifica agēdi potestas demonstrat hæc esse astra inferioris globi. Ne dicas hæc nō habere corpora, nominatim eis tribuitur *fabrile artificium*. Nam cum in *scenam mundi* ex Vtopia protrahuntur elementa arripiunt sicut faber materiarius ligna, & ex eis sibi fabricant corpora, quod & de formis scribebatur. Sunt itaq; semina quædam formæ corporū certorum, vt totum quod ex illis, & corporibus conflatur sit aliquod ens corporeū mirifica agendi potestate præditum, & productiuum indiuiduorum, latitans in externis elementis vt monachus in sua cappa. (Dicuntur enim semina sibi fabricare corpora, & induere externa elementa.) *Vbi iam atriensia principia, dicta corpora, vitalia, actiua?* Fortasse sunt illa ipsa quæ semina sibi fabricant ex elementis internis, & vestiunt externis. Nam dicuntur domestica principia. Hoc si est, qui defendere possunt nomen principiorum? Si sunt conflata ex elementis duplicibus, & seminibus, principia non sunt. Hoc quoque est insanientis sapientiæ argumentum. Sed taceamus de collatione cum aliis. Si tria ista atriensia sunt actiua principia, *an nullū est passiuum? Si est quod primum agit, necesse est esse etiam quod primum patitur. Actio est actus agentis in patiente. Tolle patiens, tolles motum agentis. Motus est actus mobilis.* Sapuit certè *Quercetanus, qui duo passiua principia tribus actiuis substrauit.* In Hagiasterio suo Hermes monstrabat primam materiam, & vocabat eam *verum & essentiale subiectum possidens omnes formas actu.* Quanquam hic quoque insaniebat (quomodo enim potest esse subiectum omnium formarum actu, & tamen productiua esse operationum, & actionum omnium naturalium?) Veruntamen cogitare possumus *materiam primam aptè principium statui.* Nam *principij ratio est primum esse.* Si hoc recipimus, deliram descriptionem materiæ primæ ad Cynosarges mittamus, & retineamus rationes eius propriam, quæ est *receptiuitas formarum omnigenarum secundum potentiam, & qua est passiua:* non secundum actum, vt stultus *Hermes* garrit, *cum fieri non possit vt vna materia omnes actu formas habeat*, quanquam sit capax omnium. Quid quæso fiet formis sibi mutuo succedentibus in generatione & corruptione, quas veteres *assumtione, & abiectione formarum* definierunt, vbi intereunt quædam, quædam nascuntur: vel de seminibus, quæ *Seuerino, & Hartmanno* ex orco veniunt, & in orcum redeunt? Eo modo, quanquam affectione mutata, belle dicetur subiectum commune. Actiua enim principia erunt in ea, vt in subiecto. Sed tunc oportet nos Philosophiam Paracelsicam de seminum Loco, & abysso mutare: Item oportet fabrilem artem formis, & seminibus adimere: Oportet principia ab elementis separare.

Dari deberē & passiuum principium. *An materia prima sit principium passiuum.*

Ratio

Ratio eſt: *Si prima materia eſt principiorum actiuorum & formalium primum ſubiectum, non erunt elementa*, nec poterunt ſemina ex elementis ſibi fabricare corpora, vti neque formæ. Nam principia coniuncta primæ materiæ eam ſatis informant, & ex prima vltimam faciendo ſenſibus ſiſtunt in aperto mundo; ſicut finguntur & ſemina, & formæ facere. Si vero principia elementis committuntur, quid reſtat, quam, vt dicamus, elementa eſſe materiam primam, quia principia formalia ſunt prima? *Primæ formæ non poſſunt eſſe niſi in materia prima.* Sint in ſecundis: Non ergo ſunt primæ formæ, ſed ſecundæ, iamque ſenſibiles. Sed aliud obſtat. In deſcriptione principiorum videbimus, non opus eſſe materia & ſubiecto, aut principio paſſiuo. Quî ſic: Quia SAL iſtam prouinciam ſuſtinet. *Subſternitur enim Mercurio & ſulphure*, tanquam *priuationi & habitui*: & in ea ratione *ſulphur eſt actiuum, Mercurius paſſiuum; ſal ſubiectum continens, compingens, vniens, ſolidans, & congelans omnia*. Rurſus ad alia trahimur. Quæ illa? In quarta diſputatione Iatrochymica, quæ dicitur auguralis pag. 42. 43. eius operis, *quatuor principia* proponuntur corporum naturalium hypoſtatica: Tria ſcilicet illa nota, & quartum, non ſpiritus apud Crollium, nec aqua & terra apud Quercetanum; ſed *terreum elementum, caput mortuum* dictum, quod tamen toti *non eſſentialiter*, ſed *contingenter per naturæ errorem* adeſſe dicitur, *ſecum gerens non vitæ, ſed mortis anatomiam.*

Sal ſubſtratus Mercurio & ſulphuri.

Quartum principium Hartmanni Delirium de quarto principio.

Num ergo hoc eſt principium paſſiuum? Si eſt principium, & quidem *hypoſtaticum*, hoc eſt, vt in ſalis expoſitione appellatur, *ſubſtantificum*, neque tamen eſt formalis ſubſtantia, materialem eſſe, neceſſe eſt. Atqui deſcriptio reclamat. Quo modo? *Quod hypoſtaticum & ſubſtantificum eſt, neceſſe eſt eſſe partem ſubſtantiæ conſtituentem.* Nam id ſignificat in principiis τὸ ὑποστατικὸν & οὐσιοποιὸν ſubſtantificum, ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ conſtitutiuum tanquam integre eſſentiale membrum, vt materia & forma. At diſputator *Hartmannus* in augurali diſputatione negat eſſentialiter adeſſe, (per naturæ motum regularem & ordinarium ſeu per ſe,) ſed per accidens ex errore. Contemplare tuam Philoſophiam *Hartmane*, & abiecta inſaniente ſapientia magiſque tam putidis, ad ſaniorem ſcientiam redi. Pergamus.

4. Principia dicuntur etiam *formalia corpora*. Margini appoſita vox eſt *hypoſtatica*, qua vtitur *& Quercetanus*. Si corpora ſunt formalia, neque tamen formæ, de quibus agebat hagiaſterium, ſunt fortaſſe illa, quæ ſibi *formæ* dicebantur fabricare: Imo illa quæ *ſemina*. His enim tribuitur nomen *principium*. Si hæc ſunt, ex elementis prioribus ſunt, & quidem his, quæ Ariſtoteles vocat reſpectu terræ & aquæ, propterque calorem *formalia*, nempe igni, & aere, quæ apud *Seuerinum* conſtituunt globum ſuperiorem. Credibile hoc foret, niſi *Crollius* turbaret fidem. Nam ille ſic interpretatur *Seuerinum*, vt videatur TRIA (vel quatuor) *principia omnium prima ſimpliciter facere*, & poſtea ex iſtis tribus condere *elementa quatuor*, per quatuor modos, ita vt cœlum ſit factum vno modo ex *mercurio, ſale, ſulphure*, alio modo *aer*, alio *aqua*, alio *terra*, atque ita quatuor hæc elementa ſingula ex tribus conſtent, vnde in elementis exurgit duodenarius numerus præter tria abſolute prima. Si hoc eſt, principia non poſſunt eſſe corpora ſeminum ex elementis. Forent enim poſteriora. Imo *Seuerinus* elementis illigat principia, *non vt conſtitutiua eorum, ſed vt ſocia.* Itaque & ſeparari poſſunt magna ex parte, relicta aliqua portione inſeparabili, cuius merito principiis aſtant etiam *qualitates elementares*. Si principia forent partes conſtitutiuæ elementorum, elementa tota in principia diſſoluerentur, & non ſepararentur. Item periret miſtio Seueriniana, totaque Alchymia confunderetur. Quin & hactenus magna iniuria affecta eſſent elementa damnata. Si enim conſtituta eſſent ex beatis principiis beata eſſent. *Hermes Atrienſis* propius accedit ad veritatem, antiquorumque Chymicorum, & *Ariſtotelis* mentem.

Formalia hypoſtatica.

4. Cœli. tex. 23.

Crollij delirium de principijs, quod & elementa efficiant.

Vera ſententia de formalibus

Nam illa principia eſſentialia Chymica, quanquam ſint corpora materiata, tamen propter vires formales magis ſunt formæ, vti & à *Meſue* dicuntur. Sic *Ariſtoteles* aquam & terram propter ignobilitatem & frigiditatem vocabat corporum miſtorum materiam, innuens, quæ aeris & ignis maximeque ætheris & ſtellarum naturam æmulantur, eſſe formas. Vide 4. de cœlo cap. 3. text. 23. & 3. gen. an. 11. 2. Gen. an. 3. 4. met. cap. 4. Ita & hypoſtatica ſunt, ſi ea vox accipitur de conſtituentibus eſſentiam miſti nobilem, & principalem. Aliàs aliud quid ſignificare notum eſt.

5. Hermes Atrienſis ait, *principia eſſe corpora, & ſimul* RATIONES SEMINVM. Hoc ſi quis poteſt explicare, eum OEdypum dicemus. Conſuetum eſt in Philoſophia rationem (λόγον) appellare *definitionem rei eſſentialem*, potiſſimumq; *formam, qua eſt id quod eſt*: vt: mollia, dura, lenta, rigida, & alii affectus poſſunt à qualitatibus actiuis primis proficiſci: *At ratio qua iam caro, vel os eſt, non poteſt, ſed efficitur à motu proficiſcente ab eo, quod genuit, quod actu eſt id, quod potentia eſt, ex quo gignitur. Ita & ferrum molle durumue fit à calore vel frigore; at enſis à motu inſtrumentorum, qui motus artis obtinet rationem.* 2. Gen. an. 1. Si principia ergo ſunt rationes ſeminum, ſemina per principia poſſent eſſentialiter definiri. At hoc non eſt. Nam *ſemina* priora ſunt in ſuis abyſſis, & cum prodeunt, fabricant ſibi principia pro domeſticis corporibus ex elementis, ſi verum dixit *Hermes* meſaulicus. Quin & abſq; eius vel negatione vel affirmatione, (cum enim ſtolidus & delirus ſit, parum refert, quid aiat, negetue) *ea principia, quæ Chymici ex miſtis extrahunt, ſunt ſeminum fructus*. Quomodo ergo poſſunt eſſe ſeminum rationes? *Auguſtinus* ſeminarias rationes in elementis agnouit. Hæ non differunt à ſeminum occultorum formali eſſentia. De principiis, liquore, oleo, ſale, corporeis nihil ſciuit. Eſt & *aliud ratio, aliud corpus ſeminis*, vt & aliud genitura, aliud corpus geniture. Id patet quouis in ſemine corporeo. Si enim pars ridicalis, in qua eſt principium ſeminale, tollitur, aut exoleſcit vis eius, corpus infœcundũ reſtat. *Si principia ſunt corpora, non ſunt rationes ſeminum.* Quod vero, *Hartmane*, tu principium ſeminaſti, & vidiſti ex eo naſci quippiam? Non ignoro imaginationem effigiem repræſentari poſſe in certis extractionibus: at aliud eſt principium ſeminale generatiuum ſimilis, aliud illa imago; aliud corpus principiorum ratione virtutis medicinalis. Tu nunquam quæſiueris tua principia in Orco

Ratio in Phyſica & logica

Seminaria rationes.

Paracelſia circa principia confuſa. Orphei, in quo tamen ſemina vidiſti. *Seuerinus* cap. 9. vt miſtiones fiant, requirit *motorem*, quem vocat *principium vitale, ſcientia inſtructum, formam, ſpeciem, ſemen, aſtrum,* (omnia ſunt omnia in Paracelſia) *cuius poteſtate vitali & ſcientia* SEMINA *ex Iliado,* (orco orphei, abyſſo, &c.) *in mundum prodeunt.* Hic ſemen trudit ſemina. Quid præterea? *Semina hæc à ſeminibus principiis producta conſtituunt ſibiipſis* ELEMENTA & PRINCIPIA *domeſtica corporum, & permiſcent.* Ecce principia ſunt prima, quæ eadem ſemina. Sunt ſemina ſecunda ex primis. Hæc tandem conſtituunt principia ſecunda chymica. Tu confundis prima cum ſecundis. Audi & hæc *Seuerini. Miſtionis ſubiecta ſunt elementa & principia.* Hæc vnde? *Producuntur ex alimentis virtute ſpirituum mechanicorum, vt reſtaurentur elementa & principia corporum quæ à ſpiritibus vitalibus in horas conſumuntur.* Si hoc: erunt prius ex generatione orta. Generatio eſt per ſemen. Vides itaque non poſſe eſſe principia Chymica ſimul, id quod ſunt, effecta ſeminum ſcilicet, & nata ex alimentis, prætereaque etiam ſeminum rationes. Idem Seuerinus in transplantatione vegetabilium & mineralium itidem habet *principia ſeminum vitalia & inuiſibilia, quæ ſint dicta ſpecies* à philoſophis, h.e. dum Philoſophi dicunt vniuocas ſpecies generabilium ſe propagare per ſemen, principium quoddam ſeminis productiuum eis tribuunt, quod eſt potentia generatiua. Semen genitum in ſe habet principium ex principio, poteſtque in ſua matrice gignere ſimile ei, cuius ſemen erat. In hoc ſimul naſcuntur principia Chymicorum medica, vt ſemen ſit via & cauſſa ad principia, non autem principia (intellige atrienſia Hermetis ſalem & congenea) ſint ſeminum

c. 8. Seuerin. rationes. Ita *ſemen dicitur vitale principium propriæ ſpeciei*: Item c. 7. *Principia iſta tria dicuntur explicare proprietates ſeminum*: nimirum cum talia ſint actu qualia ſemina poteſtate. *Effecta arguunt ſuas cauſas.* Idem eodem cap. *Species corporum vniuerſæ ſunt ſoboles rationum & ſeminum.* Hic rationes & ſemina

Hartmani inſcitia. ſunt cauſæ ſpecierum corporearum conſtitutiuæ. Vin' dicam candide, quid ſentiam *Hartmane?* Tu apoſtata ſcholæ peripateticæ nec Peripateticam ſapientiam intelligis, nec Paracelſicam diſciplinam noſti. Da veniam veritati.

6. *Principia ſunt ſoboles ſeminum.*) Hoc conſentit cum eo, quod in meſaulo dicebatur, ſemina ex elementis (internis & ſpiritualibus) ſibi fabricare domeſtica corporum principia, quanquam ἀκυρολογία ſit in locutione. *Deus creauit miſta efficacia in initio.* Hæc eſt prima origo principiorum. Creauit autem in ipſis miſtis, non extra, ſic, vt vnicuique ſuam ſpeciem propagandi naturam daret, plantis quidem & animalibus per ſemen vniuocum: exceptis æquiuoce naſcentibus, quibus principium ſeminale, ſeu productiuum ex reſidua creationis virtute in terra & humore actuante

Paracelſiſtæ naturam & artem confundunt. calore & ſpiritu fœcundo eſt: mineralibus per analoga principia. Prima creata ex ſe genuerunt deinceps ſequentia, *non fabrili aliqua arte, ſed natura,* quæ non eſt confundenda cum arte, cum *hæc ſit externa ratio, illa inſita & interna.* Si itaque ſemina gignunt, vel potius plantæ, & animalia per inſitum principium, & ſemen naturale, non fabricant ſibi corpora quaſi ex arte ſcienter operarentur, ſed *naſcitur ſimile ex ſimili vi interna*: Roſa gignit roſam, arbutus arbutum, canis canem per ſemen naturaliter. Genitum eſt ſoboles gignentis, nec dicitur ſemen gignere ſemen, aut fabricare ſibi corpus; ſed planta plantam, animal animal per ſemen. Planta vel animal iam generatum poteſt eſſe frugiferum, vel non, pro Dei benedictione. Itaque finis non eſt vt ſemen primum ſibi ſimile ſemen fabricet: alias triticum agno commiſſum non deberet in plantam abire, ſed fieret triticum granis multiplicatum: verum vt planta plantam generet per ſemen, cuius poſtea fructus poteſt in ſe ſemen aliud habere. Neque enim hoc neceſſe eſt in genere plantarum, cum ſeminales rationes & principia in illis ſint etiam alio modo. In genere animalium quoque ſimilitudo eſt ſecundum ſpeciem; at non ſemper ſecundum fœcunditatem & fructum per ſemen. Recipimus ergo, *principia chymica ex ſeminibus cum ſpecie prodire in his, quæ ſemine propagantur, ſi matureſcunt*: Vulcaniam autem illam fabricam explodimus. Deinde admonemus Hermetem atrienſem, vt cogitet quid dicat. Si principia ſunt ſoboles ſeminum in plantis vel animalibus, quæ regulariter per ſemen naſcuntur, & ſemina fabricant

Si principia ex elementis ſunt per ſemina, iniuſte traducuntur Galeni elementa. ſibi corpora principia ex elementis, qui fit vt elementa Ariſtotelis, Galeni, Hippocratis & aliorum tantis diris inceſſantur? Cur elementa tot probris afficiuntur? Præterea ſi principia ſunt ſoboles ſeminum, quod eſt quod *Seuerinus* dicit, *ſpecies vniuerſas corporum eſſe rationum & ſeminum ſobolem?* An tantum principia ſunt corpora? Inſuper idem *Seuerinus* ait, *ſemina in ſcenam mundanam ex abyſſo prodeuntia coniugio iungi cum principiis, & cohærere elementis.* Si hoc verum eſt, principia non ſunt ſoboles ſeminum. Verum iſta eſt licentia Paracelſiæ. Nec Poetis nec pictoribus adeo mentiri conceſſum eſt.

7. *Principia ſunt corpora inſtructa, & dotata proprietatibus ſeminum.*) Si ſemina ſibi fabricant corpora, fieri poteſt, vt aliquod ſui argumentum in eis relinquant. *Qualis enim cauſa, tale effectum.* At proprietates ſeminales non videntur concedere poſſe, niſi per generationem naturalem, qua fit ſimile illi, cuius erat ſemen; vnde poſtea non ſemen gignit ſemen, ſed quod ex ſemine genitum eſt decreto naturæ eo modo poteſt viciſſim ſemen proferre, & ſecum habere, ſicut id cuius ſpeciem ſeruat, ſeu à quo ſpeciem accepit. Faber in gladio vel ſerra artis ſuæ veſtigium producit, at non inſtruit, dotatque gladium, vel ſerram proprietate ſua, vti nec naupegus nauim. Conſtare hæc non poſſunt, ſi fabrilem ſeminum retinemus. Alio vero modo non negandum eſt, talia fieri principia, qualia vi ſeminum poſſunt eſſe, modo matureſcat id quod genitum eſt, & nihil aduerſi patiatur. Id autem ſecundum potentiam, & non actum Paracelſicum illum fictitium. Ex *ſemine citri, cedri, quercus, pinus, &c.* naſcuntur ſui generis arbores iuxta naturam ſeminis. Arbores iſtæ diuerſis partibus diuerſam vim principiorum habent. Itaque ex corticibus, fructibus, lignis extrahi poſſunt diuerſæ eſſentiæ, quæ non ex frondibus, foliis, floribus; ſed nec ex ſemine; quod tamen fieri debebat, ſi actu in eis fuiſſent. Ex corticibus Cinamomi præclaræ res fiunt, at non ex aliis partibus plantæ, nec ex ſemine. Sic cogita de *Zingibere, nuciſta,* & aliis. Eſt tamen, in quibus magna conuenientia inuenitur fructuum,

fructuum, & plantæ, vt in baccis iuniperi, cortice, & ligno: at non ita in ligno foliisque vitis, vuis, succo vuarum, & acinis. Hermetem itaque iterum iubemus ad sua verba attendere.

8. *Principia dotata proprietatibus seminum, vigore earum post se relinquunt constantes tincturas*, &c. Qualia semina sunt, talia & ex eis nata. Talia semina, qualia illa, quorum sunt semina, vt naturalis sit procreatio ad similitudinem procreantis. Ex semine cinamomi cinamomiferam arborem nasci certum est. In hac si maturescit cortex cinamomum, simul essentiæ emergunt efficaces. Harum virtus & potestas videtur hic *Tinctura* vocari, vt sit tenebrionum sermo tenebrosus, obscurusque. Non raro fit vt radix, semen, tinctura, astrum, balsamum, principium, elementum, &c. sunt vnum & idem. Ita apud *Crollium* cœlum internum, astrum, corpus astrorum, spiritus mundi, corpus inuisibile insensibile, spiritus naturæ, hylech, omnia astra, faber occultus, spiritus sidereus, ens seminis, virtutis, insita seminum potestas, &c. parum aut nihil differunt. *Seuerino* balsamum est radicalis tinctura conseruans interna elementa. Verum non est, vt de aliis dicamus, cum plærique vocibus vtantur pro arbitratu, & hinc occasionem sumant omnia argumenta eludendi, nolentes secundum literam intelligi, quod *Crollius* de *Paracelsi* scriptis asserebat. *Hermes* in *Hagiasterio* suo primæ materiæ attribuebat productiones operationum in corporibus pro diuersitate tincturarum. Putes potentias & dispositiones intellexisse, quomodo vna simplex anima diuersa edit opera pro potentiis in singulis partibus & instrumentis. In descriptione *animæ* mirificis commentis illustrare legimus, eam *tincturas radicales, δυνάμεις Hippocratis, cherionium Paracelsi, vitales qualitates*, &c. obtinere, in quib. tanquam puro & diuino corpore, habitet. Vnde patet tincturas principiorum esse vires illas, quas exerunt: corpora vero principia ipsa. Necesse tamen est differentiam esse tincturarum illarum, quas anima moderatur, & harum quæ principiis tribuuntur, quæ etiam sine anima iam extractis & separatis insunt, illis anima digressa manentibus in nuda potentia, tandemque exolescentibus, nisi quod aliquando spectrum & imaginem formæ quandam repræsentent res putrefactæ, si arte tractentur. Sit ergo hoc quod *semina aliqua sint caussa, cur principia, seu essentiæ chymicæ sint potestate mirabili*, propriaque instructa: verum eam remotam esse, necesse est. Ratio est: quia proxime virtus principiorum est ex sua planta, animali, vel minerali, cum semen intereat generando, & tantum primordium naturæ nascentis afferat; absolutio vero deinceps aliis caussis administretur. *Nihil generat seipsum. Cum vero generatum est, sustentat seipsum adminiculis adiutum naturalibus*, aliquando & artificialibus. Plantæ & animalia nutrimento crescunt, & adolescunt, & maturitatem caloris ope consequuntur. Hinc fit vt *Rhabarbarum* purget, cum semen eius hanc vim non haberet. Sunt semina quorundam sapore & succo longe alio quam plantæ, & earum partes, vt nux iuglans testatur. Causam *Hippocrates* reddidit, quod *humor terræ subsit, qui in alimentum trahatur*, fiatque actu amarus, salsus, acidus, &c: in plantis similiter dispositis. Hæc etiam caussa est cum *loci natura*, & aliis concurrentib. ad prouentum, vt principia mistorum non vbiuis pari felicitate nascantur, sintque alicubi res nocentiores, alicubi mitiores, licet semina eadem. Nota res est de serpentibus, scorpiis, cicutis, persea, &c. *Transplantatio & insitio* quoque mutationem affert. *Virgilius* & alii rerum rusticarum scriptores longe sunt peritiores huius Philosophiæ, quam *Hermes* atriensis *Hartmani*. Mirum quoque est, seminibus adiuncta esse ASTRA media illa coniugii, aut potius efficacia illa agentia, quæ in Mesaulo dicebantur *influere per Lunam*, & aliàs à Paracelsistis pro palmario habentur. Mirum nihil tribui animabus, & formis. Sed *Hermes* fortasse bene potus erat, aut somniculosus cum atrium intraret.

Tinctura.

9. *Principia sunt caussæ propinquæ temperamentorum & craseon.*) Non potest Paracelsia carere temporamentis, & crasibus Galenicorum. Nihil sciret, nisi sapientes prisci Galenicæ disciplinæ inuenta sua publicassent. Accusat tamen *Galenicam* quasi temperamenta Aristotelica ex elementis & qualitatibus meris confecisset. Non negamus *per nomina elementorum, & qualitatum primarum enunciatas esse mistiones & contemperationes*. Item conplexiones humorum, insiti, & cæterorum, calorisque, & spiritus mutationibus fuisse explicatas. Sed addimus *Principes medicinæ etiam interiora, & formalia comprehendisse*, quæ postea Chymici nominibus *essentiarum & principiorum* seorsim exposuerunt. Inde *duplex* est *contemperatio, vna virtutum essentialium* in interiorum essentiarum, & principiorum mixtione, quæ est *crasis totius naturæ: altera est elementarium qualitatum*. Vtramque & Medici Galenici, & Chymiatri profitentur, adeoque hoc nec *Seuerinus*, nec *Crollius*, nec *Hartmannus* negare possunt, vt cogantur dicere *elementa*, & eorum *qualitates* esse *inseparabiles* ab essentiis, & vnam rationem mistionis debere etiam his. Hæc probo per *Hermetem* hagiastericum. Huic *materia prima* in massa informi latens est origo omnium mistionum. Ergo & Craseon: cumq; *mistio* principaliter fit *duplex, principiorum* & *elementorum*, necesse est primam materiam esse duplicis temperamenti caussam. Deinde cum de *calido innato Hermes* loqueretur, dicebat id esse *totam Galeni substantiam*. Hæc nihil aliud est quam *temperamentum internum essentiale*, conspirans cum externo elementali. Ita contemperatur *calidum insitum, humidum primigenium, & spiritus* apud *Aristotelem*, non sine elementis, sed cum ipsis. Quæ est caussa calidi innati non simplicis, sed mixti, ea & craseos essentialis. Iam tertio loco *principia sunt proxima caussa temperamentorum*. Quanquam rectius diceret *Hermes* iste sapientibus *principia contemperata esse subiectum inhærentis temperamenti*, quod non est substantia, sed accidens: tamen non multum de phrasi litigamus. Ita pro *Galeno* argumentamur: *Quod inseparabile est à principiis, & eorum virtutibus, id illis contemperatis simul contemperari necesse est, & quod singulis inest, id simul ad misti constitutionem concurrit, nisi perire sit statuendum. Qualitates elementares sunt eiusmodi.* Et quod etiam concurrerint, mistio ab initio à Deo ex elementis instituta testatur, & postea continuata procreatio, extractioque, & proprietates extractorum. Conclude *Hartmanne*, & deinceps in *Galeni* qualitates insanire noli. Hæc quoque moneo. *Hermes* tuus,

Temperamenta.

Galenicæ crases triumphant. Vide c. 8. Ideæ Seuerini, quomodo ex :licet Hipp. humores etc. Item c. 6. vbi de indissolubili nexu seminum & elementorum.

Pro Galenico temperamento interiore.

Fabri duo Hartmani. Hartmane, habet duos fabros: prior est *forma*: posterior est *semen*. Vterque sibi fabricat corpus, cuius, si est animatum, organici existentis entelechia est anima, te iudice. Dic quæso cum fabricant, miscentne simul, an iam mistam materiam formant tantum? Si ex elementis sumunt materiam, vt Hermes de seminibus disserebat, ariolare an non etiam misceant. Quæ iam sunt *propinqua caussa*

Crasis. Hipp. in lib. de locis in homine. 1. part. an. 1. 2. Gen. an. 4. Græcis 6. in reb. quæ fiūt plura haben tur principia *Craseon*, materia prima, an forma, semina, principia? Quia subsannator es, ludus es faciendus. Dic: *In his plura principia esse vtile est.* Quanquam enim Aristotel. in 3. part. an. cap. 4. dicat, vbi fieri possit, ibi vnum principium melius esse quam plura, & Hermetici velint *omnia ab vno, omnia ad vnum*? tamen & tria principia agnoscit Philosophus & quatuor caussas, imo & analogica plura. Ita Hipp. in 4. de morbis, *Principia morborum tria habent; victus rationem, constitutiones ex cœlo, & violentiam*: Cur non & craseon habeat plura?

Crases existere per semina, & dū generantur, simul fieri mista. Sed legendum est Cap. VII. Ideæ *Seuerini*. In eo est sapientia sapientiarum contra *Physicos contemperatores* SCILICET. Capite octauo, vbi de generatione agit, sic inquit: *Generatio est progressio seminum, in qua ex fontibus, abyssis, & vitalibus principiis ordinata corporum explicatione in hanc mundanam scenam definitis temporibus progredientia, custodiunt perpetuitatem specierum renouatione indiuiduorum. In hac liturgia fiunt visibilia ex inuisibilibus, & corporea ex incorporeis potestate scientiæ vitalis & immortalis vigentis in vniuersa natura.* Huius efficientia producuntur? Quæ res? Attende: *Elementa, corporum principia officiis consentanea, colores, sapores, odores, caliditates, frigiditates, humiditates, siccitates, magnitudines, situs conformationes, consensus, durationes, digesta, tempora, & omnia ornamenta corporum admi-*

Bellus consensus Paracelsistarum. *rando ordine*: qualia legimus in tuo sancto sanctorum de FORMÆ interioris operationibus, quasi sit vna res SCIENTIA SEMINVM, & interior forma, aut semen idem foret quod forma rei. Sed hoc iam non ago: Illud volo: *Quod generat totum secundum materiam & formam, cum prius non esset*, (si enim fuisset, non generaretur, cum falsum sit, generationem esse ex latibulis progressionem in conspectum, quo modo sol & luna indies generarentur, & in carceribus detenti item denuo fierent, si emitterentur) *idem etiam crases vtrasq; producit*. Ratio est, quia *Seuerinus* dicit, qualitates sensibiles omnes, & omnia ornamenta effici à generante, vel saltem in generatione, quæ est *motus generantiū sibi simile, quod prius non erat, id quod futurum est, nisi potentia*, si omnia ornamenta & qualitates: etiam crases & temperamenta. Assumo. Semina potestate scientiæ vitalis (addere tibi licet formas tuas) generant totum secundum materiam & formam, cum prius non esset. Nam *Seuerinus* nominatim dicit, *specierum perpetuitatem custodiri renouatione indiuiduorum*, quæ non est interpolatio, aut accidentaria sordium detersio, vt ex vetere inquinato quasi nouum appareat, sed essentialis productio, vt indicat multiplicatio. Concluditur ergo, *semina sua illa scientia etiam crases & temperamenta producere, & mistiones peragere.* Si hoc officium est seminum, quî potest esse principiorum, & elemento-

Omnia principia Chymica sunt per se mista, & talia nascūtur. Vera ratio craseon. rum? Imo iuxta *Seuerinum* principia & elementa etiam, fiunt ab ipsis seminibus, cumque nullum principium sit non mistum, & sine crasi, necesse est eorum generationem per semina simul esse mistionem, simulque eadem & fieri, & misceri adeoque crases existere tum secundum totum, tum totius partes mistionis interioris, quæ tribuitur principiis. Arbitror te rem intelligere. Si tamen nondum; repeto quod supra dictum est 1. Deum creando ex omni genere corporum in principio ex nihilo conditorum produxisse mineralia, plantas & animalia. Hoc enim ostendit resolutio. Non quidem opus erat Omnipotenti hinc & inde particulas comportare, sed ex aqua & terra iussa prodire, sic prodibant vt volebat conditor: veruntamen non ex vno esse mista creata, palam est. 2. Productis his optima mistione, contemperatione, & crasi secundum corpora vtraque & virtutes, contulit seminariam propagationem, plantis quidem & animalibus vniuocam; (in aliquibus vt æquiuocam obseruamus, vt in spontaneis) mineralibus autem analogicam. 3. Ratio illa seminaria non latitat in aliqua abysso nec tota, nec parte, sed in eo ipso, quod gignit existit secundum potentiam, camque tempestiuum est, in actum prodit, & semen efficit ex materia alimenti immutata in locis genitalibus, quæ in aliquibus sunt discreti, in aliquibus indistincti. 4. Hæc semina & caussa efficiens instrumentalis sunt, & simul materia eius, quod nasci debet, prima, constans *calore, spiritu*, & *humore* cum *potentia motus ad substantiam ei similem specie, cuius est semen.*

5. Accedit postea alimentum proportione respondens corpori seminis.

6. Procedente motu in agro naturæ, confluentibus caussis externis, & nulla facta interpellatione naturaliter gignitur mistum ex misto, in quo sunt & elementa & principia: illa manifestius in initio hæc obscurius, propterea quod indigeant concoctione, perfectioneque. Concocta, & matura cum sunt, iam habent suarum mistionum & craseon absolutionem, suntque in toto

Mistionum subtilis distinctio. genito, & perfecto elementa mista, & essentiæ interiores: sunt & simul virtutes contemperatæ. Si subtilius rimari velis, *ratio disiungit, & separatim contemplatur id, quod natura simul facit. Vna enim mistio* erit eorum corporum, quæ vocamus elementa: *alia qualitatum elementarium* in ipsis contemperatio: *tertia triplex* trium principiorum, cuiusque per se, mistio; *quarta triplex* etiam virtutum essentialium: *quinta trium principiorum*, & virtutum inter se ad vnum elixyr: *sexta principiorum* & elementorum inter se. Quod si velis principia multiplicare, eodem res redibit. Ita nos laboriose explicamus, quod natura sine labore simul per Dei benedictionem & prouidentiam procreauit. Quod ista etiam Philosophi & Medici intellexerint, præsertimque *Aristoteles* tradiderit, & aliquot in locis *Galenus* quoque & *Hippocrates*, ex superioribus patuit. Non refert, etiamsi *Hippocrates omnia igni & aquæ* ascripserit: modo spiritus adduxerit; iam tria, *continens, contentum & spiritus*: modo quatuor humores; & qualitates elementares assignauerit: atque ita etiam *Aristoteles* & *Galenus* sæpius elementa & qualitates commiscuerint. Hoc enim secundum quid factum est, & imposita nomina ab euidentiore facilioris explicationis caussa. Sic autem differuerunt de mistione quasi iam fieret id, quod caussas continuitatis habet ab initio creationis.

10. *Principia*

10. *Principia ſunt cauſæ propinquæ ſeparationum*) *Nihil fit ex toto*, inquit Philoſophus, tam in naturæ quam artis operibus. Si ſemina & formæ interiores ſua ſibi fabricant corpora, vt *Hermes* volebat, primas quoque ſeparationes procurant. Fabricare vero neceſſe eſt etiam principia. Itaque prima ſeparatio principiorum non erit. *Nihil, quod nondum eſt, ſeparare poteſt* Nos ex natura ipſa diſcimus, ſeparationem naturaliter fieri cum homogenia inſtituitur. In hac enim neceſſe eſt heterogenea excludi. *Simile ſimili aggregatur: Natura lætatur natura ſua ſponte.* Vnumquodque appetitu inſito & naturali fertur ad ſimile, & illi adhæret. Seuerinus cap. 10. Animæ virtute elementa (propria) & principia miſcentur, augentur, & ex ſpiritualibus mutantur in corporea; Elementa domeſtica cognoſcunt ſe mutuo, & recipiunt, quia ſignaturæ ſunt ſimiles. *De ſeparationibus.*

Non opus hic eſt architectis ſcientia Paracelſica inſtructis. Cum reſoluimus miſta per putredinem artificialem, videmus ſponte ſua vnumquodque ſecedere ad ſui ſimile, grauia ſidere, leuia enatare. Sic *Hippocrates* de alimento quoque diſſerebat. *Magnes ferrum allicit ſine ſcientia.* Ideo & magneticam vim aliqui ex allegoria & comparatione talibus tribuerunt. Amicum aſſumitur: alienum dimittitur: & in illis ipſis quoque, quæ eſſentia quidem erant amica, ſed copia moleſta fit ſeparatio, quod Hippocrat. in 1. de diæta exemplo ſerra ſecantium declarauit. Veteres nonnulli *fortuitum poſitum*, & diſcurſum amplexi ſunt: & ſane in inordinatis tale quid fieri poteſt: ſed in ordinariis naturæ generationibus nihil fit ſine ratione, quam gubernat Dei prouidentia. *Deus & natura nihil faciunt temere.* Hic nulla eſt abundantia, nullus defectus ex Dei ordinatione, niſi quid per accidens eueniat. *Ariſtoteles* eam vim naturæ motui ſeu principio generanti in ſemine aſſcripſit. Aliqui eam naturam explicant tum motu, quem ſemen à generantibus ſibi ſimile accepit, tum ſpiritu plaſtico, & calore. Itaque ſi quæras, cur non totum corpus eſt caro, aut os, aut non caro hic vbi eſt cartilago, os ibi vbi eſt ventriculus: *Ariſtoteles* reſpondet, *id fieri ſpecie ortus talis, quia ſimile procreet ſimile, vt impoßibile ſit hominem ſine his membris eſſe*, & ordinaria lege naturæ gentium ſine diſpoſitione naturali. Theologus addit *principium creationis*, quia Deus in initio ſic fecit hominem, & adhuc mediante naturali procreatione facit, digeritque omnia. Ita fiunt aſſumtiones, & ſeparationes primæ. Si dicas principia ſeparare; reſpondeo non poſſe: quia ſimul naſcuntur, nec dum ſunt matura, cum res fit. *Per accidens ſeparare* dicas, cum conſiſtunt ex homogeneis, & proficiſcuntur ex primordio ſemineo. Dum enim hoc fit, conſequenter ſeparantur aliena. *In nutritione* fit ſeparatio ſecunda. Hîc *magnetica ſimilium ſecundum potentiam attractio, & immutatio eſt manifeſtior.* Sunt & inſtrumenta hîc euidentiora. Habes calorem, ſpiritus, facultates membrorum, præſertimque naturales, quibus præficitur anima in vniuerſum. Non nego *principia iam exiſtentia ſibi ſimile attrahere, diſsimile reſpuere in viuis*: ſed idem dicendum de elementis. Inſitum calidum, humidum, & ſpirituoſum ſuſtentari, & conſeruari natura cupit: ſed idem appetitus eſt elementorum. Sunt enim inſeparabilia in miſtis, & totum ſimul id peragit, non aliqua pars ſeorſim. *Lis & amicitia veterũ 2. de ortu tex. 40. & ſeq.* *1. part. an. 1. 1. Gen. an. 18. & 20. 2. Gen. an. c. 1.*

Adde in organicis corporibus tot organa ſeruientia ſeparationibus. Ridiculi ſunt, qui dicunt, ſolas eſſentias attrahi, elementa ſeparari, cum in perfectis, quæ nutriuntur, vtraque inueniantur. In mineralibus iſta fiunt non vniuoce, ſed analogice. *Eſt tertia ſeparatio* per compoſitorum diſſolutionem, (loquor de homogeneis: non enim ſoluitur corpus in caput, ventriculum, epar, &c. cum putreſcit; ſed miſtum in ſua miſtilia.) Hîc artem & naturam coniungere poſſumus. Ars enim facit determinata cum ratione, quod natura interminate. Separantur miſta vi, vel natura, vel vtraque principio interno & externo conſpirante, & arte ſubornata, vt fit in Chymicis ſegregationibus. *Ariſtoteles* calori externo vim agentem tribuit in 4. met. 1. ſiue in putredine, ſiue in calcinatione. In 2. de ortu cap. 2. text. 8. *calidum congregat homogenea*: ibi contingit aliena ſimul diſcedere. Nos dicimus, calorem ſaltem *vinculum* tollere: deinde *ſimilia ferri ad ſimilia ſponte naturæ*, niſi quid impediat, aut calor violente diſſipet. Chymici habent ſuas *aquas ſoluentes*, & menſtrua extractoria eſſentiarum. Habent & inſtrumenta ſeparatoria, vt prela, colatoria, &c. In aliquibus eſt calor ſiccus; aliquibus humidus, *ſolutio, coagulatio pene totum occupant artificium.* Frigus cogit per ſe; ex accidente etiam poteſt ſeparare, in hac operatione principia chymica ſeperantur, non ſeparant. Eſt & cum *in morbis natura ſeparat* præternaturale à naturali. Hîc *naturam aliqui principiorum poteſtate declarant*, vt ſit illud Hipp. *Natura morborum medica.* Concedi hoc poteſt κατά τι: non ſimpliciter. Vbi enim viuæ facultates deſunt, ſpirituſque & calor, generalia illa naturæ inſtrumenta, in corporibus viuentibus, parua eſt ſegregatio non ſumi à ſano, ſed potius omnia ſimul in interitum feruntur. Atqui chymica principia non ex viuentibus, ſed ex mortuis ſeparantur. Inerant ergo in miſto. Cur itaque non ſeparabant, ſi ſunt ſeparationum cauſſæ propinquæ? Patet in ſeparatione generationis & corruptionis non eſſe efficientia: In nutritione & ſanatione aliquid eis poſſe tribui, ſed nec ſolis, nec totum. *Hermes* in *hagiaſterio materiam primam* dicebat *moderari omnium morborum pepaſmos, criſes, & ſanationes, aliasq; operationes producere.* Si verum dixit, remotam cauſam intellexit. Hæc quæ alia ſit niſi potentia, quæ ad diuerſas formas ſuſcipiendas eſt nata? Separat: ſed deſtructiue, idque per accidens dicitur. Agens enim ſeparationis eſt aliud. Quid vero agebat *forma & ſemen*? Sed de his ante. Talem neceſſe eſt eſſe *Paracelſiam illam, quæ vertiginoſo ſpiritu quicquid in inſanum cerebrum ex adulterinis ſimilitudinibus & fallacibus ſpectris influit, effutit, & inſipientiam ſuam pro decretis ſapientiæ vendit.*

11. *Principia corpora illa vitalia actiua ſunt cauſæ propinquæ concoctionum.*) Concoquitur quicquid, cum concoctile ſit, ex crudo calore interiore, & exteriore agentibus in concoctum euadit, & perficitur, ſiue natura, ſiue arte, ad quod etiam interdum externa inſtrumenta requiruntur. *Concoctionũ cauſſæ.*

Primo concoquitur, ſeu potius ſimpliciter dicendo, *coquitur* id, quod iam eſt, ſed nondum

aſſecutum eſt ſui maturitatem naturalem, vt fructus plantarum immaturi, item plantæ ipſæ adhuc teneræ, & animalium corpora nondum matura. Eſt & in mineralibus quædam coctio, qua id quod conſtituit ex crudo perficitur, vt: cum ex ſucco naſcitur gemma prias immatura, quæ poſtea paulatim perficitur coloribus, ſoliditate, magnitudine, & aliis. Sic metallici ſciunt, ſe ſæpe in mineras imperfectas incidere, quæ nondum fixitatem iuſtam acquiſiuerunt. Aliquando mercurialis liquor ſtillat, & poſtea in metallum concreſcit, matureſcitq;. Talis ſeu coctio, ſeu concoctio principiis tribui non poteſt. Cum enim paſſiua ſit materiæ crudæ, aliquo coquente indiget interno & externo. Ita ipſa principia perficiuntur ex imperfectis, & matureſcunt. Cum iam eſt res, & indiget conſeruatione, & incremento per nutritionem, vt plantæ, & animalia, (ignis æquiuoce nutritur, vt & alia quæ explicatam vegetatiuam non habent) concoctio aſſumti alimenti vel *generalis* eſt, vel *ſpecialis*, quæ fit in partibus ſingulis. *Generalis*, exempli cauſſa, fit in animalium perfectorum ventriculis, epate, venis, corde, arteriis, ſicubi hæc ſunt: Et ea non ſine generalibus inſtrumentis, & facultate propria anima præſidente in viuis. Dico aliquid aſſcribi calori, & ſpiritui inſitis, quatenus rationem vitæ habent. Cum mortuum eſt quod vixit, etiamſi principia inſint in corpore ventriculi, epatis, cordis, &c. & extrahantur arte, tamen vim concoquendi alimentum habent nullam. Idem ſtatuendum eſt de concoctione ſpeciali. *Medici tres concoctiones ponunt*, priores duas generales, & tertiam ſingularem. Sed vtere hac vel illa diſtinctione, perinde erit. Dicuntur poſtea & *morborum materiæ concoqui*, vbi ſeruato, reſtauratoue naturali, quantum fieri poteſt, alienum, & præternaturale ſeparatur. Concoquuntur etiam humores peccantes, ſi quidem concoqui poſſunt, (quidam adeo maligni ſunt, vt concoctionem non admittant) & poſtea ſeparantur à ſola natura, ſi ſatis valet, vel auxilio medico adiuta. Tribuitur *cruditas & coctio* etiam aliis, vt lacti, ſemini, vrinæ, puri, adipi, & ſimilibus. Quando cum putredine ex ſegregato calido & humido, iterumque conſiſtente, vel comprehenſo gignuntur *vermes*, item fit concoctio iuxta Philoſophum in ſpontaneis; vt in 3. Gen. an. 11. *Nihil gignitur putreſcens, ſed concoctum. Putredo vero & putridum eſt rei concoctæ excrementũ: In animalibus quoque generantibus calor in animali contentus ſecernendo ex ingeſto cibo, & concoquendo facit excrementum, quod fit principium conceptus, &c.* Omnia ſupercurrimus, id quod concoquit, calor eſt partim inſitus, partim externus. Principia chymica non ſunt calor. Itaque eis per ſe concoctio aſſcribi non poteſt. Sed & tuus *Hermes* concoctionem nec Mercurio tribuit, nec ſulphuri, nec ſali. Aliam vero cauſam coctionum in morbis profert, dum *materiæ petaſmos aſſcribit*, & quidem non ſecundæ, quæ iam habet principia, ſed primæ. Ex *Hippocrate* dicebat, *ignem omnia mouere poſſe in vniuerſum, procreationes facere, miſtiones, alimentorum attractiones, diſpenſationes, & alia.* Is autem natura dicebatur: *Ignis & azoth ſufficiunt.* Quam magnifice diſſerit *de cœlo innato, vitali illo ſulphure, quo omnes omnium morborum curæ abſolui poßint*, atque ita etiam coctiones: Adde principia. Non mirum eſſet, tuum *Hermetem* cum omnibus ſuis monſtrationibus non coctum, ſed plane combuſtum eſſe, cum tot coquentes cauſſas habeat. Atqui eſt crudiſſimus. *Hermes Seuerini*, cramben coxit, recoxitq;. Audiatur ipſe quid ſanciat de ſeparationibus, coctionibus, & affinibus. Is Cap. XI. ſuæ ideæ ſcribit, *Omnes actiones naturales à ſpiritibus proficiſci*: Concoctionum officinas eſſe plurimas, in quibus impuritatum ſeparationes manifeſtæ & corporeæ contingant: aquam & terram adminiſtrare nutritionem miniſterio corporum ſpiritualium, continentia ſcientias & poteſtates ventriculi, epatis & reliquorum membrorum: cap. 8. *Spiritus eſurire*, trahere, pellere, & omnes actiones naturales perficere: nutriri plantas, & animalia ſubtiliſſimis ſpiritibus, ex quibus per coagulationem fiant corpora. Ita ſpiritus in generatione dicuntur primo aſciſcere elementa, & tria prima ſubtiliſſima, ex quibus progreſſu temporis fiant ſolidiora ſale coagulante. De nutritione cap. 9. ait, Elementa & principia in horas conſumi à ſpiritibus vitalibus & mechanicis: reſtaurari autem alimentis, & miſceri non communia elementa, ſed propria: ex incorporeis corpora ſpiritualia confici. Cap. X. etiam animæ virtuti aliquid tribuit. Si interroges, vnde coquat ventriculus, reſpondet: quia ſpiritualia corpora obtineat proprietatibus & *ſcientiis* talis ſulphuris, ſalis, & Mercurii vigentia, quæ alimenta ingeſta reſoluere, ſeparare, digerere, & ſignaturis ſuis veſtire poſſint, quæ ſignaturæ ante latuerint in poteſtate alimentorum, quod ſit vertere alimentum in chylum. Hic *Chylus ſolutus in vaporoſam ſubſtantiã halitus ſpecie attrahitur*, non per vias manifeſtas meſaraicarum venarum, cum ſpiritualibus corporibus fruſtra viæ tales inſtituantur, attractus ſeparatur, digeritur, maturatur, ſignatur, & in ſanguinem mutatur: Renes ſecundum *ſcientiam trium principiorum* tertiam alimentorum ſeparationem perficiunt, abſoluuntque ſanguinis vaporoſi attractiones, ſeparationes, digeſtiones: omnino in omnibus membris *cauſſas proprietatum* aſſcribit non caliditati, humiditati, frigiditati, ſiccitati, ſed *ſali, ſulphuri, & mercurio*, ex quorum miſtione etiam integrantur temperamenta, non ex cal. frig. hum. ſicc. quia actionum naturalium, attractionis, retentionis, ſeparationis, digeſtionis, & vacuationis proprietates in iſtorum vitali anatomia, ſæpe etiam in externa deprehendimus. calid. ſicc. humid. frigid. fundamenta non inuenimus. Sunt autem in *principiis ſubtiliſsimi ſpiritus, in quibus ſcientia, vita, poteſtas vigent.* Sunt alii *ſpiritus quodammodo corporei mechanici*, qui ab illis fouentur & gubernantur, vt officia poſſint exequi, quanquam longe deficiant ab illorum integritate. Hæc fere ſunt quæ de his *Seuerinus* connotauit. Cautus nimirum fuit, quod ANIMAM iſtis actionibus præfecerit: deinde facultates illas in *vitali anatomia* exeri dixerit, & commentus ſit *ſpiritus duplices, primos & ſecundos*, quibus adminiſtris anima vtatur. Aliàs ſi animam ſuſtuliſſet, & ſpiritus tum inſitos, tum vitales quid quæſo potuiſſent principia iſta, tria, quatuor, quinque, (incertus enim eſt numerus) præſtare? Eſt autem tota illa commentatio nihil aliud quam *ægri ſomnium*, & *Hermes* adhuc melius philoſophatur cum commendaret calidum innatum ſancti ſanctorum, *vitale illud ſulphur, cuius extinctio mors eſſet*. Quanquam enim hoc non ſatis ſit ad coctionem

Vermes.

Hermes multa coquentia habet, at ſi ignem ei adimat, totus manet crudus.

Eſuries ſpiritum.

Mira nutritio phãtaſiæ Paracelſicæ.

Spiritus ſcientes.

nem & alias actiones naturales peragendas, sed debeat adiuuari ab actuali calore vitali cordis, vel analogi principii, tamen propius est coctionis fundamentum, quam tria principia atriensia. Quicquid dicat *Seuerinus*, cum non ponat duplicem illum calorem, frustra, & insipienter dicit. Neque enim vita esse sine illo potest, & sæpe necesse est, etiam externa medicamenta & fomenta asciscere vt opus coctionis, & separationis bene procedat. Sine calore temere etiam anima proponitur: nec opus est probatione in re manifesta, & publice nota. Vbi vero probationes *Seuerini?* Non est satis dicere quid videatur: dicta etiam sunt principiis immotis probanda. Præterea non cogitat, se mistiones facere ex principiis & elementis, nec posse ob hoc ipsum qualitates primas ab actionibus naturalibus excludere. *Si inseparabiles sunt à principiis qualitates illæ efficaces, agentibus principiis necesse est eas vnà agere.* Neque enim sunt otiosæ. Dum autem pungit Medicos, qui temperamenta ex elementis & qualitatibus constituunt, quasi hi concoctiones & reliquas actiones tantum his ascriberent, desideratur in eo candor, eratque *Hermes* hagiastericus veri studiosior, *cum totam Galeni substantiam* agnosceret, *quæ est fundamentum facultatum in membris, & complectitur primum insitas essentias & elementa, seu tria illa connata Hippocratica & Aristotelica,* calidum, humidum, & spiritum primigenia, elementorum crasi inuoluta; postea generales actus, & ministeria caloris, spiritusque vitalis; insuper animæ præsentiam, & organicas dispositiones, connexiones, sympathias, & quæ alia in commune opus concurrunt: quorum omnium argumenta sunt præsentia, absentia, communis experientia tam in nutritione, quam medicatione. Tolle calidum innatum, atque adeo propriam ventriculi crasin: peribit coctio. Tolle animam, & instrumenta eius generalia, omnium actionum vigorem sustuleris. Quin & si omnia cætera sint bona, (finge enim hoc, quanquam esse non possit) solus autem calor vel desit, vel labefactatus sit, videbis, quî processura sit coctio. Fortasse vero non mirandum est, *Seuerinum* hîc delirasse cum generationis & nutritionis figmentum proponat à ratione & experientia alienum. *Solue, coagula.* Ita habebis ipso iudice omnia. Solutionem spiritus subtiles principiorum peragunt, qui sui similes spiritus eliciunt. Hi attracti ad epar & alia membra per vias occultas denuo consistunt, vt in destillationibus Chymicis, quanquam hîc vias patere necesse sit, atque ita finguntur in sanguinem euadere adeo crassum, vt cum emissus ex venis sit vix simili crassitie humorem inueniat. Somnium, inquam, hoc est inter nebulas *Aristophanis* dormientis. Membra sunt solida, constantque ex elementis & essentiis omnino corpulentis. Non possunt spiritibus subtilibus refici & nutriri: & si hoc quoque fieri posset, cur non odoribus aut externis saltem fomentis & illitionibus viueremus melius? Arte faceremus spiritus, & hos illineremus regioni epatis. Neque enim opus esset viis manifestis, non concoctionibus, separationibus, & aliis. Quærat aliquis etiam hoc, quî fieri possit vt principiorum spiritus actiones omnes perficiant, cum sint in perpetuo fluxu tum principia, tum elementa, vt ait *Seuerinus?* Sed relinquamus stulta stultis.

Idea Seuerini fere tota ex principii petitionibus consuta.

Sine calore nulla fit coctio.

12. *Principia formalia illa corpora sunt etiam cæterarum actionum caussæ propinquæ.*) Intelligimus efficientes caussas, & actiones potissimum naturales appetitiuam seu attractricem, retentricem, alteratricem, seu concoctricem, immutatricem, & excretricem, quibus adde sane alias Paracelsicas soluentem, coagulantem, separantem, vacuantem, &c. Primum videndum est, *Hermeti*, num etiam consentiat suo *Deo Seuerino*, qui proximas caussas non ipsa corporea principia facit, sed *incorporeos subtilissimosque spiritus*, qui aliis spiritibus corpulentis iam ministris vtantur. Deinde cum non extra mistionem, seu compositionem istas vires dicantur habere; *Compositio* autem fit tum inter principia mutuo, tum elementa, & porro inter vtraque simul, quam sequuntur vires & qualitates, quî fieri possit, vt principia dicantur propinquæ caussæ, non autem etiam elementa, & eorum qualitates? Tertio: *Ea caussa propinqua est ad quam positam in actu absque impedimento proxime sequitur effectus.* Hæc autem est viuentis membri facultas cum calore & spiritu præsidente anima prima, & proxima vitæ caussa: cum sit actus potentia viui, principia & elementa corporea, quæ sunt partes corporum mistorum constitutiuæ, remotiora sunt, & non propinqua agentia: Imo potius ad materiam referuntur, & subiectiue considerantur. Hoc amplius innotescit, quando post mortem ex illis membris principia ista separantur. Si fuissent proximæ caussæ naturalium actionum, cum per artem ex ventriculo, epate, &c. extracta sunt, & ventriculo viuenti committuntur, debebant ibi *scientias suas & vires mechanicas* expromere, attrahere, appetitum mouere, retinere, separare, alterare, distribuere, &c. idque non solitarie, sed coniunctim. Dic *Hermes*, qua experientia tibi hoc est cognitum? An *scientiam & architectonicam* perdiderunt? *O misera principia, si obliuiosa possunt fieri, & lethen bibere.* Quid si hoc eis etiam contingeret in viuis? Et sane sæpe nulla caussa apparet, cur non concoquant, & alia agant. Si quis ventriculum aut epar illud spagirica arte in essentias & principia redigeret, quod in viuente non functum est officio ex scientia, sed *ignorantia & ignauia*, fors inueniret satis forte sulphur, mercurium, & salem. Cur ergo non coxerunt? An non autem vbi abundat sal, & sulphur cum mercurio attractio, retentio, alteratio, & secretio debet esse fortis? *In maiore quanto semper maior virtus.* Proportionem requires agentium, & patientium. Frustra. Nam tua principia *admirabiliter sunt scientia, etiam plus quam homo scientissimus.* Scient ergo quod, quale, quantum, tempora & alias circumstantias. Dentur iam officia singulorum. *Salem* nouimus si solutus sit, incidere, abstergere, vacuare, putredines cohibere: *Mercurius*, qui liquor est, abluit: *sulphur* calefacit. *Vnde vero est ratio, qua os est os?* Non video assimilationem, etiamsi totum corpus sarcias principiis optimis. *Sal faciet salem, Mercurius Mercurium, oleum oleum,* iuxta vires & scopum naturalis agentis. Tandem *Hermes* hoc quoque debet explicare: si tanta vis coctrix, separatrix, &c. est in illis tribus propinque, quæ caussa est, vt feces alui fœteant etiam in suauissimis & optima coctione? Et *sal & anima pro sale est.* Debebat putredo abesse. *Paracelsus Cagastrum* quendam in aluum intrusit, qui fortior principiis, & hæc & alia in putredinem coniiciat.

De caussis propinquis cæterarum actionum naturalium

Scientia principiorũ fatua.

Cagaster παχγασὴς paracelsi.

 At

At principia tam validis plurium in hagiaſterio, meſaulo, & atrio auxiliis munita, vt nihil poſſit excogitari fortius, debebant illum *Cagaſtrum* foràs quatere. Deinde cum iſta principia aliàs quidem volatica ſint, in corpore vero coagulata iuxta *Seuerinum*, & ideo etiam fixa, quî non præſeruãt corpus ab omni dyſpepſia, bradypepſia cruditate, & aliis ſeu coctionũ ſeuſeparationũ & reliquarũ actionum defectibus? *At & ipſa corrumpuntur, morboſq; pariunt.* Mirũ, Si ſunt eſſentiæ incorruptibiles, & talibus etiam conſeruantur, quomodo patiuntur corruptionem? Dices commiſta elementa corruptionem inducere, & putredinem. Falſum hoc inquam. Nam & ex ipſis ſtercoribus & putredinibus principia colligunt Paracelſici, & docent eadem eſſe cauſſas Chronicorum, aſtraliumque morborum. Si computruerunt principia cum elimentis, à quorum ſocietate non poſſunt ſolui, eademque inueniuntur in olentibus fecibus, à naturæ gradu diſceſſiſſe vtraque neceſſe eſt. Ea quæ præficiuntur proxime coctioni, primum ſtationes ſuas deſerunt. O bella principia, & ex ſtercore iterum colligenda, inque ventriculos Paracelſiſtarum retrudenda. *Quare fugiſtis vos perfida principia?* Quare deſeruiſtis prouincias veſtras? An neſcitis fata veſtra? *Vanum, vanum, clamant ex Lullio, conſeruare velle per corruptibilia.* Debebant quidem Paracelſici paſci mero *adamante, amiantho, auro*. & ſimilibus mineralibus, quæ corrumpi negantur: at quis non putet & Deum naturæ accuſari, qui cibos homini, & pecoribus tales ordinauit, qualibus per ipſius benedictionem in vniuerſo mundo omnes conſeruantur etiam ipſi Paracelſiſtæ, & illudi omnibus, dum iſtud perſuadere conantur? Si eſſentialia illa principia tot validis ſtipatata poteſtatibus naturales actiones omnes adminiſtrarent, cum inſuper etiam continua per nutritionem refectione foborentur, quæ cauſſa poſſit facile labem inferre, & morbos ex mala coctione, ſeparatione, retentione, alteratione, ſolutione, coagulatione, ſublimatione, diſtributione, & cæteris producere? Si ſpiritus vitalis, calor inſitus & influens, ſpiritus connatus & humidum primigenium defecerint, aut labem contraxerint: ſique aliquis error externus commiſſus fuerit? Si externum frigus & elementare coquentia membra inuaſerit; ſi ſiccitas elementaris, vel nimia humiditas, nimius calor, aut affectus animi fortis interturbauerit: ſi ſympathiæ aliæ, vel venena quoque: ſi organica vitia coinciderint, experientia docet actiones vitales, & naturales labefactari, etiamſi ipſa membra tanta copia principiorum ſcateant, vt poſt mortem ex mumia non parua extrahantur. Vanitas ergo vanitatum eſt, cauſam propinquam, ſolis principiis, elementis autem & eorum qualitatibus præſertimque calori, & ſpiritui vitalibus & naturalibus parum, vel nihil tribuere. Si tanta vis eſt principiorum *Seuerini*, cur non coquuntur minutalia in porcorum ventriculis, & inteſtinis fortis? An hîc deſunt ſal, ſulphur, Mercurius? Vitalia hîc eſſe negas. Credo. Quæ ergo cauſſa vitæ eſt propinqua, ea propinquius coquit, vt ſpiritus & calor tum influens, tum innatus, anima generaliter præſidente, & inſtrumentis ſaluis nullo impediente. His quoque inſitum temperamentum magis viget, quam ſale, ſulph. Mercurio, & aliis, quæ per artem ex mumia extrahuntur, quanquam & his aliquid demus, ſed particulariter tantum. Conformationes naturæ, quas Medici ex Anatomia ſciunt, fibræ, membranæ, & alia, non nihil ad rem faciunt, vt nec elementa & eorum vires. Qui frigidiſſimi & ſubtiliſſimi aeris montes perambulant in America, ſentiunt in illo frigore ventriculi vires maxime lædi, vt & qui noui mare ingrediuntur tum motu, tum ſpiritibus nauſeabundis percelluntur, licet principiis abundent. Qui *ſignaturis externis* ſe dementari patiuntur, (quæ re vera nihil eſt aliud quam fortuita quædam, & accidentaria, incertaque conſonantia,) *ventriculorum gallinaceorum tunicas* pro concoctione laudant. Sed ſi verum eſt *Seuerini* decretum de tali ſulphure, ſale, mercurio, falluntur. *Humani ventriculi eſſent potiores.* Si experientiam conſulas, nihil inuenias ſolidi, & vix in millibus vnus eſt, qui adiutus ſit iſtis tunicis, quæ etiam ſolæ non dantur, nec extractæ. Quî ſcis tuam coctionem potius adiutam eſſe gallinarum è ventriculo earum tunicis, quam ſtomachalibus aliis? Mirifice tibi places iſtis tunicis, cur non magis ventriculis porcorum, canum, vrſorum, luporum, & ſimilium? At Zingiber, Galangam, piper, abſynthium, ſaluiam, vinum bonum, & ſimilia magis proficere contra cruditatem ſentimus. Vbi hîc tua inſipida, & fatua ſignatura? Omnino multos ſtultos in anatomia & natura humana viderunt noſtra, & priſcorum tempora, *Paracelſiſtis ſtultiores nullos.*

Tunica ventriculorum gallinaceorũ

13. *Principia aperiunt abſconditos agendi modos & fontes.*) *Galenus* in deſcriptione ſimplicium, vt in alimentis, ita & medicamentis varios ſuccos, saporeſque ineſſe dixit, vnde variæ facultates vireſque etiam contrariæ dependeant. Sicut enim artificioſæ compoſitiones ex pluribus compoſito medicamento diuerſas potentias conciliant, ita & naturales miſtiones. Optauit ille artem, qua poſſent diuerſæ partes ſic ſeparari, vt fit in lacte. Interim coactus ea carere, explicare nihilominus vires illas conatus eſt per *qualitates primas, ſecundas, occultas, naturam, accidens, actum, potentiam*, &c. Paracelſici in omni miſto (nihil autem apud ipſos ex genere corporum ſenſibilium non eſt miſtum) *malum bono & venenum ſalutari* coniunctum eſſe garriunt, non conſiderantes in initio creaturarum omnia Dei opera *eximie fuiſſe bona*, atque adeo homini & beſtiis plantas ideo pro alimento ſolido, aquam, & ſuccos pro liquido conceſſa eſſe, vt quam optime citra omnem noxam conſeruarentur, donec peccato ſuperueniente vanitas, & maledictio deteriorem reddidit naturam, atque ita nocumenta per accidens prodierunt. Non quidem etiam optime præparata, & purgata in naturam noſtram vertimus tota: In naturæ enim & artis operibus nihil fit ex toto ὡς ἐπὶ τὸ πολύ verum quod ſecedit, non ideo ſtatim eſt venenum. Inutile fit magna ex parte, at non venenum totum, ſique miſtionis ea eſt proprietas, quî fieri poſſit, vt non idem de eſſentiis Chymicis ſit dicendum, præſertim cum experientia cognitum habeamus nihil naturæ ſic vim inferre, vt medicamina Paracelſiſtarum.

Non inepte *Riolanus* integra prætulerit Paracelſiſtarum extractis nudis. Si enim verum eſt,

est, *quod in omni misto sit venenum & alexipharmacum proprium.* Satius est vtrumque simul in vsum vertere quàm alterutrum tantum, cum venena per se sint noxia, & alexipharmaca, si non inueniant hostem suum, in nos vertant impetum. Imo igni naturæ verti venena in nutrimenta, salsa & amara in dulcia contendunt, idque probant colocynthide, elleboro nigro & aliis. Sed transeant ista.

Non negandum est, Chymicam artem esse separatoriam partium diuersarum in naturæ, & artis compositionibus, & per eam posse inuestigari, qua in parte sit *ens salutare, & in qua noxium*, si quidem res in se habet aliquid per se noxæ, & non ex malo vsu per accidens, vti fit plurimum: Item qua valeat magis ad hoc; quam ad illud; vt cur acetum refrigeret, & nihilominus etiam penetret, & separet, corrodatque; & diuersos sapores habeat. *Seuerinus* capite septimo Ideæ *Opium* loco exempli producit, & *vinum*. In opio, quod Galenici dicunt, esse stupefactiuum frigide (quidam intelligunt elementare: sed rectius vocaueris medicum analogicum ex effectu analogo) reperitur & Narcotica vis, & diaphoretica, disputantque de eius qualitatibus, vt & de Camphoræ eruditi. Amarum est, & incensum ardet, habetque spiritum odoris grauis, & narcotici. Ita camphora ex pinguedine, puritateque spirituali, & cognatione cum igni iudicatur calida potius, quam frigida, vt & opium. Hîc Chymia succurrit, & in aceto mônstrat *phlegma quoddam refrigerans*, & partem essentialem admodum calidam, & acrem; separatque vtramque: ex opio elicit *sulphur narcoticum*, & *salem diaphoreticum*: in *vino spiritum nobilem, aquam noxiam, oleum, & salem* cum tartaro, vnde æstimantur bonitates, noxæ, beneficia, damna: *Capburam* probat esse puram essentiam, & extractũ naturale, si quidem sordes foris adhærentes sustuleris, quod sublimatione aliqui, quidam & lotione assequuntur; atque ideo effectum frigidum per accidens habere (melius dixeris spiritus inesse nitrosos, sicut & in sale petræ spiritus frigidus sulphuri calido & igneo est coniunctus (*Crollius* ait *Galenistas huius artis beneficio posse tueri suas maximas*, veluti cum dicunt, *Omne amarum esse calidum; & tamen opium amarum refrigerare*: Rationem patere ex separatione per *ignem Chymicum, qui ex opio elicit sulphur dulce narcoticum, & salem amarum diaphoreticum calidum*: Eandem artem venena (arsenicum argentum viuum sublimatum, &c.) ita mitigare, vt tuto possint in corpus ingeri, &c. quæ sunt encomia huius scientiæ verissima: quò insaniores sunt nonnulli, qui tantum bonum agnoscere nolunt, & licet euidentibus rerum testimoniis, & experientia conuincantur, tamen vituperare artem, eiusque opera auersari pergunt. Aliqui tamen iudicii sui nonnullas habent caussas. Nam quo quisque perditior, & impudentior Paracelsista est, eo magis Chymica spagiria gloriatur, & ex quouis quiduis cum fecerit, etiam pessima venena, tamen iactat crepatque meras tincturas, essentias, arcana, & alia, quibus si vnus adiuuatur forte fortuna, plures alii pereunt, aut ita læduntur, vt satius fuisset nunquam ad talem medicinam accessisse. Quin & in Rebuspublicis *Chymia olim sapientissimorum, peritissimorumque professio, studium & exercitium*, fere manibus Doctorum extortum ad laborantes ineptissimos, & pharmacopæos reiicitur, qui ipsi raro aliquid aggrediuntur, sed pueris, & ministris commendant omnia. Sunt qui artificiosas præparationes ideo respuant, quia non sunt vsus plebei, nec facile distrahi, & vendi possunt, cum & magnetes recusent sumtus vulgo maiores facere. *Volebam aliquando aquarum destillationes corrigere, & in meliorem modum conuertere. Ecce tibi officinæ dominus clamare, se oportere singulare laboratorium extruere; nec posse vendere aquas, quia si rusticus non pro nummo acciperet notabilem quantitatem; tota officina male audiret: magnam esse copiam aquarum: non posse modum illum teneri, &c.*

Opii anatomia.
Acetum
Vini partes.
Caphura
Sal petræ.
Venena transmutare in ens a salutis Chymiæ hostes.
Paracelsistarum impostura
Chymia male tractata.

Ita domina Chymia ridentibus Medicis vulgaribus cogitur sordidissima veste vti, & sub præclaro titulo tanquam scortum triobolare prostare. Sed ad *Hermetem principia dicit aperire absconditos agendi modos.* Sensum esse puto: *Per Chymiam liquidum fieri, cur Medicinæ adhibitæ in integritate substantiæ aliquid operentur, cuius caussa non sit in propatulo, veluti: cur vinum primo calefaciat, sed postea frigidos morbos, vt catarrhos, hydropem, &c inducat; atque etiam tam infestum sit articulis*: Causam inueniri *spiritu inebriante & calido separato*, relicta aquositate frigida, ex qua *tartarus* acutissimus inimicus neruis & membranis, tendinibusque articulorum: hoc esse etiam fontes actionum occultarum, vt de *opio* dictum est, potestque de alexipharmacis & aliis similiter differi. Recte quidem hoc, quantum concessum est homini in hac vita: sed *Hermes* etiam hoc considerare debet: *Si principia συνωνύμως sunt illa tria, quæ à Paracelsistis tantopere prædicantur, debent esse prima.* (Ratio enim principii est primum esse) *atque ita omnem porro inquisitionis vlterioris ansam præcidere.*) In primo namque standum est, & qui principium quærenti respondet, is primam caussam, vltra quam non est alia, dicit. *Atqui datis illis Chymicis principiis non satisfactum est quæstioni, prima potestatum & actionum caussa prolata.* Audio Paracelsistas dicere, caussam cur opium inferat somnum, & dolorum vim obtundat, esse sulphur narcoticum: sed adhuc quæro, quæ sit caussa talis virtutis in sulphure: *Neque enim omne sulphur est tale.* Ita Galeni opii dicis esse calidum; & amarum. Si principium dixisses, causam primam attulisses; qua prior esset nulla: At adhuc manet quæstio, *vnde sal opii istam vim habeat.* Cur vinum inebriat, & vini fex sues, si eam sorbuerint; temulentas reddit? Respondet Chymicus, quia in vtroque est *sulphur spirituosum*, quod ita afficit sensorium primum, & spiritus eius circumagit, oppletque organa discretionis; colliquat, & alia operatur.

Vini effecta vnde.
In principiis chymicis nō inueniuntur prima actionum caussa:
Opium.
Vinum:

Sed adhuc quæritur, *vnde vis huic spiritui sulphureo*; eaque tam varia effectis? Sunt quidam fontes naturales, quorum halitus si non eadem, at similia operantur: sunt potiones aliæ inebriantes: imo tale quid fit à *Datula, Hyoscyamo, lolio, &c. Magnes attrahit ferrum spiritu sulphureo*, quo si per ignem aut aliam vim priuetur; nequit amplius attrahere. Vnde vero ista virtus spiritui?

Nondum

Nondum attigisti fontes primos actionum occultarum, poteratque *Galenus* similiter dicere: sunt in rebus mistis diuersæ substantiæ & naturæ, quæ etiam contraria possint operari: *vt vis purgans, & astringens in Rhabarbaro*, quod si assaueris, non purgat amplius, vt hoc sit documento alterum ab altero posse separari, sicuti & in veteri medicina actu separantur coctionibus, infusionibus, expressionibus, exuotionibus.

Rhabarbarum.

At instat *Galenus*, & adhuc quærit, quæ sit caussa astrictionis in reliquiis *Rhabarbari*, purgationis autem in succo. Tu dicis extractum sic esse, & id monstrabis; sed te irridebit *Galenus* dicens, & suam infusionem esse talem, imo tuo extracto potentiorem. Vt enim cogitur fateri & *Crollius*, *extractum Rhabarbari*, nisi alio acuatur, non purgat tam efficaciter, quam vel integrum, vel infusum eius. Resolue id in principia, & dic Mercuri⁹ purgat & sulphur, sal astringit, (licet sales aliàs purgent) Petet *Galenus* adhuc & demonstrationem ipsius facti, & rationem. Ipse interim dicet, *succum spirituosum Rhabarbari esse crasi, totaque natura purgatiuum*; crassamentum autem ideo astringere, quia sit terreum, & spiritibus penetrantibus, aperitiuisque priuatum: vel: quia *succus sit motiuus naturæ* tali modo: & artractiuus similis iuxta propriam crasin: fex autem principio illo taliter motiuo sit destituta, ex ea fac salem, & vide num similiter sit astricturus. Dic *tuo Hermeti, sicuti se habent principia, ita se habere & rationem ex illis: Non autem esse absoluta & prima, neque simpliciter principia, sed secundum quid*: Ideo non mirum esse, si non possint totam quæstionem vnica responsione exhaurire.

An principia occultas proprietates explicant.

14. *Principia corpora illa formalia suppeditant explicationem occultarum proprietatum, quæ vulgo sunt inscitiæ asylum.*) Dico adhuc id non fieri simpliciter, sed secundum quid tantum. Quæritur, quæ vis sit *vitri antimonij, florumq́,* & *reguli*, & similium, potissimum mercurialium, qua corpus humanum possint tam mirabiliter mouere, & naturam excitare tam valide, vt fere per omnes vias se exoneret, idque non assumtis corporibus, sed tantum liquoribus, in quibus fuerint macerata, non semel tantum, sed sæpius, quale quid rustici etiam in *senna elleboro albo*, & similibus deprehenderunt. Alii aliud dicunt, vt & de *præcipitatis mercuriis*. *Quercetanus spiritum* defendit, qui deponatur in menstruum: quo spiritu si priuentur purgantia, euanida sunt, & formam, quâ sunt cathartica, amittunt. Is autem in aliquibus est volatilior, in aliquibus magis fixus, sed siue spiritum, siue succum dicas, quæstio manet, vnde ipsi hæc natura, quæ cum non sit ex absoluta simplicitate, necessario erit ex contemperatione, qua Deus instruxit condita ab initio. *Hermes* debet cogitare, quæ de *seminibus* est professus. Hæc priora sunt separationibus chymicis. Itaque meliore iure obtinent nomen *principii* in quæstionum solutionibus. *Tali semine tale nascitur*: tali augescit nutrimento, quod prius erat indeterminatum, sed virtute eius, quod nutritur, immutatur, & determinationem accipit. *Neque enim purgans succus ex terra attrahitur à planta*, sed hæc ipsa vi seminis sui talis facta cum maturuit, tale facit nutrimentum potentia, qualis ipsa est actu. Itaque vides non easdem vires esse plantis incipientibus & maturis. Hic standum est. Nam vltra creatoris voluntatem, naturam conditam, & seminariam propagationem, alimentariamque dispositionem, & determinationem progredi non potes.

Cathartica stibij.

Spiritus purgatiuus.

Semina Hartmani magis principia.

Si iam hoc est *asylum inscitiæ*, libenter fatemur, nos esse arcanorum Dei & naturæ penitiorum ignaros, nec vllus est Paracelsista, qui non in istud asylum crebrius confugere cogatur, quam Peripatetici lumine scripturæ illuminati. Nimirum *in illo inscitiæ asylo deprehenduntur etiam Sancti*, ex quibus *S. Paulus* 1. Cor. 13. nostrum cognoscere dicit imperfectum esse, & particulare. *Iob* cap. 16. 14. conscius sibi est eiusdem inscitiæ, inquiens; *Cum vix particulam sermonis audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Lege caput 38. & seq. Iobi, & responde Deo interroganti, si adeo es sapiens & peritus. Responde & Christo Iohann. 3. de terrenis. *Abscondita est sapientia ab oculis omnium viuentium, inquit Iob* capite decimo octauo, versu vigesimo primo. *Deus intelligit viam eius Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit.* Vide Psalmum 139. versu 6. & Psalmum 131. vbi *David non ambulat in magnis*, & mirabilibus vltra captum suum. *Salomon* vidit cuncta, quæ sub sole sunt: Et ecce *vniuersa vanitas & afflictio spiritus*. Creatura sub vanitate & maledicto est. Hac veste nobis occurrit, & audet quis sibi arrogare scientiam abstrusorum? Syracides 42. 18. *Solus Deus scrutatur abyssum maris & terræ profunditatem. Ipse omnium occultorum est conscius.* Cap. 43. vers. 36. *Operum eius minimam partem videmus*. Multo sunt maiora adhuc inc gnita. Idem fassi sunt omnes sapientes Philosophi, adeo vt *proprium dixerint esse Philosophi quædam ignorare*. *Scaligero* non placuerunt isti confidentes iudices, qui occultas proprietates detestantur, easque *inscitiæ asylum* contumeliosis verbis vocant: Exercitation. 344. sect. 8. *Hermes* tamen Hartmanicus, *Crollius*, *Seuerinus*, & similes *omnia sciunt*, quia extra mundum nouerunt loca quædam vacua, abyssos, orcos, noctes, & similia, in quibus omnium rerum semina delitescunt, & vnde in scenam mundanam assumtis elementis, & principiis tanquam laruis theatralib. proponunt, eodemq; positis se recipiunt. Illi in *Sancto Sanctorum Dei* fuerunt, & per aliud sanctuarium in mundum ingressi omnia perlustrarunt. Non mirum est, quod *inscitiæ asylo* non indigeant. Anticyris tamen tribus, & Elleboro carere non possunt, propter ea, quod nondum didicerint τὸ γνῶθι σεαυτόν. In nos cadere potest, quod dicitur stipes, plumbum, lapis: in illos non potest: quia exuperat illorum stultitia omnia. Porro oblitus est Hermes Atriensis principia illa etiam morborum caussas dici, quanquàm videndum an hæc non materiæ sit asscribendum in Hagiasterio, vt eadem sit caussa mali, quæ & boni, quia *similia similibus remedio sunt*. Nam nihil tamen debetur etiam innato calido.

Inscitiæ asylum.

Paracelsistæ omniscij.

15. Hactenus recensuimus Atriensis Hermetis de principiis in genere sententiam. Conferamus cum ea *tyrocinij* doctrinam. 1. commendanda est *modestia* istius autoris. Cum enim mista soluat in tria principia analoga mineralibus popularibus, *Mercurio*, *sali*, *sulphuri*, id facit absque contumelia veteris disciplinæ Peripateticæ & Galenicæ, tribuendo suum locum etiam *Aristo-*

Digressio ad collationem cum tyrocinij principiis

Ariſtotelicis principiis, quæ ex vniuerſalibus rationis applicata ſunt particulari naturalium ſcientiæ, materiæ ſcilicet, formæ, & priuationi, quæ Ariſtot. in contemplatione generabilium, & corruptibilium eſſe demonſtrauit. Ita nulla iniuria afficit elementa Phiſiologiæ medicæ, dum ait, *Galenum haud abs re aſtruere quatuor elementa ignem, aerem, aquam, terram pro principiis* etſi remotis. Si *Ariſtoteles* VERE ſtatuit ſua tria, redarguitur *Hermes Hartmani*, vt à *Seuerino*, ita & tyronibus Chymicis, vt non multum debeat in ſuis ſanctuariis & atriis ſuperbire, cum & falſarum opinionum imagines in eis reperiantur. Deinde notandum eſt, autorem iſtius operis *elementa Galenica non reiicere.* Habebit ergo & ignis Ariſtotelicus aliquem inter ea locum contra ac Paracelſici cæteri contendunt, qui quidem *Hermetem* priſcum, & *Platonem* in numerandis primis mundi corporibus ſequuntur, ſed cogitare etiam hoc debuerunt, cum de generabilium & corruptibilium elementis Peripatetici diſſerunt, non competere, vt vel cœlum mutationibus talibus non obnoxium aſſumatur, vel ignis ad alia ablegetur. Ita enim non quatuor, ſed tria *forent elementa* generabilium materialia & paſſiua, aut ſi quatuor cœlo in ignis locum inuecto, non corruptibilium, ſed omnino tranſmutabilium primordia proponi, ſed membra mundi totius partim ex perpetuis, partim ex mutabilibus conſtantis, & tamen flammeum ignem, in quo excellit ſpiritus calidus ſiccus, qui eſt elementum Ariſtotelicū, non poſſe omitti. Eſt enim aliquod per ſe corpus. At cœleſte non eſt, cum ſit mutabile. Referendum itaque ad tranſmutabilium elementa, aut cœlum dicendum eſt tranſmutabile eſſe. Oſtendit autem & natura eorum, quæ ex miſtis per ſpargiricam reſolutionem fiunt, ſpiritum inflammatilem talem coniunctum cum eſſentiis nobilioribus. Quis ignorat *aquas ardentes* & *olea*, cum & *ſales* nōnulli flammam concipiant? Si cœlum eſt ingenerabile & incorruptibile per naturam, cogitent Chymici, quo iure iſta poſſint puro cœlo aſcribi. Tertio cum *tyrocinium elementa Galenica remotiora principia eſſe*, concedat, Chymica erunt propiora. Quid hinc aliud colligere poſſumus quam redargui eos, qui ex principiis Chymicis componunt elementa? *Hermes* fabulabatur de elementis puris, ſeu vacuis quibuſdam locis: ex his tanquam ex carceribus emittebat ſemina. Hæc vt in corporibus apparerent principiis, & elementis internis ridicule iungebat; inde imponebat laruam ex elementis externis conſutam. Tandem iſta omnia rurſus abiiciebat, *nudataq; ſemina in ſuos abyſſos, & orcum remittebat* iuxta fabulantem, aut inter *Iouis genua ſomniantem Seuerinum & Crollium* deliramentorum Paracelſi admiratores. Quanto rectius tyrocinium, proculdubio autore & creatore Deo, ex elementis principia per modum generationis naturalis à Deo inſtitutæ conficit? Videndum tamen eſt, vt in aſſerendis veris etiam ſimus conſtantes. Quarto ait, Chymicum artificem ſenſibilium corporum *tria ſenſibilia, & proxima principia aſſerere*, iuxta textum 61. lib. 3. de cœlo Ariſt. *Oportet ſenſibilium principia eſſe ſenſibilia, ſempiternorum ſempiterna, corruptibilium corruptibilia, atque ita omnino eiuſdem generis cum ſuppoſitis ſeu principiatis* Puto eum de compoſitis ſeu miſtis ſentire. Solutio enim eſt circa compoſita, quantum attinet ad ſegregatoriam: (aliàs eſt & coagulationi oppoſita non διακριτική.) Quod ſi ergo miſticum eſt corruptibile, quæ alia perpetuitas principiis Chymicis tribui poteſt quam relata? Præterea idem autor *nullum principium* habet *ſimplex & ſolum*, vt ſcribit circa finem capitis de ſolutione. *Mercurius*, inquit, *continet ſubſtantiam ſulphuream & ſaluam: ſulphur ſalſum & mercurialem: ſal mercurialem & oleaginoſam.* Hoc dato, conſequens eſt principia Chymica ad ſenſum prima non eſſe, ſique Ariſtotelica ideo ſunt à Phyſicis aliena, quia noetica potius quam naturalia, etiam Chymica aliena erunt, vt iccirco *Hermes Hartmani* non debeat in *Ariſtotelis* principia inſanire. Prima editio Tyrocinii An. 1611. reducebat *quoduis principium in alia tria*: vt Mercurium in aq. ardentem: aq. nubis, aq. acidam: ſulphur in ol. odoriferum, aliud rubrum, & reſinam: ſal in volatile, alkali fixum, & vitrum ex terra damnata. Sed hæc diſplicuerunt poſtea. Omnino coguntur fateri Paracelſiſtæ, 1. principia prima noëtica; 2. principia ſecundaria ex mutuis compoſita: 3. principia elementata, quibus præmittunt & iungunt triplex elementorum genus. Inſuper nec hoc prætereundum eſt in tyrocinio, quod ait, *principia proprie loquendo nec corpora eſſe*, quia ob cœleſtium ſeminum influxum, quo imprægnata ſint, plane ſint ſpiritualia: *nec ſpiritus*, quia ſint corporei: ſed *inter vtramque naturam ambigere.* Hæc ſententia videtur conuenire cum atrio Hartmani, in quo *formalia corpora* appellantur. Aliàs illa deſcriptio competit *vinculis iſtis aſtralibus* in meſaulo, quibus *viſibilia inuiſibilibus* connectuntur; hoc eſt, ſemina externis elementis, quaſi ex internis elementis & principiis ſit aliquid conſtitutum, quod ratione internorum & ſpiritualium elementorum ad ſemina accedat, ſed principiorum contagio vicinum ſit elementis externis. Lege & Goclenii iunioris magica in vnguento armario, de ſpiritu vectore virtutum, quem excuſſit Iohannes Binsfelt. Videmus ergo Paracelſicæ diſciplinæ elementa adhuc fluctuare, & nondum fundatam eſſe illam ſeu artem, ſeu inertiam. Si ſunt illa principia; quæ ſenſibiliter ex miſtis extrahuntur, oſtenduntur, & ad medendum adhibentur, quæ etiam tyrocinium monſtrat in lignis viridibus, lacte, ouis lini ſemine; caryophyllis, vitro, ſale marino, ſtibio, mente captum eſſe oportet, qui negare velit corpora eſſe; quanquam ſint ſubtilia. Solent tamen Chymici ſic vti vocabulis, & appellare *ſpiritus, naturas, & eſſentias* puras, volaticaſq;, vt *ſpiritum vini, ſpiritum marcaſitharum*, qui aliàs *flos aſcenſorius* dicitur *ſpiritus deſcenſorios*, &c. qui cum finguntur ad corporum claſſem concedunt, vt patet de argento viuo, ſulphure, arſenico, ſtibio, & aliis; cum inter ſe mutuo comparantur, *Mercurius ſpiritus* iudicatur, *ſal corpus, ſulphur medium quiddam*, aut anima. Sed comparationes iſtiuſmodi non debent alia decreta euertere, ſi volumus præcepta tyrocinii conſtantia.

Nullum principium chymicum ſimplex.

SECTIO XXVII.

De Mercurio

De Mercurio *in ſpecie.*

IN Meſaulo erat, ***Mercurius Phyſicochemicus, ſpiritus mundi ſecretus & athereus per volitantes caduceos deſignatus.*** Ab eo differt principium, quod eodem nomine Mercurii vocant, reſpicientes ad minerale argentum viuum metallicum Planetæ iſti verſatili dicatum. Tyrocinium comparat ***ſpiritui ſali armoniaco, ideæ, informanti*** ſeu mouenti cauſſæ, ***intelligentiæ, intellectui, glorioſo neſcio cui.*** Licebit Paracelſiſtis etiam Deum appellare. Quid enim non audent per ſuam poeſin? ***Hartmanus*** putat Mercurium iſtum in atrio ſuæ phantaſiæ obuiantem, eſſe in alieno choro & foro. Cur quæſo? ***Quia debuerat ad penetralia DIVÆ cuidam apparere,*** & officio internuncii miniſtrare. Ita ſane eum gentiles deſcripſerunt, quanquam non Diuæ, ſed Deorum angelum, qui mandata ad homines deferret, ſicut ***Iris*** fingitur ***Iunonis famula.*** Eidẽ tribuerunt officiũ ad ***inferos ducendi*** & ***reducendi.*** Belle præficeret ***orco Orphei,*** abyſſo & elementis puris hagiaſterii. Nam inde ſemina poſſet in mundanam ſcenam, hincque rurſus ad orcum ducere: hoc eſt, fabula in porta eburna inferorum ſomniantium fieret.

Ariſt. in 1. de part. an. c. 5. *Bensfelt in Goclenio vocat idololatriam.* *Dii Hartmani.*

2. Sed cuiuſmodi eſt? Reſpondet ***Hermes: Deus*** eſt. Nam & in atrio fictitio ſunt dii, ***vt quales dii, tale atrium,*** & contra, ita conueniebat non Chriſtiano, ſed ***Heraclyto*** Ethnico in caſa furnaria reſpondere. Etſi ſunt, inquit, qui dicantur ***Dii ſiue in cœlo, ſiue in terra,*** (ſiquidem ſunt dii multi, & domini multi) ***Nobis tamen vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus*** IESVS CHRISTVS, ***per quem omnia, & nos per ipſum.*** 1. Cor. 8. v. 5. 6. ***Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.*** 1. Cor. 10. 20. ***Nolite iugum ducere cum infidelibus.*** 2. Cor. 6. 14. 3. Qui & quales ***dij*** ſunt in atrio Hermetico? ***Minorum gentium,*** inquit Hermes. Ridiculum. Quis huic ***Hermeti*** poteſtatem dedit, vt ***Mercurium*** loco moueat, & dignitate priuet? ***Romanorum dij maiores*** erant Saturnus, Iupiter, Iuno, Mars, Minerua, Mercurius, Hercules, Apollo: qui & cœleſtes ab heroibus & ſubterraneis diſtincti, iidemq; inter ſydera potiſſima magna ex parte. ***Dianam*** quæ Lunæ vicem ſupplet, ſyluis attribuerunt; de ***Venere*** mirifica finxerunt iam terris, iam cœlo eam affigentes, vt credi poſſit, ***Iunonem & Mineruam*** ſubſtitutas eſſe Lunæ & Veneri in cœlo ſecundo: ***Herculi*** locus datus inter aſtra fixa. Miſer ***Mercurius*** cœleſti honore exutus exulare iubetur inter contemtos & plebeios pene Deos, fortaſſis merito ſuo. Cur enim adeo vagatur, & modo eſt in cœlo, modo in inferno? Indigenæ ſunt iſtæ nugæ gentilitiæ doctore Chriſtiano.

Planetæ atrienses,

4. In atrio ſunt ***Planetæ*** quoque. Qui iſti? ***Degeneres ſunt.*** Cur? Quia à pietate & præſtantia parentum diſceſſerunt. At ***malorum coruorum malos pullos*** eſſe, vetus eſt Prouerbium. Qui ſunt iſti parentes? Qui alii quam ***aſtrologorum errantes ſtellæ cum luminaribus,*** quas gentilitiorum Deorum nominibus appellant? Eſt enim perſuaſio Paracelſiſtarum, medii mundi in terra, aquis, & aere fœturas gigni à ſyderibus in cœlo, veluti: ***Sol*** putatur ***aurum,*** & cætera ſolaria facere, ***Luna argentum*** & Lunaria alia, ***Iupiter ſtannum*** cum Iouialibus, ***Saturnus plumbum*** & Saturnina, ***Mars ferrum*** & Martialia, ***Venus cuprum*** & Venerea, ***Mercurius argentum viuum*** cum Mercurialibus. Quæ vero in elementari regione per ſemina Planetarum, tanquam ***oua cuculi*** in nidos alienos illata, deponuntur, quia non in propriis matricibus, nec ab ipſis parentibus excluduntur, ideo deferunt ſtirpis ſuæ nobilitatem, fiuntque ***ſpurij.*** Quo vero principio iſta dicunt magniloqui Paracelſiſtæ? Nullo niſi phantaſiæ erraticæ. Hoc enim viderunt, quando dormiebant in ***Latmo cum Luna vmbra.*** Aliis alia ſpectra occurrerunt. Ideo idealis magiſter cap. 8. ſcribit de Luna, quod ſingulis menſibus noua generatione fructus proferat parentum ſeminibus & impreſſionibus ſimiles. Idem autem de cæteris ſtellis ſentiendum. Apparet ergo vanitas iſtorum ſtultorum. Si ingreſſi eſſent ***Sanctum Sanctorum Moſis***, cognoſcere potuiſſent plantas, & quæ his ſunt analoga mineralia ***creata*** fuiſſe ***ante ſtellas,*** omnes, & non tantum ſua elementa, vireſque prius illis accepiſſe, ſed & principia, & vim ſeminalis propagationis. Quanquam enim poſtea, vt melius prouenirent, à ſyderibus auxilium acceperunt, tamen non poſſunt illis debere exiſtentiam ſuam, & virtutes eſſentiales ſimpliciter. Solis calor & terræ, humoriſque benignitas adiuuant ſtirpes & ſemina: ſed nec raro etiam obſtant generationi, & generata corrumpunt, vt & aer pernicioſus, & ignis. Quid de ***homine?*** Quod ſydus, aut Planeta hunc cum ſuis membris fecit? ***Deus in principio creauit vnum:*** ex vno produxit tum fœminam comparis congii & generationis ſociam, tum omnes homines alios mediante ſemine ſine ſtellis. Idem Deus etiam conſeruat homines, & adhuc procreat per naturam, quod ***Dauid*** quoque fatetur adeo non agnoſcens opificium ***ſolis,*** vt etiam ſe ***ſub terra coagmentatum*** dicat. Idem ſenſit ***Iobus.*** Ipſi Paracelſiſtæ contendunt, ***ſydera eſſe ſub poteſtate ſapientum,*** qua de re ***Crollius.*** Si nolent ſapientes, ſtellæ ne muſcam quidem producent, aut culicem. Abi ergo in malam rem ***Hermes*** cum fictitiis tuis ſpuriis. Tu vero, ***Hartmane,*** ſi ſcire cupis, quæ cauſſa ſit naturæ degeneris, non tantum in inferiore, ſed & ſuperiore globo, conſule ***ſacras literas,*** ibi inuenies, ***omnia ab initio fuiſſe optima non vi ſyderum, ſed Dei creatoris Verbo: deinde propter peccatum iram Dei exarſiſſe, maledictumq; & vanitatem in naturam inuexiſſe: auctis quoq; ſubinde irritationibus, omnia in peius lapſa eſſe, adeo vt tota tandem natura, mundiq; machina ſit interitui deſtinata.*** Inde ſunt monſtra, & prauitates, & degenerationes. ***Ætas parentum*** (inquit Horatius) ***peior auis tulit nos nequiores mox daturos progeniem vitioſiorem.*** Si omnino etiam externæ generationis cauſſæ ſunt ſpectandæ, inuenies ira Dei cœlum ferreum, & terram æneam, clauſoſque optimos Dei theſauros, qui tamen aliquando ex mera benignitate, & miſericordia etiam recluſi ſatis laudabiles, & generoſos fructus promunt. Tunc & cœlum fauere cogitur, beneque conſtitutum eſſe, ſicut contra malis fructibus ipſum non affulget clementer, niſi aliqua violentior cauſſa accidat, vt etiam optime affulgens ſol non poſſit aurum, & ſolares fœturas producere. ***Naturale eſt ſimile ex ſimili,***

Sydera gignere apud Paracelſiſtas.

Pſ. 139. v. 15. Iob. 10. v. 8. & ſeq.

Cauſa bonarum & malarum creaturarum nō ſunt aſtra Paracelſiſtarū.

mili, & tale à tali nasci. Hermes tanto imperitius garrit, quo confidentius pronunciat de omnibus καθόλου principiis, & non cogitat quid per se sit, & quid ex accidente eueniat.

Sectio XXVIII.

De signo Mercurij ☿ & aliis nonnullis.

SOlent Chymici instituto Ægyptiaco, & proculdubio Hermetico, arcanas quasdam res tum *nominibus allegoricis* designare, tum *Hieroglyphicis notis & characteribus* ad imitationem astrologorũ, & magorum. Non opus est verbis. Indiariis anniuersariis quilibet notas, & signa tum aliarum rerum, tum animalium Zodiaci, & planetarum inspicere potest. *Magi*, & qui eos admirantur, suos habent characteres *nummis constellatis insculpendos* quos videre potes apud *Paracelsum*, *Henricum Cornel. Agrippam*, *Weckerum* & alios. Chymici in libris publicatis sunt rariores. In scriptis commentariis crebrius notas scribunt. Talium quasdam depingi curauit *Crollius* in suo tractatu de internis rerum signaturis: quasdam Onomastico *Leonhardus Turneiserus* adiecit, atq; ita sparsim apud *Paracelsum*, *Pantheum* & alios multas, easq; varias inuenias. Ego ex collectis hinc inde libris mirificos congessi characteres, deprehenditur *non iisdem vti omnes*, vt pauci sint, quibus aliqua ratio tribui queat, vti & de literis, & modo scribendi sentiendum. Itaq; fictio *Hermetis* in Hagiasterio, Mesaulo, & atrio nihil habet in constante Hieroglyphia roboris, cumq; *æternorum æterna debeant esse exemplaria*, temere est figuras lineares, altaria, iconas, monumenta, exedras, & alia comminisci quorum characteres non habent stabilem disciplinam. *Materiam primam* ridiculè signo ⊙ repræsentat, in quo *Londinas* vult puncto medio terram significari quam circulo ambiunt planetæ: Et habet hoc sane aliquam rationem. Nam mundus in plano ita solet à Geometris depingi vt punctus eius centrum, mediumque globum signet, peripheria seu circulus cœli ambitum. Sed *eodem* tamen *charactere sol* denotatur vulgò: Alij *quadrato includunt*, vt sit *vnitas* quædam *in quatuor extensilis*: vel si rotæ radiatæ figura cogitatur vniuersitatem signet ambitus, punctus vnum à quo omnia. Incerta itaq; est eius notæ interpretatio. Nihil ineptius est quam *Pythagoræ sphæram* tali schemate proponere cuius *centrum vbiq;* sit, *nusquam autem circumferentia*. Quis pictor hanc figuram expresserit quæ ne fingi quidem potest? *Leonis viridis* imaginem vsurpant lapidis Philosophici cõmentatores, non de natura, sed de sua mercuriali materia, quam *solutioni solis* adhibent. Qua de causa sic pingitur vt *solis radiantis imaginem denoret*, vt est in Rosario & alibi. Dum autẽ eadem nota etiam *ignem*, & *sulphur incombustibile*, aliaque; quæ coaceruat, comprehendit, indicat se *totam sapientum hieroglyphian turbare*. Similiter ineptit *animam repræsentando Deorum* (diabolorum) *simulacris*, *Aquila Iouis*, *Pauone Iunonis*, *tridente Neptuni*, *vitulis*, *piscibus*, *mumia*.

Characteres Chymici.

Lege & execrabile scriptum Iunioris Goclenii de Vng. armario Frãcofurdiæ an. 1613. excusum.

Materia 1. ⊙

Ineptissima forma figura.

Anima characteres.

Mystici Philosophi *Aquila* vtuntur longe alia significatione, vt notum est de *aquila alba*, *nigra*, *rubra*, *aquilis nouem Hermetis*, &c. *Pauonis* autem mẽtionem faciunt dum varietatem colorum, & pulcritudinem in opere, cum iam ex nigredine in albedinem tendit, quã rem & *Irin* appellant, describunt. *Tridentis* forma *Crollius* cineres depingit: alij æs vstum: magi Gabalistæ longe aliud vt videre est in Paracelsi Archidoxi magica. Quid autẽ hæc ad ANIMAM? Cur si viuentia animata erant producenda per simulacra tanquam in fabula, non etiam aliquid plantale, & humani addebatur? *Pierius* ait *Ægyptios animam forma accipitris* depinxisse. Fatui quoq; est calidum innatum, *praduri lapidis cui aureus solis circulus incumbat*, signare. Quid calido innato cum lapide? Quid subinde decrescenti, & in horas mutabili cum præduro, siue *Adamas* ille sit, siue alius quispiam? Qua forma lapis pingẽdus? *Circulus solaris materiæ primæ dabatur*. Quid huic cum calore insito? sed & hoc signum spiritum & humorem complectitur confuse, recurritque sulphur, vt in naturæ symbolo, quasi eadem res sit sulphur, natura, calidum innatum, humidum primigenium, spiritus insitus. Acuti visus est cernere immensa spacia vacua, eaq; pictura repræsentare cuius artificis? Nempe eius, qui in abyssis, & orco Orphei fuit, vt *Tiresiæ* cæci. Hic.n. vacuitates illas infinitas bene potuit videre. Cum ex Vtopia sua in mundum procedit *Hermes* per figuram pyramidalem delabitur, cuius apex est in cœlestium indiuisibilitate, basis incumbit diuisibilibus corporibus. Transitus scilicet est ex incorporeis ad corporea; ex abysso & orco Orphei ad mundum finitum: ex Intellectuali, & Ideis commentitiis malæ sanæ phanthasiæ ad sensibus perceptibilia. Cur non hic *scala Gabalistica* præsto erat? *Pierio meta* seu *Pyramis* finem & absolutionem operis significat: Et fors *Hermes* voluit phantasmata sacrarij sepelire quomodo Ægyptij reges suos molibus Pyramidalibus. In Archidoxi magica Paracelsi *contra muscas proponitur Pyramis*, quasi Beelzebub character esset. Inter figuras *Geomanticas Agrippa* idem signum mire variatum inuenitur: quo tamen melius vtitur *Thrasybulus*. *Hermes* videtur *Lucus primæuæ* characterem facere. Sed eam habuisse formam pyramidalem, demonstrandum erat: sique habuit, basis in cœlo fuit, non in terra, seu extra, & non intra mundum, eum ibi sit *Basis* vbi densitas maior, vt in sole, qui fertur medio globo maior esse 166. necesse est basin luminis esse respectu medij.

Aquila sapientum.

Pauo.

Signatura calidi innati.

Pyramis.

Ostenduntur & *alata caducea*, quæ sunt Mercurij, de quibus paulo post. Est autem hic Mercurius Mesaulicus. quia Deorum ad homines legatus, præco, nuncius, ne quid deliramentorũ gentilium ab hoc Christiano absit. Apparent & planetarum signa, quæ in Calendariis vulgatis occurrunt, & sua habent interpretamenta

Alata caducea.

Cur enim *Saturnus* pingitur ♄? Quia senex esse fingitur falce fœnisecâ metens homines, quasi sic scriberes ♄. Simpliciores enim erant olim figuræ. Character ex pictura sumtus est. Sed quare *Iupiter* ita ♃? Quia regia specie sellæ curuli insidens repræsentatur, quanquam alij aliter pingant.

Signa Planetarum.

S *Marti*

Marti Deo bellico telum hamatum adiicitur: *Sol* disci formam habet, seu orbis. Ideo hac figura insignitur. *Venus* virginis vultum erigit, indeque in longum & latum se explicat, quod crucis schemate indicarunt. *Mercurio* mansit suum caduceum. *Luna* corniculata picta est, qualis in augmento primo, & decremento posteriore cernitur. Omnino partem ex astrologorum iudiciis sumtæ picturæ occasionem dederunt characteribus, partim apparentia luminarium. Cabalistæ & magi postea scrupulose circa eos sunt versati, & ponderosam sapientiam cum mirificis virtutibus ex eo elicuerunt, quod Notarii breuis scripturæ caussa leuiculo argumento inuenerunt. Tanti est superstitio. Sequuntur *innumera astra coruscantia*, quæ si simplicia sunt, norunt pictores eorum characteres, quas optica suppeditat quasi essent *globi scintillantes*, seu radios proiicientes; quanquam non desint qui *faces* esse velint, aut *vasa concaua* lumen solis exceptum redhibentia. Constellationum & intersectionum, item aspectuum formæ vnde sint traductæ, disputent astrologi. *Magis* nihil est fidei propter prodigiosa mendacia, & superstitiones vanissimas. Videntur autem XII. signorum notæ ex fictitiis picturis sumtæ. *Arietem* curuatis cornibus ♈ notarunt; *Taurum* capite cornibus lunatis ♉: *Gemini* corporum duorum per manus & pedes coniunctione ♊: *Cancer* oculis & cornibus descriptus est ♋: *Leo* oculis igneis & capitis crine ♌. *Virgo* innotescit hoc signo ♍, quod fors est tunicæ fimbriatæ & plicatæ: *Libra* nascitur libellæ iugo ♎: *Scorpius* cauda ♏: *Sagittarius* sagittæ ♐: *Capricornus* corrupta capri figura ♑: (à cornibus ad caput ducitur linea, inde descendit ea ad ventrem, & retorquetur ad caudam.) *Aquarius* fluoris signum habet ♒: *Pisces* duorum delphinorum aduersorum ♓. Hæc quoque commenta notariorum Magi subtiliter & laboriose explicant, quos sinamus suis commentis beate frui. Sed quo charactere semina notanda erunt? Progredi dicuntur *à fonte vnitatis in mundanam scenam.* Notentur *Rota, modiolo, & radiis instructa.* Nam hæc hieroglyphiam habet progressionis apud *Ezechielem*, quanquam male phantastica illa *Hermetis* diuinis visis comparentur. In atrio plures occurrunt species. Nam hic primum est *quadratum* □, quanquam *cubus* esse deberet iuxta *Platonem*. Sed sit illa ex circulo seminum quadratura. Ea cum cruce recurret in *sale*. Alii aliud eo signo notant. Secundo *cruces* hic pinguntur, & *lineæ* intersectæ, quarum interpretamentum est singulare apud hunc Hermetem. Nam hieroglyphicis sapientibus *crux est nota perfecti denarii*, vt videre est apud *Pierium & Londinatem*. *Athanasius* eam contra dæmones commendat in libris *de verbo incarnato aduersus gentiles*, & hanc vim ei tribuunt omnes Romanæ Ecclesiæ addicti. *Lineæ intersectæ* apud metallurgos Chymicos fere *amalgama* significant, vt & apud *Crollium*. Sed formæ sunt diuersæ diuersarum rerum. Itaque aliquando & *Vitrum* notant. Redimus ad Mercurii signum. *Contemplare Mercurium*, inquit Hermes, *solus ille quidem & Lunæ stemmate & cognatione magnifice sese offert: affixam nihilominus crucem malignam semper circumfert.* Mira infantia. Si loqueretur de magisterio sapientum iuxta Planetarum omnium in vna monade hieroglyphica concursum aliquid diceret, de quo legendus est *Iohannes de Londinas*. Hoc est *mirum* illud *genus entis, quod sex constat elementis*, vtpote sex metallis communis materia, & ideo metallorum characteres habens, vt diligenter explicauit *Londinas*. Inde translata est figura ad Mercurium metallicum, seu argentum viuum, & modo simplex significat, modo sublimatum, præcipitatum, saturninum, &c. prout adiicitur nota. Mercuriale principium si eo signo proditur. Nota quædam, & adulterina accommodatione proditur. Quid enim quæso habet de sole? Lunæ nonnihil ei tribuas. Ideoque potius sic pingas, ☿ vel ☿. Liquor enim est aquæ elementari affinis, & adeo cognatus, vt omnino separari nequeat. *Luna* vero aquis præsidere creditur. Male informatus est in hieroglyphicis, *Magia* & *Cabala Hermes* tuus *Hartmane*. Mitte eum in scholas, aut caminos chymicos, & iube melius discere. Ita delirat expositione *crucis*, quasi hæc esset figuræ additamentum, *propter passionem* inter elementa. Si hoc, essentiale signũ fuerit taurinũ ♉, quod *Crollio* est *salis gemmei*, aliis *marcasithæ*. At crux illa pertinet ad notæ integritatem, signatque perfectionem, & non miseriam. Vulgariter est baculus seu scapus & manubrium caducei. Nam illa figura primam originem traxit ex *caducei* figmento demtis alis. Virga erat cum manubrio, quod distinguebatur nodo. Eius summũ alæ duæ stipabant. Medium occupabant serpentes duo nodo herculeo coniuncti aduersis caudis & capitibus. Neglectim transmutata nota exhibet vulgarem illam ☿: in qua sapienter exponenda laborant Cabalistæ, & Magi. Rectius non est crux rectilinea, sed baculus cum inuersa luna. Ita pinguntur aues Hermetis, qui Mercurius vocatur. Eiusmodi vero fabula narratur etiam *de signo sulphuris*, quod communiter est tale. Triangulus pro pyramide est: pedamentum figura crucis ex denarii nota item signat absolutionem per exaltationes artificiosas. Ideo & hic nugatur friuole *Hermes de superbia ex affinitate cum igni, & admistione elementorum misera.* Quid vero si sulphur nõ crucem, sed caudam reflexam, quasi serpentinam, exhiberet hac forma? Quidam his vtuntur:

. Sed placeat conus, ignis flammei tessera, in facibus, & candelis nostris cum ardent. Quem ignem cogitat nugator? An ignorat hunc quoq; esse elementum, &, si cœlum intelligitur, non pyramidem habere? Est autem ignis Paracelsistarum non flamma illa nostras in conum, (non Pyramidem assurgens, sed cœlestium astrorum complexio. Astra & luminaria, quos characteres habeant, ante dictum est. Si itaque est calamitas, & afflictio cum elementis esse, pyramidis superbia vilis erit. Sed quibus cum elementis? Qui paucissima ponunt inter Paracelsistas, tres classes produnt; *vnam vacuam, alteram spiritualem*, & internorum, *tertiam externorum*. Exponendum erat, à quorum elementorum consortio esset malignitas, & si ab externis, quid facit Chymica exaltatio.

Magi prodigiose mendaces.

Seminum nota.


Quadratũ.

Cruces.

Linea.

Signum Mercur.

Mercurius Mercur. i tesseram nõ intelligit Caduceum.



Signum sulphuris.

Tu vero, *Hartmanne*, an nihil habes in tuis furnulis quod possis, *Hermeti* isti stulto obiicere? An non meministi socios tuos Paracelsistas non tantum tria, vel etiam plura elementorum genera suis essentiis iungere, verum etiam aliquod *Ens veneni?* Hoc quidnam sit dic quæso. Si est, *aqua*, quam multa viuentia veneno viuunt? Quam multa oportet esse venenata, quia *cibus suam qualitatem communicat ei cuius est cibus*, vt apparet in rege Indico apud *Vartomannum*, & puella intoxicata in historia *Alexandri*, & alias quoq; viperæ, & scorpij eo sunt nocetiores quo venenosioribus vixerint. Si est *aër*: caue respires. De *igni* flammeo nō dicam. Venenum enim potius destruit, quam foueat. Terrane erit? Ne comedas olus & panem, nec bibas vinum. Si nullum est elementorum externorum, num est astrale aliquod? Si itaque *crux* est signum malignitatis ex societate, non oportet elementa innoxia accusare, sed essentias ipsas essentiis, & principia principiis contraria. Si voluisses *crucem* ex sacris emendicare, inuenisses non creaturas Dei per se bonas, & de illis contumeliose in iniuriam creatoris scripsisses, sed *peccata* accusasses, & *vanitatem* cum maledicto cui subiecta natura est tota, non sic vt principia tua, & cœlum sit immune, sed & hæc polluta, maximumq; inquinamentum hæret in *mumia tua*, sicut *Iob* dicit *Deum nosse hominum vanitatem*, & Psalmus *vniuersam vanitatem eos vocat. Stellæ quoque non sunt mundæ in conspectu Dei* Iob. 25. vers. 5. *In angelis etiam deprehensa est stultitia*: Iob 4.18. Verum missis istis dic, qui est *Salis character?* Quadratum schema vbi mōnstrat quadratus rusticus & insulsus *Hermes*: quasi sit huiusmodi . Hæc figura asscribebatur ATRIO toti. Iam dicitur arguere, in sale hoc maxima cognatione ELEMENTA, cū primis terram, attingere. *Crollius* terram sic pingit . Figuram quadratam *vrinæ* tribuit: angulis autem conuersis *Saponem*, vel *antimonium* notat. Salis non est vna figura. Nam sal communis Signatur : & aliis pluribus characteribus: halinitrū , sal gēma , : Ammoniac⁹ Alcali . In collectaneis meis inuenio salem insigniri. Z. , quibus & lotiū: Item aliis miris notis quas tædet asscribere. *Incerta scilicet, & arbitraria ista sunt signa.* Itaq; & tui *Hermetis* expositiones nihil habent demonstrati. Cur autem *Sal solus non habet crucem appensam?* Imo cur non totus est crux, cum non vni elemento, sed omnibus, maximeq; terræ sit obnoxius? Circumspexi an non esset alicubi *Sal cruciatus*: Sed non inueni. Quadratum inueni tale asscripto *stibio*, cui⁹ vulgatior nota . Item quod erat sulphuris indiciū: & quid refert Cono, pyramide, an quadrato notetur sulphur? Tartari est figura, vt & & aliæ apud *Crollium*. *Hermes* tuus callide *quadratum schema* sali assignauit: *Quia* scilicet *Terræ est cognatus.* O acumen: quasi terræ id esset symbolum propter stabilitatem. Da mihi quæso *quadratum solidum*. Planam figuram finges, at non solidam. Ecce *bone Mathematice* non eras domi cum ista in chartam coniiceres. An autem sal maxime cognatus sit terræ, postea videbimus. De signis elementi aquæ, & *terræ damnatæ* suo loco sermo erit, quanquā mouendum erat de *charactere terræ*, cur in salis descriptione sit quadratum schema, vt & in ipso Atrio: at in terra, quam *Hermes* damnat, quæ primo iure, & per se terra est, ponatur forma *Cranij* ex sepulchretis, aut locis suppliciorum patibulis, rotis, &c. verum de hoc postea.

Ens Veneni Paracelsistarum.

Character salis.

Terra nonnullis.

Salis figuræ.

SECTIO XXIX.

Descriptio Mercurij.

EX verbis Hermetis colligitur *Mercurium atriensem* (alius enim est Mesaulicus) *esse Deum minorum gentium, & planetam, qui multū degenerauerit à pietate & præstantia sui parentis, Mercurij scilicet cœlestis in globo superiore, solis & lunæ stemmate superbientem quidē, sed nihilominus malignitatem Comitē habentem.* Hæc allegorica postea verbis planis enunciantur, vt intelligamus Mercurium atriensem esse *Principium* Chymicorū, *qui dicuntur veri venatores naturæ, indicantes per id Liquorem acidum, rarum, permeabilē, aëream, æthereum, spirituosam substantiam formæ proximum instrumentū, vitæ pabulum, quo sal, & sulphur festinantia in horas propter actionū frequentiam ad siccitatē, & seniū, assidua irrigatione refocillētur: quod idem fluida, labiliq; substantia mixtionē reddat faciliorem: & tandem in quo colores potissimū sint conspicui.* Hæc *Hermes* Atriensis de sibi cognomini Mercurio. Transscripta vero sunt partim ex aliis, partim ex *Seuerino*, qui c. 8. Ideæ ideo additum esse Mercurium scribit, vt assidua irrigatione duo priora (sal & sulphur) actionū frequentia ad siccitatē, & senium in horas festinantia foueret, & mistionem fluida substantia redderet facilē. *Quercetanus* c. 14. defensionis *corpora actiua principiorum* vnū ponit siccū, *vt sal*: duo humidi, vt *sulphur*, & *Mercurium* quē dicit esse *liquorē illum acidū, permeabilē, penetrabilem, purissimum & æthereū illud corpus* ἀτμῶδες: *aëream, subtilissimam, viuificam, ac spirituosam substantiā, pabulū vitæ. &* ὄργανον *seu formæ proximū instrumentum: spiritum antiquissimi Hermetis; liquidum, rarum, permeabilem, volatilem, &c.* Beguinus c. 2. Tyrocinij ait: Mercurius est liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis, æthereus, purissimus, à quo omnis nutricatio, sensus, motus, vires, calores, senectutisque præproperæ retardatio. Confertur elemento aëris, & aquæ: illi quidem, quatenus coloris vicinia alteratus facile in auras abit: huic, quatenus ea difficulter proprio, facile autem alieno termino continetur; hoc est, qua ex humidum quid. Sic enim *humidum* definiunt ex Aristotele lib. 2. de ortu cap. 2. tex. 9. & cap. 1. lib. 4. Meteor. vbi *humidum non actiuum esse, sed passiuum dicit*, quia facile, & difficile terminabile eo dicuntur, quod patiatur aliquid eorum natura. Sed missis ceteris (neq; enim cum quouis in certamen descendere animus est) saltem *Hermetica atriensia* consideremus *absq; vllius personæ respectu.*

Mercurii Chymici descriptio.

Ex Seuerino & Quercetano.

Quercetani principia & Mercurius.

Beguini Mercurius.

1. *Mercurius est Deus minorum gentium.*) Absit à pietate Christiana *Deum* vocare *illam aquā*, quam Chymici destillatione ex mistis eliciunt. Nec serio, nec ioco, nec poëticè fingendo violandum

Mercurius Hartmanni Deus.

dum est principium legis diuinæ de aliis diis non habendis, de nomine Dei nō profanando, de gloria Dei non danda aliis, &c.

Mercurius planeta. 2. *Mercurialis est planeta*). vide quid dicas *Herme*. Planeta, qui dicitur vagabundus est, & stella erratica appellari solet. *Principium* autem *omne constans est*. Si planeta est, nō potest esse principium nisi erroris, nulliusq; stabilis sciētiæ, nec causa firma ex qua effectum certum deduci possit. *Principia debent esse scientifica*, & demonstratiua: certa, firma, immota, per se vera & prima, atq; adeo indemonstrabilia. Ludis discipulos æquiuoco nominis, si idem & principium dicis, & erronem. Melius loquuntur, qui ASTRVM inferioris globi iuxta phrasin comparationum Hermeticarum vocant ex analogia cum argento viuo minerali, ꝙ vnum est ex materiali substantia metallorum membrum.

Mercurius Hartmanni degener. 3. *Mercurius multum degenerauit à pietate, & præstantia sui parentis.*) Quis ergo ille parens? *Si aliquid prius seipso habet, quomodo est principium?* Certum est essentias Chymicas primum à Deo creatas est, qui est *principium vniuersale omnium:* Deinde eas in suis integris, & stemmatibus nutritione conseruari, & crescere, perficique: Inde alias propagari seminio. *In semine vnumquodque latet potentia.* Si principium (quod relatè & allegoricè sic appellant Chymici tanquam primum subiectum potestatis naturalis, & essentialis) habet parentem, *semen* est. Ab huius natura degenerare non debet. Vi quidem aliqua deiici potest, seu accidente, quomodo tota natura vanitati est subiecta: sed *per se natura semper sui est similis, semperq; agit eodem modo.* Chymici quoque cùm principia, seu subiecta essentialium potestatum colligunt, non degenera, abortiua, aut naturæ suæ oblita spectant, sed *lectissima, & apprime valida*, quæ etiam magno artis studio exaltare satagunt. Tu cum tam abiectè loqueris de tuis principiis, disciplinam tuam infamas. Est autem temeraria quædam, & principio carens phantasia Paracelsistarum opinantium, *stellas in cœlo parturire sui similes stellas in regione elementari, maximeq; in mistis.* Ebrius Paracelsus hoc commentum eructauit crudum: Demonstrare conatus est dormientes stertare. Mirum est inueniri, qui ista frusta colligant, & in precio habeant, patianturq; se scabie quadam, & Cacoëthe insipientiæ infici. Sed *nihil tam absurdè dici potest, quin aliquem inueniat patronum.*

Chymicorū principia nō sunt degenera.

Mercurius ex solis & lunæ stirpe. 4. *Mercurius effert se solis & lunæ & stemmate.*) Quasi vero signum notariorum ex fabulis Poëticis sumtum sit argumentum, id principium, quod ex mistis nomine Liquoris Mercurialis elicitur, esse de stirpe auri, & argenti, seu luminariū globi inferioris. Dictum de hoc est superius. Nunc addo saltem *Mercurium potius esse stirpem solis, & lunæ*, & hæc debere gloriari origine ex eo magis quā contra. Nam quid aliud est *Sol* quam *coagulatus & percoctus quidam Mercurius in metallicis*: quid aliud *luna* paulo infra solis perfectionē? Ideo & in Mercuriū reducuntur, & vtrumq;, tam aurū quam argentum, est amicū argento viuo, quanquam magis aurū, vt & stannum cum plumbo. In *magno magisterio sapientum* Mercurius etiā nutrimento, & augmento solē, lunamq; promouet, & causa quædam est propagatæ stirpis, quanquā postea vicissim argentū viuum beneficio corū exaltatorū fruatur. *Quercetani, & Beguini sententia nullum principiū est solum* Nam virtus vnius in altero deprehenditur: & tamen ad aliquod simplex, & primū perueniendum est, ꝙ in scientia proponatur absolutè. Non si in materialibus, & sensibilibus virtutes cōmunicant, & omnes partes essentiales totum resipiunt, etiam in Theorematica, & scientifica traditione sunt commiscendæ. Ita de elementis mistorum internis disseritur, ita de seminibus, & partibus integrātibus omniū corporum. Rationes primum venatur, & explicat scientifica methodus; postea cognationes & coniunctiones docet. Dicet *Hermes* se non accuratā in fabula præceptionem spectasse: pictoribus & poetis quiduis licere: efferre se stemmate nō passiuè, sed actiuè intelligi debere: cōmunionem virtutum respici, &c. Finge, inquā etiā plura, & lude tuos discipulos laruis comicis. Bellus eris ex Hermetica officina demonstrator. Comparari *sulphur soli* potest, & *lunæ sal*. Sed hæc comparatio locū non habet in charactere Mercurij cuius vna pars ☉ solis creditur esse signū, altera, ◡, lunæ. Neq; n. hi characteres sunt sulphuris, & salis. Deinde adhuc sub iudice lis est an in Mercurij signo illæ notæ sint solis, & lunæ, cum solis sit rota seu circulus cum centrali puncto lunæ vero corniculatæ cum corpulentia media ☽ species.

Non ex auro primum est Mercurius, sed aurum & reliqua metalla ex Mercurio quasi matre.

Prolapsis.

Mercurius malignæ cruciatus. 5. *Mecurius, qui principium Chymicum malignam crucem semper secum circumfert.*) Vah innoxiā principia. Chymicorum est bonum, & malum separare, *binariū abiicere*, qui est malignitatis, *ternariū retinere*, vt ait *Tritemius*: venenū tollere, essentiam salutarē colligere, vt boni sint spagiri. Vnde ergo est in culina *Hermetis* atriensis malignitas, eaq; perpetua? Num tu *Hartmanne*, sic coquis tua iuscula chymica? Frustra pugnauit contra Parisienses medicos *Quercetanus* si principia malignis crucibus semper sunt stipata. Elemēta indiuulsa intelligi dices. At inquā illa non sunt externa, sed interna, & domestica principiorū tincturis adeo immutata, vt in eandem naturā homogeneam cum illis coaluerint, minimeq; sint maligna. Ideo & duo externa elementa in damnatis habentur, quia illa in beatis. *Si crux significat corruptionis, & euanescentiæ virtutis potentiam*, non tam magnificè de cœlesti, sydereaq;, & astrali natura, & præpotente efficacia est disserendum. Ridebunt enim vos Caculæ Peripateticorum, & vestra principia elementis supponent.

Mercurius nomen primi principii. 6. *Chymici veri naturæ venatores hoc nominis* (Mercurius) *primo suo principio tribuunt.*) Nomina principiorum trium leguntur apud *Basilium monachum* in libello de magno lapide antiquorum, & curru triūphali antimonij. Is autor vixit circa initia morbi Gallici, qui ortus est in Europa an. Chri 1493. Ante ergo 121. annos extitit trium principiorū notitia, nec à *Paracelso*, autore prodiit, vt quidam simplices arbitrantur, qui omnia talia *ad ebriū & mali cerebri Paracelsum* referunt. Meminit & *Isaacus Hollādus*. Vetustiores putātur aliis nominib. designasse. Adeo n. fatui sunt Paracelsistæ, vt vbi inueniunt voculā suæ opinioni congruam, ibi sibi persuadeant suā fundari insipientiā. Paracelsus in Thesauro Thes. tom. 6. scribit *omnes ante se Philosophos à scopo aberrasse, & metalla quidem ex Mercurio & Sulphure,*

& ſulphure, tanquam matre, generaſſe, ſed tertij non meminiſſe quod in aqua iaceat & vera ſit mater metallorum, quæ aqua ſegregata inueniatur, &c. Ego quidem neſcio an antiquior quiſpiam *Baſilio* tria illa propoſuerit, & quam vetus ſit ille *Iſaacus*, cuius meminit *Penotus*. Id autē conſtat *Gebrum* ex *ſulphure, arſenico, & argento viuo* conflaſſe metalla: Cæteros vel elementa dixiſſe, vel duo tantum, *Mercuriū* ſcil. *& ſulphur*, vnde & *Hollandus* ille *Iſaacus*, qui opera mineralia edidit c.14. lib.1. ait: *Conſtat ex nulla alia re in rerū natura metalla gigni poſſe quam ex his duabus, Sulph ſcilicet & Merc.* Idem ſentit Albertus M. & metallici noſtrates in *Sarepta Mettheſii. Agricola* lib.5. de ortu ſub terr. c.2. & 4. Chymiſtarum opinionem eſſe tradit, *metalla eſſe ex ſulph. & arg. viuo*, quorū differentiis etiam metalla diſcreuerūt. Qui ergo vocabula ſuæ opinioni colludentia ſectatur, & tria principia illa vel primo Paracelſo aſſignat, vel vetuſtiſſimis attribuit, videat ne decipiatur. Veri naturæ indagatores fuerunt & illi, qui trium non meminerūt. Quid autē quæſo dices his, qui *non tria ſed quatuor, vel quinq; vel nouem*, aut alio numero contendunt eſſe? An non fuerunt veri venatores? Quid de illis, qui *ſolam aquam* ad imitationem lapidis? Neſcit tuus *Hermes Hartmanne* quid garriat. Oportuit aliquid dicere in cōtumeliam eorum quos vocas *Elementarios Philoſophos*, & falſe irrides, quaſi hi non fuerint veri venatores, qui tamē totam naturam in cœlo, terra, mari, & aliis locis humanæ acici peruiis ſunt proſecuti, iiq; non pauci Chymici.

Paracelſus omniū priorū Phil. contemptor.

Principia metallorum vetera.

Gaelenius ſpirituales ſenſuales appellat q. ipſe intellectualis Enthuſiaſta eſſet.

7. *Quid intelligitur vocabulo Mercurius apud veros venatores? Liquor.* At inquam *liquor eſt poſterior ſpiritu.* Eſt.n. corpus coagulatum ex ſpiritu: & in metallicis argentum viuum *magis ſpiritus* iudicatur *quā liquor*. In coagulatione quidē ſua aquam modo, modo terram & ſolidū corpus refert: ſed ſpiritus manet quandiu eſt ſuæ naturæ; *Principij ratio eſt primum eſſe.* Definitiones requirunt quidditatem primæ naturæ, non accidens mutabile.

8. Qualis *liquor? Acidus* ſapor ergo materialis eſt. *Liquor. n. acidus ſuccum ſignificat aciditate præditum*, qui ea etiam afficit inſtrumentum guſtus. Exempla ſunt *acetum* ex variis, *acetoſa, acetoſella, ſpiritus acidus ſulphuris, vitrioli*, & ſimilia. Videris mihi oculum direxiſſe ad fumos camini tui, qui ſi per deſcēſum agantur, acidum liquorem reddunt. At & *ſales quidam* ſunt *acidi.* Deinde ex dulcibus, aromaticis, & aliis Mercurij eliciuntur cum ſapore ſuorum ſimplicium. Delirare te dicam, & inſenſatum eſſe, ſi pronunciaueris omnes eſſe acidos. *Quercet.* c.3. de materia medicinæ priſcorum ex *halinitro* eduxit *ſpiritum mercurialem* qualitate ſua non calidū, ſed *frigidū* potius, qd teſtetur eius Aciditas, *quæ cum frigiditate mira prorſus exiſtat, longeq; ſit ab elemētari diuerſa diſſoluens corpora, coagulans ſpiritus: qui ſpiritus acidus reperiatur etiam in ſulphure, & vitriolo, qui eo maxime abundat.* Si dicerem hoc vniuerſale nō eſſe, & illam *aciditatem* deberi ſali, quem alias *Armoniacum* vocat, quiq; elementari aquæ immiſtus temperamento certo talē ſaporem habeat, quē in aliquibus putredo gignit, vt in Vino, Zytho, Pyratio, Pomatio, aqua pluuia & aliis, ille confugeret ad ſuum illud *omnia in omnibus*, iuxta panſpermaticos doctores. Qui ſapor ex accidente eſt, non eſt naturalis principij. *Acidus* in plerisq; eſt ex accidente, vt corruptione per ignem, putredinē, ſalis affectionem certam, &c. Ergo. Probo. Nam ſi integra ſepares in ſua principia per naturalem, & blandam extractionem: *Mercurius non erit acidus*, vt in deſtillatione muſti, vini boni, &c. Quod ſi phlegmata horum putrefacias, aut ipſa ſuo ſpiritu genuino priues, tunc ſaltem emergit aciditas. Si *Oxalin* & alia naturaliter acida in eſſentias redigas, *minima pars aciditatis erit in mercuriali ſpiritu*, ſed in ſale, potiſſima. Id arguit & citrum, Limonia, poma arantia acida, Granata acida, & alia quorum ſuccos ſi deſtilles ita vt non ſimul rapias ſulphur acidum, & ſal volatile, cognoſces veritatem. Docet *Quercetanus* illam *aciditatem reddere ſuo ſali per crebras Imbibitiones & deſtillationes.* Affine.n. iungitur affini. Corpus quod reuocatur mercuriale quidē eſt, ſed non acidum. Vnde patet *aciditatem à ſale volatili* qui miſtus erat Mercurio, fuiſſe.

Mercur liquor.

Principium frigidum Quercetani: & tamen acidum. Galenus ergo de aciditate frigida locutus, de principio hoc Chymico ſenſit.

Acidus ſapor eſt magis ſalis quam liquor.

9. Eſt & RARVS liquor. *Rarum opponitur denſo*, ſignificatq; qualitatem ſecundam, quæ eſt materialis ex partiū poſitione intercedente ſpiritu; vt ſpongia rara, cinis rarus, panis rarus, pilus rarus, &c. Num itaq; principia Paracelſica non tantum *primas elementorum qualitates* habent, ſed & *ſecundas?* At *Crollius* pernegat. Opinor voluiſſe te dicere *ſolutum*, qui opponitur coagulato. An ne hoc quidē? Quia ferrum, æs, ſtannum ſunt corpora coagulata, at poroſa, ſeu rara. Quidam etiam bibulū aurum exhibent. Quicquid ſit, *Mercurius metallorum non eſt admodum rarus*, quod grauitas indicat, & omnium aliorum reiectio præter aurum, & plumbū purum, purumue argentum, & ſtannum, quæ tamen non ideo recipit, *quia rarus*, ſed *quia familiaris, & natura gaudet natura.* Ita eſt & de aliis Mercuriis, qui ſimiliter aquis ſunt cenſendi. At aëreus eſt. *Aër eſt rarus.* Ergo & Mercurius. Aërem in ſua natura expanſa rarū eſſe non nego. At nos non de expanſo & ſoluto in aëris ſpeciem liquore loquimur, ſed de eo, qui aquæ eſt ſimilis, fundiq; de vaſe in vas poteſt, & fluit. Penetrat rara ipſe non rarus, ſed corpulentus, farciens & implens meatus.

Mercurius rarus.

10. *Mercurius eſt permeabilis.* A quo ergo permeatur? Hoc conſequens eſt rari, penetrari ſcilicet poſſe corpore in meatibus contento cedente. Piſces permeant aquas, volucres aërem; At cedētia. Rarum nō cedit, ſed in ſe admittit aliquod corpus. Si in liquorem Mercurialem aliquid iniicias, is aut cedit, aut penetrat in iniecti poros. Sic argentum viuum, aëris & omnino ſpirituum eſt permeare, non permeari niſi cedendo ſeu locum dando, vt cum per ignem lapis traiicitur, aquila per aërem volat, nauis per quas tranſit.

Permeabilis Mercurius.

11. *Mercurius eſt ſubſtantia aërea.* Hoc mirum in ſchola Paracelſica. *Erat Deus:* Erat *planeta, aſtrum* & ſimilia. Quod vero ſubſtantia eſt aërea, ſeu aëreum, vel elementum eſt, vel elementi huius plurimum in ſe habet, eſtq; corruptibile, & tranſmutabile, quæ paſſiones in cœleſtes eſſentias non cadunt. Sed condonandum eſt huic diſciplinæ, *quæ omnia facit ex omnibus, & omnia farcit omnibus.* Alias aquæ comparant: aëri vero olea quædam proportionalia, & ſpiritus calidos. *Quercetano Mercurius eſt frigidus*, multaq; aquæ elementa habet: Imo poſtquam ei ſubtractum eſt ſal acidum, *fatuus liquor* reſtat ſi ſenſus conſulas.

Varietas de ☿

Mercurius æthereus. 12. *Mercurius est atherea substantia.)* Hoc magis mirum vix crediderim *ætherem esse acidum,& frigere.* Quid si frigore in glaciem vertatur tuus Mercurius, num & tunc est ætherea substantia? Id quidem fit: sed *Paracelso* etiam fortiter mentienti magis credendum est quam veriloquis aliis. *Ætherem* alias Paracelsici IGNI deputant. Ita Mercurius esset Igneus. Num est mistus ex æthere & aëre? *Mercurius Hartmanni.* Naso suspendendus est tuus *Hartmanne Hermes.* Est *Hermaphroditus:* Deinde MVLTVM degenerauit à Mercurio stella, vel illo, qui erat in *sancto Mesaulo.* Sit ergo spurius, & mistura quædam monstrosa feminis confusi. Alij Chymici sua principia, vel *essentias cœlestes* vocant, (quintas, aut quartas) vel *analogas* dicunt esse *stellarum elemento* iuxta *Aristotelem*, quia sunt *potestatum vitalium subiecta.* Ex qua re Deus fecerit arbores, bestias, homines secundum corpora, *Moses* indicat. *Hæc potentia sui simile semen gignunt.* *Principia ex Mose.* Dic ergo principia illa origine creationis *ex terra, & aqua* potissimum extitisse: propagationis vero naturalis per semen, & nutrimentum ex elementis constare iisdem, sed vtrobique societate cœlestis spiritus, qui cum præualet, principiumætherei asscribitur, cum non, alicui elemento. *Spiritus salini.* Nota quod spiritus aliqui (vt vrinæ, &c.) etiam sæpius destillati *Crystallos ponant.* Hi dicuntur *Sal* esse. Collige salsam in iis contineri substantiam. Sal in lapidem vitreum conflatur maximè si quid terræ puræ assit. Hic autem non simplex, sed compositum est corpus, vt & sal ipse. Num æthera natura his passionibus succumbat considerabis.

Merc. substantia spirituosa. 13. *Mercurius est substantia spirituosa.)* Quid ni spiritus? Est enim aërea, æthera astrum, spiritus Olympicus, elemento interno spirituali, & incorporeo sociatus. Spirituale voluisti dicere. Spirituosum quod est, non est spiritus, nec spirituale, sed aliud quidem, plenum tamen spiritu, si Physice loqui volumus. Accuratè Philosophare, ne in Philosophos *superficiarios, & elementarios* (ita pro tua stulta superbia vocas Peripateticos, & Galenicos) incidens fias eorum Coryphæus, & inter eos restim ductitans saltes.

14. *Mercurius est formæ proximum instrumentum.)* Hoc est decretum insanientis sapientiæ. Quomodo enim hic esset principium corporis misti constitutiuum? Quo in loco erit calidū vitale, spiritus animalis, vitalis, naturalis, quæ non sunt partes mistæ carnis, ossis, &c. sed organa officiorum in corpore viuente? Principia, & elementa sunt corporū mistorum membra, atq; ita cōstitutiua alterius partis substantiæ totius: nō sunt formæ organa. Ita tu ipse dicebas *formas sibi fabricare corpora,* vt & semina, quæ informent, non tanquā proximis instrumentis ad fabricandū, vel aliud agendum *Calor natiuus.* vtantur. Rectius id de *sulphure* scripsisses cui analogus est *calor. Calor natiuus,* inquit tuus Hermes in Hagiasterio, *est humidum illud primigenium oleaginosum, aërium insito spiritu totius formæ custode & propugnatore, nec nō vitali calore perfusum.* Omnino, si forma est anima, aliud est spiritus organicus, aliud *Anima.* is quem ex solidis partibus, & humoribus separant arte sua Chymici. Si autem forma nō est anima, nec organica cēsetur, atq; ita hac censura instrumento nō indigebit, quo spectat illud ꝙ *Hermes* de anima dicit, *esse eam corporis organici Entelechiam,* ꝙ non enunciat de forma. Modificatè loquūtur, qui *magneti* tribuunt *manū* qua ferrū prehendat, & spiritum attractorium sic organicum faciunt, ꝙ idē etiam de purgantibus venenis, alexiteriis & aliis asserendū erat. Verum nec scientificū, & proprium *Magnes.* hoc est, nec principij nec Mercurij solius. Nam & *sulphur, & sal,* quæq; alia ex mistis, seu fiūt per modum magisterij, seu extrahuntur, istas vires, easq; euidentiores habent. Ad *magnetem* quod attinet vis eius spiritualis cum aliquo corporis contagio in Chalybem transfertur quidem, sed cum corporis resolutio in principia fit, nullus apparet, vt pateat etiamsi organicum dicas, tamen non esse *Mercurium* proximum formæ instrumentum.

Mercurius Vide pabulum. 15. *Mercurius est pabulum vitæ.)* Qui vitam ali dicunt, metaphoricè dicunt. Accipiunt.n. vitam sicut flammā, aut membrum uiui corporis viuū, &c. Est alias Metonymia effecti, cum sumitur pro anima vitæ causa: vel adiuncti, cum pro viuente. In Hagiasterio calore innato, humido oleaginoso, & spiritu omnia viuebāt, cumq; caloris extinctio mors fit, potius vitæ pabulū illud erit, ꝙ calorē cōseruat. Id autē *sulphuri natura* potius deberi, quis est, qui nesciat, cum viderit flammas ali pinguibus, Mercurium vero esse non pinguē, sed aqueum adeo, vt cum sal, seu id in quo sapida eius virtus est, separatur, nihil differat à phlegmate, quo ignis extinguitur, nō pascitur? *Quercetanis Mercurius est acidus & frigidus.* Vide an talis possit esse idoneū vitæ pabulum. Qui itaq; Mercurium vitæ pabulum vocat, & hoc non poëticè, & allegoricè, sed propriè accipit, indicat se cum ratione insanire, *Galenicum temperamētum in atrio Hermetis Hartmanniaci.* seu insaniente esse sapientia. 16. Sequitur *Seueriniana* dictio. *Sulphur & sal actionū frequētia in horas festinant ad siccitatē & seniū.)* Hoc ex Galenicis acceptū est de tēperamento, & humido primigenio, calidoq; innato. Paulatim.n. mutatur temperamentū ex calido humido aërio in frigidū siccum, & humidū primigeniū spirituosum depascitur, simulq; calor in illis minuitur. Festinanter hoc fiat an *Vita.* non, nolo disputare cū relatū possit esse. Si vita est actus quidā, & functio vitalis actio, quæ sulphuri & sali debetur iuxta *Seuerinum*, aut saltē hęc dum illa fit, patiuntur, quia actionibus inseruiunt, Mer- *Mercurius irrigat sulphur, & salem assiduo.* curius non erit proximū formæ agentis instrumentum. 17. *Mercurius refocillat assidua irrigatione sulphur & salem.)* Num ergo sic pabulū est vitæ, & proximum instrumentū formæ, quia alit, & rigat *salem & sulphur?* At hoc officiū est nutrimenti, & alterantis liquoris. *Principia non sunt nutrimenta, sed hypostatica mistorum partes.* Sunt illa ipsa quæ nutrimento conseruantur, nō quæ nutriunt. Quid autem dices de his quæ non nutriuntur, vt de gemmis, non in mineris suis, sed in cista, annulis, collo, vestitu, &c. de auro & aliis metallis in vsum iam ex sua matrice assumtis, cæterisq; multis? Nū & hic id officium gerebat Mercurius? vbi est illa fluida, & assidua irrigatio? Si *Galenus* ista legeret, putaret de humoribus *Hippoc. alimentariis* sermonem esse. *His alimur ex quibus constamus.* Si constamus ex sulphure, sale, & Mercurio, simileq; nutritur simili, falsum erit sulphur & salē hypostatica principia refocillari Mercurio hypostatico, sed hic quoq; suo alimētario Mercurio reficiendus est, vt illa suo sulphure, & sale, hoc est, Galenico sanguine, & phlegmate, vel omnino iuxta *Aristot. sanguine* discrimina ista in potentia continente.

Cogita-

Cogitauit fortasse *Seuerinus* de *aqua articulari*, quam *synoniam* vocat, vultque esse substantificum, & sic *quintum humorem*, à Galenicis prætcritum. Ego suaderem tuo Hermeti, *Hartmane*, vt sicut Paracelsus in *Thesauro Chymicorum* nugatur, literas ex inferno per *Orpheum* à *Galeno* vel *Hippocrate* sibi procuraret, aut cum his in vestibulo auerni, vt cum *Auicenna Paracelsus*, disputaret. (Tom. 6. p. 399. **Hetten deine Artisten den** Galenum **in der Hellen gewüst / darauß er mir geschrieben hat: deßgleichen** Auicennam **in der Porten der Vorhell mit dem ich disputirt habe von seinem** auro potabili tinctura Physicorum, v. eff. Lap. Phil. Theriaca, Mithridatio, &c. Idem Tom. 2. p. 11. In præfatione paragrani dicit Galenum scripsisse sibi ex inferno, &c.) Cognosceret exactius quidnam esset quod sulphur, & salem languefacta actionibus, & ad interitum festinantia restauraret. Irrigantur arefacta. *Si Mercurius assidue irrigat, copiosa aqua erit.* Fors cogitandum est esse catarrhum cerebri, vel aquam *Hippocratis*, q̃ *Hermes* vocabat *Azoth* cum aiebat *ignis & Azoth*, h. e. *aqua Hippocratis*, alias argẽtum viuum, seu Mercurius Philosophorum, *sufficiunt*. Labyrinthus & hic est in sanientis sapientiæ.

Mercurius facilem dat mistionem.

18. *Mercurius substantia fluida, labilique mistionem reddit faciliorem.*) Hoc sapit Aristotelicum quiddam. *Humida* inquit, *miscibilia maxime corporum sunt. Facile terminabile enim maxime humidum diuisibilium, nisi viscosum fuerit, &c.* Cogitauit *Seuerini* sapientia artificiose fieri mistionem. Supponitur formas sibi fabricare corpora, quod & seminibus asscribebatur. Præsto est duplex genus simplicium, elementa, & principia iam actu substantiam habentia, & separata. Forma assumit sulphur: addit salem. Hæc duo nolunt facile misceri. Affundit aliquid Mercurij. Ecce tibi facilis fit mistio ad homogeniã essentialem. Argute. Quid si *viscosum* esset *sulphur* & *oleaginosum*? Talia quæ sunt nec facile diuisibilia sunt, nec aquositates admittunt, vt norunt Paracelsici ipsi. *Principia ex seminibus mistis mista nascuntur ordine naturæ sic à creatore instituto.* Non opus est compositione. Ex potentia prodeunt in actũ, & ex imperfectione tendunt ad perfectionem motu insito, qui regitur calore, & spiritu connato, & adiuuatur adminiculis externis. Sic accipit corpus partes substantificas simul ex eodem fonte, & postea nutritur, proficitq; aut sustentatur, & crescit familiarium accessu, & immutatione in similem eandemq; substantiam. Ita est natura. Artifices Chymici cum Elixyria aut magisteria componant, primam materiã, *terram virginem*, substernunt; huic *salem* addunt; postea sufficiunt Mercurium, & sulphur paulatim per modum imbibitionis, donec omnia vicissim vniantur, fiatq; *ex quadrato circulus*, qui prius in quadratum erat deductus. Arcani Philosophi quo modo nutriant suum infantem, non opus est dictu. In matrimonio, mas, & fœmina in communi lecto mercuriali sociantur. Deinde cum sit separatio animæ à corpore per spiritum, & omnium circulatio exaltatoria, vicissim iunguntur, spiritu reuehente animum in corpus per modum reuerberij, aut pluuiæ, q *dracone suam caudam vorante* repræsentatur. Hic possumus dicere spiritum, seu Mercurium esse vinculum idoneum & vehiculum quo anima, seu sulphur, suo corpori, seu sali, restituitur, atq; ita commistio constans efficitur. Cum *Quercetanus* Mercurium acutum, seu virtuosum vult sali corporeo reddere, affundit aliquam partem, quantam videtur combibere posse. Digerit: destillat prouide, vt exeat humor insipidus. Inde aliam partem summittit, & procedit vt ante, donec vel tota quantitas mercurialis absumta est, vel quod infusum est, tam virtuosum exit (ni igne pecces) quam est inditũ. Fit & hic mistio: sed nondum definitũ est, sitne liquor fluidus, & labilis ille Mercurius, qui ingreditur mistionem, an aciditas, seu id quod in eo est acidum, vel acutum tantum. Deliberent proceres Paracelsici quid statuere velint. Nos interim pergemus. Querc. spiritus ille acidus dissoluit corpora & coagulat spiritus: Est caussa fermentationis, & coagulationis rerum omnium naturalium.

Chymica cõpositiones ex essentiis puris.

Nutritio mystica in lapidis opere.

Quercetani compositio mystica.

19. *In Mercurio colores potissimum sunt conspicui.*) De sale puro, & translucido fortasse dicas dilutũ illi esse colorem: sed cum definitur, & in puluerem redigitur quid candidius, & splendidius? Si Mercurius est liquor fluidus, & labilis, proculdubio quo purior est, hoc minus erit coloratus. Nã *aeri & ætheri* eius natura *comparabatur* in præcedentibus. Hæc in sua expansione, vel nihil, vel paruũ coloris habent. Cum densantur pure, candida fiunt, & lucida, vt apparet in simulacris aeris cõcreti, vaporibus in pruinam, & niuem conglaciatis: Item in spiritibus, qui ex terra exhalantes cõsistunt in superficie, & salis nitri concretionem exhibent. Vtrum vis iam *Hartmane*? Aereum, & ætherium illũ spiritum solutum, seu vt tu loqueris RARVM (rarefactum, disgregatum) contemplari debemus, an condensatum, concretum, coagulatum, conglaciatũ, & definitum? Si illud perspicuus erit, & in vltimo tenuitatis visum effugiet, atq; adeo absq; colore erit. Si hoc: albedinem splendentem habebit. Parac. to. 7. p. 411. Quæ colorant, salia sunt. To. 2. p. 71. de Alch. In sulphure est albedo flauedo, rubedo, puniceum, vnigredo. *Querc.* c. 4. lib. de mat. med. priscæ colores ascribit *spiritui salis petræ* qui in florũ farinę speciem concrescere possit, quę forma alias est alba. Ipse florẽ istum negat aliud quid esse q̃ spiritum salis petræ, in quo cõspicias viuidos omnis generis pulchre expressos colores haud secus ac in *Opala* gemma. ca. 20. defensionis scribit colores non à calido, & frigido effigiari, q *ex solis spiritibus vel tenuissimis, & aereis vaporib. in sale latentib.* præsertim in sulphureo, Nitro, seu sale petræ, proficiscãtur. An autẽ hi spiritus sint Mercur. iste quem principium substantiæ aeriæ, ætheriæ, fluidæ, & labilis vocas, dubium est. Ego nego. *Quercetanus* ait salem petræ complecti duas partes volatiles sulphuream vnam, mercurialem alterã quæ sit eius spiritus de natura aerea, contrarius flammæ, frigidus, acidus, caussa crepitus halinitri in igni, &c. Sed dicat ipse quid velit, aliud est spiritus ille siccus & tingens, qui coagulat in florem sublimationis: alius ille aquosus frigidus, caussa crepitantis salis, quem elementarem esse ex prædominio satis indicant ligna humidiora, quæ in flamma crepant multũ, cum sicca mitius ardeant. Habes & experimentum in prunis siccis, & madefactis: Itẽ in feruentibus metallis aqua frigida incidente, ne quid dicatur de vitris valde calidis instillata aquæ guttæ. Parac. tom. 3. pag. 31. tract. 1. de pestil. titulo cabala. Sal omnibus creaturis dat colorem & formam: Sulphur dat corpus, crescentiam, & digestionem. Hæc duo sunt pater & mater quæ astrorum ope omnes res

Colores ex Mercurio.

generant, hoc est, Sol & Luna per sulph. & sal gignunt Mercurium, qui vt crescat indiget semper sulphure & sale, &c. consulite in medium Paracelsistæ, & Monarcham vestrum saluate. *Color non est ex principio vllo.* Omnia enim in sua diaphanitate vel exilem habent, vel nullum. Ita est & de elementis. Quid dicas quæso de vitris, crystallo, Iride gemma & similibus in quibus certo ad lucem positu, & ad visum accommodatione pulcerrimi colores apparent, qui etiam ex orbium in fenestris duplicatis marginibus pulcre resplendent in aduerso subiecto? Qui hic spiritus colores efficit? Mistura fit *luminis* & *opacitatis.* Hinc colores cæruleus, viridis, puniceus, aureus pulcerrimi, vt in cauda pauonis, & pennis Psitticarum, vel iride cœlesti. Elementa communia, quæ externa vocatis, & damnatis postquam principiis sunt exhausta, nihilominus sunt colorata, estque *terra* primnm nigra, inde cinerea, post alba, tandem rubra: vt in lapide Philosophorum. Vbi hic *Mercurius* tuus fluidus, & labilis? Amplectere *Aristotelis* doctrinam *de lumine terminato & interminato.* Intelliges vnde sint colores, & intelligentiam tuam exemplis naturæ & artis firmabis. Quam facile est vnam eandemque rem diuersis coloribus afficere sola rarefactione, & addensatione? Rasura nigri cornu albet in raritate: In densitate, cum adhuc esset in corpore cornu, nigra erat. Sed res non indiget verbis pluribus. Si color alicui principiorum debetur, *sulphuri & sali* magis debetur. Mire enim tincta sulphura inueniuntur: Miri quoque sales, vt varium vitriolum, &c. Sed & argentum viuum in omnes colores se transformat, & arsenicum, stibium, &c. Inde in metallis non humidis, sed *sicca terra colores omnis generis* existunt. Vrinam vocant salem solutum. Ex hac vbi detracta aquositas est, magna pulcritudo colorum æque tingit vitrum, ac halinitrum. Hæc de Mercurio atriensi. Quid autem? An nihil est rerum? Imo aliquid. Est enim *Liquor essentialis arte Chymica ex misto separatis elementaribus impuritatibus extractus, sulphuri, salique eiusdem misti oppositus.* Declaretur res exemplo. Rosa cum destillatur post debitam putrefactionem, exhibet aquam odore, & sapore rosæ: Si cohibes, oleum elicis eiusdem odoris. Reliquiæ in cineres redactæ, salem præbent. Cum aqua mercuriali exit phlegma. Separantur ergo, & phlegma rectificatum adhibetur pro aqua elementari ad salem ex cineribus colligendum, quanquam & aciditatem quandam putrefactione contrahat. Mercurius à phlegmate segregatus non est solus. Habet enim secum quintam essentiam, *spiritum* nimirum *inflammatilem* quem aliqui *sulphur* esse dicunt. Hac essentia separata remanet *aqua rosacea* nomine Mercurij. *Terra*, à qua sal est extractus, & elaborari amplius potest, vt fit *foliata*, mater fixionis primæ. Numera iam res ex rosa factas: Inuenies terram foliatam, salem, oleum, aquam, spiritum, phlegma. Vt ad tria redeant, elementis accense terram virginem, & phlegma. Spiritum inflammatilem adde oleo, quanquam diuersæ sint consistentiæ, & naturæ. Non oportet in hac disciplina ad viuum resecare omnia. Non enim est exacta, vt par est allegoricæ commentationi. Satis est vtcunque conuenire. *Vinum* si resoluere velis, inuenies spiritum duplicem æthereum vnum, aereum alterum, quem Mercurium dixeris: qui oleum sulphureum secum habet, vt & prior: Inde phlegma est; tertio fex. Sed phlegma, & fecem simul si putrefeceris, noua inde principia elicies. Fit enim *acetum*, quod præbet phlegma, spiritum, acetum radicatum, salem, terram foliatam. Sin crystallos, & tartarum consistere sinas, iam alia principia præsto erunt. Chymicus & naturas rerum considerat, & elaborandi modos.

Color ex luce & tenebris in vitro recepus, & refractis. — *Vrina.* — *Mercurius quid.* — *Rosa anatomia.* — *Terra foliata.* — *Vinum.*

SECTIO XXX.

Descriptio sulphuris, secundi principij.

Sulphur 

SVlphur, inquit Hermes, *est medium spagiricum principium, ignis quidem affinitate superbiens, sed elementorum tamen mistionem prodens Pyramidi affixa cruce. Est humidum illud oliaginosum, viscidum, caloris naturalis pabulum, gluten salis, & Mercurij, odorum præcipua origo. Seuerinus:* Est principium pin-
„ guei viscosum, quod benigna commistione temperat salis congelationem. Nam spiritus mechani-
„ ci principes actionum incurrissent dispendia officiorum propter salis ligaturam, quam temperat
„ sulphur. *Quercetanus:* Sulphur nihil aliud est quam ignis æthereus, non calidus aut siccus, nec con-
„ sumens vt ignis elementaris: sed ignis quidam cœlestis, humor aereus, calidus, humidus, talis qua-
„ lem fere cernere est in aqua vitæ: Ignis contemperatus, viuificus, anima vegetans dictus in vegeta-
„ bilibus, humidum & calidum radicale, Emphytus, Symphytusque calore, verum Nectar vitæ in a-
„ nimalibus, quo deficiente mors sequitur. Calor enim vitam restaurabat & conseruabat. Idem calor
„ viuificus obscurius reperitur in mineralibus. Hæc ca. 3. priscæ med. In defens. c. 14. *Sulphur est principium actiuum humidum, dulce, oleaginosum, viscidum, substantificum, primigeniū, ignis seu caloris naturalis pabulum, leniendi & glutinandi vi præditum:* Hermeti antiquissimo dicta *Anima, vinculum salis & Mercurij, affinitatem habens cum vtroque extremo tanquam mediū extrema copulans, ceu oleum molle, fluidū,* &c.
„ quod sua humiditate, mollitie & fluiditate duo extrema nempe salem fixum, & Mercuriū volatilem
„ coniungit, siccitatem salis & liquiditatem Mercurij sua humiditate viscosa: densitatem salis, & per-
„ meabilitatem Mercurij summe contraria sua fluiditate, quæ medium tenet inter stabile & permea-
„ bile: summa sua dulcedine Mercurij aciditatem, & salis amaritudinem contemperat, & sua viscidi-
„ tate Mercurij volatilitatem cum satis fixione conciliat. cap. 20. Odorum discrimina sulphurum differentiis asscripsit. Hæc magno cum supercilio certissimæ veritatis proponuntur. Nos sinentes alios suis sensibus & inuentis gaudere, Hermetica Atriensia ruminemus.

Sulphuris Hartmaniaci censura.

1. *Sulphur est spargiricum principium.*) Laudo. Nam vltra Chymiam, & Chymiatrian non sunt extendendæ illæ essentiæ quæ nomine PRINCIPII præferuntur.

Sulphur vt medium.

2. *Est Medium.*) Ita *Quercetanus* vult, qui Mercurium & salem contraria facit, sicut *Aristoteles* habitum, seu formam, & priuationem in principiis Catholicis generabilium: Respicit autem magis compo-

compositionem artificiosam Elixyrium, quam naturalem mistionem, quanquam & in illa æquum sit, & ratio postulet stabile subiectum ***terram virginem*** cum suo sale supponere. Hic itaque primum sal imbibitur, aut saturatur Mercurio: Deinde submittitur sulphur, quod vtrumque ligat, & firmat vnionem. Verum & aliter fit ***compositio in phiola Hermetica, vbi totum simul ponitur, finiturque per se solui, coagulare, volare, figi,*** &c. famulo foris debitum calorem subministrante. Dum autem ***medium mistionis*** dicitur, ***Animæ*** rationem sustinere non potest. Nam ***anima non est medium inter corpus & spiritum***, sed spiritus inter animam, & corpus, quod innuebat & ***Hermes*** cum Mercurium vocaret ***proximum animæ instrumentum: animam autem actum corporis organici.*** Vt vt sunt ista inter se commista, certum est in elementis latere, & ab eis coerceri sic vt Mercurius, & sulphur aliquando forma succi simul exprimantur relicto sale, aliquando primum Mercurius, inde sulphur, tertio sal educatur, quasi nullum misturæ consortium habuissent, sed essent tantum vnius, & eiusdem essentiæ partes diuersæ, vna volatici liquoris instar, altera olei mediæ naturæ, tertia fixæ magis, licet & in hac portio quædam volatica sit, & portio fixa.

3. ***Superbit ignis affinitate.***) Ignem cœlestem intelligunt alij. Hermes Atriensis respicit ad ***ignem focorum***, vel ***candelarum.*** Colligit enim cognationem istam ex ***Apice Piramydali.*** Sed conus est potius. Cœlestes ignes rotunditatem globosam habent. Verum tamen est quod affinitatem cum flammeo igne habeat sulphur. Ideo enim & inflammatur, & quoddam adeo rapide vt etiam à Solis radiis vel alio leui igniculo inardescat, totumque merus fiat ignis, vt naphthica olea, pyrius puluis, calx fulminea Solis, & Martis, &c. ***Simile nutritur simili: agens ignis in sulphur, illud conuertit in sui naturam: alteratum sequitur naturam alterantis.*** His argumentis tacti Chymici vix poterunt à se opinionem elementi spiritus ignei, & inflammatilis depellere. Quanquam non flamma non sit ignis ille qui elementum vocatur transmutabile in aerem: tamen nec sine eo est, vtpote spiritu calido & sicco leuissimo, subtilissimoque abundans, qui & gignitur per spiritum flammæ ex spirituosis. Quod si elementum, aut elementare quid non est, ***cœlum natura inflammatile*** esse dicendum est. Quin & si hæc dicatur, quia Paracelsistæ volunt sua principia sine clemẽtis non esse, quam ob caussam etiam ***Hermes*** atriensis ***crucem*** affinxit suo sulphuri, quod aliud elementum secum habebit quam ignis vocabulo notum? Terram, & aquam remouerunt. Aut ergo aerem, aut ignem, aut vtrumque sociare sulphuri debent. Aer per se non est inflammatilis. Spiritus calidus siccus in sua raritate quidem, & puritate item non ardet: at cum coactus est quodammodo, & condensatus, flammam concipere potest, vt in spiritu fulmineo apparet. Si dicis etiã cætera elementa sulphuri adesse, iam misces essentiam tuam, & impuris elementis contaminas, negásque principium esse, nisi forte relatum, & improprium. Verum hoc mitto, cum constet propria confessione Paracelsistarum sua ***principia***, vt vt sint depurata, tamen ***non carere contagio elementorum***, præsertim eorum quæ interna vocant. His autem ita se habentibus ***non re ipsa meliora medicamenta Galenicis habent, sed tantum modo rei.*** Relictis enim internis elementis crassamenta tollunt vt Galenici in excoctionibus, infusionibus expressionibus, & aliis separationum modis.

Sulphuris superbia.
Flamma.
Chymica qui meliora Galenicis.

4. ***Crucis appendice elementorum admistionem prodit.***) Si hoc, qui potest esse principium, nisi relatione, & similitudine aliqua? Deinde cum ***crux afflictionem, & passionem significet***, qui fieri possit vt principia sint formalia, actiua tantum, vt videntur velle superbientes sua arte Paracelsistæ? Cur si non volunt, potentiam passiuam & priuationem ***Aristotelis*** explodunt? ***Hermes*** etiam hic improuide loquitur, quia crux ista potius afflicta, quam glorificata elementa designat, vt sic sua principia contaminet elementis miseris, & impuris, quod est contra disciplinæ institutum. ***Admistionis*** vox sulphur non tantum elementis obnoxium facit, sed & cæteris principiis quæ sua elementa secum habent. Itaque ***duplici mistione*** principia ista sut affecta, vt mirum sit quo ausu ***Crollius*** omnium corporum prima sic faciat, vt ex eis etiam elementa componat.

Sulphur cruciatum, & priuatione Aristotelis captum.
Crux.
Elementa ex principiis.

5. ***Sulphur est humidum oleaginosum.***) Hoc ipsum dicebatur etiam de ***calido innato*** præduro quodam lapide nobiliore elementis. Vocabatur enim ***humidum primigenium oleaginosum, aereum:*** Imo & ***vitale sulphur, balsameæ naturæ, quo omnia mineralia, animalia vegetabilia viuant, & quo omnes omnium morborum curationes absolui queant.*** Num ergo vno in corpore sunt duo, vel tria sulphura? Sit ***marcasitha.*** Hæc sulphur minerale habet. Si præterea etiam vitale sulphur, & sulphur principium, quam sulphureum esse necesse sit, meditare. Per ***calidum innatum*** non qualitatem intelligunt sapientes, sed corpus spirituale calidum, naturæ proportione æthereum: Id nihil differt à sulphureo Chymicorum principio, quanquam rationem qua est vitale, seu viuificum solutione perdiderit. Non autem semper est actu humidum. Nam & coagulatum, solidumque habetur, quales sunt resinæ oleorum induratæ. Si ***Hermes*** sapuisset, vocasset non humidum oleosum, sed oleum, atque discrimen inter calidum innatum, & sulphur constituisset. Illud compositum ex humido radicali, spiritu, & natura caloris est: hoc est oleum simplicius, & calidi innati pars tertia.

Sulphur oleum.
Calidum innatum.

6. ***Sulphur est viscidum.***) Sit sane seu potentia, seu actu. At non omne est tale. Multa sunt viscida, & glutinosa, sed non statim sulphurea: ***Chymicorum olea exaltata***, quæ sulphuris essentialis nomine appellant, & spiritus inflammatiles non sunt multum viscida. ***In resinas*** coagulatione abeunt inquis. Istæ sunt tenaces: Concedo de quibusdam. Non debet in Catholica descriptione poni quod non est Catholicum. Adde quod ***viscidit as*** sit qualitas materialis misti corporis, & terram cum aqua comprehendat. Sic ergo magis elementaris proprietas designatur quam essentialis principij. Philosophis arcanis Mercurius est aqua viscosa homogeneæ concretionis caussa.

Viscidita sulphuris.

7. ***Est pabulum caloris naturalis.***) Neque est vniuersale. Vbi volaticum est, & caloris actui subiacet, vt in viuentibus, ibi depascitur & dissipatur. Vbi vero fixum est, & calori agenti non

Sulphur pabulũ caloris.

non ob noxium, falsum est quod dicitur. Notabit *Hermes* differentiam esse *sulphuris vegetabilis & mineralis*: item attendet Paracelsistas astris accensere principia sua, & conseruare, curareque velle partes corruptibiles incorruptibilibus suis alimentis & medicinis. Si inter has est & sulphur, principium illud cœleste, quo iure dicitur fieri caloris pabulum? An iam *cœlum Chymicum est generabile, & mortale?* Hoc ipso argumento Galenici tuum sulphur de cœlo deiicient, & elementum ignis potentialis esse dicent. Quod enim proprietatem ignis elementaris potentialis habet, id est, ignis *iste*.

Sulphur gluten.

8. *Est gluten salis & Mercurij.*) Mox in sale audiemus, hunc esse qui priora *duo Mercurium & sulphur in vnum compingat*, & cuncta reddat solida. Non ergo proprium sulphuris est glutinare.

Calculus.

In *calculo Galenici liquorem viscidum coagulationis caussam materialem ponunt*, calorem efficientem cum proprietate aliqua Epatis, renum, & excrementitij humoris, seu secretionis, vt videre est in lacte. Paracelsici *Tartarum* & *salem* opponunt, non sulphur. At veri similius est glutinare *mucum*, in quem & soluuntur lapides, & ex quo fiunt. Quantum putas sulphuris esse in muco vesicæ in quo tanquam oui albo iacet lapis? An ignoramus etiam lutationum Chymicarum primordia. De calculo tamen suo loco audies quæ non displicere possint. *Glutinat Mercurium*, hoc est, aquæ similem liquorem. At huius naturæ repugnat oleum. Aut enim natat, aut mergitur. Si miscere velis, laboris tædium experieris. *Lixiuium* in lapidem cogitur. Agnoscendus hic sal est cum ramentis materiæ terrestris. Aliqua portio mercurialis simul est: Est & pinguis. Quid hic solidat? Non

Muria excocta.

excludo pinguedinem & salem: sed iungo eis elementa. Ita cum *muria* coquitur in salem, vt granula fiant, succi quidam immittuntur. At sal debebat compingere, & oleum glutinare. Melius est fateri ista tria cum elementis sic coire, vt alterū alteri modum afferat, & *terminentur humida siccis agentibus actiuis*, vt Aristotelis disciplina habet in 1. Meteor. cap. 1. Idem docet resolutio per aquas soluentes, putredinem, aut alia. Non enim sulphur corroditur, aut disgregatur, quo discedant principia, & elementa, sed siccitas tollitur, & humiditas inducitur, atq; ita ex terminato fit dissolutum.

Familiaria solutiua penetrāt in mista & inde assumunt sibi amica, vt spiritus vini, olea, &c.

Ita cum sulphureæ concretiones per olea, vel menstrua pinguia resoluuntur. Nam & hic siccitas sulphuris continens, terminansque aboletur. Sunt & aliæ caussæ vinculorum ruptorum, inter quas familiaritas naturarum non est postrema. Sed de his disputare non attinet. Si sulphur est caussa glutinis, eo sublato, vel eneruato fieri dissolutionem necesse est. Atqui id non est perpetuum. Nam Mercurius & sal possunt vna esse etiam sulphure exhausto. Si quæras quid ipsum sulphur purum glutinet, aut soluat, quid respondebis? Num spiritus acidos de natura salis vitriolati? Non itaque visciditatem glutinosam sulphuris. Sed tamen donemus idem secum metipso cohærere propter homogeniam & familiaritatem partium, atque sic fieri vinculum & gluten sui ipsius. Verum, vt dixi, melius philosophatur peripatus. Redi ad peripatum *Hartmane*, In Paracelsia iste parum inuenis solidi.

9. *Censetur præcipua origo odorum.*) Non itaque datur nihil Mecurio, & sali. De hoc quidem puro nemo facile dixerit odorum caussam esse. In aquis seu liquoribus mercurialibus vegetabilium est aliqua potestas: In oleis maior. Sed cum multa sint olea, liquores, salia quæ nullo odore commendantur, vt patet de mineralibus plærisque quæ carent sulphure, & bitumine illis halituosis, & in sui resolutione acriter olentibus, item in his quæ fixa sunt: non immerito cogitatum est de *alia odorum caussa* generaliore. Si *sulphur est adæquata caussa odorum, quæcunque sulphur habent odores emittent, & quæ non habent eo carebunt. At sunt inodora, & tamen sulphure prægnantia.* Aliqua

Spiritus odoratus,

sunt odorata, sed odores perdunt, cum nihilominus ex eis elici possit oleum. Malumus dicere *odores fundari in spiritu quodam proprio quo perdito odor perijt. Eum spiritum esse balsami nobilissimam secretionem*, nec vno seu elemento interno, seu principio constare, quanquam in diuersis ad vnum magis accedat quam ad alterum, si quidem naturaliter se habeat, dicere possumus. Alui humani excrementa quo spirituosiora sunt, hoc magis fœtent. Iste est spiritus putredinis nostræ naturæ aduersæ, minime conueniens balsamo naturali nostro, licet suillo balsamo non noceat. Sed putandum est *hominem in talibus esse mensuram rerum*, non suem. *Moschus, ambarum, succinum*, & alia spiritu balsameo vigere, & succos istos etiam balsama coagulata esse, facile concedimus. In eis abundat sulphureitas: sed si spiritum sustuleris, oleum sulphureum manet, odor euanuit. *Spiritus vini* nobilis circulatus iucundi admodum est odoris: quanquam non gradu Lulliano. Is autem potius æthereus est, quam principij sulphurei. Ratio est, quia ex eo separari potest oleum non multi odoris. *Rosa aqua & spiritus, & oleum* bene olent. Quod si aqua negligentius custodiatur, perdit odorem. *Balsamus ex oleo* antiquitate labascit. Nihil tutius est quam statuere non vnius, atque alterius solum partis esse odores, sed totius misti odorati in perfecta sui coctione, qua spiritus proprios acquirit, qui sint primum subiectum qualitatis olfactum mouentis, siue grata sit, siue ingrata modo naturalis. In discedentibus à natura item odores excitantur, vbi etiam abiectanea, non tantum essentialia fœtent. Manifestum est & hic spiritus olere. Hi aliquando in peregrina corpora se insinuant, ibique item fortiter mouent olfactum. Excellentiores sane sunt *spiritus calidi ætherei familiaritatem cum sulphureo*

Caphura.

oleo habentes. Sed quid dicendum de acetositate, seu Mercurio Quercetani acido? Etiam hic spiritus habet olentes, sed qui frigidi iudicantur. De *camphora* dubitant. Sed quicquid sit, spiritus frigidum effectum habent. Ita quod sulphuri quidem magis videntur deberi: sed si naturam eorum circumspicias quę inodora sunt, & tamen sulphur habent, item quorum olea recentia sunt odora, sed vetusta inodora, fatendum est *spiritus esse aliquid ab oleo sulphureo separabile.*

* *

SECTIO

SECTIO XXXI.

DE SALE.

SAL est corpus illud siccum (inquit *Beguinus*) salsum, res mistas à putredine defendens, mirabiles dissoluendi, coagulandi, detergendi, & euacuandi facultates habens, à quo omnis rerum soliditas, determinatio, sapores, & aliæ infinitæ virtutes. Analogia respondet terræ: non qua hæc est frigida sicca: sed quia elementum, hoc est, firmũ, fixum, & generationis corporum omnium subiectum, quanquam vt cætera principia nec corpus sit nec spiritus, sed ambigens inter vtrumque. Hæc ille.

De Sal 🜔 quo 🜿 Tartarum: alias: 🜹 ammon: ⦶ halinitrum.

Quercetanus: Sal corpus est illud siccum, salsum, pure terreum, salis naturam repræsentans, mirandis viribus præditum, dissoluendi, coagulandi, detergendi, euacuandi & infinitis aliis facultatibus, quas in indiuiduis, & ab indiuiduis suis separatas in aliis corporibus exercet. Ab antiquissimo *Hermete corpus* dictum est, vt *sulphur anima, Mercurius spiritus* (si credimus) idem *Halinitrum* componit ex *sale communi fixo, & duplici volatili*, vno *sulphureo*, altero *mercuriali*: sulphureum vocat nitrum: mercuriale dicit esse aqueum, acidum, participans de natura salis armoniaci, &c. *Seuerinus sal principium dicit esse quod corporibus in mundum prodituris* (quasi sint aliquid extra mundum in Orphei orco) *soliditatem coagulando præstet.* (neque enim à frigore, id est: salis est virtus, donum, scientia) Sale etiam spiritus ligantur, & congelantur, quæ congelatio à sulphure temperanda est, &c. Notandum autem est istos autores *varios sales habere*, & in genere *salem vocare quicquid in aquam ita soluitur vt in eam recipiatur*, vt fit in vrina, quam *Quercetanus* ait *nihil aliud esse quam separationem superflui salis vegetabilium quibus nutriuntur animalia.* *Crollius* scribit *nihil aliud esse vrinam quam sal expressum à mercurialibus per violentiam separationis in resolutionem coactum, quod resolui per hepar in aquam & expellitur*, &c. pag. 73. præfat. in Basil. Ita in muria, marina aqua, dilutis succorum solubilium, &c. sales sunt. Hinc sal est omne genus *chalcanthi* siue ex sua minera colligatur, siue ex metallis eliciatur: Item *sal gemmæ*, ammoniacus, nitrum, sal Indus, naphthicus, alumen cum suis speciebus, halinitrum, sacharum, sal communis. *Crollius* pagin. 63. inter sales refert etiam *gummi & succos, seu lacrymas*, vt Thus, Mastichem, Myrrham, Aloën; additque *Paracelsum* nominare quandoque omne id quod liquescit & resoluitur in humiditatem aqueam, & siccando indurescit caloris beneficio, vt sunt arborum & herbarum succi inspissati. *Salia* etiam omnia *magisteria* sunt quæ *calcinata* in *humore deliquium soluuntur*, siue humor vapidus sit, siue aqueus, &c. Sales sunt *Alcalia* ex omni mistorum in cineres, vel calcem redactorum genere; qui quidem principii Chymici sunt exempla maxime propria. Nam quod ad hanc classem etiam alij succi trahuntur, id fit licentia disciplinæ Paracelsicæ, in qua per adulterinas comparationes facilime facias ex quouis quiduis. Sunt sales simplices: sunt compositi ex quibus est & armeniacus dictus ex vrina, fuligine, &c. Item armeniacus sublimatus, Borax, sal Alembroth (ex quatuor generibus salium *Tartari, Sodæ, Armeniaco, Communi*) & alij de quibus in Alchemia.

Halinitri compositio. — *Sales varii.* — *Vrina.* — *De prisc. med. mat.* — *Miri sales Crollii.* — *Alembrot sal.*

Si itaque iudicare velis an illæ descriptiones sint vero consentaneæ, species salium inspicere te oportet, in quibus inuenies non salsum salem tantum esse, sed & amarum, dulcem, acidum, stypticum, calidum, frigidum, & omnino infinitas species iuxta numerum indiuiduorum ex quibus arte spagirica extrahitur. Neque enim respicere mista tantum in regione elementari oportet, vt salem Paracelsicum Veneris, sed si omnibus solidis dat soliditatẽ, etiam stellas, & testam cœli, & quæ sydera dicuntur in alienis matricibus parere: Mirabile tamen est *Seuerini* phantasma, *corpora in mundum proditura soliditatem alieno salis beneficio debere*, quasi omnia solida esse oporteat, aut non etiam sal sit corpus generationem aliquam habeas. Non omne corpus ex orco Orphei prodibit, si cum in mundũ intrat à sale solidatur, id quod non in orco; sed in mundo, vbi vestitur, & ex inuisibile, fit inuisibile, fieri necesse est. Sed nos *Hermetem Hartmani* consulamus. Is enim quia præcedentium Paracelsistarum deliria vidit, proculdubio aliquid sapientius & correctius monstrabit. Ita inquit: *Quadratum schema tertij principij, puta* SALIS, *rationem & conditionem, describit, quod vt character eius* (🜿 alias Tartarum:) *arguit maxima cognatione* ELEMENTA *cumprimis terram attingit: estque corpus illud firmum, fixum, substantificum, priora duo in vnum compingens, congelans, & cuncta solida reddens. Huius beneficio crystalli congelatio, Adamantis durities, metallorum robur auri soliditas, ossium, arborum & herbarum consistentia absoluuntur, vbi frigiditates nimis frigent. In salibus omnis generis sapores deprehenduntur. Galenici salia humores vocant, domum pro Domino accusantes.* Hæc ille sublimiter, & amplius sapiens, docet quid sit; & quid non sit. Nam & in atrio sunt canes qui peripatum, & Galeni disciplinam allatrent. Sed bene se res habent. Vt Lucifer de cœlo paulo post in tartarum cuius signum sibi præfixit, cadet, aut Vulcani, Icariue fatum subibit, ne phaëthontis dicam.

Corpora ex orco prodeuntia solida. — *Sal Hartmani.*

1. *Quadratum schema, quo est character eius, rationem & conditionem salis describit.*) Falsum hoc esse superius dictum est. Rotunda quadrata vel alia figura salem designare est arbitrij liberi. *Quadri figura* in hieroglyphicis sapientiam, Mercurium, Iouem, Ianum quadrifrontem, quatuor partes anni, angulos mundi, ventos, qualitates, elementa; & in moribus perfectionem, & constantiam designat. In sacris *sacrificia* sine sale non fiebant Leuitic. 2. vers. 13. Marc. 9. vers. 49. vbi *sal & ignis tribulationem signant*, ne fidei exercitia in hominibus putredine ex torpore corrumpantur. Est & fœderis tessera Leuiticor. 2. Numer. 18. 19. *Habete in vobis sal*, inquit Saluator, quo volunt *doctrinæ veritatem cum redargutione, & correptione fallentium* designari. Inde Matth. 5. 13. Apostoli *sal terræ* vocantur, qui non debeat fatuus fieri, sed mordace, & purgatiua sua virtute vlcera peccatorum sanare, & proinde sanas partes præseruare, epulasq; doctrinæ cœlestis condire. Coloss. 4. ℣. 5. *Paulus iubet sapienter ambulare erga eos qui sunt foris, & sermonem gratia salis condire*, vt sciamus

Signum salis. — *Quadratura mystica.*

quomodo

quomodo oporteat vnicuique respondere. Prudentiæ hic est symbolum: Erat & hospitalis, & gratiarum, suauitatisque in sermone apud veteres. *Ægyptii* tamen *à sale abstinuisse dicuntur, quia Veneris signum sit, faciatque ad libidinem proritandam.* Est & in pœnis. Vnde euersa loca sale consperguntur ad prohibendam fœcunditatem, quanquam 4. Reg. 2. 21. *Sal in fontem iniectus* eius aquas correxerit, & sublata sterilitate fœcunditatem attulerit, qua pollere & Nilum ob salem constat. Mare salsum est ex regione fœcundissima: Vxor Lothi in salis statuam. Iudic. 9. 45. de euersa Sichem. Iam conferantur *quadrati* significationes, & *salis.* Sal sapientiæ, constantiæ, conseruationis, perfectionis non abtulit à *quadrato, quod in numeris Pythagorici consecrarunt naturæ semper fluenti elementorum quatuor perennitate.* Est quidem sal etiam afflictionis in hoc seculo: sed quadratum nihil tale significat. Itaque & *Hermes Hartmani* ad *crucem* hanc significationem retulit, & *quadratum felix cruce subiecta fecit infelix* contra Chymicorum sententiam, qui sales suos ad summum virtutis exaltant, nihilque relinquere conantur in eis corruptionis elementaris. Sed *Paracelsiæ proprium est in quarto modo instabilibus phantasmatibus agitari, & nulla doctrinæ quadratura consistere.*

Quadrata figura & salis dissensio.

Sal cognatus terræ.

2. *Sal principium maxima cognatione elementa, cum primis terram attingit.*) Principia Paracelsica non esse vniuoce principia iam sæpe dictum est. Itaque non mirum est singula misceri elementis *Igni* dominante in sulphure, *aqua* in Mercurio, *terra* in sale. *Aerem* oportet diuidere in olea aerea, & liquores. Interim cum singula quatuor elementis constent, etiam *astra & essentiæ cœlestes* esse perhibentur, quod nos sic explicemus: *principia quidem esse magisteria adhuc elementis obnoxia: sed cum exaltantur, & essentialiter elaborantur, transire in numerum astrorum:* Et ibi elementa esse pollutiora, qualia sunt externa: hic puriora, cuiusmodi sunt quæ interna, & spiritualia vocantur. Itaque sal *Hermetis atriensis* adhuc videtur in magisteriis esse. Alias *terræ cœlesti* iungeretur, non terræ, quam afflictum, & affligentem esse, CRVCE, ex mente eius, designatur. Nota vero quod vbi elementa siue interna, siue externa ponuntur, ibi necesse sit, & proprietates eorum ponere.

Ex principiis magistralibus astra.

Sal firmum corpus.

3. *Sal est corpus firmum.*) Firmum esse inter elementa competit terræ. Ita enim enunciat Spiritus Sanctus Psal. 104. 5. *Fundasti terram super basin suam.* Iob. 38. v. 4. 6. *basis terræ sunt solidatæ.* Ita Psal. 136. 6. Tribuitur & cœlo. Prou. 8. 28. *Firmabat æthera sursum:* vnde *firmamentum* dictum. Sane id competit centro, & polis. Quod si salem illum contuemur, quem Chymici faciunt, & ex mistis segregant, paucam in eo firmitatem inuenimus. Quam facile enim vel ab aere humido liquescit? Quam leniter in puluerem comminuitur? *Sulphur concretum & terræ mistum longe est solidius,* vti videmus non tantum in sulphure vsuali, sed bitumineo potissimum, quod & in solidos lapides indurescit. Hoc argumento patet terræ & bitumini, non sali asscribendum esse *corpulentiam stabilem,* & concretionem firmam. Percurre sales Paracelsicos, vitriolum, alumen, nitrum, halinitrum, salem Ammoniacum, gemmæ, naphthicum, Indicum communem, sacchar, &c. inuenies communem quidem ignium vehementia colliquari & lapidescere, sed non sine terra, quin & in vasculis, quibus induci, incrustarique solet, non est constans sed tandem erodit, & labascit. *Nitrum* lapidescere in tumulis tradunt, vt vasa ex eo fieri possint: sed terram hic quoque excellere necesse est. Nouimus eos lapides in quibus est halinitrum, vitriolum, alumen, &c. fathiscere in aere & dissolui. Adeo nihil firmi est in salibus. Pudere debet Paracelsistas imperitiæ huius, aut potius pertinaciæ, quod cum ipsis sensibus, & experientia conuincantur rem aliter habere, & se citra naturam errare, tamen sibi tribuant. *Lumen naturæ,* quo rectius videant Philosophis, & Medicis priscis, cum nulli in maioribus tenebris versentur.

Corpulenta firmitas.

Nitrum lapidescens.

Lumen naturæ Paracelsistarum est caligo æquiuoca maxima ex parte.

4. *Sal est corpus fixum.*) Si id sal est quod fixum est, sal armoniacus *Quercetani,* & alii sales volatiles non erunt sales. Hermes tuus *Hartmane,* nec Dialecticus est, nec Physicus bonus. Communia adiuncta non faciunt differentiam rerum. Firmum, & fixum esse etiam sulphuri inest, & terræ, horumq; vi plurimis mistis, quæ si sale abundarent minime forent firma, & fixa. An ignoras ex salibus parari aquas soluentes, vt ex aceto? *Vrina sal liquefactum in aqueo elemento* à Paracelsistis dicitur. Ea est solutiua. De tartaro, & tartareis morbis per salem multa nugamini. At non sali debatur in lapideis concretionibus, quas tartareas dicitis, sed tartaro terreo, vel terræ tartari, & glutinoso liquori, qui est mucus quidam, quem inuenimus in bitumineis, & sulphureis magis quam in salsis, & mercurialibus simplicibus. Inspice gluten vulgare, maltham, ouorum candidum, farinas aqua dilutas, & alia quibus in glutinandis lapidibus, vitris, lignis, &c. vti solemus, & simul considera ferrumina metallorum, corpulentam compagem, fixamque non in sale inuenies, sed in succis viscidis terra subtili mistis, iisque bitumineis vbi firmitas memorabilis spectatur. Non quidem negamus vna esse salem moderatum: sed vbi parumper excedit, vincula fixitatis corrumpit, & corpora corrodit. Quod aliorum fixitatem tollit, vide an sic fixum dicere possis, vt differentiam hinc à cæteris nanciscatur. Sunt enim talia tenuia, & subtilia, penetrantia, spirituosa, & volatilia potius quam fixa, vt ignis, *aquæ stygiæ, acetum artis,* vel *naturæ,* muriæ, & alij soluti sales, qui & coagulati corrodunt, quod metallici in nitrosis, & chalcanthosis cum suo damno experiuntur. Aurifices id norunt aquarum acutarum, & pulticularum exemplo, Chirurgi corrosiuorum suorum, seu lapidum, seu aliorum medicaminum, cum contra osteocollas lapidosas, terrestresque inueniant probe figere, & solidare, vt & Chymici qui vniones, & gemmas factitias non figunt, & firmant salsis liquoribus, sed aliis. *Alumen, & chalcantum* habent vim astringendi singularem adeo, vt ex alumine etiam marmora, & cõcretiones satis duræ, fixæque coagulent. Sed separa ab eis sulphur, & ramenta terrea, succumque alabastrinum, videbis nihil minus facere quam figere, vt apparet in *spiritu vitrioli, & aluminis, & halinitri,* seorsim, vel coniunctim. Ecquid figit *oua* cum aqua dulci percoquuntur, aut assantur? Quid *crystallinum humorem oculorum?* Quid figit opera figulorũ ex pingui luto, & lateres ex arena vitria? *Testas ouorũ, & coralia* quid figit cum ex suis matricibus mollia exeunt? Sed de hoc etiã postea.

Fixitas non à sale.

Tartareæ concretiones.

5. *Sal*

5. *Sal eſt corpus ſubſtantificum.*) Omnia principia dicebantur hypoſtatica, ſeu ſubſtantifica. Non itaque ſali præ aliis hoc aſſcribendum. Quod dat eſſe rei per quod ſubſiſtat, ſubſtantificum eſt per ſe. Id aſſcribebat Hermes hagiaſtericus *formæ, & ſeminibus*, quanquam & *materiæ primæ* ſit non-nihil. Si forma in ſe continet omnes cauſas propriæ ſpeciei, vt dicitur in *Sancto Sanctorum*, ſola erit ſubſtantifica, niſi forte forma, & anima SAL quidem eſt, vti dicebatur in deſcriptione animæ *eam corpori pro SALE datam eſſe*, vt neceſſe ſit *Hermetem* habuiſſe corpus plane inſulſum per ſe, & ſic nec fixum. Quid *calido innato* contulit vt prædurus eſſet lapis? Num & durum eſt, & Lapis à ſale? Sic perge: Si forma & anima eſt ſubſtantia facta: ſal autem eſt ſubſtantificum, num à ſale eſt facta? Sed reuocemus diſputationem. *Hermes* tunc cogitabat de *Vrina*, aut *deſcenſionibus* aurificum, & Chymicorum, & voluit dicere SEDIMENTIFICVM. Nam *hypoſtaſis* ſignificat etiam ſedimentum, & feces. *Deſcenſoria.* Eam latine voces *ſubſidentiam, ſubſiſtentiam*, & pro οὐσία, h.e. eſſentia, ſubſtantiam. Inde eſt error. Cum in ſoluta metallorum immittimus ſalem, fit *turbatio*, q̃ ſequitur grauium ſeceſſus ad fundum. Ita eſt cum acetum quoq;, vel aquam dulcem infundimus, & in aliquibus coagulũ idipſum præſtat: Imo & calor (vt in incubatu ouorum) & frigus, vt in vrinis quę frigore turbatę per quietem deponunt ſedimentũ. Sæpe fit vt duas aquas ſeu ſoluta confundamus, vt cũ *in auri ſolutionẽ immittimus ſolut... ſalis tartari:* cum in deſtillatum antimonij, & ſublimati ſpiritum halinitri; cum vrinã deſtillatum ... dimus oleis metallorum, & aliorum, &c. Ecce ebullitio, diſceſſio, & ſedimentum contingit. Salſa ſunt iſta: *Sal ergo eſt ſedimentificũ.* Sed nos rident calones. Dicunt enim fieri etiã aquis dulcibus, & deſtillatione quin temporis tolerantia: Et vt aliquid ſidat, cauſſam eſſe *grauitatem propriam*, non ſolũ, vt apparet in muſto, vino, cereuiſia, & aliis ſuccis. Si quid ſal efficit, ſaltem definit, & ſeparat, cumq; graue ſit, vt puluis ſilicum, ſecum trahit feces ad fundũ, quo modo aliqui turbida vina purificãt. Quidam Chymici audent promittere *ſalis ex muria ſeparationem per lapidem Philoſophorum.* Fides ſit penes promiſſores. Si ſali id debetur (comparant autem iſti minerali fuſili, & fixo ſuum lapidem ſapientes) non certe eſt ſalis vulgaris. Alias excoctores Halenſes, & ſalinatores nõ indigerent cereuiſia, vel aliis deſcenſoriis ſuccis. Metallici ſegregatores, & aurifices poſſunt confuſa metalla per fluxus ſeparare iniectis pulueribus magna ex parte ſalſis, modo operam dent, vt ingreſſum habeant. Ita cum *regulos ex ſtibio*, vel aliis metallis liquefactis faciunt, fere medicaminibus ſalſis vtuntur. Diuinandum itaque eſt *Hermetem* tale quid innuiſſe, & ſic *ſalem* ſuum dixiſſe *ſubſtantificum.* An adhuc erramus? *Corpulentiam* forte intellexit, quaſi ea nec à Mercurio ſit, nec à ſulphure, nec ab elementis, ſed à ſale. *Corpulentia.* Plebs ſubſtantiam æſtimat craſſa corpulentia. Cum ergo ex abyſſis Paracelſi prorepunt ſemina cum internis elementis, & duobus ſpiritualibus principiis, in conſpicua ſunt. Vt primum afflantur à ſale, tanquam *Meduſæ Gorgonis* capite conſpecto, mutant vultum, induuntque ſolidam ſubſtantiam. Eadem ratio eſt nutritionis. Nam *Seuerini* ſpiritui placuit decretum edere ex ſententia *Paracelſi*, quod nutritio fiat non tracto liquore per canales manifeſtos, ſed facta reſolutione in ſpiritus, qui per occultos poros SCIENTER (nam ſciunt quo diuerti debeant) meent ad ſuã membra. *Nutritio Seuerini ridicula.* In his iam ſal eſſe oportet, cuius olfactum ſtatim corporaſcunt, & in ſolidã ſubſtantiam, ſicut vertumnus ex igneo ſpiritu in lapidem, vertuntur. Vana enim putantur quæ vel *Hippocrates* & *Ariſtoteles*, vel *Galenus* de humoribus alimentariis primis, ſecundis narrauerunt. Si hæc eſt ſententia, optemus vt *Hermes* ſatyrus fiat, & ignem Promethei oſculetur. At qui nondum aſſecuti ſumus mentem Doctoris. Quid ita vero? Ipſe ſeipſum explicat euidenter.

6. Dicit enim *ſal priora duo* (Mercuriũ, & ſulphur) *in vnum compingit, congelat & cuncta reddit ſolida.* *Sal Mercurium & ſulphur compingit.* Ponderoſa equidẽ verba, & digna vt ſigillatim perpedantur. Quomodo ergo primo eſt ſubſtantificum? Cape *Liquorẽ* qui *Mercurius* dicitur. Exempli cauſa aquã roſaceam: Adde ſulphur, vt oleum ex roſis. Adiice ſalẽ ex capite mortuo roſarum. Quid fiet ſi miſcueris? *Subſtantia*, innuit *Hermes*. At inq̃tum iſta duo iam erant ſubſtantiæ, & quæ exiſtit acceſſu tertij, rationẽ ſubſiſtendi non debet ſoli ſali. Imo miſcui, remiſcui, imbibi, nutriui & alia coagulationum feci, non potui firmam & fixam ex illis ſubſtantiam efficere. Coactus itaq; ſum *terram matrem* adducere, & induſtrie ſingula incorporare. *Quercetanum* vidi prius ſalem oleo imbuere, & deinde Mercurium affundere particulatim, iterumq; poſt digeſtiones abſtrahere donec tota vis aſſumta ſit à ſale: verum quæ iſta eſt ſubſtantificatio? Corpus Mercurij rurſus abſtrahitur; qui vero in eo ſal eſt ſapore acuto noſcendus (imo & ſulphur) is ſolus relinquitur. *Baſilius Monachus ex ſolo ſulphure antimonij lapidem* facit, vt & *Thomas* ex tinctura mumiæ liquidæ. *Vide in curru Triumph. pag. 241. 252. 255. 256.* Addit quidem *Baſilius* ſalem Ammoniacum ſulphuri; ſed non vt eſſentialem, verum vt clauem, (ita vocat p. 244.) & deſtillationis adiumentum. Oleum enim extillat dulce & ſuaue ꝙ non eſt compactum, ſed liquidum & fluens. Salem armoniacum inter ſpritus referri non eſt ignotum, vt & ſpiritus dici qui euolant ab igne vt *Thomas* loquitur. Figit autẽ additione *præcipitati Mercurii antimonii facti per oleum vitrioli ex Marte.* Sic *Rogerius* eundem lapidem ex *ol. antimonii* ſeu tinctura, & ſolutione Solis, vel Mercurio eius conflare docet: & nos ſcimus alium modum mercurialem, in quo aliquid quidem ſalis eſt, ſed maxima pars Mercurij coagulabilis. Illud dicimus in præſens, *ignem præcipue id eſſe quod figit:* Ignem, inquam, internum externo debite adiutum. *Thomas* quatuor elementa ſeparauit, purgauit, iterumq; coniunxit, & inde conſecutus eſt lapidem fixum. Non tribuit aũt hoc ſali, ſed ſupercœleſtium corporum naturæ. Noui quæ dicuntur de ſpiritibus coagulantibus, & ſalibus fixatiuis. Sed hæc non ſunt iſte ſal quem tu deſcripſiſti. Metalla in ſe habent naturam quandam non ex ſole ſale, ſed ex compoſitione tota in quã ſpiritus proprius fixatiuus eſt ſecundum naturam metalli, qui anima vocatur, calx, tinctura, &c. & catachreſi etiã ſal. *Lapis factitius.* Inde *lapis coagulatiuus Thomæ ex lacte virginis Saturnino, & ſoluto alcali.* Sed calces quæ ſoluto iſtius lapidis imbibuntur etiam per ſe ſunt coagulabiles. In lapidis rubei ex ſanguine cõfectione ex fecibus reuerberatis, vt terra foliata, ſeu virginea fiant, & oleo facta eſt coagulatio. Lege quæ de geminis, & cryſtallo, cuius cõgelatio ex frigore

Olea coagulata. eſſe dicitur, ſcripta habet c.2. ſecretorum Alchymiæ. *Olea extracta* etiam per ſe ſpiritibus aereis exha-
lantibus reſinaſcunt, & coagulantur. In magiſterio ſapientum coagulatio perficitur igni ſpiritibus
per reflexionem in corpus cõpulſis, & ibi virtute corporis fixi, & ignis coercitis. Aliter itaq; deſcri-
bendus ſal eſt cui tribuitur compingendi concorporandi, figendiq; efficacia. Quos ſales Chymici,
nomine principij ex vegetalibus, animalibus extrahunt, aut etiã à mineralibus ſecernunt, ſi ſunt v-
niuoci, exiguum quid præſtant in fixationibus, ſuntq; prius ipſi figendi, quã adiuuare poſſint. Dic
enim quæſo *Hartmane* ſi aurũ, argentũ, plumbum, ferrum æs, cryſtallum, Adamantẽ, ligna, oſſa, &c.
tales ſales cõpegerunt quales ex illis Chymica arte extrahuntur, an nõ vapido aere, balneo aut fimo
ſimilibuſq; calentibus reſoluentur? Negas ſolorum eſſe. Cur ergo Solis tribuis? Sales iſti metallicorũ
corpora ſoluere poſſunt, & oſſa mollire, vt lixiuijs apparet: tunc exiccant & firmant cũ inſinuata ef-
ficiunt terrea. In natura vulgari lapideſcunt nonnulla aquis non ob ſalẽ, ſed lapidea ramẽta ab aquis
ſubtilibus in poros illata, item à lapideis ſuccis. Ne *alumen* quidẽ marmor ſine calce alabaſtrina face-
ret, nec in cortinis in quib. muria coquitur, aut aquæ minerales, concreſcerent lapides ſi nulla adeſ-
ſet marga, aut alius ſuccus terreſtris. Cogita quomodo ex ſemine dulci, & albo ouorum, vt quidam
volunt, vel vt alij, luteo (ſicubi diſtincta ſunt oua) pulli prodeant; qui etiã ex ſemine, & ſanguine cõ-
Gen. 1. Iob. 10. Pſ. 139. pingi potuerint mẽbra, eodemq; alimento creſcere ſi tuus ſal eſt compactionis cartilaginum, oſſiũ,
neruorum, & cæterorum cauſa. Philoſophare ex Iobo, Moſe, Dauide. Alias cõpactionis cauſas in-
uenies. Non irridenda erat etiã Ariſtotelis, Platonis, Hippocratis, &c. Philoſophia. Noſti q d ſcripſe-
ris in Hagiaſterio de Natura, igni, & aqua Hippocratis? Vbi hic eſt ſal tuus? Rectius confugeres ad
Vide Ariſt. in 1. de part. an. 1. 2. Gen. an. 1. 3. Gen. an. 11. 4. meteor. animã tuam pro ſale. Eſt enim principium animale ꝙ animalium membra cõſiſtere facit. *Hippocratis*
ſpiritus, humores, & ſolida igni digeruntur, &, vt tu dicebas, calido innato cũ ſpiritu, & humido pri-
migenio. Relatæ quoq; qualitates primæ & ſecundæ multum poſſunt, ꝙ intelligunt & mechanici &
vulgares Phyſici qui qua cauſa agente aliquid compactum eſt, eius contraria id reſolui norunt, niſi
quid ex accidente eueniat. Non opus eſt ſale vt ſeu liquatum metallum, aut adeps calore ſublato cõ-
creſcat, ſeu in liquorem deliquio aut aqua ſoluente redactũ, reducatur. Vtuntur quidẽ ſalibus redu-
ctores in corroſis, & ſolutis metallis, at non conſilio compagem per illos procurandi, ſed abſtergen-
Lumen naturæ deceptorium in Paracelſia. di, purgandi, colliquefaciendi. Colliquefacta per ſe ſuam habent conſiſtentiã. Tale ſc. eſt *Lumen na-
turæ* Paracelſiæ, ſenſus communes in ſeruitutem trahere, & poſtea obliquis ſimilitudinibus, & adul-
terina interpretatione perſuadere velle ſecus ſe rem habere ac publica experientia conſtat.
Congelare eſt frigore cogere. 7. *Sal principiũ illud (alſum Quercet. etiam congelat.)* Hoc tibi credent coquæ ad Calend. græcas. Nã
ſuas *gelatinas* faciũt ex decoctis viſcoſis, & glutinoſis addito fere aceto, & ichthyocolla, qua tñ non
indigent in pedibus pellibuſq; & piſcium ſquamoſa cute. Ita qui ſuccos extractos inſpiſſant et Chy-
mici ſæpe addunt *Maſtichen, Gummi arabicũ* & ſimilia ſoluta. Succus cydoniorum propria viſciditate
cohæret, & mucillagine ſeminis. Ita eſt de aliis multis. Hæc frigore aptius coguntur q̃ calore, ꝙ con-
gelare vocant. Non ignoro *congelare & coagelare* aliquando confundi, & hac confuſione ſeſe excuſa-
re ſolere illos, qui ſine lege philoſophantur: ſed non ſunt audiendi. Nulla. n. excuſatio erroris eſt in
Congelaſcere à gelu concreſcere, vel aſtringi. perperam facto. Ad leges cogendi ſunt, & determinatã docendi methodum. *Cõgelat id cuius effectum
eſt gelu.* Officium autem hoc frigoris eſſe in re cõgelabili adeo notum eſt, vt ſi velis dicere à ſale fieri,
in aquas te iniicerent vel ruſtici tempore gelu brumalis, cogerentq; experiri quid congelaret. Certe
ſpiritus quos eliciunt ex ſalibus, & ſalſis, item muriæ ſe non congelant in calido aere, quanquã fere
nihil aliud ſint q̃ ſoluti ſales. Cum vero exponuntur aeri frigido temporib. hybernis quib. aquæ lo-
ricantur, congelantur. Frigus etiã olea multa inſpiſſat. Infer in hypocauſtum calens: iterũ reſoluun-
tur. Stulte *Hermes* ecquid iam congelat? Diſce differre congelare, coagulare, conſiſtere, indurare, dẽ-
ſare, & ſimilia, & fieri iſta frigore, calore, motu, miſtione & aliis modis pro natura rerum diuerſa.
Quidã ita argumentantur: *Ex ſalibus fiunt cryſtalli in mediis aquis.* Ita. n. conſiſtit vitriolum, halinitrũ,
In aquis concreſcentia. ſaccharum, &c. *Ergo congelatio eſt ſalium.* Noui, inquam, Cryſtallos, & Chymicam glaciem. Aliud eſt
Tartarum: aliud ſal eius: aliud argentum viuum ſublimatum, aliud ſal, atq; ita de lapillis metallorũ,
ſulphuris & aliorum, quæ cum fuſiles ſunt, ſiue in aqua, ſiue extra conſiſtant, frigore in tali materia
operante id patiuntur. Calore ſoluuntur rurſum. Quod autẽ attinet ad concretionẽ in aqua, ea non
recte iudicatur. Notum enim eſt aqua multa talia nõ cogi, ſed dilui. Cum vero aqua eatenus eſt per
coctionẽ, aut diuaporationẽ conſumta, vt iam videatur craſſeſcere, & corticem contrahere, materia
per ſe coagulatur frigore adiuuante. Inde denuo ſuperfluitas diſſipanda eſt, atq; ita ſuauiter conſi-
ſtit totum. Id autẽ conſequi poſſumus etiam ſolo calore inſpiſſante intra terminum colliquationis.
Cum *ſulphur oleo*, aut *ſpiritus Terebinthinæ* ſoluitur, omnia ſunt oleum liquidum dũ feruent. Sine fri-
geſcere: lapilli conſiſtent *non ſalis vi ſed frigoris in tali materia.* Cum *halinitrum* catinis liquatur, fluit vt
aqua. Refrigeſcat: redibit ad lapideam duritiam. Si talis ea vis eſt, cur nõ congelatur etiam in calore?
Cum argentum viuum, & alia ſpirituum ſiccorũ copia pollentia ſublimantur, cumq; flores ſulphu-
ris fiunt: cum ſublimatum ex cornuta deſtillatur in butyrũ in aliqub. materia ipſa conſiſtentiæ cauſa
eſt, vt in floribus antimonij: in aliquib. frigus externum adiuuat, & hæc quidem calore liqueſcunt,
illa figuntur, ſi induſtria vtamur. Verũ in re omnibus manifeſta non opus eſt verbis. Illud quæri po-
terat: cum per *ſilios* montes iter faciunt in *america*, quidam congelantur toti. Alicubi tales ſpiritus
ex terra erumpunt, ſuntq; in halinitro nõnulli à ſale ſeparabiles, vt & in ſpiritib. fulmineis. Quæ hic
cauſa congelationis? Ego putauerim tales, ſi reſtitui poſſent, à ſalium deſtillatorum ſpiritibus reſol-
ui potius, ſicut catochicos, ſeu catalepticos ſolemus tum ſalenis, tum ſulphureis. Natura fulminum
gelantium nos admonere poteſt nõ ſale id fieri, ſed ſpiritu minerali potente, ſubtili, & tenui non ſi-
ne mercuriali acumine: qualis in halinitro quidem crudo eſt, ſed nõ eſt de ſubſtantia eius ſalina. O-
mnino ſiue de coagulatione loquaris, ſiue de congelatione. *Neptuno Batauo* nunquam perſuadebis,
qui vidit mare vbi eſt ſalſiſſimum non coagulari, niſi, vt in Nitrariis Nili, vbi in terris feruentiſſimo

sole cogitur, nec congelari, nisi vbi frigus tale est quale circa *nouam Zemblam* in glaciali Oceano.

8. *Sal atriensis Hermetis* CVNCTA REDDIT SOLIDA.) Solidum glaciem, solidas ollas, solida metalla figuras solidas, &c. Vocamus quæ nulla ruptura sunt labefacta, & vndiquaq; integra cõpage constant. Si sal omnia solida reddit, reddet & ollas in figulorum caminis, & glutinabit asseres scriniariorum. Quin & cœli compagem, quam crystallinam dicunt, & quam *Eliu* prægnans ille spiritu sapientiæ apud *Iobum* c.37.18. solidissimam, q. speculum ex ære, prædicat, sale solidatam esse oportet. Non mirum est *Hermetem Hartmani* scire Solẽ, Lunam, stellas, cœlos sale esse solidatos, quia non ita dudũ ex cœlo descendit; & *Hartmanus* cum eo fuit, viditq; omnia *plane sic se habere*. Si enim non essent solidatæ sale Chymico stellæ, proh *Hermetis* fidem, quam pridem tam conciliato motu fuissent dilapsæ? Quis diceret cœlos vltimos ex aqua maris, quę est salsa, fabrefactos esse? Dubito tñ an in cælo fuerit cum *Hartmano Hermes, Vulcanũ* aut *Prometheum* aliquẽ interrogaremus, nisi in abyssos suorum seminum, & orcum *Hippocratis* essent reuersi. *Hartman* quoq; sonat durũ virum. Sale nasum beneduratum habebit, ni velis frõtem. Quæ dementia est tam licenter garrire vt te ex stolidissima Paracelsistarum factione esse declares? Non omnia sunt solida, etiam ea quæ salis multum habent. Ex salinis Saxonicis afferuntur fistulæ, seu coni salis concreti: sed maxima pars est farinacea, vel grumosa. Soliditas est in sale gemmeo, & Indo; sed non beneficio salis. Facile enim soluitur aqua. Alia causa est concretionis, quæ apparet in *sale fusili*, qui igne liquescit, & fluit, frigore consistit. Itaq; etiam quæ solida sunt, id nõ debent sali, sed *singulari dispositioni materiæ glutinosæ* quæ cogi à calore, & siccitate vel & frigore potest. Ferruminatores vsurpant aliquando sales: sed non ad solidandum; verum ad colliquandum. Quis solidat ouum cum aqua coquitur, aut assatur? Quis glaciem? Da exemplum vnum, quo liquido probetur, salem per se solidare, & non per accidens. *Crystalli salini* nõ propter salem concrescunt figuris cubicis, oblongis, fistulosis, angulosis. Si sal esset causa soliditatis, semper massales fierent cõcretiones. *Quercetanus* de vrtica scribit, quod dilutum eius salsum retulerit herbæ formam, sed cum frigore, non sale congelasset. Medicamenta vnitatem solutam reparantia nõ id faciunt sale, sed glutinoso cambio intus suppeditato. Foris non sales aspergunt fractis ossibus Chirurgi, sed ligaturas debitas, & emplastra. Punctoriis suis, catagmaticis, & magneticis *Paracelsus* non sales præscripsit: sed res alias exiccantes, & glutinantes. Neruos discissos qua re solidant Chirurgi? Quibus rupturas, seu Heruias? An nõ *Symphyto, Telepsio*, & similibus? Dices in his sales esse solidatiuos. At nego actu tales. *Quod actum non habet vim actualem qui habebit?* Si Symphytum ob salem glutinat, magis per se sales. At hi corrodunt, nec sunt sarcotici, aut glutinatiui, vt apparet in excrescente carne, fungis, cathereticis medicinis, & causticis. Sales communes, & quos Chymici ex mistis pro principiis, seu principij titulo, extrahunt, fere omnes crepant, & exiliunt in igni. Si velles tales solditatis causa rebus immiscere, fieri posset in contrarium experieris, nisi arte præparasses.

Solidationis causa sal.

9. *Huius* (salis principij vti descriptum est) *beneficio crystalli congelatio, adamantis durities*, &c. *absoluitur.*) Est aliqua gemmarũ prærogatiua durities natiua. Factitiæ enim fere sunt molliores, & limã; aliisq; redarguuntur. Num aũt ea durities sit à sale, sicut & congelatio, & soliditas, ne apud desperatos Paracelsistas verbis contendã, placet *Anshelmi, Boetij* de Boodt gẽmarium inspicere. Is li.1. c.9. ita loquitur: Quòd ad terrã attinet, nemini dubium est *in lapidibus opacis plus terræ* q̃ cæterorum elemẽtorum esse. De gemmis diaphanis non ita constat. *Perspicuitas* in eis efficitur propter terræ exactã in minimã resolutionem, & talem partium vnionem vt totum corpus nullis poris, aut atomorum terminis discretum sit. *Continuitas* omne corpus diaphanum facit. *Gemmarum* quã lapidum *materia* est tenuior, purior, magis subacta, excocta, & condensata. *Aqua* requiritur ad cõiungendas subtilissimas partes terrestres: *Ignis* ad subigendas, exiccandas, condensandas vt indurescant, & corruptioni resistant (Nota de excoctione, q̃ *Basilius* requirit in opalis ex antimonio. Nisi.n. ignes excoquat perfecte, & maturet, & transparet, nec purum fit vitrum, q; norunt & vitrarij vulgares) Ab hac opinione decedunt *Paracelsistæ* q̃ mixtorum omnium, & proinde gemmarum & lapidum principia materialia constituunt salem, sulpur, Mercurium, &c. Hęc opinio licet verissima propter analysin videatur, tñ neq; in *auro*, neq; *adamante* ista principia ostendi posse facile existimo. Manifestius in gemmis, & lapidib. fere omnib. TERRÆ elementum quã dictorum principiorum aliquod conspicitur. *Sine sale nullum mixtum à Chymicis putatur coagulari posse. Hoc.n. gemmarum & lapidum præcipuum coagulum arbitrantur.* Sed proximior causa materialis ab Aristotelicis communiter statuitur *lutum lentum; succusq;* qui vehemementi frigore congelascit, lapidiscens, puto proximã materiam esse terram tam tenuẽ, & subtilem vt aquæ immixta diaphanitatem eius non impediat, lapidum vero crassiorem: deinde amborum salem aliquem terræ visceribus conclusum, & postremo exhalationem pinguẽ & humidam. *Efficiens causa est spiritus lapidificus*, aut exhalatio quę spiritum defert, de qua vide c.8. *Boethus* iste longe est oculatior, & fide dignior tuo luscioso *Hermete* & fabuloso. Non quidẽ reijcit ista principia, sed plus tribuit elementis, & in his terræ. Durationem, excoctionem, puritatem, &c. *Igni* ascribit: lapidificam vim spiritui proprio: & concedere hæc Paracelsicos necesse est, si volunt naturã seminariam metallorum & gemmarum obtinere. Præclara sunt hæc *Anshelmi: sacræ literæ vim & facultatẽ seminalem seu formatricem Deum creasse, & terræ indidisse tradunt.* Deficiente semine vel formatrice facultate, cõpositum nullum peculiarem formam habuisset. Quæcunq; terra lapidescit, aut in gemmam abit, lapidificum spiritum in se tanquã proximam efficientem lapidum, & gemmarum causam cõtinet. *Calor cœlestis* spiritus calorem in actum redigens remotior efficiens est, &c. Hæc tu tibi *tripodẽ* dicta puta, & confer cum naturæ & artis operibus. *Matrices adamantum* quomodo adamantes fundant *Garzias* docebit. Bristolici; & nostrates qui generentur, monstrabo tibi in suo ouo & tabula. Ars qui gemmas imitetur, qua caussa excoquente, purificante, solidante, legis apud eundem *Anshelmum*, & alios. Considera tantũ vasa illa quæ ab aliquibus *Murrhina*, ab alis *Porcellana*, & *Maiolica* dicuntur,

De soliditatẽ & congelatione gẽmarum.

Perspicuitas lapidum.

Materia gẽmarum.

Linschot. par te 4. nau. ind. ca. 41. & seq. Garz. lib. 1. cap. 47. Baliarica.

cuntur, quæ vt *Anshelmus* scribit lib. 2. cap. 85. ex terra subtiliori pingui conflantur, igneque excoquuntur (vera Myrrhina secus ac *Scaliger* exerc. 92. ex *sardonyche*, vel *onyche*, facta esse putat) *Scaliger* opinatur ex ouorum putaminibus, & *conchis vmbilicorum marinorum* (vnde nomen Porcellanis) in tenuissimum pollinem redactis, & aqua temperatis fieri: Garzias lib. 1. arom. cap. 52. ex *Iaspide viridi:* Linschott: part. 2. nauig. Ind. cap. 23. ex terra fabricat certa generis cuius modum probat *Paludanus*. In his non apparet quicquam salis, & si adesset, aquis elueretur. Sed consulantur de hoc argumento *Cardanus, Scaliger, Thomas, Albertus, Gesnerus, Fabricius, Agricola*, Lullius, I. Bapt. porta, Donnæus & alij scriptores. Inuenies paucissimos qui Paracelsicum salem ea in re commendent. Quin & si lapides & gemmæ calcinentur, & sal eliciatur cum cæteris duobus principiis, denuoque fiat compositio abiecta terra, quis putet inde gemmam redituram eius duritiei, & soliditatis cuius fuit? Si cineres, & calcem omni sale exhaustam, saltem bitumine, aut sulphure glutines, lapidem feceris, non autem relicto sale, qui quid faciat in solidis lapidibus, ostendit *halinitrum, vitriolum*, & similes succi.

Quantum salis sit id Adamante, Rubino similibusque gemmis nobilibus, præsertim perfectis, seu maturis (Nam non statim perfici ac emerserunt ex suis matricibus, argumento sunt *Granatæ*, quæ initio inueniuntur candidæ, post accipiunt tincturam) puto te expertum esse, cum tam confidenter scribas. Deinde periculum fecisti etiam in mollioribus. Etenim duritie distant *Adamantes*, nec omnes sunt tam solidæ vt hircino sanguine (si vera narrantur) sit opus, & Gemmarij, qui adamantes poliunt, non destituuntur adamantino puluere. Exponere ergo debes quantæ molis, & virtutis fuerit sal vtriusque vt de vi durandi pronunciare possimus ex mensura. Sed tu facilius totum corpus gemmæ in calcem in humore liquescetem instar salis redegeris, quam verum salis principium separaueris. *Auium ventriculi* anatomiæ Chymicæ putantur esse peritiores. Resoluunt enim lapillos, & gemmas satis duras, & deinde fimum reddunt sale nitroso prægnantem, quo & calculi humani atteruntur. Sed cum etiam aliis vtantur cibis, & feces alui etiam id excrementum contineant, quod alias cum aqua renes separant, acre nimirum, & salsum etiamsi nec sal edatur, bibaturue, nec lapilli vorentur, iudicium de sale lapidum non est syncerum. Cum videam tibi & *Anshelmo de caussa efficiente* lapidum & gemmarum, item indurante non conuenire, patere quæso vt aliquid amplius pro inuestigatione addam. Plærique Paracelsistarum volunt *gemmas esse fœturas, aut fructus syderum* in terra matre. Itaque etiam distinguunt eas *Solaribus, Lunaribus, Martiis*, &c. vt & metalla. Planetæ ergo cœlestes gignunt hos terrestres, tanquam *astra secundaria* congenitam quandam lucem habentia. Hæc opinio quædam est, non autem scientia. Nullo enim demonstratur principio, & si mineralia eo die creata sunt quo terra exornabatur plantis, redarguitur. *Nam quod nondum est, gignere non potest.* Non erant autem planetæ die tertio. *Mosis historia* indicat *Paradisum plantalem in Eden* ab oriente fuisse, quod proculdubio factum die eodem, licet alij aliter sentiant.

Caussa gemmarum excussa. Crollius in Basilica pag. 53. Gemmæ suum colorē, formam, & tincturā per astrorum formationem à metallis accipiunt, &c. sunt stellæ elementares. Paradisus. Generatio gemmarum Paracelsica.

Ex Eden egrediebatur fluuius ad irrigandum hortum, diuisusque in quatuor amnes ferebat vniones, aurum, gemmas: quod non tantum postea obseruatum fuit, sed & ab initio exornatæ, digestæque terræ diuina virtute extitit. Hinc consequens est *ante luminaria & planetas fuisse gemmas*, atque adeo aliam originem habuisse. Si inspicimus tuum *Seuerinum*, & tuas ineptias de *abysso & seminibus*, colligendum est extra mundi scenam in orco semina gemmarum delitescere, cum inde digestis temporibus per astralem quendam spiritum protrahuntur, sibi fabricare corpus ex elementis, & principiis, vna fabricante forma. Iam *quæ caussa essentiæ corporeæ est, ea etiam proprietatum sequentium essentiam.* Non itaque opus erit sal duritiei caussa assumere, cum sit vnum ex substantificis, seu hypostaticis: sed durities sua sponte sequitur dum semen illud, & forma suum corpus perficit. Nota & hoc. Ista tua & *Seuerini* Physica elementa, & principia sunt materia passiua: agens autem caussa semen & forma. *Patientur* itaque *principia tua indurationem, non efficient.* Verum & hanc opinionem explodimus. Nata enim est in furuo somniantium apud *Plutonem* Camino, & caret principio; imo ne probabili quidem argumento ostensiue concludi potest. Ex nugis nil nisi nugæ. Procedat ergo aliud quid. *Hermes* tuus *principia* dicebat *esse corpora vitalia, actiua, formalia, soboles seminum dotata proprietatibus seminum quarum proprietatum vigore relinquant post se constantes tincturas* Si iam quæras vnde durities, lux, color, virtus carbunculi, Granatæ, adamantis, sapphyri, smaragdi, onychis, iaspidis, &c. respondebit tuus *Hermes* principia vitalia à seminibus acceperunt potestatem talia faciendi. Sunt enim corpora actiua, formalia, vitalia. Sed cum *nullum possit esse agens, quin sit & patiens*, quæ est ista materia cui imprimunt actiones suas? *Nihil agit in seipsum.* Sal ergo seipsum non durabit. Duritiesne in sulphure & Mercurio hæret? At non potest. Nam duo humida principia formalia, & actiua salem vincent, & eius durificam satis retundent. Superest vt misera elementa interna, & externa patiantur. At, inquam, in his per se caussa est indurationis corporum, si quæ oportet dura esse. Rationem requiris? Inspice terram omnis stabilitatis corporeæ elementaris subiectum, quæ ideo à Deo etiam fundata est super sua basi. Deinde vides aquas in terram transmutari, & eandem duritiam consequi. Frigus aquas in solidam compagem vertere, non opus est credere, nec persuadere. Res enim sensibus patet. Quid calor igneus in dispositis terreis succis aliisque materiis determinatis possit, figuli, laterarij & similes opifices docent. Consule interim vitrarios quoque & gemmarum artificialium conflatores, imo *oppodeltoch* tui *Paracelsi*. Quid duritiem infert? Idem quod terminum. Oportet autem materiam terminabilem esse. *Terminantur humida siccis agentibus actiuis.* Itaq; prima caussa est terrestreitas cum sua siccitate & frigiditate: secunda calor congruus qualis est ignis cum sua siccitate. Quæris & tertiam? Gluten addo. Ita fiet, quod tu ex Hippocrate dicebas in materia coagulabili, & durabili, *ignis & aqua sufficiunt.* Quid sal? Si ad-

Principii petitio.

Gemmarum dotes vnde.

Durities.

Si additum fuerit proportionabiliter saporem commendat, incidit, purificat, siccat, quia igniculum habet, & terreus est; neque enim siccat & terminat *qua sal est*, sed qua est corpus terreum, & siccandi potentia præditum. Cum excedit proportionem, vinculum exedit, & adeo non terminat, induratiue, vt etiam mollefaciat, & in farinam redigat non lapides tantum, sed & bitumina, & sulphureas marcasithas, quod ad oculum patet, corrosis *melanteria* istiusmodi mineralibus. At inquis, si sic philosophandum est, in veteres *Peripati*, & *Galenismi* lucanas relabimur. Nos autem explosis illis volumus *singulares esse*. Accipe ergo non inutile consilium. Dic Deum in principio creationis sic miscuisse potente verbo mineralia, vt suis temporibus gignere queant suo modo ex materia prædestinata metalla, gemmas, & alia: Et gemmas quidem respondere metallis; nihilque aliud esse quam *purissimum succum efflorescentem ex matrice sua sicut lacrymæ ex arborum nodis*, & corticibus solent, qui succus respondet proprietatibus mineræ suæ, quæ cum sit ex prædominio terrea, ideo & suo fœtui firmitatis terrestris potentiam conciliat; sed qui cœteris virtutibus sit longe nobilior, & generosior, vtpote quinta quasi essentia per vim procreatiuam, & spiritum, caloremque producta, collecta extractaque & propter puritatem firmissime, quantum fieri potuit, nisi quid per accidens interuenerit, solidata.

Gemma quid.

Hic naturam habes in terra non simplici, sed per Deum elaborata ex omni naturæ corporeæ parte. Deinde spiritum, calorem, & vim procreatiuam. *Spiritum* illum *Anshelmus lapidificum* vocat. Est enim fixatiuus, nec salis principaliter: talis enim soluit & corrodit: sed sui generis analogia respondens suæ mineræ. *Materia* est *succus purissimus* de nobilissima mineræ essentia. Hic figuratur in principij formatiui quod est insitum. Neque enim figuratio sali debetur qua sal est: Alias vt sal Indus, Sacharum Crystallinum, halinitrum, alumen, chalcanthum & similia, ita & cæteri sales formarentur, nec nisi sales. Iam autem etiam succi terreni suam habent figurationem: Quocirca spiritus quidam, & natura est tam in cæteris, quam salibus, cuius vi existit forma, vt videmus in *piscibus metallicis*, conchis ex sulphure, & terrestri succo, *glossopetriis*, *ouo serpentino*, *piscibus* istis quos aliqui inter *Ammonis cornua* referunt, cornibus, dentibus, aliisque ossibus terrenis, quorum quædam Eboris fossilis nomine commendantur. *Bitumen* alicubi sic figuratur vt externo intuitu iures lignum esse nigrum, vnde & *Hibeni* fossilis appellatio. Quod si sal esset fingendi caussa, omnia vnam haberet formam. Neque enim posset agere vltra suam naturam, & ex quacunque re extrahitur arte, aut massalis fit coagulando, aut farinaceus, aut angulosus. In succis vero lapidosis, & terrestribus, marmorosis, margosis, calcosis & similibus principium formatiuum vel intus prodit ex natura loci, & materiæ, vel foris incidit spritu per mineras oberrante, & in dispositum subiectum se insinuante, quo modo nascuntur & metalla, *sulphureo spiritu metallifico in mercurialem materiam suæ mineræ*, quæ sæpe variis partibus varie est disposita, *incidente* & pro dispositione metallum exordiente, vel etiam intus procedente. *Cognationem* autem *metallorum & gemmarum* qui ignorat, is nescit in metallis, quasi ex resina metallica, nasci gemmas, quanquam non necesse sit semper metallum esse vbi effodiuntur, aut inueniuntur gemmæ, quia dispositiones, & principia formatiua sunt dissimilia: Idem nescit *ex metallis* per artem conflari *gemmarum simulacra*: nescit vitrariam: nescit nothas illas gemmas seu lapillos quos fluores vocant: non vidit *amethystas bohemicas*, non Pyramides crystallinas, non cubos auricolores, & similia. Idem non conspexit lapides ferri modo in bacillos distinctos, modo in tabellas, modo cubos & alias figuras, quæ etiam in gemmis deprehenduntur. Verum de his hactenus.

Boetius hac de re agit lib. 1. Gem. c. 13: & sali figurationem crystalli asscribit: sed sibi nō satisfacit. Itaque principium naturæ aliud prehendit. vide cap. 15. eiusdē libri: vbi proprio seminario figuram & colorem accepta refert.

Ortus metallorum.

10. Pergit Hermes: *Salis beneficio metallorum robur, & auri soliditas, absoluuntur.*) Dignus erat repudio, qui tam impudenter contra sensus, & experientiam disputat. Metallorum firmitatem esse *à sulphure, & mercurio* plus minus fixo, decretum est sapientum cum ipsa natura, arte, & experientia concordans: *Sales* autem qui extrahuntur ex mistis arte Chymica, quo puriores, & validiores sunt, hoc magis inuadunt metalla & eorum soliditatem frangere conantur. Itaque etiam examina plæraque constant salibus vt *aquæ fortes*, & *regia* aliæque soluentes cum spiritibus salium: Item *coloritia*, *cementa*, *fluxus*, &c. *Aqua chalcanthosa* corradunt ferrum: illique inferunt principium æris; vnde & in æs conflatur. Id non inde fit, quia est sal quidam, sed quia *ærificum principium* habet, quod sui simile generat ex materia disposita. Ita *plumbi anima regulum antimonij mutat in plumbum*. Ea est in essentiali calce plumbi, quæ licet sal aliquando vocetur, tamen non est iste sal, qui principium dicitur. Sic *anima auri* exaltata omnia imperfecta mercurialia metallica, & argentum viuum in aurum mutat, illisque omnes dotes auri confert, non sale, sed *principio aurifico* quod totius naturæ vim habet. Idem est de *argento*: *Simile procreat simile non essentia tantum, sed & proprietatibus sequacibus* nisi per accidens aliquid secus contingat. *Anshelmus* non credit Chymicos ex auro vera principia vnquam collegisse. Quæ enim ostendunt, analogica, aut impostoria credit. Veruntamen *per argentum viuum sublimatum & salem ammoniacum, aut Tartareum aurum in Mercurium redigitur, cui fixi sulphuris ramenta adhærent*. De sale non constat. Itaque assertio hæc tota est incerta præsertim cum nullo sale Mercurius ille possit in aurum reduci, & requiratur ad hoc *anima auri*. Præcipitari potest salibus, aut eorum spiritibus, sed non in aurum reuocari.

Auri robur vnde.

Æs ex ferro per Vitriolū.

Plumbum ex stibio.

Aurum ex imperfectis.

Aurum in Mercurium.

In Chymicis magisteriis est *vitriolum auro*, cuius species etiam ex cæteris metallis, maxime ferro, & ære, minerisque seu venis eorum colligitur. Sed *vitriolum qua sal quidam est, minime solidat metalla; verum qua in se habet sulphur sui generis metalli*. Itaque & in opere sapientum præparatorio adhibetur quidem sal & vitriolum; sed non ingreditur in essentiam lapidis. Sunt enim medicinæ præparatoriæ tantum, & reserationum *claues* item *vehicula sulphuris metallifici perfectiui*. Alioquin si ingrederentur essentiis salinis, impedirent potius soliditatem metallicam quam promouerent. Calces autem metallorum deliquio solubiles, vt ante dictum, non re sed nomine tantum propter simili-

Anshelm. l. 1. Gemm. c. 12. Metallica aquæ & exhalationes plærumque lapidificam facultatem in se habent, vt ipsa metalla

quæ facile in gemmas etsi non veras, & lapides mutantur.

similitudinem passionis sunt sales. Discat ergo *Hermes* veriora de robore & soliditate metallorum, nec tam perfricta fronte de rebus ignotis garriat, quasi veritates fundat ex cœli atrio raptus, cum mera dictet mendacia, iniuriaque afficiat naturam, & creatorem eius.

Solidatio animalium & plantarum.

11. *Salis beneficio absoluuntur ossium, arborum, & herbarum consistentiæ.*) Hæc ad partes animalium, & plantarum pertinent. Sed meminerit *Hermes* quid ante de prima materia, forma, seminibus, calido insito, natura & similibus narrauerit. Cum DEVS ex terra, & aquis produceret plantas, & animalia, hominisque corpus vnum ex terra, alterum ex costa viri formaret, non vtebatur beneficio salis. Talem autē naturam generatione naturali propagat, qualem creauit. Itaque scimus etiam semina nascentium plæraque dulcia esse, & dulce nutrimentum: imo necesse est, qua sal quoque nutrit, in dulcem substantiam abeat, salsilagine separata. Cum autem partium diuersarum sint consistentiæ diuersæ, & Chymici ex cineribus singularum salem eliciant, sæpeque copiosiorem ex carnibus, & aliis mollibus quam ex ossibus, facile est colligere consistentiam cuiusque non sali deberi, sed aliis caussis.

Sal nutritiuus est dulcis.

Hippocratem venerabatur *Hermes* in hagiasterio, eiusque ignem, & aquam commendabat. At hic non ex sale eliciebat consistentias, sed *ignem*, & *aquam* tam sibi quam aliis, ad generandum, & nutriendum *sufficere* dicebat. *Ignis omnia in vniuersum mouere potest*, inquit. Is erat calor naturæ cum spiritu, in materia humida ad consistendum disposita. Ita membra in vteris mollia paulatim indurescunt calore humiditatem superfluam consumente, quod non ignorant destillatores, neque *Hermes* nesciebat cum exiccari salem, & sulphur actionum frequentia, & ad senium tendere diceret. Manifesti sensus, & obseruationis sunt quæ Hippocrat. Aristotel. Galen. de determinationibus à calido, sicco, & frigore, temperamentisque scripserunt, nec negari possunt à *Seuerino* duplici elementorum genere armante sua in scenam prodeuntia semina. Si consistentiæ partim sunt à principio formante, & motu materiæ per calorem, & spiritum, partim ab elementis, & principiis simul, magisque corpulentia debetur elementis, quam principiis quorum natura est spiritualior, quæ vesania est sali asscribere formationes, & consistentias magis quam cæteris causis, maximeque elementis, & horum viribus? Sal durat carnes, non definitum modum eis affert. Idem facit fumus. Oua, coralia, & alia nonnulla aere solo durescunt cum intus essent mollia, nec potest salsedo maris tantum in coraliis. Sal nec vrinam nec phlegma salsum, nec sanguinem salsum, nec muriam, & diluta consistere facit, calorem absumere humiditatem necesse est.

Tophacea Saxa: Boethius lib. 2. cap. 287.

Ossa quædam in recens natis sunt Cartilaginea, & grandes arbores in initio fuerunt virgæ teneræ. Num à sale postea consistentiam solidam accipiunt? Minime. Si sal tanti esset, *salsæ lacrymæ oculorum humores figerent*. Sed vt ante dictum est, *lixiuia salsa quædam ossa & cornua* etiam *emolliunt*, & ductilia reddunt, sicut & phlegmaticus humor ab argento viuo resolutus, & in ossa immissus. Medici non salibus figurant, indurant, siccant, & consistentias, modumque debitum membris mollitie nimia, vel humiditate laxatis, aut vulneratis afferunt, sed sine morsu, & sale priuatis terreis pulueribus ossium vstorum, & lotorum, metallorum, terrarumque, & similium item post crematuram sale spoliatorum, vtpote quem ne in Thutia, & pompholyge quidem in isto casu ferre possunt. Atqui *quo solidiora sunt ligna, & ossa hoc plus salis reddunt*. Scio inquam istud de aliquibus: quædam etiam salem exudant, vt genus quoddam *salicis* in Oriente. Sed consistentia non est inde, cum non actu, sed potentia sales isti sint in lignis, exceptis paucis, quorum succus salsus, vt kali, soda, &c. Salem autem impedire, & vitiare potius naturalem consistentiam supra diximus. ***Non si sales in dilutis suis consistunt, etiam aliis afferunt consistentiam.***

Lixiuia mollientia.

Consistentia calculorum.

De calculis & tartareis concretionibus in cauitatibus animalium multa cum maxima insolentia & ostentatione triumphoque de *Galeno* loquuntur Paracelsistæ. Cum diu disputatum est, *Mu. us est* interdum dulcis, interdum salsus & aliis saporibus tinctus. Is autem constat ex terrestribus solutionibus, & aquositate admistis succis pinguibus, phlegmate, sanguine, bile flaua, (nam & ex bile sulphurea consistunt lapilli) bile atra, Synouia, &c. Imo calculi renales & vesicales magis sunt sulphurei quam salini, vt resolutio & examen in ignibus ostendit, quanquam mucositatem quoque terream inueniamus. Id indicat materia ipsa. Nam vesicæ calculi fere in tali muco iacent qualis est ouorum, aut excrementitium phlegma. Id si ab aquositate separes, & coagules, fit gypsea quædam, vel calcosa concretio acutissimi mordacissimique ex sale coniuncto saporis. In talem mucum etiam resoluuntur lapides si qui possunt. Visa est quæ diu calculos excerneret: Sed cum lapide nephritico vteretur, mucositatem terream pro calculis reddidit. Ea autem est excrementitia partim ex ciborum reliquiis, partim ex pure, sanguine, &c. Quidam calculosam constitutionem habent, in quibus alimenta, quæ sequuntur naturam corporis, & mutantur in membra alenda, vnde analoga excrementa resultant, sicut videmus in dentibus succos lapidescere, non autem in lingua, & gingiuis, tartarescunt quasi, quod & vinis quibusdam est familiare pro natura terreni succi & sulphurei quem vites ex margosa, & marmorosa, argillosaque terra attrahunt.

Hic non opus est ad salem principaliter respicere. Quanquam enim vna sit, tamen potior caussa est in resolutione terrea in muco cum viscida, seu sulphurea, & bituminosa pinguedine, calore humiditatem superfluam absumente; aut ea alio modo separata. Obiiciunt *lapillos vesicæ frigidæ*, quasi hic calor non possit esse tantus. Sed cogitare debent humiditatem alio modo excolari, nec absolutam esse ipsius membri frigiditatem, præterea externis fomentis eam regionem foueri, tandemque si primum originem habet in vesica lapis, mucum in se ipso calorem concipere, & intus coagulari: Sin autem ex renibus excidit, iam accrescere simile simili, vt de tofo dentium dixi. Putant Paracelsistæ *Crystallum calcinatum, & in salem resolutum, deliquioq; in aquam redactum cal-*

culum atterere, & in mucum redigere. Vix reperiri puto, qui rem ſit expertus. Paracelſici multa ſtatuunt ex ſpuriis ſuis ſimilitudinibus. Alij narrant de *raphani ſucco*, qui lapidem reſoluerit foris. Num intus quoque? Ego *diu aceto acri maceraui lapidea fragmenta ex veſica extracta.* Aliquid muci inde deceſſit. Ita obſeruaui in vitro conceſcentias mucoſas albas, & arenoſas rubras. Saliũ & aceti radicati, itemq; ſalſi, & tartari, nitri, ammoniaci ſalis, Mercurij ſublimati & ſimilium ſpiritibus vitra frangimus, nouique aqua forti ſic labefactatum, vt leui tactu diſſiliret. In reſolutiones ſalis alcali, cineris clauellati, lixiuia & ſimilia inter cineres aut fimum columbinum combuſtum candefacta vitra immergimus, & ſoliditatem eorum ſic rumpimus, vt facili opera in pollinem abeant, quo renum lapides comminui credunt. Puto id fieri, quia ſpiritus ſalſos combibit. *Si ſalini ſpiritus ſoliditatem & conſiſtentiam tollunt, terminumq; concretu aufferunt, num per ſe illis tribuere poſsimus contrarium videndum eſt.* Ex accidente aliquid poſſint dum exiccando terminationem iuuant. De per ſe virtute deſidero demonſtrationem.

Vide Anshelmũ lib. 2. Gem. c. 74. vbi aliquot modos praeparationis Cryſtallini ſalis, & olei, recenſet, atque etiã tartarũ in homine reſoluere de ſententia Quercetani ait.

12. *Vbi frigiditates nimis frigent.)* Scomma hoc eſt in *Peripateticos, & Medicos Hippocraticos Galeni & Auicennæ* ſimul doctrinam amplectentes. Debebat relligio eſſe iſtis nouitiis ſapientulis tam proterue ſapientiæ veterum communi ſenſu, & experientia comprobatæ, contradicere. Sed noſtro æuo rabies canina verecundiam apud Paracelſiſtas ſuſtulit. Non poſſunt negare in miſtis eſſe duplex genus elementorum & materialia actiuo frigore armata eſſe.

Inuectiua? frigiditates frigentes.

Negant conſiſtentiam. At *quæ ab altero contrario ſoluuntur, ea per oppoſitum concreuerunt elementari concretione.* Adeps liquescit calido igneo. Conſtitit ergo frigore, non quidem abſoluto, ſed tamen proportionali, & relato. Metalla ignibus liqueſcunt, vt & lapides molares, vitra, ſales, & multa talia. Conſiſtentiam itaque elementarem, & corpulentam duritiam debent frigori item relato. Cuilibet qualitati agenti eſt determinata virtus iuxta gradus, & proportionem. Licet ergo ſal coaguletur calore, tamen etiam liquatur calore cuius reſpectu ille erat frigidus. Quod vulgus in *aqua glaciata, & pruina, niuibusq;* iam pridem cognouit, id ſi neges, inſanus ſis. Non ergo in coagulatione, & congelatione elementari friget omnino frigus.

De Chryſtallo cui nomen à glacie inditum, *Plinius* ſcripſit lib. 37. cap. 2. vehementiore gelu in locis frigidis naſci. Id falſiſſime exagitant Paracelſici, quaſi ipſi ſoli animaduertiſſent falſitatem. *Anshelmus lib. 2. cap. 73.* ait, *ſi Cryſtallus ex aqua congelata conſtaret, igne ſolueretur. At crematus calcem ſeu terram & ſal cuius ſpiritus beneficio coagulatus fuit, oſtendit.* Vide lib. 1. cap. 13. Nihilominus idem cum de lapidum & gemmarum duritie cap. 16. lib. 1. agit, ſic ſcribit: *Si materia bene vnita ſit, ac multum terræ habeat parumq; ſalis, ac aqueæ & aëreæ partes optime à calore vel frigore elicitæ vel expreſſæ fuerint, fiet lapis vel gemma dura & quo magis diaphana, eo durior. Ob hanc cauſam Adamas omnium gemmarum eſt duriſsimus: materiam ſiquidem habet tam bene vnitam vt perſpicua ſit: deinde parum* Salis *in eius compoſitionem venit vt præcipua eius materia terreſtris ſit. E contra Cryſtallus Bohemicus Topaſius, opalus molliſsimæ ſunt, quia tantum ſalis habent, vt duritiam magnam habere non poſsint, &c.* Ecce tibi. *Anshelmus*, tuo Hermete multis paraſangis doctior & peritior, à ſale mollitiem, non duritiam eſſe ſcribit, & ſimul non nihil tribuit *frigori, & calori.* Lege locum totum. cap. 12. *exhalationem* ex copioſa materia terreſtri *à nubium frigore* in anguſtum locum cogi, & *indurari* ſcribit. Ibidem: *Cryſtallus & meliores gemmæ ferè omnes libẽter frigidis regionibus. locisq; humidis, nobiliores & duriores, vt Adamantes & Rubini, calidis delectantur.* Qui vero ſunt illi Alchymiſtæ, qui Cryſtallos, ſilices, & ſimiles lapides calcinãt, & coloribus miſtos fundunt, vt gemmæ fiant, quiq; per conflaturam ex paruis magnas promittunt? Nonne Paracelſiſtæ vt plurimum? Neceſſe ergo eſt frigus in coagulatione earum nõ penitus frigere, vt tuum os ſale nullo delibutum ſtultè blaterat, quia calore liquantur. Lege c. 19. lib. 1. & 20. Anshelmi, imo totos libros. Inuenies quo tua ſtultitia redarguatur. De ſilice fuſili lib. 2. c. 288.

Cryſtallus.

Durities gemmarum.

13. *In ſalibus omnis generis ſapores deprehenduntur.)* Niſi abuteremini vocabulo, non ita loqueremini. Quercetani definitio *ſal dicit corpus eſſe ſalſum.* Hoc quid ſit, intelligunt omnes guſtu præditi, & diſtinguunt acidum, dulce cæterosq; ſapores. Amarus aliquando coniunctus eſt, & alij ex accidente. *Quercetanus colores* ex ſale eliciebat, vt notum eſt ex libello de priſcæ med. mat. & *Anshelmus* annotauit lib. 1. c. 15. Gemmarij. Quin antequã alios doceatis vos ipſi diſcitis? Parac. de peſtil. tract. 1. de cabala: ſal omnibus creaturis dat formam & colorem: mox. dat omnibus rebus ſaporẽ & formam. Quid parit ſal, colores, an ſapores? Cum vrgemini, mutatis vos in omnia rerum miracula, & omnia in omnibus eſſe fingitis. Belli eſtis ſcientiarum magiſtri. Hoc *naturæ lumine* etiam fatui ſunt præditi, & poſſunt omnium aliquam cauſam reddere. *Aliud eſt ſal: aliud alumen: chalcanthum: nitrũ, halinitrum: ſacchar. &c.* Suus cuiq; eſt ſapor. Si in ſalibus omnis ſunt generis ſapores, monſtra quæſo ſalem, qui ſapiat vinum, cereuiſiam, hordeum, cinamomum, piper, &c. Quam multi ſales ſunt inſipidi, ſi ſales ſunt etiam calces in humore ſolubiles? Extrahitis ſales ex vegetabilibus, & eorum partibus, vt & animalibus, & mineralibus. Noſtine qua arte parentur, reuerberentur ad albedinẽ, ſublimentur, figantur? ſapores rerũ proprios nulli habent, niſi qui extractis ſuccis, & liquoribus animantur. *Quod aliunde & ex accidente eſt, non eſt proprium rei.* Sunt in quibuſdã ſuccis diuerſæ partes diuerſorũ ſaporũ. Itaq; in vitriolo eſt dulcedo, aciditas, ſtypticitas, & æruginoſitas, imo & acrimonia & acuties quædam. In alumine ſtypticitas & dulcedo: In plumbo dulcedinis metallicæ, & vitriolatę ſtypticitatis vis magna: Et ſic in aliis. Chymica ſeparat ita vt dulcedo in Cryſtallis, plumbi vel oleo emineat: aciditas in illis Cryſtallis, qui fiunt ex acido vitrioli ſpiritu, dulcedo in ſulphure, &c. ſic *ſulphur antimonij excellit dulcedine* ſi recte ſit paratum. Suum cuiq; tribuendum monet iuſtitia. Si tu deprehendiſti in ſale omnis generis ſapores, *non guſtaſti ſimplex principium, & quæ ſal eſt.* Sachar cum reſoluitur, aut corrumpitur potius, alia parte dulcedinẽ exhibet, alia acrimoniam, alia ſalem. Sal cõmunis cum abſtracta eſt *ſalſeiſtas*, relinquit Cryſtallos terreos dulces.

Saporis an a ſale.

Nota quod Paracelſus. alcali neget eſſe ſalẽ c. 4. de ſale to. 7.

T 4 Indicio

Sal per se nō est nisi sal-sus.

Indicio hæc sunt ***non sal principium, sed sal corpus compositū diuersas sapores habere.*** Ita cum tua coqua vult ius condire vt sapiat Zingiber, vel sacharum, vel acetum, vel crocum & alia, num id per salem consequitur? Turpe est sapientiores esse culinas spagiria vestra.

Galenicorū Humores.

14. Iam Galenici in scenam producuntur. Quid isti? Hermes ait: ***Galenici salia vocant humores, accusantes domum pro domino.***) Nescis quid reprehendas. Cum sal peccat in corpore humano, non siccus peccat, sed resolutus in liquorem crassum, tenuem, aut alia consistentia, & totum vocatur humor, vnde ***salsum phlegma, dulcem sanguinem, amaram bilem flauam, acidam melancholiam, dulcem pituitam, æruginosam bilem, salsum serum, acrem, mordacem, & pungentem aquam articularem, &c. nominamus.*** Cum salsi humores vlcera excitant, *Crollius* ait per sales excitari, & per sales, non siccas, sed resolutos, curanda esse. Quid est *vrina?* Est ***sal expressum à mercurialibus, &c.*** Nil aliud. Quis autem vel ex plebe hoc crediderit? Destilla vrinam. Videbis partes eius. Dic ***Paracelse: Vrina tantum est sal cruoris, seu solummodo est sal de naturali sale, quod sociatur nutrimentali sali, &c.*** cap. 4. de sale, tomo. 7. Quod est ***gluten album*** (Gliedwasser?) Est ***sal lucidissimum, &c.*** lib. 1. de tartaro, cap. 2. tract. 4. Tract. 1. de pestilitate tom. 3. *Vrina nihil aliud est quam sal petræ* (ex sulphure & sale, modo plus sulphuris, modo plus salis habens) ***vrina est sal resolutum generatum in Hepate, &c.*** Tract. 1. de tartaro lib. 11. c. 2. ***Crollij*** definitio est lib. 1. de tartaro cap. 3. in expositione, tract. 3. ***vrina est sal superfluum;*** c. 2. de tribus primis essentiis. ***Balsamus est sal nobilissimum:*** lib. de tribus primis c. 8. Ita de aliis. Paracelsus sanguinem, phlegma, & similes humores naturaliter se habentes, vocat ***naturales:*** cum sale, alumine, vitriolo, & similibus vitiantur, appellat ***minerales,*** & interdum nominibus ipsorum mineralium. Si peccatum est pro sale dicere humorem salsum, etiam peccauit *Paracelsus.* Si flagitium est asscribere læsionem vni parti compositionis, quæ tribui debebat toti, etiam *Paracelsus* est flagitiosus, qui salem accusat solum cum deberet & humorem. Quis autem Galenicorum nomine humoris peccantis tantum continentem liquorem intellexit? An tu nescis quid *Humoris* termino accipiant? ***Debuissent salem dicere: salsum humorem nuncupant,*** ô peccatum grande, si cum *Paracelso* humorem mineralem ex resoluto sale vocant eodem sensu quo phlegma salsum, vrinam salsam, &c. Quid enim tum postea si *Paracelsus* varie vtitur vocabulis, & similitudinibus ludit pro arbitratu? Dum ***pro sale nominant humorem salsum,*** num domum pro domino, vel hospitium pro hospite accusant? Cum humor salsus scabiem & vlcera excitat, atque ob id præternaturalis, & vitiosus esse censetur, num iniuriam ei faciunt? At erat sal resolutus, & mistus aliis excrementitiis succis: Erat vndosum corpus Paracelsi. Nimirum peccatores sunt Galenistæ; Paracelsistæ eodem luto lutati sunt puri. Disce etiam humorem illum, in quo est tinctura salsa, vel sal resolutus præternaturalis, corruptum & præternaturalem esse, & sic hospitem malum cum suo hospitio ex patria corporis nostri, & ciuitate in exilium mittendum esse. Idem iudica de aliis à naturali statu deiectis. Quorsum quæso nobis phlegma deprauatum in corpore, si sal separetur? An autem tu potes salem tollere, & phlegma relinquere? Vtinam sic posses sanguinem purgare in lepra, scabie, & similibus morbis. Cum nitrea pituita excitat tormina in intestinis, non debemus vitrum dicere: Humorem oculorum, qui est primarium visus organum, *Crystallum* aliqui modificate vocant, at rectius est similitudinem exprimere voce denominatiua, sicut ***corneam tunicam*** appellamus, non ***cornu, vueam,*** non ***vuam, &c.*** Si pro æruginoso humore, salso phlegmate & similibus dicendum est ærugo, sal, vitriolum, arsenicum, Mercurius, &c. quia hæc nomina essentiam declarant, num tu possis ista mineralia ex humoribus elicere, & oculis ostendere? Salem ex vrina quidem feceris, & ex aliis per incinerationem: at vbi reliqua? Nec tota vrina sal est. Deinde non ipsæ essentiæ ***aluminis, æris, chalcanthi, &c.*** insunt, sed tantū ***spirituales tinctura,*** quæ possunt esse salis, arsenici, Mercurij; sed ***non sunt sales, arsenicum Mercurius:*** Et quia humores tincti sunt eiusmodi qualitatibus, aut analogia saltem, vel similitudine respondent, optimo iure dicimus ***salsos, æruginosos, aluminosos, &c.*** Sicut tua coqua ius salsum, cereuisiam amaram, facchar dulce, non sal, amarorem, vel absinthium, vel facchar, mel, & sic de cæteris. Idem mos est metallicis. Argentum enim in quo aurum est non aurum vocant, sed auratum; æs in quo argentum, ærosum: aquam quæ vitriolum defert non vitriolum, sed atramentosam; chalcanthosam; vitriolatam, &c. Sic vulgus loquitur. Cum vinum, aut alius liquor super ære, vel in æreis vasis stando virus contraxit, non dicunt æs est, sed ærascit, seu æruginem sapit. Ita iudicamus aquas minerales, quas nemo æs, ferrum, aurum, salem, &c. appellat: nemo bitumen, sulphur, arsenicum: sed omnes similitudinem, aut qualitatem exprimunt denominatiuis. Solis Paracelsistis licet impune stultis esse quanquam sapientissimi videri velint. Sed abutor tempore, & otio in tuis deliramentis censendis.

Vrina.

Paracels. tom. 6. lib. 3. archid. de separ. Elem. ex vndosis, vbi omnis succos resolutos in 4. El. redigit.

Paracelsus duplex humorista.

SECTIO XXXII.

De calculi generatione, & lapidifactione digressio.

De efficiente & materiali calculorum causa.

CVm descriptione salis inciderit mentio duritiei Crystalli, adamantis, ossium, &c. obiter dictum nonnihil est etiam ***de calculis*** in animalium corporibus, maximæq; in cauitatibus ***renum, vesica*** & aliis, quanquam etiam in ipsis substantiis renum, epatis, pulmonis, &c. inueniantur, & totum aliquando corpus Embryonis in vtero matris sit lapidifactum, nascentibus. Quia vero plena est dissensionum, aut saltem videtur esse ista materia, seu argumentum, adeo vt nec dogmatici inter se conueniant, nec his astipulentur Paracelsici; demus aliquid huic contemplationi. Plæriq; hoc principio vtuntur: ***Quæ causa in macrocosmo gignit in humore lapides, ea, & in minore mundo, siue prorsus eadem sit, siue analoga.***

Exempli causa: Multæ sunt specus, & cauitates terrarum in quibus destillans humor in lapides densatur adeo vt non tantum stiriarum instar pendeant, sed & columnarum modo ima summis iungant. Editi sunt historici tractatus plures, vt superuacaneum sit velle historias speciales enarrare. Vnicam saltem ex mirabilibus *Aristotelis* producamus. *Ad Lydiæ metalla apud Pergamum bello exorto opifices confugerant. Sed obstructo orificio in illis consumti sunt, tandemq; inuentum & ossa eorum lapidifacta fuisse, & vasa, in quibus item humor in lapides conuersus fuerat.* Accidit alicubi etiam Gallinam *ouis insidentem*, occupatam spiritu gorganeo, aut succis talibus, idem passam fuisse. Narrant terræmotibus aliquando factis *spiritum ex rupta terra prodeuntem, in saxa vertisse quicquid animalium comprehenderet*, vt accidit *vxori Lothi* Deo natura ad similem effectum vtente. Si omnia perscruteris aut humor est, qui lapides facit, aut spiritus. Si est humor, aut mucum quendam, potentia lapidem, secum fert, aut calces, farinas, ramenta, &c. ex resolutis terris, vel lapidibus: aut succos minerales marmoreos, silignos, gemmeos, metallicos, salsos, æruginosos, chalcanthosos, sulphureos, bitumineos, &c. qui misti sunt sabulo, calce argilla, luto, & similibus ramentis, estque aluminis, & marmoris, vel margæ corpus putrefactum, vel corrosum ad eiusmodi generationes admodum opportunum, vt & gypsum siue corrosum acribus liquoribus, siue pyris subterraneis calcinatum. Ita de alabastro, alabastrite, calcoso lapide, & similibus iudicandum, qui succi sæpe attracti cum alimento à plantis nonnunquam radices, & cortices, aliasque earum partes in lapides vertunt, aut saltem duriores efficiunt. *Lapidifacta.* *Circa Villacum Carinthia.*

Quædam etiam talibus aluntur, vt coralia. In mari rubro sane lapidifactio huiusmodi crebra esse dicitur, habetque nitrum, & halinitrum non paruum ad eam rem momentum, si cum humore attrahatur (nam syncera ista occidunt viuentia) estque in cellis gypso, & calce iunctis sæpe concretio istiusmodi obuia. Arte quoq; nonnullæ fiunt, vt cum muria coquitur, aut aquæ minerales balneorum causa, quod notatur & in therothermis naturalibus. Loca quoque ipsa, & natura terrarum ad eam rem aliquid conferunt, sicut & ad aliorum generationes. Si est spiritus: aut corpulentior est, aut subtilior. Ille materia simul potest esse, vt videmus in artificiosis sublimationibus salium, marcasitharum, &c. Hic magis habet causæ efficientis, congelantisque rationem, vbi tamen id quod afficitur necesse est dispositum esse ad lapidifactionem, aut congelationem accipiendam. In nubibus fiunt ex materia bituminea, & sulphurea, trahente, vehementeq; resolutiones calcosas, lapides fulminei, quos solidari non calore, & frigore tantum, sed & spiritibus halinitrosis gelantibus censemus, cum constet fulminum vi etiam *vina in doliis gelascere*. Adduximus supra etiam viatorum per *Cilicensia* montana gelationes, quas qui effugerunt, retulerunt maximum frigus se circa ventriculũ, & vitales partes percepisse; Et verisimile est montes istos, aut oppositos vnde spirant halitus, *halinitro, nitro, alumine, argento viuo, &c.* prægnantes esse. Plura ex maiore mundo nolumus afferre. Si vel eadẽ fiunt in minore mundo, vel analoga, facile est causam efficientẽ, & materialem inuenire, quanquam diuersis nominibus appellentur. Nam materialis erit resolutio terrea similis marmoreæ, calcosæ, tophaceæ, margosæ, gypseæ, &c. Ad eam plus minus concurrent nitrosæ, aluminosæ, sulphureæ, bitumineæ, &c. quæ aquis dilutæ limositatem, mucositatem, & similes consistentias præbebunt, & aquis vel dilapsis, vel resolutis, absumtisq; sedimenta facient in cauitatibus aut viscididate adhærebunt: alicubi & efflorescent, vt nodi resinosi, & gummata in arboribus, aut gemmæ in lapidibus. Vt autem in magno mundo primæ dispositiones materiarum, & loca multum conferunt, ita & in minore. Sed vnde hæc in homine & bestiis? Aut ab ortu est dispositio partium ad affluctia disposita densandi, membris ex tali semine & sanguine fabricatis, & tale quoque nutrimentum attrahentibus, vel attractũ sic immutantibus: aut à post contingente errore, seu dispositione acquisita. *Nihil fit ex toto.* Fieri ergo potest vt dum membra nascuntur talia, ex talibus, tales reliquiæ quæ lapidifactionis sint susceptiuæ, subsistant: imo & tota lapidescant affectu matrũ, qui excitari potest admiratione statuarum lapidearum ad formã infantium in cunis, quomodo fingi solet natiuitas Dominica, concurrente: Et quia matres alunt cõceptus iam viuos, eisq; materiam suppeditant generationis & nutritionis: ipsæ vero variis illecebris ducuntur, nec raro Pica laborant vorantes cretam, lutum parietum, & fornacũ, lapillos, sales, &c. quid mirum si inde dispositionem, & materiam ad lapides accipiat infans? Non desunt, qui ex calculosis parentibus, vel semen ad calculos disponens conferri ad conceptũ sentiant, vel ramenta ex viis, per quæ transit, deferri, quæ natura vna inuoluat materiæ, & eo locet vbi solet concretio talis naturaliter existere, vnde postea infantũ calculi. Ista ad ortum spectant. Cum iam natus infans alitur, quis neget ex lacte, & cibis potibusq; aliis materiam suppetere, quæ naturæ dispositione, & locis cõspirantibus in lapides cogatur? Mirum tamẽ est vina tartarosa magis gignere œnopotis calculos quam aquas minerales à plebe potas cum tamen eæ sæpe sint satis gypseæ, calcosæ, aluminosæ, marmorosæ, &c. Sunt autem istæ causæ particulares, sicut & lac, caseus, &c. quia & in boum renibus, & aprorum vesicis, & intestinis capsis, ventriculisq; animalium aliorum nascuntur. Sed quæ efficiens? Dixi dispositionem vel à primordiis generationis esse, vel aliquo casu superuenire. Hæc est vna causa. Deinde est alia in ipsa materia quæ in cauitatibus subsistens etiam per se ad lapidẽ tendit paulatim consistendo. Sulphur illa sit, vel bitumen, vel sal, &c. (intellige microcosmica, analogiam habentia cum macrocosmicis) cum calcosa, terrea materia conspirans, ipsa anatomia lapidis indicat. Tertio est aliqua vis loci. Quarto cum elementa non absint, necesse est & vires elementorum non deesse. Videmus in macrocosmo terminari humida siccis, agente calore, vel frigore, alterutro, vel alternis, quanquam frigoris causa in microcosmo locum non habeat (nisi fortasse relatum voces, cum calor insitus, & dominens non facit officium in dispensatione, & natura deserta à spiritu, & calore non potest excutere recrementa) materiæ ratione, Calculi enim tunc ignibus funderentur, non calcinarentur. *Lapides in animalibus.*

In mi-

In microcosmo igitur aliquid debetur calori resoluenti humiditatem. De motu quoq; exiccatiuo aliquid dicendum erat præsertim vbi materia retinetur. Itaq; non otiosi tantum prophasin ad calculum habent, verum etiam laboriosi, meminimusq; vinitores, & agricolas quoq; calculos genuisse. Motum in maiore mundo aliquibus nō deesse, colligunt ex aquis quarum cursus limum auget, & lapidibus fulmineis. Sed id per accidēs est. Nam motus alias disgregat, & deterit, vt apparet in lapidibus prouolutis. Vbi vero materia viscida est, & compingitur impulsu acceditq; exiccans calor, aut alia solidans causa, vt spiritus, aliquid confert motus, vt & in compressione butyri, casei, signatis terris, &c. sic metallici suos focos, & catillos durant.

Calculus etiam laboriosis nascitur.

Imaginatio in aliquibus dicitur accessisse: quod rarum est, & non potest pro certo affimari, nisi in matribus. Paracelsici eam extendunt etiam ad maiorem mundum. Itaq; in collatione non præteritur. Vtrum autem spiritus lapidificus, halinitrosus aut alius, vt in magno, ita & in paruo mundo possit concretiones calculosas, lapideasq; efficere, non est exploratum, & à plerisque tantum pro persuasione ex opinione, & imaginatione habetur. Neque enim omnis causa vniuoce in minore mundo locum habet. Analoga, & æquiuoca quæ possit esse, patebit posterius. Atq; hæc ex comparatione maioris, & minoris mundi. *Obiici potest mineralia & alia maioris mundi lapides in homine vel atterere, vt sabuli instar exeant, vel in mucum resoluere, quod facere aiunt aquā de Petra in Italia* (qualis vis tribuitur semini: *Cachos lapidi nephritico, liquori Chrystalli. & medicamini ex lapidibus Cancrorum. Iudaico, Lyncurio, Spongiæ, LaZuli, Aquilæ, Glaciei Mariæ,* seu gypso pollucido, æqualibus spiritu salis solutis, coagulatis & in liquorem deliquia redactis, totiesq; coagulatis, & solutis vt non amplius redigi in corpus queant, cuius gutta vna ex vino indies datur) vel expellere natura stimulata. Itaq; qui potāt acidulas constantes sale halinitro. alumine, chalcantho, &c. iuuantur. Qui ergo ex nutrimentis, potuq; talium in minore mundo lapides fiant? Dicimus: *Idem in quantum idem & eodem modo se habens non est causa contrarij.* Diuersimode vero affectum vel ipsum, vel materia, aut locus, potest etiam cōtrarium procurare. Ita lapides renales, crudo quoq; modo puluerатos, dant contra calculum, qua tamen materia constiterat. Nostra sententia spiritus tollunt id, quod corpora effecerant cum circumstantiis. Itaq; & multæ metallicæ, tofosæ, gypseæ, aluminosæ, &c. aquæ potæ calculum tollunt potius quam faciunt, quia remedium simul afferunt, & tum sale purgant, tum spiritualiter discutiunt. Hinc Chymici *medicamenta contra calculum* didicerunt *spiritualia facere*, quanquam nō raro effectus respondeat etiam in corporalibus, vt *culionibus, asellis, locustis scorpiis totis, lepore vsto, semine genistæ, rad. ononidis, ligno nephritico glandibus quernis, vitro combusto,* & aliis pene infinitis, quorum magnum numerum *vir doctissimus D. Matthias Vntzerus Halensis sympatriota meus, quem honoris causa nomino, collegit,* & nos in collectaneis nostris plura habemus. Non semper vnum prodest eidem etiam eodem modo datum. Iam quas causas posuerint medici in microcosmo per se, videamus. Primo de materia.

Calculos resoluentia.

De materia calculi. Materia calculorum varie enunciata, nec vnius naturæ vel generis.

1. Quidam dicunt primam, potissimamq; causam esse vrinarum crassitiem respectu vesicæ, in qua cum diutius manet, concrescat, & allapsu similis materiæ augeatur. Declaratur lapidibus Thermarum naturalium. Discernitur ætate. Nam pueris tribuitur *crassior*, disposita ad generandos calculos: senibus *humor crudus.* Quidam volunt materiam crassam, in vaporem resoluta tenuitate lapidem generare: Lactentes à *lacte crasso* natura accipere materiam.

2. Alij enunciant causam materialem *viscido terreo* è quo humidum absumatur: vel *crudā pituita multa:* vel *humoribus viscosis.*

3. Nonnulli distinguunt. Dicunt enim in renibus materiam esse *humorem quemuis remotum, vel propinquum:* illum, vt *cruditatem*, crapulam: hunc, vt materiam *crassam viscosam*, pituitosam, saniem, melancholiam, sanguinem crassum aliis humoribus permistum, pus, &c. Addunt gigni ex *cibus viscosis*, fructibus frigidis, stypticis, repletione post cibum, &c.

4. Aliter: Renes attrahunt serositatem mistam sanguine, & vna *aliquid ex succis crassioribus,* ex quibus *tofi, arenulaq;* quæ hærentes crescunt. Sunt alij in renum carne ex sanguine crassione, pituitosiore, vel atribilario.

5. *Vesicæ calculi* apud plærosque omnes est *crassus & crudus succus* per renes eo translatus, vbi fex sidit: quidam tamen primordium ex calculo renum petunt, quibus alij aduersantur; sed particulariter tantum. Aliqui, sed non omnes ex renibus illabuntur.

6. Quidam sic efferunt: *Limus, grumus, pus, lenta pituita:* quorum hæc tamen facile vesicam transire dicuntur, limo sidente.

7. Interdum sic: *Vesica intus quasi muco obducitur à crudo succo ex vrina;* inde lapis augescit crudis, lentis, limosis. Qui abundant his, & meatus habent angustos magis lapides gignunt, vt & qui diutius vrinam cohibent.

8. Aliter: lapides vesicę non sunt ex arenulis, sed *materia lenta* instar laminarum in cepis agglutinata. Qui è renibus exciderunt intus habent nucleum ex multis arenulis, vel limo copactum. Quidam ab abscessu veniunt fusci, similes ossibus. In colo nascuntur similes vesicalibus. In pulmonibus gignuntur *ex reficcata pituita vel putrefacto succo,* similes grandini. Pisciuori facile fiunt calculosi, & qui vtuntur limosis cibis.

Vide Epist. 10. ad sellam Carolinis VVenceslai Payeri scriptam ab Ernesto Sonero Med. Norimbergico.

9. Historia: *Quædam virgo acum crinalem deglutiuerat.* Ea in vesicam descendit, & humore mucido sensim obducta lapidem contraxit oui gallinacei magnitudine.

10. *Vrina multa, crassa, turbulenta diu exiens sine crisi,* lapidem futurum indicat, cumq; fit tenuis, iam factum arguit. Vomitus bis, terue in mense præseruat.

11. Interdum *materia seminis* ad renes, & vesicam versa lapidem præbet.

12. Historiæ: *Calculosi,* cum purgantur, sæpe multa *mucosa egerunt.* Puer poto decocto quo-

quodam cum vesica obstructa esset calculis, soluta obstructione excreuit arenulas, & materiã pituitosam, glutinosam: in alio limosa, & tenax fecit obstructionẽ. Cum quidam mortuus fuisset retentione vrinæ, *sectus post mortẽ oppletam vesicã muco habuit*. Qui laborant *calculo vesicæ*, corũ vrinæ fœtẽt, sunt valde acres, lixiuij instar, & deponunt sedimentũ farinosum, mucosumq; quod exiccatum, gypsi vel calcis friabilis simile fit. *Puer calculosus* minxit lotium crudũ, subalbidum, arenosumq;, & sabulo simile sedimentum. *In vesica*, si nouus est calculus, & paruus, præcedit mictus crassi, & pituitosi humoris, adeo vt matulæ fundus tali pituita plenus appareat, quæ est materia calculi. Qui calculo sunt obnoxij, mingunt rubras arenas: vel in matula concretiones partim rubras, partim albas lapideas, aut mucidas congerunt. *Lapides resoluti* exeunt instar *muci*, vel *calcis gypseæ*: Interdum & sabuli arenosi specie: Et qui ante calculos genuerunt, anteuersa concretione per medicinas, limositates excernunt. *Vesica calculi.*

13. In pueris cum crassissima lotia in vesicæ amplitudinem inferuntur, ibidem veluti vini fex, & limus aquæ subsistunt. Ex pituita multum viscida & crassa in vesica indurata augmẽtum recipiunt, & corticibus obducuntur.

14. *Heurnij* hæc sunt: Quædam arenulæ ex ardore Hepatis, & venarum sanguinem vrente, exeunt cum vrina, adhærent matulæ, nec sunt tam asperæ quam sabulum ex renibus, & vesica. *In renibus* gignitur calculus ex residentia vrinæ: Item calculi, sabulosa, & putris pituita possunt consociari. *Calculus est glutinosi, & crassi humoris lapidosa in rene vel vesica coagmentatio.* (Nam etiamsi lapides in aliis quoque locis nasci queant, tamen ex consueta medicis disciplina κατ' ἐξοχὴν iste fere solus dicitur calculus.) *In vesica puerorum* calentium imbecilli ex lento & glutinoso succo facilè fit. In senibus cunctando durescit materia. In calculo vesicæ vrinæ lactescunt, & mucus in eis natat, &c. *Heruius de calculo.*

15. *Felix Platerus: Arenulas* intensè *rubras*, & veluti cruentas cum sabulo copioso *in Epate* colligi sectione cognitum est. Inde transmissæ sæpe in renibus subsistunt, & in calculum concrescunt etiam sine carne in sola cute tanquam in marsupio: (caro enim aliquando exceditur) aliquando foris in extima pinguedine. Communis opinio est *causam esse pituitam à calore renum exiccatam & terream factam.* Id autem *Platerus* negat argumentis productis de quibus postea. Ipse ait causam esse *terrenam substantiam* in sero vel aliis humoribus inuentam. Serum concupiens salsum succum, & terrestrem materiam, quæ indies in prima coctione à sale generatur, locis sicclioribus, & angustioribus, quæ peruadit, adhærescit, & se agglutinat, atque ita præbet materiam arenulis & calculis. *Felicis Plateri iudicium. Contra pituitam. Pro terrena substantia.*

Ratio declaratoria sumitur *ex maiore mundo* in quo aqua lutosa sabulum, tofos, stirias gignit: Item, vt in *Thermis*, salsa, nitrosa, atramentosa, &c. Arenulæ etiam substantiæ renum innascuntur rubentes, quæ diutius retentæ in calculos concrescunt, qui vel ibi subsistentes augescunt, vel in vesicam lapsi incrementum sumunt, & quo antiquiores sunt, eò minus rubent. Serum quoq; dum adhuc sanguinem diluit id potest efficere, vt & aliis excrementis, velutibile, &c. mistum; vnde & in Cholidocho, maiore acredine & siccitate acquisita, quasi terrestris & salsa materia etiam illuc repungetur, fiunt calculi. Hæc probantur argumentis. 1. Ita ex sero lacrymali in ciliis arenositates nascuntur. 2. Lapides in vesica squamatim (corticatim) augentur. 3. Talis concretio est in matulis, maximè si acres & salsæ sint vrinæ. 4. Vrina coctione inspissata similia reddit, seu eadem lapidosa. 5. Ita lixiuium lapidescit. (Vtrumq; autem colamentum quoddam est.) Nam acris & salsus succus in sero & vrina permiscetur terrestreitati, efficitq; calculos, & tofos, compingens eum, & ferruminans. 6. Lithocollam suam cementerij eodem modo coquunt ex elimata ferri scobe, succo acri vitrioli, & aceto. Hæc fere de materia *Platerus*. *Contra pituitam* vtitur his argumentis, quæ & apud *Paracelsum*, *Anshelmum* & alios inueniuntur. *Rationes Plateri. Contra pituitam.*

1. Ex pituita exiccata potius fit viscum, & mucus, quã calculus. Neq; enim potest amplius natura vel arte indurari, & lapidescere.

2. *Gypsea materia* in articulis non prodit à pituita: aut si prodit, minime est terrena. Ergo neq; in vesica, & renibus.

3. Nascerentur calculi in ventriculo & cerebro, vbi abunde est pituitæ, potius.

4. Mucosa pituita ad renes vix peruenit: aut si peruenit, non subsistit tam diu.

5. Causa est terrena substantia. *Pituita non est substantia terrena.*

6. Vt in *macrocosmo* (aliis verbis mentem reddo) fiunt lapideæ concretiones, ita & in *microcosmo*. At ibi non ex pituitæ simili humore. Neq; hic ergo.

7. Ars lapidea ferrumina ex nulla pituita confecerit.

8. Renum calor adeo exiccare pituitam & adurere, vt velut in cineres redigatur, nõ potest. Comparantur autem cineri ramenta illa ex quibus calculus coit. Vide Paracels. lib. 1. de Tartaro tract. 1. cap. 1. & explicationem eius vbi contra *Hippocratem*, & alios dicit lapillos ex *coagulato phlegmate* fieri non posse, quia fierent etiam in *naso*: quia phlegma non possit generare calculos, qui sunt ex *humore minerali lapidositatem cõtinente*: phlegma vero sit naturalis humor expers lapidositatis: quia si phlegma esset lapideum etiam omnes podagrici in pedũ articulis haberent lapillos: quia lapilli & arenæ sunt *Tartarus* quidam. Omnia quæ terra producit sunt lapillosa. Quæ edimus, & bibimus habent in se *mucillaginosum, luteum, & lapideum*. Id à stomacho debili acceptum Hepar forte ad renes mittit cum vrina, vbi si non fit bona separatio, mucillaginosum, & lapideum remanet, & coagulatur in arenam, quod voco *Tartarum*. Ideo phlegma non est causa, quia non transit ad naturam lapideam, &c. Hæc Paracelsici postea ampliarunt. *Seuerinus* dicit semina morbi & morborum consistere in impuritatibus *arsenicalibus sulphureis, vitriolatis, ærugineis, mercurialibus:* vel *Paracelsicus. Humor mineralis lapidosus. Tartarus. Modus generationis. Seuerini sententia.*

Magnus est error dicentium corpora ex corporibus solum fieri, inquit Seuerinus.

vel articosis spinosis, napellosis, inflammatilibus, &c. quasi ex trium classium mineralium, vegetab. animal. impuritatibus: quas in ventriculis vocat *mucilagines tartareas* ex spiritibus aluminosis (*spiritus enim mutat in corpora*) vitriolatis, cachimialibus, volaribus bituminosis, arenosis, membranosis, &c. ex quibus & colicas, & podagras extruit: Bilem, phlegma, &c. vt imaginaria, reiicit: *qualitates primas vmbras* rerum vocat, & explodit.

Crollii Paracelsica. Tartarus quid.

Crollius Paracelsici verba repetit, & Seuerinianis miscet. Si Hepar non recte separat, inquit, mittit mucillaginosum & calculosum ad renes. Ibi in defectu bonæ separationis ex potentia prædestinationis mediante *spiritu salis*, quando spiritus salis, carnis, & vrinæ vniuntur, coagulatur in arenam seu tartarum aut bolarem, aut mucillaginosum. *Tartarus est excrementum cibi & potus, qui in homine per spiritum salis coagulatur,* nisi egeratur cum excrementis: vnde calculus vesicæ, arena renum, bolus stomachi, &c. Est & mucillago salis ex alimentis mucillaginosæ impuritatis: Est ex terra crescentibus: ex aquæ nutrimento: ex carne quadrupedum; *ex firmamento*, quæ se in vrina manifestant. Spiritus salis offendens materiam resolutam, seu separatam à nutrimento & excremento generat calculum. Hæc **Crollius**, qui & *Podagram* gignit congelatione glutinis per spiritum salis.

Quercetani disputatio. Humor Paracelsica alius ab humore medicorum dogmaticorũ.

Quercetanus in consilio de arthritide & calculo dogmaticorum, & Hermeticorum sententias confert, & iudicat: Statuit suam: *reiicit Galenicam*, sed miro artificio. Nam & *humorem, & humoris sedimentum aliter accipit quam Galenici*, atque his fundamentis contra eos disputat. Quid ergo humor est Paracelsicis? Respondet: nihil aliud quam *substantia tenuis, liquida, & aquea, corpus fluidum, ὁμοιομερὲς, alieno termino circumscriptum, quod totam à calore exhalet, & nihil contineat solidæ, terrestrisve substantiæ.* Huic definitioni tantum tribuere eos scribit vt inde fundamentum sumant nullitatis sententiæ dogmaticorum, quod sic sumtus humor non possit esse causa compactionis alicuius corporis solidi. Hoc artificium contra Hippocraticos disputandi notandum est.

2. Hypothesis est, multa corpora solida omnino terrestris, & arenosæ substantiæ reperiri, quæ licet post humoris consumtionem residua sint, tamen nec cum eo commista fuerint, nec largi quoq; sumti humoris appellationem mereri queant. Sensus est: *Illa quæ corpulenta in humoribus sunt, non pertinent ad eorum substantiam.* Itaq; non referenda sunt ad humores, sed ita de eis differendum sicut de aqua, & glacea, vel lapidibus in aqua. (Salia quidem aliqui solui aquis confitentur, sed negant de essentia aquarum esse, cum tantum in eis lateant.) Id tantum de humoris natura & essentia est, quod humido mixtum perfecte cum eo coit, & fit corpus vnum.

3. Si nihil per dissolutionem cum aqua sic potest misceri præter salem: & quod cõmistum aquæ est calculi materia est: necesse est humorẽ quem crassum appellant, *de salis natura* participare.

Sal Paracelsistarum.

4. Quid intelligunt nomine salis? Sal marinum, mannam, mel, sacharum, sal gemmæ, sal nitri amarum: alumen austerũ, & astringens: vitriolum, & armoniacum acerba, acida: albali, corrosiua, acria, &c. *Sal dissolutus* à dogmaticis vocatur *pituita salsa*. Est enim humor salsus. Bilis amara & vrina amarus & nitrosus sal in humore est: Pituita acida, sal acidus vitriolatus: Idem de melancholia.

5. Salsuginosa illa substantia semper admixtam habet aliquam *portionem terrestrem* prædominante liquefactiua. vocatur *Tartarum.*

Tartarum.

6. Quid Tartarum? 1. *Fex musti & vini:* 2. accretio doliorum lapidea. 3. potissimum id quod perpetuo liquefactum vino admistum est, quod liquore per lene balneum abstracto remanet. Substantia est solida, tantoq; durior & siccior redditur, quo plus substantifici humidi per calorem elicueris. Id in vino & quouis alio defruto, item in corporis nostri liquoribus seu humoribus existit: vt in Chylo, sanguine etiam purissimo.

7. Partibus humoralibus consumtis, *ex reliquiis Tartareis dogmatici putant calculos generari,* præsertim in cruditatibus, & mucositatibus. Hanc materiam cum expellere non possint partes, nec digerere: de natura salsa & viscida existens coagulatur.

Humores Hermeticorum.

8. Fatentur ergo Hermetici in corpore nostro esse humores. Quos? *Frigidos, insipidos, inere pituitosos, acetosos, amaros, salsos, retorridos & similes.*

9. Vbi ergo discrepant? Generationis modo, & naturæ æstimatione, vt dictum est. Hæc *Quercetanus* etiam copiosius declarat, auspicatus à praua victus ratione ciborum crassorum; viscidorum, crudorum, vt casei, leguminum, fructuum horariorum, inordinationis in victu, &c. Subtili enim parte consumta in renibus, ad quos delatus humor est, crassa & viscosa siccatur; & cogitur in lapidem, quod & in vesica fit tartareo simul illabente. Probatur matularũ tofis, vini tartaro, & succorum aliorum. Omnino *Quercetanus mediatorem* agere cupit. Itaq; prudẽter admodũ vtitur phrasibus. Medicorum dogmaticorum sententiam etiam oppugnat *Anshelmus* in Gemmarij lib. 2. c. 32. *Medicos fere omnes decipi ait in materiali calculi causa:* Ratio: quia remotioribus tantum intẽti, veras, & proximas calculi causas omittant: ponant autem lentam, & viscidam materiam, quæ à calore renum cocta induretur. Hac posita causa, negat eos respondere posse ad quæstiones. 1. vnde manet ille lentor materiæ, 2. quibus constet partibus, 3. an quiuis lentor in lapidẽ mutetur; 4. Quare lapidescat. 5. cur non in naribus, & intestinis gignatur calculus non deficiente ibi calore, & materia copiosa: 6. Si viscida & cruda materia cum calore gigneret calculũ, iuuenes, & pueros oporteret calculosos esse, non autẽ senes, qui sunt frigidi. Atqui hi calculis magis laborant. Friuole hic dicit responderi per distinctionẽ caloris naturalis in iunioribus calculum non facietis, & preternaturalis, à quo fiat in senibus. Ratio: quia & iuniores sæpe renum calida intemperie citra calculum afficiantur: 2. Lotia in frigido seruata citius lapidescãt seruatis in calido. *Calorem* ergo siue naturalem, siue præternaturalem *calculi causam veram & proximam non esse.* 3. Si calor gigneret calculum, non minus in vesica quam matula concresceret, præsertim illis quibus statim emicta vrina densatur si tamdiu retinerent eam, quamdiu in matulis, donec cogatur, seruatur.

Anshelmi cõtrouersia.

Calculus an à calore.

7. Si

7. Si viscida materia esset calculi caussa, quælibet in lapidem concresceret à calore. Atqui hoc falsum esse experientia ostendit. Quid ergo statuit *Anshelmus*? De efficiente paulo infra dicetur: *Materiam calculi humani esse putat* HVMOREM *superfluum ab alimento separatum, constantem ex aqua simplici elementali, & terrestri materia, quæ vel crassa sit & difficulter liquabilis, luti vel boli instar: vel tenuis & facile liquabilis, vt quæ salis naturam habet*, cuiusmodi est, quæ alumen, sal commune, nitrum, vitriolum, armeniacum, tartarum, &c. refert, vt sic *humor calculosus constet ex aqua, sale, & terra*, & tunc in calculum abeat, quando per emunctoria ordinaria non expellitur, humido aqueo vel ex toto, vel ex parte secedente; sale vero lutosam terrestreitatem complectente, & vnà in lapidem etiam in ipsa aqua, si sit modica, consistente. *Terrestrem materiam & sal ex alimentis esse dicit*, non generari in homine: concrescere partem excrementitiam in renibus non à magno, sed *imbecillo calore*, quia magnus potius impediat vt in iunioribus. Ratio: Quia emissæ vrinæ non cum calent, sed cum refrixerunt, coguntur. 2. id proprium est omni salis generi, quod, postquam crystallos iam fecit in liquore, si calefiat, soluatur. Causæ ergo iam sunt 1. Concoctricis & expultricis imbecillitas: 2. Renum frigida intéperies. 3. Copia terrestris materiæ. 4. Copia ꝓportionati salis in humore soluti. Sal & terrestris materia mediante humido iungunt & glutinant. Inde fit TARTARVM dictũ. Obiectio: *At glutinatio fit à viscida materia.* Resp. Non. Ratio: si talis adesset, calculi generationẽ impediret. *Viscidum enim in aqua non abit in calculum*, ne foris quidem. Aqua soluit, non cogit gluten, maxime si sit calida. Non deest autem aqua nec renibus, nec vesicæ. 2. *Sal* in calculo glutinis vices obit. Non ergo materia viscida. Antecedens declaratur: quia humoris beneficio sibi commissam terrestreitatem, absumta superflua humiditate, secum indurat, non aliter quam si lutum optime aqua diluas, & frigori exponas. Aqua congelascens luto inducit lapidis formam, modo aqua non excedat. Ita crystallescit sal in liquore. Obiectio: *Caseus viscidus lentusq; calculo materiam præbet. Ergo calculus est à materia viscida.* Resp. Nego sequi. Caseus enim terrestreitate calculi ficus est, non visciditate, quæ à salis acrimonia consumitur. Declaratur musto & vino: Tartarus non fit in musto viscido, sed in vino defecato. Obiectio: *Argilla tenax calore figulorum in testas lapideas abit. Visciditas ergo caussa lapidifactionis.* Resp. Non sequitur. Imo ignis id vnde lutum erat tenax ante lapidifactionem tollit, nempe aquositatem. (Addo: Figuli antequam igni vasa committant, exiccant, adeo vt friabilia fiant, possintque testæ crudæ arefactæ in puluerem comminui. Idem fit æstate in viis regiis vi calentis solis.) Fictilia cocta lapidescunt *igne ex suo alimento inferente oleosum humidum, spiritus salsos & sulphureos, exhalationes siccas & terrestres* portiones, quæ etiam sunt in fuligine caminaria. 2. Etiam sine his argilla vel lutum proprii salis vi ab intenso calore lapidescit. Ergone adhuc CALOR habet rationem efficientis? Habet tanquam communis quædam caussa efficiens, & sine qua non. Quando? Cum aptam materiam ad lapidescendum, quæ sibi internam caussam annexam habet, nanciscitur. Solum autem non habere vim lapidifactiuam sic probatur: *Si vel sal tollatur, vel nihil ab ignis flamma solidans inferatur, nullus fit lapis.* Argumento est cinis elutus, cucurbitæ inclusus, & igne subiecto exhaustus humore. Hic non lapidescit, sed dissolutus manet: quia salem non habet, nec à flamma gluten potest accipere. Relinque salem: lapidescet. Collectio sententiæ: Caussæ calculi sunt: 1. *Materia* disposita: 2. *Efficiens internum* siue naturaliter intus existat, vt sal: siue foris inferatur. 3. *Efficiens externum* calor, à quo principium saltem motus, non autem lapidifactio: quia in corpore humano nunquam potest tantus calor esse, vt ex lutosa materia coquat lapidem, cum nunquam desit humor. 4. *Formalis caussa*, occulta partis, in qua fit calculus ad generandum lapidem dispositio. Hæc est summa argumentorum *Anshelmi*, quæ ex magno & paruo mundo repetitis rationibus multa cogitatu digna suppeditant. Cæterum qui plurium autorum sententias cognoscere cupit, in vnum quasi fasciculum collectas & iudicatas, is legere potest vtilissimum FLORILEGIVM Medicochymicum CL. Viri D. MATTHIÆ VNTZERI in Salinis Saxonicis Medici ordinarii de Renum calculo anno superiore Halæ Saxonum publicatum. Studet is Medicorum dogmaticorum, qui rem paulo accuratius perpensum magis proprie enunciarunt, sententiam cum Paracelsicorum iudicio conciliare, quod & *Quercetanus* quærebat. Itaque probat *Felicis Plateri* expositionem, & pro materia agnoscit *humores tartareos, mucillaginosos, cum variis salium* (succorum salis modo concretilium) *speciebus*, præsente aliquando, & *pinguedine viscosa.* Proinde autem est siue tartarum voces sale suo, & terrestreitate constantem, siue substantiam, & mucillaginem tartaream ex alimentorum excrementitiis reliquiis præter naturam in corpore retentis natam, & adhærentem glutinositate, quæ sensim exiccetur, & superueniente salis spiritu, quem tartarum istud ob naturalem suam visciditatem facile suscipiat, & in se recondat in perfectum calculum coaguletur. Argumenta, quibus contra humorem crassum frigidum seu pituitam viscidam, & lentam pugnat, sunt fere ea quæ superius ex *Platero* & aliis sunt producta, vt 1. Multi pituitosi pituitosas vrinas mingunt; at calculo vacant. 2. Quidam calculosi sunt, at non pituitosi. 3. Pueri voraces, crudorum copia, & pituita abundantes senibus deberent esse calculosiores. 4. Visciditas à calido humido soluitur in fluidam substantiam potius quam cogitur. Ita immoderatus calor dissoluit, non coagulat pituitam. 5. Leucophlegmatici (adde virgines alba patientes) deberent esse calculosi, cum non desit calor assatiuus. 6. Si pituita esset caussa, ex bile in cholidocho, melancholica terrestreitate, sanguine vsto, puro, &c. non generarentur calculi. 7. In maiore mundo lapides non fiunt ex muco viscido. 8. Non naturalis, sed mineralis humor, & vis lapides facit. Phlegma est naturalis humor: quod est argumentum etiam Paracelsi. Hæc de caussa materiali. *Efficiens* non minus est in controuersia. 1. Sunt qui *frigus* coagulationes materiæ calculosæ statuant. Horum iudicio calor impedire debet calculum, aut etiam soluere. Sed non potest hoc catholicum & simplex esse. Determinandum ergo frigus est, & relatio eius explicanda; veluti si caussa antecedens respiciatur, vt cruditas, & coctionis defectus, vnde oriuntur humores viscidi, qui sæpe in

Materia calculi iuxta Anshelmũ.

Imbecillus calor in calculo.

Sal glutinat calculos in aqua.

Caseus qui faciat calculum.

Fictilia.

Calor qui efficiat calculum.

Summa sententia de calculo.

Florilegium Vntzeri.

Contra pituitã viscidam.

De caussa efficiente.

Pro frigore. ventriculo tanta copia colliguntur, vt vomitu abunde reddantur. Hi ſi aliquo principio putrefactiuo incidente perdita glutinoſitate gypſei euadunt, & ſalſugine acuta miſceantur, nõ abſurda ſunt calculi cauſſa tam in pueris voracib. q̃ ſenib. vel adultiorib. cacochymicis pituitoſis. Ita frigus plures rationes accipit. Prima eſt in cruditate materiæ, vel inuicta & incoctili per ſe natura. 2. in defectu caloris partiũ concoquentiũ, nõ totaliter, ſed proportionaliter. 3. Quod ſi res fuit coctilis, at coqui non potuit aliquo errore, ſuperueniatque putredo, vt in febribus phlegmaticis, tunc internus ſeu inſitus materiæ calor perit ſuccedente frigore, vt Ariſt. de ſua putredine diſſerit. Interim externus calor dominari poteſt, & diſpoſitam materiam in partibus determinatis concluſam aut hærentem indurare. Hæret autem: quia naturalis calor & ſpiritus non ſufficit ad naturam excretricem iuuandam, nec ſunt liquores ad detergendum commodi, & quæ alia concurrunt. Quarta ergo ratio frigoris eſt & circa excernentes partes. Quinta accedere poteſt ex refrigeratione neruorum, muſculorum, & aliorum, quæ excernendi conatum iuuant, præſertim ſi inſenſilitas concurrat, vt in his, qui lumborum imbecillitate laborant. Sed vndecunque ſit frigus, qui hanc cauſſam adduxerunt ad particularia, & naturam humoris pituitoſi reſpexerunt.

Pro calore. II. Alii calorem proponunt, non quemuis, ſed determinatum, vt reſpondeat materiæ, & loco affecto, qui etſi per ſe præternaturalis non ſit, præternaturalem tamen effectum habere poteſt in tali materia, tali loco, tempore, perſona, &c. Hunc exſiccatiuum eſſe neceſſe eſt, quod nec Paracelſici negauerint, qui ſciunt balſamum humidi radicalis exhauriri à calore. Aliquã & motus adiuuat. Verum & hæc cauſſa eiuſmodi eſt, vt non poſſit ſimpliciter & catholice poni. Itaque ſi velis contra eam argumentum à calidæ conſtitutionis ætate, morbo, & aliis, nihil profeceris. Iſtæ cauſſæ ſuos effectus producunt certis diſpoſitionibus, ſi cæteræ ſint paria. Quocirca de aſſante, intemperato, & aliis dicendum eſt non ſine limitatione debita.

Pro ſiccitate. III. Nonnulli ſiccitatem amplecti malunt: ſed non ſine calore ſeu intus agente, ſeu foris admiſſo. *Quidam ex vacca mactata extraxerat cyſtin cholidochon plenam calculis.* Suſpenderat in camera vapida. Iuſſus exhibere conſpiciendos. *Reſoluti erant in ſuccum,* ſicut ſales ſolent, aut quæ calces ſalium naturam habent in cellis frigidis humidis, aut etiam calidis humidis vaporibus, balneo, &c. ſales non coagulant ſine ſiccitate interna vel externa. *Quod autem producuntur cryſtallinæ concretiones in humore, id fallaciam habet accidentis.* Notum enim eſt diluta eouſq; coqui, aut diuaporari donec conſiſtere incipiant. Sic nitrariæ nitrum ſole feruente reddunt, ſic ſal marinus concreſcit, ſic petrarum aſpergines & flores ſalis pruinoſi. Quo magis diſſipatur humor, eo firmiores & lapidoſiores fiunt concreti ſucci ſalſi, adeo vt nitrum, & ſalis communis ſedimentum etiam plane in lapidem vertatur, quod cortinæ teſtantur. Quo plus relinquis humiditatis in halinitro, alumine, vitriolo, &c. eo imbecillior fit concretio, ſemperq; aliquid aquoſitatis vnà cõprehenditur, quod poſtea locis ſiccis vberius eſt diſſoluendum. Præterea ſiccitas conſideratur etiam in mẽbro ipſo, in quo lapis primum conſiſtit; Item in conſiſtentiæ primordio arenoſo. Sicut *dentibus ſordes ciborum adhærentes exiccantur, & in tofum mutantur,* ita affluens materia diſpoſita ad principia lapidũ in eis lapideſcit. Quod ſi renes ſint terrenæ conſtitutionis, (nã ſiccitatem non q̃ uis, ſed terream, non ſimplicis & frigidæ terræ, ſed & ſulphureæ bituminoſæ, marmoreæ, margoſæ, cinereæ, &c. intelligendum eſt) facilius lapideſcit alluuio ſubſiſtens. Sæpe concurrunt plura, alicubi & parua diſpoſitio, & cauſa vna

Qual. 1. elẽ. ſatis eſt. Hoc tenendum eſt, quantum attinet ad *qualitates primas elementares* eas ſolas non eſſe calculi efficientem cauſſam: neq; tamen ideo negandas eſſe ſiue à dogmaticis ſiue à Paracelſicis, quia in

Calumnia in Medicos dogmaticos. *materia, generationeq; calculi nec elementa abeſſe poſſunt, nec elementorum proprietates.* Qui contra SOLAS pugnat, cũ laruis luctatur. *Nullus, n. rationalis medicus ſolus adæquatam cauſſã poſuiſſe exiſtimandus eſt,* licet verba quodammodo ſic ſonent. Non tantum verum eſt, quod 4. met. 1. Ariſt. ſcribit: *Ex humidis & ſiccis facta ſunt putreſcentia, & terminatum humidum ſicco operantib. actiuis* & 2. Gen. an. 1. *Dura, mollia, lenta, rigida, & quicunq; alii affectus partib. inſunt animatis à caliditate, frigiditateue effici poſſunt.* Sed & hoc quod 3. Gen. an. 11. ſcribit: *In mari multum portionis terrenæ eſt. Quocirca ex tali concretione natura teſtati generis oritur, ita vt pars terrena circiter dureſcat, cogaturq; eodem modo, quo oſſa & cornua: corpus intus contineatur, &c.* Si quis adeo ſimplex eſt, vt illas qualitates in quouis corpore lapideã coactionẽ excitare

Conſtitutio ſingularis calculoſa. poſſe putet, is ad anticyras eſt ablegandus. IV. Alia efficiẽs cauſſa dicit̃ eſſe *renum ab ortu lapidifica conſtitutio.* Vnũquodq; membrũ ex cõmuni attrahit familiare nutrimentũ, q̃ in ſui naturã conuertere cupit. In nutrimento aũt cõmuni omnis generis ſucci, p toto alendo ex diuina prouidẽtia continent̃ ἐν δυνάμει. Id teſtat̃ & natura macrocoſmica. Mare ſalſedine, & terreſtreitate plenũ, & q. lutũ eſt. At ſuccus à coraliis attractus ſolus lapideſcit in eis, non in herbis, ſpongiis, & aliis marinis non diſpoſitis. Ita de piſcium & cruſtatorum, & c. membris. Ita de aſtacis, fluuiatilibuſq; cancris. Lapideſcit in his ſuccus, qui non in aliis aquaticis. Nemo ſortitus eſt à natura lapideos renes, veſicas, & alia membra, in quib. lapides coaleſcunt (cerebrum, cor, epar, pulmones, cholidochon, ventriculum, inteſtina, &c.) & cũ *protoplaſti* talem conſtitutionem non habuerint, genuerintq; ſui ſimiles, vnde ergo illa diſpoſitio? Cauſſæ ſunt acceſſoriæ multiplices. Non parum locorum nutrimenta ad eam rem faciunt, poteſtq; euenire etiam *Gorgonea affectio* ſpecialis. Vnde *primus homo niger?* Vnde *Eſau hirſutus?* Nigri natura gignunt nigros; at non ille hirſut⁹ hirſutos. Sæpe *matrum* ſunt *affectiones* eiuſmodi. Sed nõ inſtituim̃ hĩc de his exactam diſputationẽ. Cauſſam hanc quoq; particularẽ eſſe putamus, & nõ cõuenire omnib.

Efficiens inſita materia. V. Alii quærunt *efficientem in materia ipſa quæ calculeſcit.* Si diſpoſitionem & potentiam intelligunt, cauſſam impropriè efficientem vocant. Eſt. n. potius paſſio quædam, atq; ita materialis affectio. Solemus multa comedere & bibere: ſed non omnia euadunt in calculum, etiamſi diſpoſita ſint ad lapidis naturã. Bibunt aquæ minerales, aluminoſæ, gypſeæ tẽperatæ, ſalſæ, &c. at hæ poti⁹ calculũ detergent & diſſipãt. De nitroſis id certũ eſt. Quis quæſo calculũ accepit ab aquis q̃ coctæ lapides in cortinis relinquũt? Bibunt Bernheimẽſes, Roteb. Gõpping. Macro-balbac. Carolinæ, Caſimirianæ.

Ego ignoro hiſtoriam alicuius, qui inde calculum contraxerit: multorum vero qui à calculoſitate ſint liberati. Mirum cur contritus calculus, & potus calculum trudat, & vrinæ calculoſorum (de renibus intellige) prohibeant calculum. Si in materia inſita eſt cauſſa efficiens adæquata propria, contrarium fieri debebat. Notæ ſunt mulieres lutinoræ, cretiuoræ, calculiuoræ. Ecquæ calculoſa fuit? anſeres, gallinæ, columbæ, &c. lapillos & arenas glutiunt. Non eſt vt quæramus de renum & veſicæ calculis: In ventriculis conſumuntur potius quam creſcunt. De capris indicis, apris, ceruis, & ſimilibus ſi interrogamus, cauſſa adæquata in comeſtis poſita, quid eſt vt alia animalia eaſdem herbas, radices, &c. paſcentia non gignant ſimiles concretiones? Inuenti ſunt calculi in humanis ventriculis, in equorum inteſtinis, &c. ſi cauſſa eſt inſita materiæ, quærendum, cur non in omnium eodem modo viuentium? Non eſt in lutoſitate maris ſalſi, vt lapides fiant in omnibus marinis. Tiburonum, Luciorum, & aliorum piſcium lapilli in capitibus inuenti contra calculum præbentur, vt & lapis iudaicus, lapis cancrorum, & alii. Si cauſſa concretionis eſt in ipſis, quidni faciant lapides, cum præſertim validum agens paſſiua in ſuam naturam mutet, & alteratum ſequatur naturam alterantis? Erit & hæc cauſſa particularis. Seuerini phantaſia de forma ſibi fabricante domicilium, & de ſeminibus ex Orphei orco induentibus principia, & elementa, hic in riſum abit, eſtque mirum, cur Paracelſici non ſua principia & elementa viuentia promant, tantumque in ſale & tartaro hæreant.

VI. *Gorgoneam illam cauſſam diuerſimode explicant nonnulli.* Quidam enim *ſalem* volunt eſſe de natura *aluminis*, vitrioli, nitri, halinitri, armeniaci, tartari, communis, &c. Itaque eos, qui ſalſis delectantur, putant diſponi ad calculos. Si intelligunt eos ſuccos, qui vulgo proſtant, velim mihi oſtendi eos, qui inde facti ſint calculoſi. Paracelſiſtæ multa dicunt; ſed pauca probant. Non eſt veriſimile aliquos paſci iſtis, præter ſalem eſculentum. Imo qui ſalſa bibunt, inde purgantur, vt qui ſalſidulas, Carolinas, (quas etiam ſalliunt bibentes) halinitroſas, & ſimiles. Kittingenſes ſalſidulæ in Franconia calculos ſtrenue diſſoluunt, niſi firmiſſime ſint compacti. Lege *Baccium* de aluminoſis, & qui de Nilo ſimilibuſque ſcripſerunt. Sal armeniacus ex vrinis colligitur, eſtque eius poteſtas in calculo veſicæ laborantium lotiis magna. Sed inde fit, & halinitrum, ſicut & ex ouium ſtabulis vt armeniacus ſal, tartareus, & halinitroſus non multum diſtent. Cur oues, & ſimilia nõ ſunt calculoſa, quæ tamen ſalem corporeum ſecum geſtant? Poſtquam ſalis ſpiritus ex ſale per deſtillationem extractus eſt, relinquitur terreſtreitas quædam. Num ergo hæc calculi interior cauſſa? Arbitror iuuare poſſe cæteris aſtipulantibus.

VII. Relicto iſto, quia *fons Kittingenſis* plane ſalſus eſt; & nihil tam purgat renes & calculos, ârenaſque propellit, quam hac in regione iſte, confugitur ad ſalem eſſentialem, qui & faciat calculum, & ſanet. Huius ſententiæ *Hermes* eſt quoq; *Hartmani*. Inuentum ſoluit, pellitque, & diſpoſitionem repertam tollit, vt ſit προφυλακτικὸν καὶ θεραπευτικόν. Facitne ergo non inuentum? Si ita, quî præſeruat? Cogitandum non per ſe, & ſolum, ſed in tali materia, tali loco, tali diſpoſitione facere vel contraria. Si etiam vulgarem ſalem in ſoluta metallica iniicis, turbatio fit, & ſedimentum, quod lapidifactionis eſt ſuſceptiuum. *Sal calculos frangit, ſi ſint fragiles.*

VIII. Corporeo ſale, ſiue eſſentiale ſit, ſiue populare, relicto ad *ſpiritum ſalis*, appellunt alii. *Spiritus ſalis* *Seuerinus* ſpiritus tales facit incorporeos per ſe: ſtatuit autem in corpus coagulari, vt & *Crollius*. Igitur cum per corpus vagans, incidit in ſubiectum determinatum, creditur ibi conſiſtere, & poros occupare, cumque ſit validum agens, humidum radicale exiccare, & totum in ſui naturam, quæ ad lapidem tendit, conuertere. Ita vel tota animalia, herbæ, ligna, &c. verti in ſaxa creduntur, vel partes. Inde vteri mammæ, gallinæ cum ouis, & alia lapidifacta. Meminit *Lobelius* in fine obſeruationum *lithoxylorum in amnibus & riuulis Angliæ*, vbi defixi pali aliquot menſes lapideſcant. Imo ferreſcant. Quidam dixerunt *ferreſcere* id, quod limo fundi infixum ſit, *lapideſcere*, quod eſt in aqua: extra aqua manere lignum. Remitto lectores ad colloquium 18. tomi 1. Canicularium *Maioli*. Mockius, Grafenbergius, Baccius, Geſnerus, Kentmannus, Agricola, Anshelmus, &c. de concretionib. lapidum, cum Alberto M & Chymicis aliis multa habent. Quæ exempla adducũtur, nihil habent de Paracelſicis iſtis ſpiritibus, ſed de ſuccis acribus ſalſis, terreis, ſubtilibus, &c. quales non illæ tantum reſolutiones ſunt, ſed & metallicæ. Nobilis hiſtoria eſt *pulueris Puteolani* in aqua lapideſcentis. Quid ſi tale quid & certis hominibus eueniret? Sed eſt tamen & alia ratio ſuccorum talium, quam qui negat, euidentiæ ſenſuum contradicit, & artis potentiam per lixiuia calcium & cinerum tollit. Quis ſit ille *ſpiritus*, qui *Lothi vxorem vertit in ſalis ſtatuam*, quiq; *Charinos ruſticos, & vaccas apud Auentinum in ſalarias*, quærendum eſt. Non fuit incorporeus, ſi naturalis, ſed de natura eius, qui in pruinas cogitur tempore hyberno, quantum attinet ad ſimilitudinẽ, qualis & halmyraga, flos Aſiæ petræ, &c. Reuera compoſitum dicas ex nitroſitate terrea. Ita ſublimantur ſpiritus in ſpagiria, vt & in glaciei & cryſtallorum ſimilitudinem mutentur: aliqui referant pruinas glaciales. Sunt aliàs ſpiritus humidi ſalium, qui calculos tollunt, non faciunt, niſi externa arte coguntur, quæ ars in corporibus viuis animalium non habet locum. *Quæritur an nihil, hic poſſint qualitates elementares primæ & ſecundæ?* Imo aliquid niſi ſenſus decipere velis, & negare cum illis ſpiritibus fuiſſe elementa, & ab eis paſſa corpora elementaria.

IX. Nihil ineptius fingi poſſe puto, nec fabuloſius, quam quod ex *Seuerini* commentis repoſuit *Hartmannus*, nempe ea, *quæ naſcuntur fieri à ſeminibus ex abyſſo euocatis, fingentibus ſibi corpus ex principiis & elementis*: item quod *de omnium vita, formis in materiam irrepentibus, & proprium corpus concinnantibus.* Si hoc catholicum eſt, vti proditur, etiam calculi à ſeminibus ex Plutonio Ditis, & Orco Orphei per aſtrales ſpiritus aſcitis fient ex principiis, & duplici elementorum genere, &c. Sed non auſi ſunt commentum id ad calculorum generationem adhibere. *Seuerini ſemina.*

V 2 X. Puerile

Alia opinio de aſtris ſeu fabris, ſeu parte-ribus in alieno.

X. Puerile & ridiculum hoc quoque eſt, quod ex hypotheſi: *Globi inferioris virtutes & effecta à ſuperiore globo eſſe, & aſtra olympica parere ſibi ſimilia aſtra in mundo medio, fructúsque ſeponere, & excrementa proiicere, quemadmodum fieri volunt in œconomia humana ventre imo pa cente ſuperiores, & viciſſim ab illis accipiente fructus & excretiones:* Concludendum eſt, lapides, qui in animalibus conſiſtunt eſſe in alienam matricem immiſſum conceptum, vbi proficiat in corpus, & accrementum capiat: ſequatur autem naturam ſui ſyderis, vt ſit *ſolaris calculus* à ſole, *Martialis* à Marte, *Venerius* à Venere, *Saturninus* à Saturno, &c. idque contingere ad ſimilitudinem fulminum. Sicut ex terræ ruptæ voraginibus prorumpunt gelantes & lapidifici ſpiritus nitroſi, cum calcium marmorearum, gypſearũ, & ſimilium ex fauillis combuſtionum & reſolutionum ſubterranearum reliquiis: ita ex nubibus, & ſublunaribus in alto poſſunt exprimi per tonitrua & fulmina meteorica, quorum paruum exemplum tormentaria ex nitro ſulphureo puluere exploſio, & calces fulmineæ Solis & Martis incenſæ referunt. Quam mirabiles effectus inde exiſtant, annotatum eſt à *Plinio* & aliis. Hinc argumentantur *Cabaliſtæ & Magi* Paracelſici: *Si iſta fiunt corporaliter, magis ſpiritualiter. Spiritus enim corporibus longe ſunt efficaciores.* Quocirca gelans fulmen ſpirituale in renibus, veſica, & aliis cauitatib: animalium ex diſpoſita materia æque poſſit facere lapides, ac terræmotuum halitus. Licitum ſit hominibus otioſis ſpeculationibus ſe oblectantibus iſta fingere; nobis autem credere religio eſto. Aiunt alicubi *guttas pluuiarum lapideſcere*, idque veriſimile efficit *puluis puteolanus*, quo modo naſci dixeris etiam *lithopiſa* in itinere Bethlehemitico Hieroſolyma viuentium, & *globos iſtos lapideos*, quorum mentio eſt apud *Maiolium* & Americanis annotationibus, & alia. Si placet à concretionibus maioris mundi argumentum petere, probabilius ex talibus hiſtoriis ſumſeris: propius ex modo generationis vnionum in conchis &c. Sed pergendum eſt.

Plin. libr. 2. c. 51.

Lib. 2. c. 53. Maiol. coll. 1.10.1.cal.ic.

Aquarum guttæ in puluerem diſpoſitum incidentes faciunt lapides, & aliquãdo etiam beſtias. Vide de lapide & cõcretionibus Tiburtinis albularum, maris, &c.

XI. Supereſt *matrum conceptus gerentium affectus & imaginatio*, qua fieri poteſt, vt non tantum calculoſi naſcantur fœtus ex parentibus huic malo non obnoxiis, verum etiam toti embryones lapideſcant, vt hiſtoriæ *Lithopædii* habet. Videmur iam excuſſiſſe omnia naturæ loculamenta ad inueniendam efficientem calculorum cauſſam. Fuimus in macro- & microcoſmo: quæſiuimus de principiis & elementis: corporibus, & ſpiritibus: ſuperiore & inferiore globo: ſeminibus, formis, fructibus, & formatis: inſpeximus qualitates primas, ſecundas, formales, materiales, vires eſſentiales, & elementales: loca affecta, & craſes membrorum conſiderauimus: intuiti etiam in intimas materiarum poteſtates ſumus, & earum origines ex nutrimentis & primordiis conſtitutionis repetiuimus, cũ non dubitandũ ſit, ſicut alicubi frequens eſt ſtrumoſitas, alicubi partuũ monſtroſitas, & peculiares affectiones aliæ, ita poſſe ẽt calculos aliis gentib. familiares eſſe, aliis raros, aut nullos. Nũ etiam erigenda mens altius eſt, & cogitandum de prima compoſitione, & apoſtaſiæ pœna? *Non eſt mirum in terram, cuius concretio lapis eſt, reuerti, idq; quod ex terra ortum traxit.* Inde *terreni* & *terrigenæ* dicimur, & *oſſa* gerimus *lapidibus* conferenda, quale eſt *os petroſum* in organo auditus, &c. vbi mirabiles ſunt Poetarum fictiones *de Pyrrha* & *Deucalionis* lapidibus, & de his qui *Gorgonis* conſpectu lapidifacti traduntur, aut aliam ob cauſam in ſaxa conuerſi. Si concludendum eſt de cauſa efficiente calculorum in homine, & aliis animalibus vniuerſaliter dicere poſſumus eſſe FIGENTEM LAPIDIFICAM aliquando per ſe, aliquando per accidens, quæ modo plures ſecum habeat ſocias, modo pauciores; & diſpoſitiones præparationeſque interdum expeditiores & propiores, interdum remotiores, ad quas & loca faciant. *Nolumus damnare ſiccitatem, nolumus calorem.* Hæ enim qualitates ſi non ſunt internæ & primariæ: ſaltem foris terminant, vt & quæcunque aliæ ferruminant, ſolidant, aſtringunt. *Fixatiuum ſal* eſt certa diſpoſitione: idem etiam eſt *ſolutiuum*, cum & fixum inueniatur, & volaticum: ſolutum, coagulatum, &c. In dilutis ſuccorum mineralium (ſiue ſint metallici, & mercuriales, ſiue ſalini, &c.) qui ſecum vehunt ſolutiones terrenas ex marmore, marga, gypſo, calcariis lapidibus, cineribus, fauillis, &c. faciles fiunt concretiones conſpirantibus materiæ affectionibus; & externis agentibus. Conſiſtunt autem & accreſcunt ſolidis citius, vt oſſibus, firmis carnibus renum, dentibus, &c. conſulantur ea de re Chirurgi, qui in fracturis oſſium vtuntur *Lithocolla* illa naturali, & terris ſigillatis, ſputo lunæ, ebore foſſili, & ſimilibus, cum quibus eſt bituminea quædam pinguedo potius quam notabilis copia ſalis. Imo *ſal impedit firmitatem glutinationis.* Itaque iſta eluta vſurpantur rectius quam ſalſa. Quantum tofi oſſium inde creſcant, & quam ſolidentur fracturæ, experientia eſt teſtis. Foris quoque cum coagulare diluta aluminis, vitrioli, ſachari, & ſimilium volumus, imponimus bacillos. Videmus vrinas lapideſcere facilius in plumbeis, quam in vitreis: item facilius in terreis, quam ligneis. In æreis & ferreis cortinis muriæ, & aquæ minerales aliæ ſaxeſcunt promtius. Multum ergo ad calculum momenti habet terrenoſitas membri. Non autem in vno ſunt omnia. Itaque Medicum prudentem oportet potius præſentes diſpoſitiones conſiderare, quam odioſis controuerſiis tempus, & fructum medicinæ perdere. Ad materiam quod attinet, ſiue veterum modos loquendi inſpicias, ſiue recentium, non putandum eſt quempiam peritum non vidiſſe, aut tractaſſe lapides in animalibus natos. Eos autem non eſſe vnius generis, nec earundem virtutum, aut locorum conſtat. Qui naturaliter in capitibus piſcium, vt Luciorum, Percarum, &c. Item in cancris fluuiatilibus inueniuntur, diſtant ab his, qui in ventriculis, inteſtinis, renibus, veſica, &c. generantur, ruſuſque hi inter ſe ſunt multiformes, differentes ab aliis, qui circa articulos, in apoſtematibus, &c. coaleſcunt. Nuper *duos frangebam corticatim concretos.* Intus erat nucleus ſpinoſus niger, qui tamen raſus albeſcebat. Accrementum flauebat, vt ſolent fere lapides Carolini, denſiore tamen conſiſtentia. Compages nucleorum firma admodum erat: accrementum facile frangebatur, neque tamen erat friabile. Cum frangerem gypſeum ex veſica cultri dorſum fere cortex denſa erat: nucleus magnus niger, aculeatus. Cum & hunc frangerem, intus erat alius albicans terrena facie quantitate piſi maioris, læuis.

Cauſſa diuina. Homo terra eſt. Nil mirum quod etiam viuus terrã gignat.

Efficiens calculorum catholica.

Materia calc. iudiciũ

Si quis

Si quis negare velit terream esse compagem, eum conuincere sensuum testimonio possit. Vidi albos friabiles ex renibus & vesica. Dicas ex calce leuiter coacta aut gypso esse. Tale colostrum est,& coagulum: talis putrefactus & exiccatus caseus. Talis putrefacta & gypsea pituita. Vidi *erutum ex articulis* arthritici. Is tenax & nonnihil mollis ad tactum, albusque erat. Efflorescentium spumosam potius quam pumicosam iudices, quæ aeris commercio fuerit exiccata. Vidi, qui *ex vesica per collum penetrauerat in perinæum*,ita vt foramine facto propenderet nonnihil. Transiens autem per eandem viam vrina paruum prius *ad oui struthionis magnitudinem* perduxerat. Erat consistentia friabilis; color ranus,alicubi albicans. Alios digitum longos conspexi ex granulis rubris in vretere compactos. Hi fere postquam expulsi sunt, dilabuntur in arenas rubentes plus minus. Ego ipse iam annis triginta in me calculum renalem notaui, cumque multis excreuerim partim amygdalodes; partim asperos ex granis coctos,partim rotundos,prætereaque arenas multas subrubentes, & sabulum collegerim ex vitreis,& stanneis vasis partim album; quales sunt lamellæ lapidum prima concretione; partim rubicundum, quale & frequenter in aliorum lotiis occurrit: omnes compactos duros experior, adhæretque alba concretio matulę stanneæ sæpe tam pertinaciter, vt abradi ferramentis vix possit. In calculo vesicæ sæpe vrinas mucosas colaui. *Mucus exiccatus in farinosam friabilemque calculositatem coiuit.* Vidi ex mulieribus extractos iuglandis nucis quantitate & læues. Aderam aliquando lithotomo *Ioachimo Iungvvirt apud Rotemburgotuberanos.* Is extrahebat ex viro circiter 26. annos nato calculum ramosum, nigrum valde durum & solidum. Monstrati sunt ex infantum pene exucti, vt alii lotio redditi, & in stragulis reperti. Plures puerorum, iuuenum, & virorum noui, vidique quam senum, nisi qui ex iuuentute id vitii in senectutem traduxissent. Quid multis? Terreos concretione omnes, quales describuntur plærique ab aliis quoque Medicis & lithotomis, & quales à circumforaneis proponuntur, dispares consistentia, magnitudine, forma, colore, & aliis accidentibus. In rene bubulo vltra viginti aut triginta paruos globosos circa maiorem oblongum concretos habeo. Color eis nitens,subglaucus,ferrugineus. Vidi alium maiorem ex rene vaccæ argentei,splendentisque coloris. Tali materia solent obduci dentes ouium, boum,equorum,&c. vt sit lapidea quædam armatura, vt & in *dente aureo pueri Silesii apud Horstium, Crollium, Rolandum, &c.* & inuenitur etiam foris in *cornibus ammonis*, & aliis, præsertim *lapillus Carolinis corticatum concretis rotundis, oblongis*, varicoloribus,&c. Item *lithopisis*, & illis qui *oua piscium* repræsentant. Sunt autem & *ossei*, quales inuenti in cuiusdam fœminæ corde. Item in apostematibus.

Armaturæ lapidum mineralium referunt concretiones lapidum corticosorum in animalibus.

Quidam *impliciti* sunt *cuticulis*, & membranis. Est apud me *lapis osseus & membranosus*, forma fere oui ex sene ansere extractus. Circa laryngem & dentes, item in pulmonibus consistit aliquando adiposa materia alba, vel sub uiridis, aut sordida, valde fœtens. Hæc exiccata in calculos gypseos transit,quales ex pulmone nonnunquam reiiciuntur. Putredinis aut purulentiæ id opus esse, *Gypsea pituita putrescente nemo sapiens negauerit*, quanquam & adeps & sebum, & pus in eam speciem abire possit, meminique me videre excretionem alui plane similem axungiæ porcinæ; quam reddiderat infans, qui nondum potuit pinguia tanta deglutire. Nec ita dudum nodi adiposi oblati sunt ex alio infante. Erant pingues,mucosi,qualis intestinorum phlegmatica consistentia.

Paruũ enim principium cumulatur, &c.

Ouũ osseum ex ansere.

Paracelsici materiam arthritidis & calculi eundem esse dicunt. At visus est *arthriticus*, qui ab hoc malo euasit *materia phlegmatica ad pulmones versa, & specie muci pituitosi reiecta.* In vitris Vroscopicis neglectius habitis ab vrinis purulentis, calculosis, semine, & similibus permistis mucosa consistit concretio, quæ paulatim siccata in lamellas lapideas abit, vt & ramenta vrinis viscosis mista, quæ à renibus veniunt farinæ, aut furfurum specie, vel etiam filamentorum forma. Est in historiis *gypsea, marmoreaq́, vterorum & intestinorum concretio*, non parua copia, notumque est, quale quid sit latus intestinorum vermis,& virginum menstruum album,cum similibus. Addantur & aliorum obseruationes. Inuentus est *ren pene totus in lapidem concretus.*

Forestus: Quadã mulier simul calculo & arthritide affecta fuit. lib 14 obs. 20.

Obseruationes plures.

Puris & sanguinis copia aliquando exit cum calculis: Grumi enim in vesica possunt lapidescere. Cuidam Perusino ren alter fuit putris, calculis & materia viscida refertus: ex crassi succi cibis exeunt veluti pili: interdum quasi lumbrici spectantur ex materia pituitosa, vel semine. *Vestalis quædam* calculosa renibus crassas vrinas minxit cum arenis,& sabulo ante coagulatum lapidem. post aquosas & tenues. Quidam execto semel calculo vesicæ, vrinam mucillaginosam & albam perpetuo reddidit. *Forestus* cum sanasset quandam nephriticam, scribit, dolorem fuisse ex obstructione humorum crassorum in renibus contentorum cum arenulis rubris calore renum induratis: *purulentos renes albos calculos producere*: lotium fuisse prius turbidum, mox arenulis mixtum: arenas humorem crassum & viscidum præcessisse. Idem vidit mucosa & viscida reddita cum vrinis longo tempore, cum & sine calculo. Verum enimuero si omnium obseruationes comportare vellemus, in infinitum excresceret labor. Quid ergo iam sentiendum de controuersia circa materiam? Primum eorum, qui se Paracelsicos, Chymicos, Spagyricos, Hermeticos, & aliter vocant, & eorum qui veterem doctrinam *Hippocratis, Galeni, Arabum, &c.* sequuntur collationem instituamus. Cum vtriq; rationem & experientiam pro sua sententia citent,& testimonium dicant,iudiciaq; sua proponant. primo statim intuitu *caussa cadunt Paracelsici.*

De controuersia circa materiam.

Quis enim futilem illum hominem,qui omnes veteres & antiquos tam Chymicos,quam non Chymicos odio quodam plusquam vatiniano persecutus est,contemsit, vituperauit, *Paracelsum*,inquam,anteferat *Hippocrati, Galeno, Auicennæ*? Quis leuissimos illos & mendacissimos de secta *Paracelsi* anteponat principibus veteris medicinæ priscis & recentibus,qui & suas & antiquorum obseruationes congesserunt, & non tantum *Galenici* meri sunt, sed & *Chymici non minus spagirica peritia instructi, quam vllus Paracelsistarum*, qui & numero & scientia longis parasangis anteeunt omnes seu Paracelsistas, seu Seuerinianos, pupplicaque autoritate in collegiis scholarum,& rerumpublicarum docent,& praxin exercent, lithotomis quoque ipsis eorum ordini astipulantibus?

Paracelsi opinio improbata

Secundo ſit hypotheſis: *Non alius naturæ calculos in hominibus inueniſſe & inuenire priſcos recentes, Chymicos, non Chymicos, Græcos, Arabes, quam cuius eos eſſe vel indies conſpicere licet. Reſpondere etiam experientiam de victu, locis, excretionibus, ſanationibus, medicinis, & cæteris circumſtantiis.* Quos calculos vidit Hipp. quos *Galenus, Arabes*, hi vel illi, omnes fuerunt tales, quales hodie videmus, maxima ex parte arenoſos, lapideos, marmoroſos, &c. *Quo medicamento calculum ſe ſanare poſſe Hermetici confidunt, eo poſſunt & Galenici:* Et vnde quæſo Paracelſici materiam accipiunt, quam inde, vnde & Galenici. Quæ ratio conſilii eſt in prophylaxi apud Hermeticos, ea & apud Galenicos: Imo *à Galenicis Hermetici omnia acceperunt*, excepta nonnullorum præparatione. Ad patientes quod attinet, vtrique de hominibus ſunt ſoliciti, maribus, fœminis. Vtrique ventriculos inteſtina, renes, veſicas, & alia membra affecta eadem cognoſcunt. Ne vtamur ambagibus, *Secta ſectam nexat nominum ambitioſa mutatione.* Paracelſici & Seueriniani volunt, loquendum eſſe ſuo more, & vocabulis ſuæ impoſitiones vtendum. Rationem *Seuerinus* affert: quia *fructus ſeminum vocabulis ſint nominandi, & quæ in mundana anatomia patent, ea in homine iiſdem appellationibus vocanda*, vt: *Galenici* dicunt: Colica eſt ex pituita vitrea: *Paracelſici* rectius ex mucillagine tartarea, aluminoſa, ſtyptica. *Galenici*: Calculus eſt ex pituita: *Paracelſici*: ex mucillagine marmorea, alabaſtrina, arenoſa, bolari. *Galenici*: Podagra ex ſang. pituita, mel: bile & ſero: *Paracelſici*: ex ſale mercuriali ſubtiliſſimo & acutiſſimo. *Gal.* Febris tertiaria eſt ex bile flaua: *Parac.* eſt ex ſulphure nitroſo accenſo, quia hoc ſulphur in mundana anatomia inuenitur: Ergo & in homine erit. Atram bilem debuerunt Galeniſtæ tartaream, fermentaceamve dicere: pro pituita ſalſa & acida dicendum, nitroſa, aluminoſa, vitriolata, ſalgemmea, &c. omnino Paracelſiſtæ iſti vaniſſimi hominibus nihil proprii, aut parum relinquunt, ſed iuxta Ouidii Metamorphoſin omnia transformant in ἑτερολέξει. Interim res eſt eadem. Quæ vanitas eſt de nominibus bellum mouere? Veni ad ſutoriam, ſartoriam, piſtoriam, & cætera opificia, inferque peregrina nomina: Irrideberis, & vt Germanico luſu ſolent iocari; *Scamna hypocauſti non ſunt ſcamna, ſed inteſtina: Bos non habet cornua, ſed arma bubula: Pedes non ſunt pedes, ſed ambulatorium, &c.* quæ ſtultitia tamen probabilior eſt, quam Paracelſiſtarum allegoriæ. Nã formalia, & finalia ponit pro materialibus, quaſi oculus materialis non ſit oculus, ſed formalis, hoc eſt, potentia & actus videndi. *Quercetanus* ſalſe irridet Paracelſiſtas iſtos vanos, dum *fundamentum eorum ponit, aquam puram eſſe humorem*, phlegma, pituitam Galenicorum, qui non debuerint nomina puri liquoris, qui totus deſtillatione, vel diuaporatione diſſipatur nullis reliquiis remanentibus, imponere ſuccis miſtis: Ita ridiculus eſt *Paracelſus*, & qui eum ſequuntur, dum volunt, *Phlegma eſſe nomen humoris naturalis*, & inique imponi *humori minerali.* At ô vani, quis habuit ius *primæ impoſitionis nominum*, Gallina an ouum & pullus? *Anaxagorei* nihil intereſſe putant, ſiue albam, ſiue nigram niuem dicas, quia qui albam primus dixit, potuerit eodem halitu nigrã vocare. Hi ridentur, quod neceſſe ſit rebus certis certa nomina eſſe ex conſuetudine, vel natura valentia. Iniquum putaret *Paracelſus*, ſi canem nominandum dicerem, & non hominem. Quæ ergo intemperies eſt Galenicos ob id vexare? *Galenus* non curabit, pini fructum pomum, vel nucem voces: modo rem eandem intelligas. *Veteres dixerunt, calculi materiam eſſe craſſam, terream in tenui aquoſitate, quæ per calorem conſumta, quod reliquum eſt, concreſcat in lapidem, qui ab vrina incrementum capiat*: *Galenus* id enunciauit diuerſis verbis, ſignificans, materiam eſſe modo tenacem, modo craſſam, modo miſtam, & vel ſolam pituitam craſſam viſcidamque: alii pituitam craſſam lentam cum pauco ſanguine miſtam: alii materias inconcoctas & crudas: alii humores craſſos & lentos. *Foreſtus* ait: *Materia arenularum eſt craſſa non multum viſcoſa: lapidis viſcoſa, craſſa, & vt plurimum pituitoſa: omni no humor craſſior: efficiens ignea calid itas: acceſſoriæ imbecillitas excretricis, robur retentricis, meatuum anguſtia, &c.* Vide, quæ ſupra notata ſunt. Quis non calumnioſus putet, cum illi boni dogmatici viderint, & iudicauerint arenas, & lapides cum omnibus circumſtantiis in perſonis infinitis, eos non ex farina tritici, aut aqua deſtillata confeciſſe calculos, ſed ex terrena viſciditate? Voca eam *tartarum miſtum, aut humorem tartareum, terreum, ſalinum*, & aliter, quid hoc ad *Galenum*? Veruntamen *Paracelſiſtæ* iſti *tartarei* non debent ſibi adeo placere prolato *tartareo metaphorico. Tartarum enim per eſſentiam* neutiquam eſt, *ſi eſſet; tartari qualitates haberet, & in humore per calorem hic ſolueretur, & iterum frigore cryſtalleſceret vt tartarum vini. At hoc minime patiuntur lapides. Non ergo eſt tartarum per eſſentiam calculus.* Si modificatum eſt, quid aliud lucrati ſunt iſti nouatores, quam quod apologi, & Poetæ metamorphoſium? *Ex vino tartarum in hominibus id facit quod in dolius.* Scilicet, ſi ventres ligneos haberent homines, & vinum ſic continerent vt cupæ. Vnde vero *in bobus naſcitur calculus*? Num & hi bibunt vinum? Agite Paracelſici: ex calculis humanis ea conficite, quæ ex vini tartaro: vt ſalem, oleum, ſpiritum, cremorem purgantem acidum & alia. Tunc fatebimur, calculum eſſe tartarum. *Si non eſt tartarum, ſed ſimulus tartari concretio, tam data eſt via euagandi.* Poſſumus enim eodem iure, imo meliore, appellare à concretionibus terrenis thermarum, acidularum, &c. quia nulla ratio eſt, cur potius tartarum vocemus, quam *tofum* & ſimilia. Hinc & *Paracelſus* ipſe ſibi licentiam ſumſit concretionem appellandi bolum, lutum, vſneam, & alia, quaſi hæc eſſent eiuſdem cum tartaro vini naturæ. *Veteres aut generaliter de calculo locuti ſunt, aut ſpecialiter & determinate.* Vtrobique videndum quid dixerint, & de dictis ſine calumnia iudicandũ. Si generaliter loquentes humorem craſſum terreum appellarunt: ſic eorum ſermonem interpretemur, vt fert natura rei, nec calumniemur HVMORIS vocem, *quaſi humor ſit inſtar ſpiritus meri, qui totus eſt ſine ſedimento volatilis*: nec accipiamus de naturali tantum, quaſi qui fuit naturalis, non poſſit mutari in præternaturalem, aut in animalibus, & vegetalibus non poſſit etiam naturalis ſuccus eſſe mineralis, cum totum noſtrum corpus originem habeat ex terra, & alimenta noſtra indidem petantur, iterumque reſoluantur corpore in terras & cineres. Ipſe nouator *Paracelſus*, quam ſæpe vocem *humoris* aliter atque aliter vſurpauit? Num ſcabies eius, & poetica tropologia tanti eſt, vt vetuſtæ

Eadem medicamenta apud priſcos & recentes, licet modus differat.

Verborum magis quam rerum pugna.

Ridicula Paracelſiſtarũ, & anilia fundamenta.

Veterum doctrina de calculo.

Non eſt conſentaneum temporaneos & mendaces Paracelſiſtas rem melius explicare poſſe tot centuriis annorum antiquioribus, niſi priuilegiũ non errandi ex cœlo attulerint.

Si calculus eſt tartarũ, aut per eſſentiam eſt, aut tropum. Nõ illud: Hoc ergo.

Paracelſi a licentia nullo iure rapta.

Veterum ſcientia ex natura rerum interpretanda in Phyſicis & medicis

Paracelſici ſcurra non

tuſtæ diſciplinæ ob id ſint mutandæ? Nimium indulgemus ſcilicet, & pertæſi antiquæ ſapientiæ nouas vanitates ſectamur. Quod ſi ſpecialiter, & determinate de calculis differunt veteres, vt eſſe eos ex putrefacta & gypſea pituita, ex ſucco nigro melancholico, ex pure, ſanguinis grumo, ſebacea conſiſtentia, & terreſtreitate marmorea, margoſa, cineracea, calcoſa, pulueris puteolani inſtar, ſiue ſal aſſit, ſiue non, (nam & ex eluta calce & cineribus lapides fiunt, & qui nobis proponit experimentum cineris ſale priuati in cucurbita, nimium ſimplex eſt. Finge enim ſale abſente in cucurbita non fieri lapidem, at fiet ouorum albo pituitoſo addito: & ſi ſale manente fiet, calida aqua pauca reſoluetur, vt magna ex parte cum ſuo ſale non ſit admittendus) candide eos interpretemur. *De ſalis principio ſpiritali actiuo garrit Hermes Hartmani.* Sed non attendit cum de calculo ſermo eſt, non ſalem actiuum tam reſpici, quam materiam, & lapides fieri firmiores à bitumine viſcoſo & ſulphure, quam à ſale, vt teſtantur lapides fulminei, & quilibet videre poteſt in ſaxeo bitumine, atq; etiam experiri. Mirum eſt, iſtos *Hermeticos omnia ex aqua conficere*, quam dicunt eſſe omnium corporum primordium, indeque etiam terram & lapides extitiſſe: Hæc item porro declarare *magiſterio magno ſapientum, & ſeminibus animalium, mineralium, vegetabilium*; non autem velle medicis in calculi ex humoribus generatione aſſentiri. Mirum id quoque, quod *promittant gemmas ex ſanguine humano, & aliarum partium mumia reſoluta*, exaltata, iterumque coagulata: Mirum eos metalla reſoluere in aquas & reducere: gemmmas ex ſuccis mineralib. polliceri, & alia ſimilia multa per artem conari, *non autem poſſe tantum dare naturæ in homine poſt peccatum exorbitanti.* Qui vero fiunt *lithrodendra* naturalia, *lacrymæ Iobi, lithoſperma*, ſucci, lacrymæ, gummi, & ſimilia in plantis? *An non ex humoribus?* Cur inuiſi ſunt vobis *humores phlegmatici*, ex quibus Cryſtallos expectatis, vt in vini deſtillatione, & fecibus vini dilutis? An non ſunt humores lixiuia & diluta ſalium, vitrioli, aluminis, halinitri, ſacchari, &c.? At inde lapilli. Soletis ſtudioſe ſeparare ſedimenta terreſtria, & tamen lapillos expectatis, eoſque exactiſſimos ex metallorum & affinium æthereis calcibus reſolutis. Quæ dementia eſt tam proterue in veterum iudicia inuehi? *Seuerinus* vt *Hippocratem* & alios veteres in ſuam ſententiam pertrahat, non offenditur locutionibus, quæ ſunt in diſciplina eorum vſitata, ſed eas *interpretatur pro ſuo de rebus iudicio.* Si dicerem idem faciendum eſſe in Medicorum phraſibus, num iniquũ poſtularem? Atqui Medici eſſentialius, *& iuxta orgia diſciplinæ ſuæ loquuntur: Paracelſici, vix heſterni, cum Ouidio* omnia transformant in tropos, & excedunt ſcientiæ terminos, quod ſemper à ſapientibus reprobatum eſt. Si putatis vitriolum, alumen, ſalem, ſachar, & alia in veſtris arenis & calculis eſſe, agite, producite nobis eos ſuccos eſſentiales, ſicut ex metallis, terris, lapidibus, aquis in natura maioris mundi. Laudabimus ingenia. Si autem non poteſtis, & vix ſalis acris parum, vt ex aliis omnibus elicitis. Ita enim promittitis de veſtris principiis, ex quibus & cœlum, & aerem, & aquam, & terram componitis ridicule) explodemus veſtras de natura dementias, & vos iubebimus *ad ſubſellia ſcholaſtica aliquid exactius diſcere.* Qui de ſpiritu ſalino nugantur ex *Crollio*, adeant aquas minerales, in quibus ſunt tincturæ ſpirituales ſine corporibus, aut ſi corpora vnà ſint, ſeparent ea, & tunc periculum faciant, ſintne calculos effecturi tales, quales in animalibus plantis, & mineralibus coaleſcunt. *Non ſi quid tibi imaginaris, id ſtatim eſt in re ipſa.* Solui calculos humanos aceto. Inueni ramenta, & mucoſitates eaſdem, quas in lotiis poſt ſedimentum, & coagulationem deprehendi, & quæ in deſtillatione vrinarum inueniuntur. Eaſdem, non aliàs, proximè voluerunt deſignare veteres. Qui pituitam, craſſos ſuccos, & ſimilia dixerunt, *de materia generationis* ex qua, *non de conſtitutionis* ſunt locuti. Diſcite aliam eſſe *materiam primam*, eamque relatam magis, quam abſolutam, *aliam vltimam*, quæ eſt conſtitutionis. *Humanum eſt, verba ſapientum interpretari pro ſubiecta materia.* Non eſt conſentaneum eos qui phlegma, vel pituitam dixerunt, taliter affectam intellexiſſe, qualis eſt mucus è cerebro per nares, vel palatum, humor nimirum ille crudus potentia ſanguis, quem natura maſticationis, & irrigationis linguæ, &c. ergo, ſicut & ad articulos motus cauſſa, deponit. Itaque *& puerile eſt argumentum Paracelſicum in cerebro, naribus, & aliis locis ſeu ventriculis*, (ita cauitates vocat *Seuerinus*) vbi ſtabulatur, aut tranſit, naſci debere calculos. Certa diſpoſitio requiritur, & loci generationis aptitudo. In ventriculo genitos aliquibus fuiſſe lapides, vt & gypſeas collectione in inteſtinis, notum eſt ex hiſtoriis: alicui & in capite quidam concreuit, inueniunturque lapilli in beſtiarum quarundam capitibus. Si ità diſpoſitum eſſet caput & cerebrum vt renes, veſicæ, ventriculus: ſique pituita ibi eam haberet affectionem, & miſtionem, quam accipit ex colamento ſanguinis, cum quo ad renes fertur, fierent calculi ſimiles in eo quoque. Quem *calculum ego frangebam intus nigrum nucleum habentem vrebam.* Olebat nauſeoſum quid, & vti mihi videbatur, fecem cereuiſiæ, aut nonnihil de cereuiſia ipſa, cuius etiam colorem dilutiorem habebat. Nihil mirum alimentum olere, quod ex alimenti reliquiis naſcitur, & fuit fortaſſe is, ex quo extractus erat, cereuiſiæ pater ſtrenuus: quæ ad locum affectum etiam crudior rapi potuit. Sed aduertendum eſt, eam portionem prius tres aut plures menſes aceto vini fuiſſe maceratam: vnde fortaſſe odor ille potentia inexiſtens in actum fuit prouocatus accedente reſolutione per ignem & ſpiritum educente. Poſt vſtionem abibat in *candidiſſimam calcem*, quæ digitis trita aſperiuſcula erat, ac ſi ſalem palpares. *Dentes non offendebat*, ſed perinde atterebatur ac toſi dentium teneriores. *Guſtus* erat *terreus*, cum obſcura acrimonia, & debili ſalſedine. Comparabam albis ſedimentis aquarum mineralium crematis. Terras puras non abire in cinerem album, teſtatum facit *ochra*, quæ vſta rubeſcit. Sed nec *in fungos* ſeu *prunas* aliquandiu flammam alentes nigras terræ meræ abire ſolent. Quanquam ergo aſpectus calculorum talium ſit *terreus*, iique etiam more lapidum concreuerint, & ſic terantur, tamen *ſuccorum naturam potius habent quam terrarum.* Vt certior eſſem de natura rei, idem experiri placuit ſæpius. Itaque eiuſdem lapidis, cuius conſiſtentia erat tenerior, qualis eſt terræ ſigillatæ Sileſiacæ, maiore ex parte aliam particulam non maceratam humore aliquo vrebam. *Nigreſcebat* primo, poſt item in *al-*

ſunt tanti: vt eorũ gratia diſciplinã mutemus

Hermetici cum Thalete omnia primum ex aqua conſtãt, & dubitant de calculo.

Paracelſiſtæ humorib. nõ poſſunt carere.

Seuerinus tornans vetera ad ſuã ſaluam.

Paracelſiſtæ eſſentialiter non poſſunt monſtrare quæ dicunt.

Nugatores de ſpiritu ſalino.

Calculos aceto macerare.

Pituita nãrium.

Experimentum Vulcanicum in tribus calculis.

 bani

bam calcem, seu *cinerem candidum paucum*, (maior pars expirabat; seu resoluta in spiritum dissipabatur) fatiscebat. Dum hoc fieret, *continuitas* quoque *soluebatur*, & *in particulas discedebat lapis*, quas digitis in puluerem comminuebam. Hic *odor* erat paulo *horridior*, & accedebat ad eum, quem *cornu, Gagates*, aut *bitumen vstum* refert, aut quem lapides ex lixiuiis, & sedimenta vrinarum vstulata. Vrebam alium, cuius consistentia erat *alba gypsea*, seu instar *calcis murariæ sordidæ*. Hic quoque multum spiritus reddebat, & post nigritiem in *candidum cinerem* cum detrimento quantitatis soluebatur. *Odor* eius adhuc tetrior, magis *vrinam acrem nauseosam* referebat. Tentabam idem in tertio prioribus teneriore, qui ex renibus noti hominis erat excretus. Idem patiebatur. Odor erat mitior. Hæc ad *ignem candelæ*. Imposui catinis diuersis calculos diuersos certo pondere. Cum inter prunas cum follium afflatu essent, primum *assurgebat odor grauis*, quem nulli alii rei comparare possum quam lithanthracis, aut gagatis halitui cornu quodammodo olenti. Aderat tamen etiam *grauolentia lixiuialis salsa*. Vnde colligere est *salem volatilem* & *spiritum bituminosum*. Interim fœtore bitumineo euanescente vterque lapis in catino *nigerrimus* euadebat. *Spongiam fuligineam*, seu *fungum* dixisses *ex fuligine confectum*: tardius nigrescebat lapis albus gypseus; citius marmorosus, qui erat vt terra Silesia.

Lapides sunt sulphurei in hominibus.

Hic valde pinguis, *imo totus videbatur esse pinguedo quædam bituminea*, exceptis paucis fecibus. Nam & *instrumentum versorium pinguedine inficiebat*, & diu ardebat non tantum flamma prunæ, sed & flagrante, omnino, vt *lithanthrax* & *lapis Thracius*. Ille prior gypseus citius deflagrabat. Augebam ignem & intendebam follibus, vt totum candefieret. Pars in *candidissimum cinerem* abibat: pars *pertinaciter retinebat suam nigritiem*, & qui marmorosior instar Silesiacæ terræ erat, *frequenter flagrabat*. Eius partem aliquam imposueram cochleari ferreo. Cum ignem sentiret, spirabat bitumē graueolens, halabat sine crasso fumo, nigrescebat, ardebat, nec desinebat, donec duraret nigrities, ita scilicet, vt per interualla flamma emicaret, vt in lithanthrace. Quod perustum erat, *in candidissimum cinerem ex nigro fuliginoso abibat*. Hæc sapiebat diuersa: Primo aliquod *terreum*: deinde *salsum*: tertio *dulce* quasi *alumineum*, aut *vitriolatum*: quarto *acre & mordax*; quinto aliquid *frigidi nitrosi*. Nulla autem asperitas terrea in lingua, ore, & sub dentibus remanebat. Ignis non diu erat adhibendus, & soluebatur continuitas concretionis, & *gypseus lapis in puluerem nigrum partim, partim quasi fungum abibat*, & licet totus diu candesceret, tamen nigritiem maxima parte retinebat. Adeo *tenax bitumen* erat in eo. Paucula parte *album cinerem* exhibebat. Desinebat etiam citius flagrare, cum prior diu admodum flammam emitteret, & extinctam flatu semper recuperaret, *flamma etiam desuper ex carbonibus desiliente*, vt fieri solet cum Ellychnium fumigans sub candela incenditur. Vnde colligo, *marmorosum lapidem pene totum fuisse bitumen microcosmicum*, genitum ex pinguediore parte seu sedimento bitumineo vrinæ: sed *gypseum magis fuisse terreum, & caseosum*. Pondus. Gypsei imposueram *drachmas duas cum dimidia & granis quinq;*. Carbo partim niger, partim albus in puluerem solutus pendebat *quatuor scrupulos*. Decesserunt ergo in igni drachma & grana quindecim: tantum & adhuc amplius fuit in eo *pinguedinis bitumineæ*. *Fundus catilli*, quem recentem sumebam, *niger erat*, perinde ac si bitumen lapidosum cremassem. Talis erat etiam fundus calculi marmorosi flaui calcinati, qui *carbonem* item ex parte *nigrum*, ex parte *album* reddebat, & *lamellatim specie hæmisphærica concretus apparebat*. Imposueram drachmas duas & grana nouem. Post calcinationem carbo habebat grana quindecim. Decesserunt drachma vna & dimidia cum granis 24. Non sum tam simplex, vt putem omnes calculos esse eiusdem materiæ, & consistentiæ: veruntamen ex istis duob. speciminib. (tertium in calcinatorio omisi) iudicate, de quibus contenditis. Primum quod *ad causam efficientem* attinet, non opus fuit assante calore, & torrefaciente, vti neque opus est cum in *thermis Carolinis tosi* canalibus accrescunt; neq; cum vitris & maculis vrinæ. Sed cum datum principium coagulationis à frigore potius quam à calore est, reliqua affluunt, & assident similib. quæ etiam naturaliter in sui naturam mutant affluentia disposita, vt in ossib. & dentib. patet. *Secundo quod ad materiam* spectat, ea quidem aspectu primo, pulueratione, & aliis qualitatib. terrea est, licet in vno lapide magis quam in altero. Verum minima portio inest salis: maior pinguedinis bitumineæ, & cum illa talis terra, qualis etiam cum bitumine in lapide Thracio, aut Gagate. Non negem tamen aliquid sulphuris bituminei, & salis volatici etiam in fumo, seu halitu decessisse. Salis genus non est vniusmodi, vt sapor indicat. Iudicio Paracelsico lapidum horum essentia fuit sal & bitumen, quod illi sulphur vocant, in elemento plus minus terreo: pars volatilis superauit partem fixam, & succus sulphureus bituminosus primas tulit; sal fixus minimas. Terrestreitatem non definio. Succo bituminoso salem volatilem halinitrosum, vel armeniacum addo. Addo & mercurialem portionem: sed paucum Galenico iudicio *materia ex qua facta est concretio, fuit pinguis quidam, & viscidus mucus, qui salsedinem vrinalem & terrestreitatē implicauit*. Hic potest esse vel ex phlegmate putrido pingui, vel bile alterutra, vel sanguine grumoso, aut assato, vt ramēta rubra epatis docent, vel purulentia. Quib. copia est, illi etiam alios lapides Chymice resoluant. Neque enim vniuersale iudicium ex vno atque altero sumi potest. Interim *pinguedinem bitumineam, & salsilaginem vrinalem non dimittam*, quocunque sane nomine quis appellet materiam coagulationis. Illa pinguedo etiam in alui recrementis est. Facile itaque patet cognatio. Putredinem non negauerit, qui fœtorem considerat. Deinde cum *pinguedo* abundet in calculis bituminosis, de quibus dixi, intelligendum est, calorem colliquantem, & victum sulphureum, (vt Hermetici loquuntur) tenacem multum facere ad lapidum generationem, vt & in thermis fit naturalibus bitumineis & sulphureis. Non volo ad coagulationem calore magno opus esse: sed ad materiam præparandam per resolutionem, & ad loca calculorum deriuationem. Cum ante concretionem vrinæ sunt lixiuiales post aquosæ? Quia bituminea & sulphurea pinguedo hæsit, aquositas est percolata.

Efficiens. *Materia.*

Ex eadem

Ex eadem anatomia patet, cur Medici non poßint calculos diſſoluere aquis ſuis, acetis & ſimilibus non bitumineis, ſulphureis, oleoſis, & cur halinitrum, ſolutio bituminis, petroleum, ol. ſuccini, terebinthina ſpiritus terebinthinæ, ſpiritus iuniperi, & ſimilia lapides magis adoriantur, quam mercurialia. Clauſtrum enim pingue remouere *mercurialia*, & aquoſa non poſſunt. *Corroſiua* aliquid facient, ſed locum in humano corpore non habent. Spiritus ſalini, ni pingues ſint, nihil operantur. *Soluta cryſtallorum* pura non nitroſa & aliorum lapidum parum præſtabunt. *Iudaicus lapis* bituminoſus & nitroſus eſt. Quicquid halinitrum in ſua integritate refert, id ad tales calculos ſoluendos diſpoſitum eſt. *Acetum terebinthinatum* eo gradu, qui non offendat, conducit, vt & *liquor tartari*, & *lixiuia iuniperina, ſarmenticea, ononidis, &c.* Item *ſpiritus deſcenſorii nitroſorum lignorum fagini, querni, buxi, guaiacini, colurni*, & ſimilium. Solos ſales ſeu puros, vt eſt communis, aut eorum ſpiritus ſimplices non commendem. *Puluis ſcorpionum crematorum, leporum, culionum, locuſtarum*, lithonthrypticus, & qui alii in magna copia præſcribuntur, non iuuant niſi in arenis & lapillis paruis naturam ſtimulando, & debilem cohæſionem ſoluendo. Idem & ſpiritus vitrioli facit, & limonum, berberumque aciditas. Contendunt autem hæc ad renes tanquam diuretica. Ideo ibi magis mouent. Si in olea Chymica, vel ſpiritus redigerentur halinitroſos, præſentius operarentur. Natura tamen aliquando chymiam peragit intus. Itaque integra in partis & friabilibus valent. Lapides maiores bitumineos non aggrediuntur. Placet *ex aquila exaltata medicina*. Sale enim ſulphureo, bituminoſo, & inciſiua forti, ſtimulatiuaque conſtat. Solutum lapidum cancrorum, & lapidum in homine natorum non fuerit inutile. *Lignum nephriticum* ventoſitate vias pandit, naturam impellit, & inſtigat excretricem. Hoc modo iuuare poteſt, præſertim cum *Rhabarbari* more ad renes feratur, vt & cantharides. Lapis nephriticus concretiones prohibet ſpirituali modo, ſi cui inuenitur analogus, & puto *multum prodeſſe fiduciam, ſi raphani aqua* prodeſſe debet, non dari ſine ſale ſuo, & pinguedine in bitumineis calculis debet. Quidam raphanum & ononidem aceto infundunt. Infuſum præbent. Si acetum eſt vini nobilis, & ſuper tartaro ſtetit, vt pinguedinem contraxerit, bene eſt. Collige hinc, cur propria vrina pota iuuet, & cur vrinæ ſpiritus, licet aliàs ſit gorgoneus & lapidificus. Lapis palumbium ſaxatilium, vt & fimus in extractum redactus nitroſitate ſulphurea commodat. Simile iudicium eſt de cæteris. Optime medicabitur is, qui lapidis ſpeciem diuinabit. Si non poteſt, periculum faciendum eſt per ſulphureas reſolutiones, mercuriales, ſalinas, ſimplices, miſtas, & alia reſpicienda, quæ Medici ſolent.

Nõ quoduis Theolubon cuiuis lapidi confert. Bitumineus per ſpiritus bituminoſos ſalſos ſoluitur, &c.

Experimentum hoc multas opiniones de calculis vel explicat, vel redarguit, maxime Paracelſicum iudicium de TARTARO, & *Crollii* de ſpiritu ſalis. *Calculi iſti parum, aut nihil habuerunt ſimile tartaro illi, quod in defecato vino concreſcit.* Etenim tartarum aquis incoctum totum fere ſoluitur, & vna per colatorium tranſit: frigore cogitur in grumos glaciales, qui repetitis coctionib. & colaturis in candidam abeunt farinam acidi ſaporis, & virtutis detergentis, naturamque ſtimulantis ad excretiones, vnde & purgantibus benignis accenſetur. *Lapides ſeu calculi iſti* minime ſoluuntur aquis, & ne aceto quidem. Oleo tartari, & lixiuio ſolui queant, at non aquis mercurialibus, & phlegmaticis. Ad ignem ſi venias, calcinatione ſane nigreſcit primum tartarum, deinde albedinem contrahit vt vinis ſolet eſſe, & qualis fex reliqua vini vſta ſaporibus deſtinata. Adeſt & pinguedo, & ſalis magna copia. Sed ſi conferas vtriuſque paſſiones, demens ſis, ſi eadem ſubſtantia iudicare velis. Neq; odor, neque ſapor, neque color niger bitumineus pertinax, neque calx & ſal, &c. ſunt vniuſmodi. Non nego tamen aliquos calculos poſſe ad tartarum propius accedere. Si *ideo tartarum eſt, quia ex ſucco coagulat*, conſiſtitque, quam multa erunt tartarea? Hoc *confundere eſt rerum naturam, non explicare.* Putidum eſt argumentum: *In humore conſiſtit calculus: conſiſtit & tartarum. Calculus ergo eſt tartarũ quoddam.* Ex humore quidem ſeparatur & concreſcit calculus, ſed in humore tali, quale vinum defecatum eſt, non naſcitur. In veſica qui eſt, accrementa capit ex pingui, bitumineaque viſciditate, quam phlegmati, pituitæ, muco, &c. comparant longe maiore verisimilitudine, quam Paracelſica phantaſia. Quod ſi vero *de ſolis nominibus contentio eſt, age vocemus tartarum*, ſed data licentia appellationum etiam dogmaticis. Si quæ ſunt ſimilitudines, generica quædam in humore coagulatio eſt: at in calculo præterfluente: in tartaro immorante, niſi veſicæ lapis ſit, quem mucus fœtidus, tenax, ſalſus circumſtat niſi expurgetur. Cum *vritur tartarum*, fumat, & ſimul aquoſum vaporem emittit longe differentem odore: inficitur nigredine, tandemque in cinerem album ſalſum abit, qui ſudat liquorem ſalſum pinguem. Niger color & ſequens albedo eſt & in calculo, prætereaque in multis vſtulatis & peruſtis, vt ne lignis quidem deſit, quæ tamen inde non vocantur tartarus.

Redargutio tartari Paracelſici.

Coctio tartari albi ſoluti ua cremorẽ vocant.

Calculi humani à tartaro diuerſi.

Stulta ratio Paracelſiſtarum.

Calculi ideo à præterlabẽte vrina nõ ſoluuntur vt ſales, quia ſunt pingues & pingue vrinarum eis accreſcit

Ad exactiorem rei diſcretionem diligenter attendebam, num *ſalis crepantis, & exilientis* tale quid, *quale eſt in ſale communi, & halinitro*, obſeruari poſſet. Sed nihil apparebat. Vitrioli quoque nota in igni nulla occurrebat. Indebam vtriuſque calculi, gypſei ſcilicet, & flaui portiones vni catino. Affundebam oleum oliuarum. Coquebam ſatis feruente pruna, vt oleum etiam inflammaretur. *Gypſeus lapis ſoluebatur in pultem: flauus ea coctione adeo fiebat friabilis, vt nullo negotio cõtereretur leui preſſu digitorum, vel inſtrumenti cuiuſdam.* Hoc experimento iterum patet concretionem nec ſalinam eſſe, nec ex vnitoco mere terreſtrem, ſed ſuccorum pinguium bituminoſorum; & ideo, ſi quis velit remedia ad calculos frangendos dare, cognito bitumineos eſſe, olea potius exaltata, eſſentialia, aut oleis affinia debere propinare: quanquam ne ſic quidem ſoluerit firmiter compactos veſicæ calculos, quos ſæpe tam duros extraxit *Ioachimus Iungvvirth Lithotomus*, vt vix malleo potuerint frangi: præſertim autem nuclei ſunt quaſi ferrei.

Calculos eſſe bitumineos, probat diſcoctio in oleo.

Remedia calculi qualia.

Paracelſicis & qui tartareum morbum volunt eſſe calculum, propono hoc argumentum:

Calculum improprie tartareum dici.

Si morbi

Si morbi eorum cauſſæ nominari debent à ſeminibus & principiis, vt vult Seuerinus: *Calculus, qualis hactenus eſt per ignem iudicatus, non poteſt dici* TARTAREVS. Ratio eſt: *Quia tartarum ſalibus accenſetur, eiusq; cauſſa efficiens & interna materialis dicitur ſal quidam cryſtallinus eſſe*, vti & apparet ſenſibus, & poſt calcinationem, & decoctionem. Feculenta quidem pars vna eſt, ſed ea ſecernitur diſcoctione & colatura crebra. Adeſt & pinguedo quædam ſulphurea, Mercurialis aqua, & terra foliata: ſed à ſale excellente eſt denominatio. *Calculi* vero *tum renales, tum veſicales, quos examinaui, ex prædominio ſunt ſulphurei ſeu bituminoſi* Sed ſat prolixa fuit digreſſio. Ad Hermetem redeamus.

SECTIO XXXIII.

De elementis quæ ſpagirice ex mixtis præter eſſentiales partes ſegregantur.

De elementis Hartmanicis. Paracelſiſtarũ diſſenſus. PRincipia eſſe duorum generum formalia, ſeu actiua tria, de quibus iam vidimus, & materialia tantum duo, quæ & paſſiua vocant, ex *Quercetano* patet, quanquam aliis Paracelſiſtis duo paſſiua *non* ſint *principia*, ſed *elementa ſterilia*, & abiectanea, quod poteſtates eſſentiales habeant nullas, ſed tantum primis & ſecundis qualitatibus, quarum in medicando non eſſe vſum notabilem volunt, aut ſaltem iuxta *Hippocratem* non magni momenti, nec artificioſum, ſint affecta. *Principia* voces an *elementa*, nolumus prolixe contendere. Illud ſaltem conſiderent qui ſuam Hermeticam laudant, *an non ſi formalia & actiua ſunt principia, oporteat etiam eſſe paſſiua. Relata enim ſimul ſunt, & duo proxime & immediate contraria ad idem genus proximum pertinent.* Si non: fateantur, *ſuam diſciplinam hac in parte à ratione exulare.* Deinde *quæ priora ſunt, eo magis ſunt principia, quam quæ poſteriora. Elementa ſunt priora*, quia Hermete Hartmaniano teſte primum ſunt in hagiaſterio pura: ſecundo alia ſunt in meſaulo, vbi dicuntur, *ſemina ſibi fabricare corpora domeſtica*, principia ſcilicet, & elementa, quæ iuxta *Crollium* non externa, ſed interna, & ſpiritualia oportet eſſe, inſeparabilia quidem à principiis, vt ſaltem ſi non priora, attamen æque prima ſtatuenda ſint, ſed ſi naturam & rationem auſcultare volumus, priora. *Quod enim ſimplicius eſt in eodem ordine, prius compoſito eſt.* Elementa eſſe ſimpliciora ſale, ſulphure, & mercurio, ſi nolunt fateri Paracelſiſtæ, cogentur & iam *Crollius, Seuerinus, Hermes, &c.* confeſſi ſunt ſuorum principiorum ab elementis impoſſibilem ſeparationem, videmuſque quos ſales, olea, & liquores nomine principiorum oſtendunt, ea eſſe *paſſibilia ab elementis, & formam in materia corruptibili habere, poſſeq; reſolui in ſpiritus.* Quanquam autem *Crollius* principia etiam elementis præmittat, & hæc quoque ex illis conficiat, tamen quia non poteſt in eis oſtendere poteſtates, quæ ſunt principiorum formales notæ, repudiatur eius ſententia. *Poteſtates* autem *non eſſe rerum ſimplicium, ſed compoſitarum euidens eſt* ex natura conſtitutionis, nutritionis, effectorum, &c. Principia itaque compoſita ſunt, & habent ſe ipſis aliquod prius, quod illos ipſos confiteri neceſſe eſt, qui *cœlum quartum elementum* eſſe contendunt, & ſua principia ex ipſo & cæteris conſtituunt, quod videant merum cœlum eſſe abſque talibus poteſtatibus, ſicut & ætherem abſque ſtellis per ſe acceptum; vnde *Lullii cœlum ex vino, & ſtellæ ex miſtis corporibus.* Eſt & alia ratio, qua elementa ſeu materialia principia priora eſſe conuinci poteſt, nempe *materia prima Hermetis Hartmanni*, quæ ad nouorum indiuiduorum procreationem permanat, hoc eſt, ſubiectum illud eſt, quod ſuſtinet mutationes in generatione & corruptione, quas veteres dixerunt ſuſceptiones & abiectiones formarum alternas. Licet enim *Hermes* ibi dicat fieri nouorum indiuiduorum procreationem conſumtis elementis: tamen hoc nihil obſtat. Nam ille occupatus tot miraculis ſancti ſanctorum errauit lingua, volens conſumtis formis, ſeu principiis formalibus dicere, quod aliàs enunciat per ſemina ad ſuos *abyſſos & orcum* redeuntia. Eſſe vero *formas & ſemina* pene idem, inde patet, quia vtrumque dicitur ſibi corpus fabricare ex principiis & elementis. Vtut ſit, ratio eſt, quod ſubiectum, quod ſubſternitur indiuiduis mutabilibus ſit prius. Quid enim manet ſemper, prius eſt his, quæ naſcuntur, & intereunt viciſſim. Talis autem eſt materia prima *Hermetis*, quam ne fingere quidem poſſis in natura *alius generis eſſe, quam eius, quod à principio à Deo eſt creatum.* Id autem erat cœlum, terra, aqua, ſpiritus, lux; quæ *elementa* dicuntur in ſchola Ariſtotelica. Quod ſi nolis concedere elementa eſſe vel ſimul, vel priora principia: ſaltem figmentum *materiæ, formæ, & ſeminum*, cogeris anteponere. Sed fruſtra rationibus agitur in Paracelſia irrationali, in qua *quicquid videtur ebrio Paracelſo*, aut poſt cereuiſiam, vinumque pota ſtertenti, *pro ſapientiæ dictamine acceptatur à nouis illis fratribus*, qui *Paracelſiam* ſeu *Theophraſtiam à Mahumetanis magis in oriente & occidente repetunt, & notæ hactenus ſcholarum Theologiæ & Philoſophiæ anteponunt.* Duo *Hermes* elementa tantum agnoſcit. At *quatuor* ponunt ſiue cum *Ægyptio Hermete & Academicis*, ſiue cum Peripateticis omnes Chymici. Video quidem *Atrienſem Hermetem* loqui de his quæ ab *Ariſtotele* materialia vocantur, & *corporum materiam conſtituere perhibentur*, TERRA ſc. & AQVA, quæ poteſtatibus internis priuata eſſe pronunciantur: ſed hoc minime ſufficit. Ratio eſt: *Elementa ſterilia agnoſcuntur ex qualitatibus primis & ſecundis, quæ proxima ſunt formæ elementaris ornamenta, adeo vt etiam pro formis internis ponantur.* Vt formæ dantes eſſe rei, elementis inſunt, & ea numero diſtinguunt: ita formales qualitates, ſenſu perceptibiles eſſe, & adeſſe ſequitur. Sunt autem non tantum paſſiuæ qualitates elementares, humiditas & ſiccitas: ſed & actiuæ calor & frigus, quas Paracelſici adeo extenuant, & contemnũt, quaſi in tota Medicinà, & ſanitatis œconomia eſſent rancidæ nuces, putridi fungi, tricæ, apinæque, & ſi quid vilius illis, imo vmbræ ſomnium, *qui* tamen *ſine calore & frigore nullum opus chymicum poſſunt abſoluere*, & ſi æſtates noſtræ calore carent, & foci tempore hyemali, nouimus, quam bene habeant res noſtræ. Verum hoc iam non agitur. Illud dico, ſi & calor eſt ſterilis & relollacea qualitas, quæ non principiis, ſed

Elementa eſſe veriora principia.

Principia nõ principia.

Potentia medica.

Materia principiis prior.

Formæ & ſemina principiis priora.

Elementa creationis.

Duo tantũ elementa in furnis Hartmanicis.

Qualitates primæ contemtæ à Paracelſicis.

ſed elementis debetur, non autem eſt neque in aqua, neque in terra ſimpliciter acceptis: neceſſe erit & tertium elementum relollaceum, ſeu fatuum & ſterile eſſe, nempe id quod ſpiritum vocamus duplicis naturæ, calidæ ſiccæ, & calidæ humidæ, hoc eſt, ignem Peripateticum, & aerem. Quanquam enim ſapientia Paracelſica *ignem Ariſtotelis* cum *Quercetano* inter elementa non habeat: tamen non ideo non eſt, aut eo carere poſſumus, ſentiatque vel puer ſi candelæ ardenti imponat manum, aut chartam, vel ſimile quid inde continenter effluere ***ſpiritum calidum ſiccum*** non vſque adeo ***ſterilem & relollaceum***, vt nugatores Paracelſici dicunt. ***Seuerinus*** quidem non potuit omittere; ſed dum vitare charybdim vult, in ſcillam incidit. Nam dum igneum hunc ſpiritum in omnibus elementis eſſe poſſe concedit, aliquid præter elementa eſſe non poteſt negare. Elementa ipſi ſunt cœlum cum ſuis lucibus terra, aqua, aer. Hic communicat ignem. Is aut ſola forma eſt; aut etiam materia. Tot ſunt elementa, quot relollaceæ & elementares qualitates principales, ſiue iam ſint ſolæ, ſiue combinatæ. Ratio eſt: quia eſſentialiter pro formis diſtinguunt elementa, nec aſſcribuntur principiis, cum neceſſe ſit aut principiis aut elementis dari. Iam autem quatuor ſunt relollaceæ qualitates principales, quas negare nequeunt ipſi Paracelſiſtæ. Ergo & quatuor elementa; eaque relollacea, quia formalia relollacea materiam talem requirunt. Vbi iam cœlum, quartum elementum? Num & hoc ſterile? Sed de calore pergamus. Si eſt ſola forma, neceſſe eſt, ſi ſingularis ſit, vt etiam ſingularem habeat materiam. Eſt enim inſeparabilis, cumque qualitas elementaris inter omnes actuoſiſſima dicatur, neceſſario per ſe alicui elemento inerit, quod tale ſit, vt per omnia cætera diſpergi poſſit, ſi communiter cætera occupat. ***Si in aliis eſt per accidens, & præter naturam, in aliquo per ſe & ſecundum naturam erit:*** Et cum agat in cætera, eſtque ***naturaliter agentis finis ſimilitudo paſſi, tum habere materiam propriam neceſſe eſt, tum gignere ſibi ſimilem.*** Verum fruſtra diſputamus, vbi ſenſus teſtimonium adeſt. ***Spiritus ille calidus ſiccus, qui exhalatur à flamma, aut cœleſtis natura eſt, aut aer, aut aqua, aut terra, aut aliquid ex illis miſtum, aut principium chymicum.*** Si aer & cœlum non eſt, neceſſe eſt peculiarem naturam eſſe. Neque enim facile conceſſeris de terra, aqua, principiis, & miſtis. At nec aer eſt, nec æthereum corpus. Vires enim & effecta diſſentiunt, nec vt in aere viuere animalia & plantæ poſſunt, ita in igneo ſpiritu. Adde quod *Sacræ literæ* ignem illum manifeſte diſtinguant à cæteris, vt Pſalm. 148. Dan. 3. In Græco: & alibi. Imo cum cœlum ipſum ignibus conſumetur, patebit aliud eſſe cœlum, vt & aliud aerem, aquam, terram, aliud ignem. ***Neque enim idem ſunt agens & patiens:*** comburens, & id quod comburitur, lignum & flamma. His argumentis compulſi ***alij Paracelſiſtæ: quatuor ſterilia elementa eſſe concedunt:*** ſed cum ad ſenſibilem ſeparationem peruentum eſt, tantum duo oſtendere poſſunt, duo relinquuntur cogitanda. Quidam volunt ea eſſe cum principiis, à quibus ſeparari nequeant propter formalitatem. Itaque & ***duplex oleum habent, igneum & aereum: ſpiritum triplicem,*** igneum aereum, & ſalinum, ſeu terreum. ***Aqueus*** in aeris familiam concedit, aut mercurio adhæret: ***cœleſtis*** inſidet coniunctuſque eſt omnibus. Alii dicunt, ***aerem*** & ***ignem*** inſenſibiliter exhalare. Quercet. cap. 14. defenſ. ***Aer*** tertium rerum elementum ſeorſim capi, aut ſeparari nequit: ſed vel in auras euaneſcit, vel ſulphure & mercurio, permixtus manet, inprimis mercurio adhæret, &c. Vide tamen ibi ſeparationis induſtriam per ſalem: vt relinquatur aer forma liquoris ſimplicis nullius virtutis quam ſimpliciter humectandi & penetrandi. ***Paracelſus*** omnia miſta reſoluit in quatuor elementa ſymbolica, vt & priores Chymici, qui nondum ***tria principia Monachi*** inter eſſentialia artis receperant. Itaque apud ipſos ***deſtillare elementa poſſe, purgare, & iterum coniungere, erat maximi magiſterii votum,*** & ſumma artis, vt & in lapide Philoſophorum; de quo cum infinita ſint volumina, tamen ***in pauciſſimis legas de tribus principiis.*** Elementa vbique antecellunt. Aiunt, per ***corpus, animam, & ſpiritũ intelligi.*** Sed nos allegoriis nõ acquieſcim[9]. ***Non ſi quid comparari alteri poteſt, id ſtatim eſt idẽ.*** Lõge aliæ res ſunt in ***ouo Hermetico corpus, anima, ſpiritus, ſeu ventus portans in ſe animam,*** euehenſque & reuehens, quam ſal, ſulphur, & mercurius. Quid dicendum eſt; cum ***Hermes, Crollius*** & alii adeo cumulent elementa, vt non quatuor aut quinque, ſed ***duodecim*** vel ***ſedecim*** aut plura ſint ponenda? Sunt enim ***elementa*** illa ***prima*** abyſſorum in orco orphei: ſunt ***elementa interna*** inuiſibilia, ſpiritualia, aſtralia, quæ in homine conſtituunt ***hominem illum olympicum,*** ſeu corpus eius ſpirituale. (Eſt enim bicorpor homo, quod naſus Paracelſi primum olfecit, & ***Crollius*** admiratur mirifice,) ſunt ***elementa externa,*** tanquam indumenta aſpectabilia, & laruæ quas induunt ***ſemina in theatro mundano fabulam actura*** iuxta ***Seuerinum & Hartmanum. Paracelſus*** habet ***elementa elementorum,*** & deſtillando ex aere quoque & igni quatuor elementa putat elici poſſe: fortaſſe & lumen ſolis, aliarumque ſtellarum ſpagirice ſeparaſſet, ſi vixiſſet. Sunt alia elementa cum principiis. Debet ſaltem ***Hermes*** Atrienſis externa omnia monſtrare, quicquid ſit de internis & abyſſo extra mundum. Sed atrium eius caret igne. Alioquin barbam non retuliſſet illæſam; ſi & aere caruit, quo modo ſpirabas ***Hartmane***, cum in atrio eſſes? Verum nefas eſt de hoc quærere. Interno aere, vel ſaltem æthereo ſpiritu ſpirabas. O te beatum, ſi in ſancto ſanctorum aut meſaulo manſiſſes. Quos enim ſpiritus cœleſtes ibi non per os & nares, & omnes poros attraxiſſes? Veruntamen quod pace tua dixerim, totum ***tuum cœlum hermeticum plus habet de impuris elementis, quam vel de ſpiritu olympico, vel elementis internis.***

Spiritus duplex elementaris ſimplicitatis.

Grandis cumulus elementorum Paracelſicorum, vt plus ſat's ſint elementares, & ſenſuales miſeri.

Satius fuiſſet, vt totum in elementis puris, ſeu vacuitatibus abyſſi manſiſſet.

* * *

SECTIO

Sectio XXXIV.

De aquæ elemento ▽

De elemento aquæ Hermetis Atriensis.

Discipulus Hermetis in Atrio principia lustrans *vertigine* quadam corripitur. Itaque in hæc verba prorumpit: *Fallor, an retrorsum imus?* Putat ille bonus, se ad *principium sulphureum* redire, △ quod pinxerat trianguli figura, quæ aliàs est Ignis flammei flagrantis pyramidaliter, seu coni modo. Ei opposita aqua designatur triangulo inuerso, ita vt apex deorsum, basis sursum vertatur. Ideo dicit: *An omnia inuertuntur?* Imo non omnia. Sed signum flammæ mutatur tantum in signum aquæ inuerso situ. Fallit autem hîc, aut potius variat Cabala. Non enim omnes nec semper vtuntur eodem signo aquæ. Quærit vertiginosus: *Pyramides sursum erectis basibus vertici insistere qui possunt?* Non est sapiens interrogatio. Vertex enim est, vnde fit versio, vt in capitibus humanis, quibus quod imminet, supra verticem esse dicitur. Vnde *Zenith* punctum verticale. Virgilius in 1. Georg. seu polum ita vocauit, seu hemisphærium, cum scripsit: *Hic vertex nobis semper sublimis, at illum sub pedibus styx atra videt, manesq; profundi.* Quidam *axem* appellant, circa quem est cœli versio. Sed *polum* intelligi, & tropo synecdoches postea hemisphærium, nihil habet absoni. Si itaque de circulo aut globo loqueretur, admirator, *etiam inferius verticem esse posse fateretur.* De cono, pyramideque id est insolentius: quia hæ figuræ, bases, apicesque habent, non vertices. Mirum igitur conum apici insistere, si nec infixus alicui solido sit, nec sustentetur, nec vim deflectentis, & præcipitantis experiatur. Cum in sancto sanctorum pergerent in mesaulon, per pyramidem rectam, tanquam per vmbram incedebant. Sed illa pyramis inuerti debuit. Nam *latior pars seu basis in cœlo est; acumen in terra,* quod vel materialis globus, aut depictus circulus radiosus, seu rota plaustralis docere potuit hominem. Nihil hic miramur triangulum apicem habere in centro, basin in circumferentiâ. Sed quid vertiginoso respondet Hermes? 1. *Aquam hæ innuunt.* Male. Primo enim nulla est necessitas relationis cabalisticæ inter inuersum triangulum, & aquam, quæ tamen in disciplinis æternis & scientificis requiritur. Verum hoc argumentum non teneo pertinaciter, quia *Paracelsia non est æterna sapientia,* vti falso eam vocat quidam *Tyrolensis in reformatione totius mundi.* * Itaque aquam vel vitulo pingat. Secundo non plures inuersæ pyramides aquam significant, sed vna tantum, si de elemento aqua loquaris. Tertio non solemus aquam affectam, quæ ex mistis educitur arte isto signo, nisi catachresi pingere. Chymici vulgarem fontanam, putealem, flumineam, vel quæcunque communis & externa sit, per ▽ accipiunt, vt & nota ≈, quæ fluuiatilem potius ostendit, vt in cœlo aquarium, quasi & pluuiam significaret. Quarto male comparata est ista figura. Ponit enim ignem Aristotelis. *Dato vno contrariorum datur & alterum, quia contraria sunt simul.* Non potest Paracelsia defendere hoc signum, nisi & igneum Aristotelis elementum agnoscat. Est & ideo aliena à disciplina scientifica: quia cum in contrarium igni tendat situ, *terram potius debet notare,* quæ est grauissima, & centrum obsidet. Aqua negatur centrum mundi attingere. Cum item quæuis pars aquæ sit sua natura rotunda, aut, vt alii volunt, fluxile, & diuisibile corpus, stultum est, eam repræsentare inuerso triangulo. At, inquis, in suo loco, tanquam vase sic est. Sane si vortices & turbines seu gurgites respicias. Et non si aquam omnino, quæ etiam plani fundi vasti inest, idque per vim non per naturam. Succurrat Magia Arabica, aut Mauritana, & aquam in talem statum redigat. Ne *Moses* quidem, inquam, aut *Iosua*, aut *Elias*, aut *Elisæus* in talem figuram eam coegerunt. Cum item in glaciem concrescit, fortuitum fuerit Pyramidali, vel triangulari specie consistere. Quo ergo tandem argumento *cabalam* hanc *magicam* comprobabimus? 2. *Quid est aqua?* Est *primum rerum elementum.* Hoc indiget consideratione. Si aqua est primum rerum elementum, & elementum causa quædam est, & pars constitutiua mistorum, sicut literæ syllabarum & dictionum, *omnes res deberent ex aqua esse,* atque ita anima quoque, & res incorporeæ aliæ. In rerum numero sunt etiam principia. Si hæc quoque ex aqua sunt tanquam ex elemento, principia non sunt prima omnium: sed ex prioribus composita. Scio, *Thaletis* hanc opinionem fuisse, & *Hermeticos*, *Paracelsumq;* sentire, *omnia corpora ex aqua exorta esse,* Deo eam primam corporum creante tanquam *chaos* & materiam primam succedentium. Sed si hoc verum est, quî vera esse poterit Crollij opinio *de principiis omnium primis?* *Deinde si primum est rerum, primordium substantiale est.* Qua itaque audacia eam remouent ab essentiis constitutiuis rerum materiatarum? Moses ait: *In principio creauit Elohim Hasschamaym Vaaretz*, cœlum (cœlos) & terram per *Hasschamaym aquas primas*, quæ cum vnâ essent, post in duas sint diuisæ, quidam intelligunt: sed aduersantur eis Theologi plures: cum vsu vocis in scriptura cætera. Cœlum enim & non aquam communiter designat. *Est harmonicus consensus maioris & minoris mundi*: inquiunt. Minor mundus fuit in principio aqua. Talem enim naturam habet semen. Lapis quoque Philosophorum in initio aqua. *Sic mundus factus est*, inquit ter maximus Hermes. *Ergo aqua fuit primo omnium creata.* Rape in argumentum etiam vrinas, lac, omnesque succos. An non vides ex eis corpora existere, vt sales, caseos, & alia? An non metalla, & gemmæ initio sunt humores? An non sic aluntur plantæ? Multæ sunt generationes in natura ex aqueis, seu humoribus, quos commendant & nutritiones. Si hoc argumentum satis validum iudicant ad demonstrandam aquæ prærogatiuam. Cur ergo tota Paracelsia sic infesta est *Galenicis humoribus*, eosque, quamuis mirabili arte *Seuerinus in Hippocrate* tornet, & fingat ad lubitum, tamen improbat in *Galeno*? Verum ex fundamento Harmonico, seu Paracelsica concordantia sic argumentor: *Si sic factus est mundus vt homo,* TERRA *mater est primum elementum.* Homo enim ex terra est factus, & in terram redit. Assumo: *At est prius. Ergo & posterius*: vel: At terra non est primum elementum. Ergo mundus non

Cabala Paracelsica arbitraria.

* A.H.&O. C sophia intacta incontaminata Theophrastia pura æterna. Theophrasti doctrina iusta sine macula florebit in æternum cum sapientibus Dei, &c.

non sic factus vt homo. Est aliqua comparatio creationis, & generationis naturalis. At in multis differunt. Itaque non καθόλου altera declarat alteram, & in hoc deficit Paracelsica concordantia.

Spiritus S. dicit *Deum in principio fecisse non cœlos seorsim, nec terram primum: sed copulatè cœlum & terram.* Si itaq; nomine Haschamaym Aquas intelligimus, quod videntur exigere sequentes descriptiones (Terra erat vacua & inanis: tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini, quo auram, seu aërem rudem aliqui intelligunt, ferebatur super aquas) patet simul & terram & aquas facta esse, & neutrum esse altero prius, nec posse terram potentia saltem fuisse in aquis, *cum eius quod est nulla sint actu adiuncta.* Separata vero postea aqua est, vt Arida apparuerit, quæ separatio non fuit talis qualis cum salinatores muriam coquunt, aut Chymici, vel aurifices diluta separant, quanquam aliquibus hoc placeat; sed euidens litera dicit: *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida, &c.* Fuit itaq; terra circundata saltem aquis, & non diluta illis, aut soluta vt sal lixiuio. Seclusione aquarum non totali, sed partiali in conspectum prodiit, quod indicat Deus in *Iobo* quoq; cum inquit: *Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat* quasi *de vulua procedens: cum ponerem nubem vestimentum eius* (aerem rudem, nebulosum instar nubis) *& caligine illud inuoluerem. Circundedi illud decreto meo, & posui vectem, & ostia, &c.* Hic aliud est prorumpens mare, aliud id vnde erumpit & quo coercetur, qualis est adhuc hodie vtriusque elementi constitutio. Si vt sal è muria, ita terra ex aquis esset segregata, mare non esset luti liquidioris instar. *Terra firmata est super basi sua: mare terris incumbit.* Non mare centrum mundi occupat, sed terra. Cogitet de his amplius *Hermes* tuus *Hartmanne*, & simul videat, quid de materia prima sit statuendum in hagiasterio, si aqua est primum rerum elementum. Proculdubio & ipsa erit aliquid rerum. *Quercetanus* in Tetrade, vbi *Mercurium vitæ solarem* describit, solutum auri & argenti per propria menstrua posse vno momento in corpus reduci ait, si quis infundat *liquefactiuum, & humectatiuum omnium rerum primum,* quæ est aquæ elementaris descriptio, qua etiam vulgares segregatores in descensionibus solutorum metallorum vtuntur. Intelligo non simpliciter primum, nec solum; sed liquefactiuum, & humectatiuum primum respectu rerum omnium quæ liquefieri possunt aqua, & madefieri. Nam ratione aquæ ex sententia *Platonis* metalla, lapides, & alia quoque fusilia liquari possunt, vnde appellantur in Timæo *aquæ fusiles* (χυτὰ ὕδατα) Humida sunt *Quercetano* inter principia *Mercurius & sulphur:* Inter elementa aqua & liquor aëreus ex Mercurio separatus. Si aqua est primum humefaciens, conferet humiditatem etiam principiis humidis, vti & res ipsa testatur. Sulphur enim coagulatur humiditate euaporante; & Mercurius sali iungitur eadem elicita. Sed non prætereundus aer quoque est. Hoc enim sales liquescunt in vapidis cellis. Si mista componuntur ex elementis, & Deus in principio mista protulit creando, simul ponenda sunt elementa. Verum pergamus.

Separatio aquæ ab arida. — *Cap. 38. v. 8 &c.* — *Humida principia & elementa.*

3. *Aqua est elementum humidum.* Peripatetici etiam *aërem natura humidum* dicunt, quod non tantum talis sit vbi maximè est suus, sed & proxima potentia aqua. *Vapor* itaq; *erit quædam aëris species*, quasi crudior, & inelaboratior aer, qui videtur à Deo in *Iobo* Nubes circundans mare appellari. *Vapor.* Quidam vocant *aquam resolutam.* Sed hoc modo aqua fiet aër coagulatus, conficienturque generationes & corruptiones elementorum non substantiali transmutatione, sed passione accidentali, adeoque alteratione. Rectius: *Vapor est aër rudior proximè ex aqua resoluta factus.* Quanquam enim etiam ex mistis educatur: tamen ratione aquæ tantum illa sunt vaporabilia. Cum ex aëre densescente transitus vicissim in aquam est, nō solemus vaporem vocare. Non enim vapor fit coagulatione, sed resolutione: coagulatione frigida terminatur & fit visibilis. Verum non magni momenti sunt hæ disputationes. Chymico sciendum est *non omne humidum esse aquam, nec omne humidum primum.* Nam & aër vapidus humidus est, & si quis velit rixosus esse, is possit aërem omnium elementorum, quin & cœli primordium ponere. Aër enim non enti vicinior est, suntque res factæ cum prius non essent. Idem declarant nubes, quæ putantur ex locis ignotis produci, nec semper ex vaporibus aqueorum coalescere. Has aquis accensent nonnulli, dicuntq; esse partem aquarum in firmamentum reiectarum, quæ vt manere possint, istam formam acceperint. *Iob 38.* Hoc *Iob* videtur innuisse cap. 26. 8. cum ait: *Qui ligat aquas in nubibus suis vt non pariter erumpant deorsum:* quasi dicat aquas nubium specie in aëre detineri, & sic dispensari vt non simul, sed particulatim stillatimq; defluant, nisi cum pœnæ instant per nimbos, & catarhactas, vt in diluuio. Si nubes, nebulas, vapores, etiam aquis accensemus, vt & rores, niues, pruinas, glaciem, grandinem, granulam: duo saltem humida manebunt aëreum nempe, & aqueum: Sin distinguimus, plura agnoscemus.

4. *Aqua est insipidum phlegma.)* Nimirum sale spoliatum. Volunt enim sapores ex sale esse, qui Paracelsum sequuntur. Est autem insipida aqua pura & simplex cum debeat omnium saporum susceptiua esse. Valere enim & motiuos esse sapores in humido, publice constat. Ita aër Inodorus est, & tamen susceptiuus odorum omnium. In sensoriis nihil eorum quæ sentiri debent, actu esse oportet, siue omninò, siue sine excessu. *Simile enim non est motiuum,* falliturq; sensus alio actu occupatus, vt cum per vitra colorata videmus, aut ictero perfusa lingua est. Appellatio *Phlegmatis* in vetere medicina est vsitata. Ita enim dicitur vnus humorum, corporum animalium cum cæteris constitutiuus, vt sit eis pro elemento aquæ frig. hum. Sed non simplex est absolutè, verum mistus, vt sanguis, & vtraq; bilis. Paracelsici vocem transtulerunt ad humorem simplicem, qui elementum dicitur omnibus mistis commune. Interdum naturalem humorem in corporibus, qui aquæ respondeat, sic vocant, vt cum de origine morborum tartareorum, vt calculi, & arthritidis, differunt, vbi veteres dogmatici intelligunt *mucum illum viscosum,* contra distinctum duplici bili & sanguini frig. hum. per se; ex mistura vero aliquando salsum, acidum, amarum, sabulosum,

Humid. resolutum, & coagulatum. — *Phlegma.*

tartaroſumve,aut aliter affectum præter naturam. Itaq; phlegma habent elemẽtare,alimentarium naturale, excrementitium, præternaturale prout conſtitutio eſt. Paracelſicis quid cauſæ eſt vt pro aqua elementari dicant phlegma à φλέγειν quod eſt inflammare,incendere,comburere? Singularitas nimirum, & libido in priſcam medicinam inuehendi. Sed loquantur illi vt lubet. Mos diſciplinæ veteris,quæ ius primæ impoſitionis habet,ideo non mutabitur. Si ipſis phlegma eſt elementum vniuerſale,poterit etiam dogmatis eſſe elementum corporis animalium ſpeciale. Quod ſi & ipſi à re pertracti agnoſcunt talem humorem in corpore eſſe, nec paruum momẽtum habere ad ſanitatem & ægritudines,accuſatis dogmaticis accuſant ſeipſos,ſimulq; ſunt humoriſtæ,præſertim cum quaternionem hippocraticum auxerint, & acceſſu liquoris articularis, quem *Sinouiam* vocant,in pentadem tranſmutauerint.

Paracelſiſtæ humoriſtæ.

Quid aqua.

5. *Aqua elementum eſt omni ſulphure & Mercurio deſtitutum.)* Cur non addis & Sale? Si iſtis nominibus eſſentiæ æthereæ intelligũtur, quæ ſunt poteſtatũ propriarum in miſtis ſubiecta prima & proxima,rectè dicitur per ſe & primũ nihil iſtorũ termino aquæ elementi comprehendi. Sed cũ *Crollius* elementa faciat ex principiis,videndum Hermeti eſt,quomodo cum iſto cõueniat. Deinde accuſantur Ariſtotelici quod elemẽta talia proponant,qualia ſunt nuſpiam. Vbi vero id phlegma exiſtit quod hic *Hermes* deſcribit? Si inquiras nec in maiore, nec minore mũdo inuenias ſeparatim. Arte ſpagirica & phlegma, & liquorem mercurialem ſegregant ex miſtis. Hi humores relatè ad eſſentias dicuntur carere ſale,ſulphure,Mercurio. An & abſolutè? In maiore mundo oſtenditur aër, aqua,terra, cœlum, ſed hæc negantur ſolitaria eſſe. *Omnibus enim includuntur ſemina naſcentium, & principiorum*, vt ſint tanquam matrices & capſæ vno modo: altero materia duplex elementaris interna,& externa. Quod ſi eſt,elementum aqua noëticum,ſeu Logicum,& rationale erit,non Phyſicum. Sin autem & Phyſicis licet abſtrahere intellectu,non erat tam aſpere tractanda prima Ariſtotelis materia, priuatio, & ſimilia, quæ non ſenſibus primum,ſed rationi ſimul patent. Notandum eſt Chymicorum phlegma non ſemper eſſe aquam elementarem ſimplicem, ſed aliquando reſiduum à ſpiritu,& oleo, vt in vini, & vitrioli deſtillatione apparet. Phlegma enim ibi adhuc eſt miſtum,& in ſalem,aliaq; poteſt reſolui,vt cum Cryſtalli ex aceto phlegmatis vini fiunt. Hæc cauſa eſt cur Hermes ſalem omiſerit in deſcriptione. Sed ſi ſalem adhuc retinet, qui eſt inſipidum? Sali principij ſapidi dignitas aſcribitur. Nempe hac quoq; in parte Paracelſia non eſt exquiſitè iudicata, vt benè indigere videatur Reformatione per ſocietatem Roſeæ Crucis.

Phlegma Chymicorũ.

6. *Eſt Elementum nullo odore.)* At & aqua ſimplex vaporans aliquo eſt odore. Verum hic non eſt eſſentialis,quem ſulphuri aſcribunt, & cum etiam Mercurius ſit ſapidus, & odoratus,coguntur fateri Paracelſiſtę principia non omnino eſſe ſimplicia; vnde *omnia in omnibus* eſſe ſtatuunt. Verum talia κρησφύγετα diſciplinam infamant, & ſcientificam eſſe negant. Tyrocinium: Nullum principiorum ſimplex eſt & ſolum: ſed de reliquis participat; vt ☿ continet ſubſtantiam ſulphuream & ſalinam, &c. quæ ex Quercetano ſunt. Nimis ruſticum, & ſuperficiale eſt cum vrgeris argumentis, ex omnibus omnia facere. Quis enim vel ſtultus non poſſet tales rationes comminiſci? Ars ſeparatoria imperfecta eſt quæ nec eſſentias, ſeu principia ex toto poteſt ſeparare ab elementis, nec principia à mutuis. Ego tantum ei tribuo quantum poteſt opere. Quantum autem poteſt,id tantum non eſt vt Peripateticam, & Hippocraticam doctrinam euertat, quanquam alicubi corrigat alicubi augeat,vt & lumen ex reuelatione diuina in ſcripturis.

7. *Elementũ aqua nulla alia virtute vitali præditũ eſt.)* Diſtinctè loquere Hermes. Phlegma ſæpe in abſcõdito virtutẽ habet: ſæpe etiam in aperto aliquam,ſed vel tenuem nimis,vel abominabilem. Si fratres Roſeæ Crucis reformare omnia volunt,inueniunt & hic campũ. Alias *Paracelſicis, & Cardano omnia quæ aliquam vim efficiendi, & mouendi habent, viuunt.* Neceſſe eſt ergo & Phlegma viuere, facultatemq; vitalem habere. Nam humectat,ſeu madefacit,& refrigerat: Copia pondus habet & deorſum fertur eleuans in libri pendio minus ponderoſa. Abluit quoq;, & vtiliter ſeruit in multis Alchymiæ operationibus. Cum item paſſibile corpus ſit, quando eius beneficio ſales actiuos elicimus, & alia peragimus, tanquam menſtruo quodam, potentias impreſſionum variarum habebit. Ad rationem iſtud dictum magis eſt quam ad ſenſum. Tyrocinium ita ait: *Obſeruandum eſt quod in ſpagirica miſtorum ἀναστοιχειώσει præter tria commemorata principia vere actiua duo alia reſultent corpora quæ principiorũ numero à Chymicis non aſcribuntur, quod illorum tantũ ſint integumenta, omni δυνάμει Hippocratica deſtituta, quorũ alterum ſiccum, &c. alterum humidũ, & accidentaliter aëreum, nempe phlegma inſipidũ, & inodorum, quodq; tantum humectat citra vllam aliam ἐνέργειαν, aut actiuitatem medicam.* Quercet. c. 14. defens: Elementi viſibilis corpus humidum, quod inſipidum phlegma vocatur, omni ſulphure & Mercurio obrutum (deſtitutum) nullo odore, ſapore, vitaliue alia virtute præditam, quodq; tãtum humectare poteſt citra vllam energian. Hæc ille. Frigus & calorem nimirum aliis aſſcribit, quæ tamen ſunt elementares qualitates à Paracelſiſtis extremè deſpectæ vt videre eſt apud Parac. *Crollium, Seuerinum, &c.* vbi iterum diſſultat harmonia Paracelſica. Si enim humida eſt aqua, aut [illegible] calidam ſimul eſſe neceſſe eſt. Itaq; & actiua aliqua erit. Si naturã conſideres, inuenias tepidam relatè, quæ ſine calore, & frigore non ſit: alias frigidam per ſe eſſe quis neſcit? Si calet, aliunde calet. Frigidam dico, non extremè. Frigoris enim exceſſu glaciat. Spiritum ei, qui tribuunt, & huius, non caloris, beneficio liquidam eſſe ſtatuunt nonnihil dicunt. Quanquam enim calore glacies denuo ſoluatur, tamen hoc non eſt firmum argumentum quod à calore ſit liquida. Spiritus enim vel inferuntur, vel exuſcitantur, & quia ſpiritu ſuo priuata eſt expreſſione frigoris, ideo deinceps non poteſt reſiſtere gelationi, faciliusq; aqua vel cocta prius, vel gelata iterumq; reſoluta in glaciem abit. Quo magis eſt ſpirituoſum quid, eo minus gelaſcit, ſiue calidum ſit, ſiue frigidum. Sunt & frigidi ſpiritus incongelabiles.

Aqua Beguini.

Aqua Quercetani.

Aqua fluida eſt propter ſpiritũ magis quam calorem.

Sectio

SECTIO XXXV.

De Elemento terra.

COmes seu discipulus Hermetis fingit se videre *multos terreos tumulos, multa crania coaceruata,* *Terra.* & in ambitu sparsa, colligitque *cœnobij sepulchretum, & polyandrium esse.)* Primum vox cœ- *Cœnobium Hartmanni.* nobij consideranda est. Congruit ea, si ex vsu iudicanda est, communitati monasticæ in vno loco, vt monasterio, quod claustrum vocant, in quo conclusi fratres omnia ad victum necessaria habent communia. Erant olim diuinæ sapientiæ domicilia, Scholæ, Gymnasia, aut quo alio nomine quis velit appellare. In vestibulo disputationis, *via vera ad vitalem Philosophiam, aduersus errores, & exorbitationes materialium & elementariorum ambulatorum, seu Peripateticorum dicebatur.* In ipso monstratur proaulion, Sanctum sanctorum extramundanum: Sanctum Mesaulum, Atrium, & porticus. Mirabile itaq; cœnobium, & admodum ingens, quod & orcum Orphei seu abyssos cõplectitur, audiuimus: sed mirabilius est, quod secundo loco notamus, *in illo vitalis Philosophiæ Olympico complexu esse etiam res mortuas:* Et quidem in atrio cœmeterium, sepulchretum, polyandrium, *Atria* cui nullus locus potest esse in cœlesti & spirituali ciuitate, cum in ea nulla mors sit, nullus interitus. Apocal. 11. v. 2. Atrium, αὐλὴ (est intra templum (ἔσωθεν) quanquam foras eiici dicatur quod gentibus datum sit: Ita 3. Reg. 6. 36. item interius est Ezech. 40. 17. etiam est exterius: & Exod. 27. totum spacium tabernaculi dicitur atrium. 2. Paral. 4. 9. est atrium sacerdotum. Apocal. 21. noua Hierusalem non habet templum. Quocirca deest & atrium. Non puto vllibi extare atrium in quo sit sepulchretum.

Tertio *vidit multos tumulos terreos.* Arbitreris fodinas ibi esse, aut nitrarias, similesq; officinas ad quas congeruntur terræ & lapides exhausti, in diuersos cumulos diuisi. quorum quidam ex aere & pluuiis denuo concipiunt, parturiuntque succos, quidam omnino sunt steriles. Chymici subti- *Terra virgo* liores non omnes terras abiiciunt, sed cum ternarium extraxerunt, residuum reuerberando, & aliis modis ita elaborant vt fiat *terra foliata & virgo,* quæ est fundamentum Elyxiris. Chymeion ergo Hartmanni non erit absolutum; nisi velis de vasorum fragmentis luto, laterculis & similibus intelligere; aut ei fabricam, vel conflatoriam adiungere, quod tamen litera non admittit vti nec Atrij dignitas.

Quarto *Crania partim cumulata, partim sparsa sunt in atrio.* Impurum inquam atrium, quod præter colluuiem aquæ inutilis habet & terras, & capita mortuorum congesta alicubi, per ambitum alicubi sparsa. Istudne est diligentiæ argumentum? Solertius curant sua cœmeteria vespillones vulgares. Alluditur autem ad *signum capitis mortui Chymici,* quod refert Cranium hominis rudi figura ☺: Sed attendendum est signum cum re signata vtcunque conuenire; minime verò exactè congruere, *Caput mortuum.* nec terram Elementum, quod *Crollius* hoc charactere notauit 🜃 ostendere. *Cranium* in Chymica est integrum corpus mixtum ex quo extrahantur essentiæ antepilepticæ *Cranium.* maximè oleum, & quod magisterium dicunt, & salem. Ex reliquiis seu cineribus sale separato fit terra virgo. Neq; caput mortuum idem est quod terra elementum. Dicitur quidem proprie in disciplina Chymica *Caput* quicquid in fundo vasis iacens alas, & caudam sursum porrigit, quomo- *Caput Chymicum.* do Draconem fingunt in magisterio sapientum; Item caudæ caput iungunt, hoc est, volatili parti fixam: animæ corpus. Et id mortuum est, quando spiritus animam dictam sursum vexit, vnde tamen reuertitur, & corpus seu caput mortuum vitæ restituit. Hinc transfertur ad alia in fundo fixa; vt cum *Querceranus* spiritum mercurialem sali affundit, & post digestionem aqueum liquorem subtrahit; vel cum cohobationes dictæ peragantur; aut cum oleo & spiritu ex antimonio euocatis, quod in vitro aut lapidea retorta manet caput mortuum dicitur. At qui mortuum, cum secum habeat tincturam nobilem, seu aurum, & sulphur Philolosophorum cum Mercurio? In destillationibus aquarum fortium, & soluentium, Item sublimationibus capita mortua adhuc acres vires habent, & sæpe nouis materiis miscentur, sæpe ad chirurgiam traducuntur, vbi vlceribus difficilibus, & aliis medentur. Cum vegetabilia destillantur phlegmate, Mercurio, & oleo extractis caput mortuum dicitur adhuc salem continere. Excremato vbi extractus est, non amplius caput mortuum dicitur, sed cinis, & terra quod remansit. Qui ergo figmentum. Istud Hermeticum produxit, decorum artis non obseruauit. Locum sterquilinij extra atrium designasset in quem reiectanea, & seruilia sordida congererentur. In atrio exhibuisset laboratorium varia supellectili instructum: adiecisset solarium, cellam, apothecam, carbonariam Cameram seu testitudinem & alia. Sed videamus responsum Hermetis. Quid portendunt (pro significant) terrei tumuli, & Crania? Respondet Doctor Hermes: *Terram illam absurdam, maledictam, arenosam, seu cinerem omni sal per aquarum lixiuia exutum caput mortuum. quod est alterum elementum siccum graue, immobile, opacum, iners.* Hactenus Hermes. Sed male docet discipulum.

Etenim 1. falsum est Crania significare elementum terram vt dictum est.

2. Quid est terra absurda? An non pars compositionis misti à Deo? Absurdum autem in- *Terra absurda.* conueniens est, & à veritate alienum. Non est absurda terra quam Chymici proiiciunt, sed sordida, & in præsens neglecta, quia essentiæ potestatum sunt exhaustæ. Interim adhuc aliquas dotes habet. Sicca enim est & frigida.

Deinde mutari in vitrum potest, vt constet non absolutè esse simplicem. Postea sæpe iterum impragnatur essentiis, & vel plantas præbet, vel salem, vt in nitrariis, &c. Eadem terra si cinis est ex ossibus, aut lignis, Chymico metallico inseruit ad catillos, & copellas dictas, potestque vtiliter

lutis ſapientiæ addi,& cinerarium catinum pro igne cinerum implere. Quod ſi ex nobilioribus rebus eſt, elaboratur vt fiat terra foliata alba vel rubra, vt in vini deſtillatione cum Tartarum præparamus.Imo *Harmanno adeo non eſt abſurda vt etiam inter principia referatur* in diſputatione quarta, vbi *quatuor corporum naturalium*(mixtorum) *principia ſyſtatica,&c.* Ita nec in generationibus rerum miſtarum erat abſurda.Nam ſemina,& formæ ex principiis,& elemẽtis ſibi fabricabant corpora.Non erat tam magnificè rhetoricandum in expoſitione ſimplicis naturæ.

Damnata. 3. *Terram damnatam* aliqui appellant,pro reiectanea vt plurimum.Non enim ſemper Chymici omnes ſolutionis partes elaborant, ſed aquoſitatem fatuam, & terram exhauſtam abiiciunt. *Maledicta.* *Maledictam* ſi quis appellat, non ſatis cogitat quid loquatur. Cum *Adamus* rebellaſſet Deo, legimus Gen.3.v.17.*Maledicta terra propter te: Cum moleſtia comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Cum *Cain* fratrem occidiſſet, Deus de terra dicit: *Cum operatus fueris terram non dabit tibi fructus ſuos.* cap.5.29. de Noah: *Ipſe conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus.* Deut.28.repetuntur maledictiones ſi à Deo diſceſſerimus. Illa terra maledicta non abſolutè & totaliter fuit,ſed hactenus tantum vt non ſponte poſſet ferre fructus, nec tam bonos, & multos etiãſi exerceretur laboribus. Hæſit itaq; adhuc aliqua benedictio,quam aliquando Deus etiam cumulatiorem dedit pietate,& obedientia prouocatus Geneſ. 26. 12. Quis eſt iſte Hermes,qui maledictas terras in ſuo atrio audet oſtendere? Tnne maledicas matri rerum naſcentium? Maledic etiam tuæ primæ materiæ,& aqueo elemento,vt Sanctum ſanctorum cum atrio contramines.

Arenoſa,cinis. 4. *Terra arenoſa,ſeu cinis.* Nouimis cinerem elutum, & crematum inſtar arenæ eſſe, quam refert etiam cum in focis nimis vritur. Hæc vox ei mixtionem tribuit.*Arena* enim corpus terreum, mixtumq; eſt quod conflari poteſt in vitrum. In ſacris puluis quoq; dicitur, vt cum corpus hominis ex puluere factum in puluerem corruptione redit, vbi *Paracelſi & Crollij ſapientia ſtultitia eſt* in interpretando terræ limo,quaſi ex cœleſtibus & elementaribus fuerit compoſitus, atq; adeo extractum totius mundi materialis. Sic hoc eſſet,non foret terra mortua cum per corruptionem redit, fitq; id quod principio fuerat.

Cinis & lixiuium. 5. *Cinis exutus omni ſale per aquarum lixiuia.* Vulgo notum eſt lixiuium fieri cum aqua per cineres,aut calcas vel vtraq; ſimul ſale prægnantia percolatur, aut etiam in cupis ſaltem diluitur. Eſt itaq; *lixiuium aqua ſale imprægnata.* Contingit aliquando vt idem lixiuium ſæpius tranſcoletur, aut nouis materiis affundatur, donec ſatis ſalſum fiat. Sed ad ſales Chymicos eſſentiales ſtudioſius, & artificioſius operantes vel aquas pluuias ſtillatitias aſſumunt, vel phlegmata earundem rerum depurata: non autem lixiuia. Quam improprie dictum eſt *aquarum lixiuia?* Hermes iſte videtur non ſatis peritus eſſe diſciplinæ Chymicæ.

Caput mortuum. 6. *Caput mortuum.* De hoc ante dictum eſt. Aliud eſſe Elementum terram aliud caput mortuum etiam hoc arguit, quia TERRA fieri poteſt naturaliter pars nouæ miſtionis: ſed non caput mortuum niſi arte.Nemo dicit cum herba naſcitur ex terreis cumulis,eam conſtare principiis, & capite mortuo, ſed elementis: & ne poteſt quidem tunc mortua eſſe terra, quomodo loqui ſolent artiſtæ de vita & morte.

7. Terra illa vocatur *elementum alterum.* Secundum rectius,aut primum. Sunt enim Elementa plura duobus.

Terra ſicca. 8. Dicitur *ſiccum*: opinione eius nimirum, qui frigus relegat ad Mercurium. Sed non aſſentiuntur hi,qui omnes primas & ſecundas qualitates, tactus motiuas, ab eſſentialibus per ſe proſcribunt,& ſteriles vocant. Verum ille ſiccum appellauerit ex prædominio iuxta Ariſtotelem cui ignis eſt magis calidi, terra magis ſicci, quanquam aliqui repugnent, igniq; ſummam & ſiccitatem & calorem aſſcribant.

Grauitas. Immobilitas. 9. *Graue,immobile,opacum,iners.* Hæc Epitheta *ex Peripato* ſunt translata. Inter elementa enim grauiſſimum eſt terra: Interim grauis & aqua.*Immobilitas* à ſacris literis non terræ ſimplici tribuitur,ſed toti moli terrenæ quæ variis conſtat corporibus,montibus,ſaxis,&c. *Ariſtoteles* ἀκίνητον ei tribuit, quia remotiſſima eſt à mouentibus cœleſtibus, caretque calore. Sed terra Chymica aliquando interno principia pullulat, & cum elaborata eſt etiam facilè moueri poteſt. In lixiuiis ſæpe vna ſunt ſubtilis terra,ſal & aqua. Cum *Quercetani* amico vrticæ lixiuium aliquando gelaſſet,figuræ vrticarum apparuerunt. Id ſine terra non fit. Hæc enim eſt cui dixit Deus: *Germinet herbam virentem,&c.* Poteſt itaque natura moueri miſta cæteris; poteſt & vi. *Opacitas* craſſitiem, & pollutionem,definitionemque terræ ſequitur, non eſt terræ primum & per ſe. Multa terrea ſunt perſpicua, vt & vitra ex terra conflata. Si hæc termines puluerando,actus perſpicuitatis perit. Terra itaque per ſe non obſtat diaphano quod indicant etiam puriſſimæ gemmæ, gypſum glaciatum, ſal terreum,&c. Vnde non deſunt,quia omnia elementa per ſe perſpicua & pura eſſe dicunt,& ideo noua ciuitas Dei etiam tota ponitur transparens. Terminus perſpicuitatis eſt opacitas etiam in corporibus puris, vt ſtellis, & opacitatem facit terminatio viſus, ſeu luminis in perſpicuo. Iners terra tropo dicitur pro exhauſta eſſentiis potentibus.

Cap. 23. defenſ.1 pag. 233.

Opacitas & perſpicuitas.

Alias ſi grauiſſima eſt,ſi frigida & ſicca: ſi poteſt ſuppullulare, & ſalem reficere, inque puriſſimam virginem abire, & vitrum reddere, vel gemmarum rudimenta, non eſt adeo abiectè de ea ſentiendum.Glebas inertes vocabat Virgilius ſteriles in ſua mole. Olim terra erat intus foriſq; vacua & inanis.Sed poſtea accepit fœcunditatis potentiã,& vt Seueriniani loquũtur,prædeſtinationẽ ſuam.*Quercetani* deſcriptio: Corpus viſibile elementorũ ſiccum,ꝙ terra arenoſa,ſiue cinis eſt omni ſale per aquarũ lixiuia deſtitutũ,vocaturq; à Chymicis terra dãnata, ꝙ nullã vim aliam q̃ exiccantẽ & emplaſticã habet.Sed vid.c.16.defenſ.1.vbi hæc de plũbo:*Ex fecib.nigris.quæ in fundo retorta*(liquore ardẽte ſubtracto)*remanẽt Philoſophico more in calcẽ redactis extrahitur ſal fixus,qui ſolutionib. crebus & coagu-*

Terra Quercetani.

coagulationibus cum proprio phlegmate, Crystallinus euadit, &c. Et mox: *mediante sublimatione consequeris terram foliatam Philosophorum pellucidiorem margaritis.* Vocant *suum Mercurium Philosophi.* Consule & spagiriam vini cap. 6. Medicinæ priscæ *de fece destillationis vini*, quæ tandem calcinata figitur, & alba fit vt nix, quam vocant calcem albam Philosophorum. Eadem *Lullius*, *Vlstadius* & alij proponunt. *Beguinus* c. 2. lib. 3. Tyrocinij Quercetani praxin sua illustrat. Hic inter principia non habet caput mortuum & phlegma. Describit autem illud his verbis: *Est siccum, terra arenosa, siue cinis elotus, vocaturq; terra damnata, & caput mortuum nulla vi alia præditum nisi siccante & Emplastica, quod facili negotio invitrum abit.* Hæc ille ex Quercetano. *Terra Beguini.*

SECTIO XXXVI.

Quid Elementa in genere.

CONcludit Hermes Hartmannicus quasi ex principio immobili *Elementa esse corpora crassa, à seminibus remotissima, iccirco mortua, carentia arcanis, nihil nisi relollaceas & passiuas qualitates possidentia, vilia & seruilia pecora, perenni fluxu generationibus inseruientia, quas ob res merito infimum subsellium occupent.* Hæc ille quasi demonstratione tali vteretur: Quod est corpus humidum, insipidum, omni sulph. & Merc. destitutum nullo odore, aliave vitali virtute præditum: quod absurda terra, maledicta, arenosa, sale exuta omni, caput mortuum, siccum, graue, opacum, immobile iners, id est crassum, à seminibus remotissimum, mortuum, arcanis carens, relollaceas qualitates possidens, vile & seruile pecus infimi subsellij. Assumtio: *Elementorũ in genere descriptio in despectum creatoris, & naturæ.*

Elementum est corpus, &c. Ergo, &c.

Ad hanc demonstrationem iudicandam non *fratres roseæ crucis*, non *sacer codex*, non *Aristoteles* est accersendus, sed *orbilius* aliquis cum ferula ex scholis puerilibus. Neq; enim propositio sana est, nec assumtio.

Deinde vituperium istud Elementi cedit in infamiam creatoris, & naturæ. *Vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant bona, bona.* Genes. 1. v. 31. Marci 7. 37. Syrach. 39. 21. Fecit autem & Elementa. Quid opus testibus, ex quorum numero est & Aristot. & omnes Physici? An non quotidie Elementorum commoda si Deus bene velit, experimur, incommoda si punire? Quis est iste ingratissimus bipedum, qui ausit Elementa *tam vilia pecora* vocare sine quibus ne spirare quidem possit, nec amicula pura induere, nec cibum coquere? vbi ambulabit sine terra? *Deus & natura nihil frustra faciunt, estq; in omnibus operibus naturæ etiam vilissimis admirandum ingenium.* Sed execrandus est ille Hermes, non confutandus argumentis. Chymici, qui Platonem sequuntur ex sententia Hermetis Ægyptij, quam & *Crollius, & Seuerinus, cum Quercetano & Paracelso* amplectuntur, quatuor Elementa agnoscunt, tanquam totius macrocosmi membra simplicia, cœlum, aërem, aquam, terram. In hæc resoluunt etiam mixta. Vnde apud *Lullium*, aliosq; Chymicos priscos, etiam Philosophos mysterij de lapide Elementorum conuersio, productio, repurgatio, iterataq; coniunctio. Paracelsus magisterium de hac re habet peculiare. *Seuerinus*, *Crollius* & alij verecundiores *triplicia* profitentur *Elementa*, nempe *prima illa vniuersalia*, matrices rerum, & receptacula, rationalia potius quam sensibilia, quæ & putidus iste Elementorum contemtor Hermes proponit in Sancto sanctorum suo: Deinde *interna spiritualia*, indiuulsa ab essentiis: tertio *visibilia externa*, sine quibus nullum arcanum sub sensum cadere potest. *Sanior a de Elementis.*

Terram Deus adeo nobilitauit vt non tantum bestias ex ea procrearit, & plantas, verum etiam nobilia mineralia, & nobilissimum hominis corpus. De aqua quid dicendum? *Aër spiritus Domini vocatur*, estq; is cum quo Deus animam homini inspirauit, vt & in resurrectione apud Ezech. cap. 37. *Ignem*, quem omnino reiiciunt Paracelsistæ (fortasse metu igneæ paludis Apoc. 20. 9. 10. 15. aut ignis Eliæ 4. Reg. 1. 10.) Dei gloriam & laudem declarare legimus in Psal. 148. v. 8. Et audet iste impius nugator Elementa vituperare? In quid tandem est abiturus, & ex quo est factus? An non terra? Matrem suam quis pius dehonestat? Quid est *aër*, Elementum scilicet Chymicum? Hermes Ægyptius ait: *est organum, vel machina omnium, per quam fiunt omnia.* Sane ex aëre Dei ingentia obtingunt nobis in seculo beneficia. Idem *Hermes negat quicquam in mundo mortale esse, quod partes totius viuentis viuere oporteat:* in quam sententiam Paracelsistæ omnia Elementa farciunt seminibus, & principiis. Vide cap. 12. Asclepiadis apud Trismegistum: & cap. 1. vbi totus mundus ex IV. Elementis quorum vnumquodq; habet suas vtilitates, & officia insignia, formatus. Sed verba videamus, ne dicat sibi iniuriam fieri. *Terra Dei opus. Aër. Aer Trismegisti.*

1. Elementa sunt *corpora crassa.* Falsum hoc. Si terra crassa est, non necesse est Elementa καθ' ὅλου crassa esse. Quid est spiritus ille igneus calidus siccus quem in hypocausto, & balneo attrahis? Quid aër? Si & hic crassus est, næ tu in crasso bocotum aëre natus es, nimisque crassi es iudicij. Sed & aqua non admodum est crassa, ni mixta fuerit. Interna elementa spiritalia, num crassa? Scimus in resolutionibus nonnullis subtilissimas, & tenerrimas terras superesse, vt in bituminibus, & similibus. Crassæ naris Hermes quasi de aruo aliquo, aut saxea gleba loqueretur, Elementa crassa dixit. Quid pronunciabit de sole, luna, & stellis? Si crassities aliquid infamat, cœli nobilissima sydera infamiæ erunt obnoxia. An verò nulla arcana Chymica sunt crassa? Intra laboratorium tuum Hermes, & vide quid coagules. Te rident Paracelsi lixæ. *Elementa an crassa.*

2. *Elementa sunt remotissima à seminibus.* Non ita in Hagiasterio, & Mesaulo. Si semina ex puris Elementis in mundanam scenam procedunt, & sibi in mundo faciunt corpora ex principiis, *Remotissima à seminibus.*

& duplici Elementorum genere, quo modo verum est quod sint remotissima ab elementis: Monstra quæso mihi vllum semen actu elementis nudum. Si facies, sapiens eris: Si non: stultus.

Mortua.

3. *Mortua* sunt. Ridiculum. Non habent vitæ prædestinationem, nec vnquam vixerunt, qui ergo sunt mortua. *Mors est vitæ priuatio.* Sin autem id viuit quod est pars inseparabilis totius viuentis, & efficaces habent vires, tunc ausis negare aquam & terram & aerem viuere: Dicis, id solum viuit quod interiores potestates, quæ vitales vocantur, habet. Finge istud. Si Elementa conserta sunt principiis, & ab his separari non possunt, misto viuente viuent & ipsa. Quis autem tibi dedit autoritatem vitam sic describendi: Hermeti Aegyptio, & Platonicis suo modo viuunt elementa, quia scilicet animati mundi sunt homogenea membra. Aristoteli viuunt analogice, quia ad vitam conferunt: Imo & quæ calida sunt absque excessu, vitale, animaleq; principiumq; habent, vt aer, aqua, terra temporibus calidis, spiritu, calore, & humore conceptis. Nec est vt tua paracelsica deliramenta veterum sapientiæ anteponamus, cum Deus talem facultatem benedicendo ab initio elementis indiderit.

Elementa sine arcanis.

4 *Carent arcanis.* Explodendus & hic es. Qui carere arcanis possunt, si principiis & seminibus nascentium sunt prægnantia, vt matrices conceptu impletæ. Non si tu non potes excoquere aliquid amplius, nihil arcanorum habent. Vertis terram in vitrum. Si quæram an nihil in hoc arcani? Si rubor est in fronte tua dices, inesse ad calculum & alia. Ita si cinis elutus adeo vt ad sensum nihil saporis insit, in cumulos digeratur, in eo sal renascitur. An nihil arcani suberat? Pudeat vestram cateruam à sensibilibus obiectis pendere, cum Galenicos irrideatis, quod potestates saporibus, odoribus, & tactu iudicent, quasi nihil tribuant rationi & experientiæ.

Vide Iob 38. cap.

Relollacea qualitates.

5. Possident nihil nisi *relollaceas qualitates.* Nasus tuus dignus erat Rebisolhe, cum spurci Paracelsi cœnosis terminis vtaris. Illi sunt magni Philosophi Academiarum, qui pro castissimis castæ philosophiæ terminis gaudent porcinis fecibus, paracelsi ex ebrietate ructantis. Digna anticyris capita.

6. Quæ sunt illæ qualitates relollaceæ? *Passiuæ:* hoc est, *siccitas & humiditas.* At hæ sunt etiam in tuis arcanis. Si vir es, da arcanum siccitate, & humiditate carens. Alii Paracelsistæ Elementaribus annumerant etiam *calorem, & frigus* cum secundis dictis. Crollius in admonitoria pag. 59. 61. 62. relollaceæ inualidæ, pag. 25. 23. 20. Seuer. cap. 2. Ideæ plures recenset, vide cap. 5. & 7. Has quoque si contemnis, dignus es vt sæuienti bruma aeri exponaris nudus, aut in phalaridis tauro sudes. Non erunt relollaceæ qualitates in inferno, vt *diues,* Luc. 16. fatetur de œstu, & *Christus* aliàs de stridore dentium concionatur. Caue has relollaceas, quibus & mundus est conflagraturus, & in stagnum sulphure ardens abiturus, experiaris. Sanè magisterii magni Professores, quod attingit *Crollius* pag. 55. admonitoriæ, *ex re vili, elementis scilicet, conflari lapidem asseuerunt.* Sed illi vilia dicunt æstimatione vulgi, non sapientum. Te, qui sapere vis videri, tanto oportuit à vulgo alienum esse. *De limo terræ,* ex quo hominem fabricat Crollius, vide quod habeat pag. 33. admonitoriæ. Quatuor Elementa inuenies.

Ita pag. 97. summa medicina ex 4. Elementis composita, in qua sunt actualiter omnia Elementa, &c. Pag. 22. Seuer. cap. 6. Idea.

Si dices ea non esse vulgaria, Galenica, &c. irridebimus te cum sacerdotum famulis. Sic enim & crescent vestra Elementa vna classe, & indigna dicetis potentia diuina, historiaque sacra. Idem *Crollius* etiam astra vocat Elementa, connumeratque cœlum. Quis tu es, qui Elementa tam contemptè describis? Loquitur ille quidem tecum aliquoties, maximè pag. 20. Sed tum Chymica Elementa (receptacula omnium rerum) agnoscit, tum illa vulgaria non sic dehonestat quin cum seminibus inseparabiliter iungat, *& ne mentis quidem subtilitate seiungi posse doceat.* Hoc si verum est, qui vtitur Elementis, etiam seminum proprietatibus vtetur, maximè si ex mistis sunt confecta.

Elementa vilia pecora.

7. Elementa sunt *vilia, & seruilia pecora.* Fraternitas de cruce Rosea non potest ferre vt quid contra Dei GLORIAM dicatur, fiat, scribatur. Deus etiam impuras, & se alienas cogitationes abominatur. Quid de te fiet, qui de creaturis Dei, quibus omnipotentia, sapientia, & prouidentia eius declaratur, atque adeo de LIBRO naturæ scribis in ATRIO tuæ communitatis, Elementa esse *Pecora;* quasi res ludo, & ioco Poëtico, ne dicam scurrili, expositas, & quidem *pecora seruilia,* quasi emancipata essent tantum aliorum corporum seruitiis: Insuper vilia, quasi putidæ nuces, & algæ inutiles forent. *An non sunt Dei gloriosissimi creaturæ optimæ, & gloriosæ? An non in Dei laudem facta,* Psal. 148. Daniel. 3. 60. 64. & seq. Quam potenter vtitur Deus Elementis ad beneficiendum, puniendum, & suam potentiam indicandam? Considerentur Ægypti miracula, & quæ in deserto aëre, aquis, terra, igni sunt peracta. Lege Psal. 18. vers. 8. & seq. Psal. 104. 3. 5. &c. Psal. 105. 28. & seq. Psal. 106. 9. &c. Deut. 28. 12. 23. Quanti sunt labores Elementorum Deo fulminante, procellasque & imbres potentes mittente? Sap. 16. 17. 18. & seq. c. 19. 6. 7. Syrac. 39. 21. & seq. cap. 43. 12. &c. Quam *terribilia* erunt *Elementa* sub finem mundi? 2. Pet. 3. 10. Quæ vero elementa? Aqua, aër, ignis, terra, cœlum, quæ ab initio vsq; ad finem omnes homines agnoscunt, & quibus vtuntur cum bestiis, quibus aluntur & constant plantæ, ex quibus mineralia, & in quæ resoluuntur. Si elementa sunt vilia pecora, an etiam *nebulæ, nubes, venti, pluuiæ, maria, niues, rores, pruina, glacies* & similia ex Elementis?

8. Sed *quomodo seruilia?* Num quia Deo seruiunt, & hominibus, iumentisq;? Nihil homini melius est quam *Deo seruire syncero studio.* Si ei & elementa seruiunt, *gloriosi Domini nobiles sunt serui.* Hac ratione laudantur elementa, non vituperantur. *Inseruiunt,* inquit delirus Hermes, *generationibus perenni fluxu.* Finge hoc, tametsi non seruiant tantum, sed sint etiam materia generationum, & corruptionum, membraq; compositorum, &c. atq; adeo etiam dominentur, quod potentes vires

satis

ſatis conteſtantur: At quid *de tua prima materia in Sancto Sanctorum* dicendum? Illa item generationibus nouorum indiuiduorum parata eſt. Iiſdem addicta ſunt *ſemina Seueriniana*, quæ, vt & formæ, in mundum ingredi ſine elementis non poſſunt. Dic & de his quod ſint vilia, & ſeruilia pecora, argumento eodem. Satis ſupplicij dant Ariſtoteli, Galeno cæteriſque priſcis Paracelſiſtæ, dum ſuis conuitiis, & odio ſemet ipſos confundunt, & ſtultitiæ dementiſſimæ reos faciunt. Inſeruire ordinariis generationibus, quæ tendunt ad eſſentiam, non eſt res vilipendenda. *Vnumquodque in ſuo ordine bonum eſt & præclarum, nec quicquam in natura vile*, quod cum gentilis Ariſtoteles profeſſus ſit, mirum eſt *Chriſti diſcipulum ſe fatentem* non agnoſcere: At cuius Chriſti? Qui eſt *verbum Deus*, qui in principio fuit, & omnia creauit, & adhuc ſuſtentat verbo virtutis ſuæ. Indignareris ſi quis de tuis opuſculis parum honorifice vel muſſitaret. Quid putas Chriſtum omnium Dominum facturum?

Chriſtus.

9. *Elementa merito infimum ſubſellium occupant*. Ridicula fatuitas. At non poteſt non glorioſum id eſſe ad quod deſcendere & cum quo familiaritatem contrahere coguntur precioſiſſima illa rerum principia, ſemina, formæ, animæ, calidum inſitum & alia? Profer vnum ſaltem quod poſſit conſortio elementorum carere, & profer non fabuloſa tua de orco Orphei, & phantaſticis abyſſis, ſed vere exiſtentia. Si deſcendere ad infima ſubſellia coguntur honoratæ tuæ eſſentiæ, quia quod cogitur alterius beneficio frui, & ideo ad ipſum quieſcens in ſuo loco, in quo formam & perfectionem habet adire, id ignobilius eſt eo à quo beneficium accipit, & ad quod accedit, conſequens eſt elementa digniora eſſe eſſentiis. Sin autem nulla eſt eſſentia quin inſeparabiliter ſecum habeat & ſubſtantiam elementorum, & qualitates, quo in loco ponis eſſentias glorioſas, in eum oportet te & elementa admittere. Oſtendis nimirum hac tua dementia te nondum ſterquilinio, & quiſquiliis ſub infimo ſubſellio dignum eſſe, nedum in ſummo ponendum.

Loca. Elementaria

Locus medius in micro coſmo eſt dignior conſule metallicos quam alia inueſtigent metalla.

SECTIO XXXVII.

De calumnia in Medicos & Phyſicos *qui elementa profitentur.*

SAcrarium Hermetis multo veneno perfuſum eſt. Itaque qui ſuæ ſaluti conſultum cupit, merito ab eo abſtinebit, ni ſit alexipharmaco potente armatus. Ecce enim tibi aſpidas, ſcorpios, viperas, baſiliſcos, quorum virulentiſſimis habitibus affluuntur *omnes priſci* qui de elementis ſcripſerunt vt *Plato, Ariſtoteles, Galenus, Auicenna*, &c. & recentes, qui illorum doctrinam in ſcholis profitentur. Hermes iſte fingit elementa ex ſuo ingenio, quod ſint *duo, aqua* & *terra*: vtrumque *tantum paßiuam* & *ſterile* actiuis virtutibus, & quæ alia hactenus vidimus. De his ſuis figmentis ſcribit ſequentia: *Attamen his toti inhæreſcunt profundi iſti Philoſophi* (in margine *elementarij* vocantur.) *2. Rebus mortuis vitæ functiones aſcribunt: 3. Corticem & ſiliquias pro nucleo, 4. veſtem pro matrona. 5. Aerem pro Iunone. 6 ancillas pro Domina cum Penelopes procis cæco impetu arripiunt, 7. & amplexantur 8. Ex quibus liquido conſtat, quanto interuallo vera vitalis Philoſophia; 9. rudem, corpoream, 10. & elementariam poſt ſe relinquat.* Hæc calumnioſus ille Hermes.

Hermes calumnioſus.

Elementarii.

Primum negamus Peripateticos, & Galenicos (hi enim præ cæteris ſunt inuiſi ſectæ Paracelſicæ) vnquam ſciuiſſe, aut agnouiſſe, nedum profeſſos fuiſſe illa elementa, quæ Hartmanus nomine Hermetis calumnioſe proponit.

Ratio eſt: quia Chymicarum reſolutionum fuerunt ignari. Elementa vero illa ſunt res reſolutionum Chymicarum, teſte ipſo Hartmanno. Non potuerunt ergo ſciri ab Ariſtotele & Galeno: & ex conſequente *calumnia eſt dum vel ipſi, vel eorum poſteri dicuntur* eis *toti inhæreſcere.*

Peripatetici & Hippocratici nunquã Hartmani elementa agnouerunt. Eis ergo nihil potuerunt aſcribere.

Secundo ita argumentamur: *Ariſtotelis & Galeni elementa ſunt illa ipſa ex quibus conſtant mixta, & in quæ naturaliter reſoluuntur: ſunt illa quibus analogice reſpondent humores Hippocratis*: Sunt illa *quibus nutrimur*: Sunt illa quorum vi coniunctim vel ſeorſim hactenus in medecinis vſus eſt quicunq; ad dogmaticis medicinam accepit, &c. Atqui hæc minime ſunt terra damnata Chymicorum, & aqua phlegmatica tantum humida ab eſſentiis Chymice ſeparata, quod eſt manifeſtiſſimum. *Falſum ergo eſt quod Ariſtotelici & Galenici tibi inhæreſcant elementis ab Hartmano deſcriptis.*

Elementa Peripatetica & Medica.

Addimus tertio: Ignis Peripateticus eſt ille ſpiritus calidus ſiccus cuius exceſſus in flamma notatur, & qui alias in ſuo mediocritate miſtis ineſt nomine caloris naturalis elementaris (qui aliquando diſcernitur à facultatum in animatis procuratore origine cœleſti, & analogia ætherea; aliquando ſimul ſumitur: neque enim poſſunt ſeiungi vt & Paracelſici fatentur, reali ſeparatione:) Aer Peripateticus eſt iſte quem attrahimus inſpirando comitatum ſpiritu æthereo: quibus duobus potiſſimum odores tanquam vehiculis & ſubiectis addicuntur, & quibus vitam trahimus: Imo aer etiam in ſpiritum nobiliore, cœleſtiq; ſua parte animalem, & vitalem concedit, eſtque is cum quo Deus ſpiraculum vitæ in Adamum inſpirauit, &c. Aqua illa eſt quæ cum terra materiam præbet generationi mixtorum, in qua viuunt animalia aquatilia; & plantæ quædam: quæ altera pars alimenti eſt plantis & animalibus, quæque in ſuccis miſtorum præ cæteris excellit, &c. Terra eſt illa quæ cum aqua materiam dat miſtis; ex qua Deus corpus hominis plantas, & beſtias in ſicco viuentes creauit: ex qua alimenta, vt & ex aqua, petimus; quæ eſt mater, & nutrix omnium terrigenarum, in quam miſta ſeu putredine, ſeu corruptione violenta reſoluuntur, &c. Atqui nullum horum eſt ex illis elementis quæ *Hartmanus* per ſuam Chymiam ſeparat. *Falſum ergo eſt Peripateticos totos his inhæreſcere.*

Ignis Peripateticus.

Aer.

Aqua.

Terra.

Addimus *quarto*: Ignis, aer, aqua, terra *Ariſtotelis* & *Galeni*, cæterorumque ſunt illa ipſa, in quæ *Paracelſus* omnia miſta reſoluit, quanquam arte impurum ſeparante, vt nihil interſit

inter vtrosque, nisi quod *Paracelsus* separata purificet, Galenici simul capiant quicquid exhibet natura in naturalibus resolutionibus, in artificialibus, vt infusionibus, expressionibus, coctionibus, &c. aliquando putriora seligant recrementis abiectis: Sunt ea ipsa in quæ sua *Lullius, Arnoldus, Vlstadius* & alij eorum similes Chymici mysteria soluunt: Sunt illa, quæ symbolice describuntur per qualitates primas in *opere magni magisterij*: Sunt illa quæ *Drebelius* ex eodem explicauit, & in quibus *totam naturam nudam vidit sedinuagius*: sunt illa quæ *Seuerinus*, & *Crollius* ab essentiis & principiis ne mentis quidem subtilitate separare possunt, & quæ in sua puritate spagirica vocantur *astra*: sunt illa quæ *Seuerinus* in *sanguine, duplice, & bile phlegmate Hippocratis* agnouit quando de corporis humani anatomia agitur: Sunt illa, quorum excrementa naturalia in nutritione spectamus: Sunt illa quorum excessus præternaturales per se, vel in excrementis, & corruptionibus morbos varios pariunt: Sunt elementa illa quæ quiuis mechanicus crude, & aliqua simpliciter intuetur, & quorum vim mineralium conflatores temperant: quæ conflagrante mundo colliquescent; quæ Deus creauit, miscuit, iterumque destruet, &c. Sunt illa quæ totius mundi generabilis sunt membra homogenea in suas sphæras distributa.

Vide iam, *Hermes*, an tua illa duo quæ segregas spargirice, quæque elementorum materialium Aristotelis tantum sunt sordes, & stercora, seu partes inutiles & excrementitiæ, possint cum istis conuerti, & dignitatem operaque eorum sustinere & perficere. Si cogeris negare eadem esse: Os tuum impurum coerce ne mentiatur, & calumnia graui lædat viros innocentes. Calamum quoque tuum Viperino veneno tinctum abiice, ne eorum famam & veritatem, quantum in te est, inficias, qui naturam, vti est, diuina gratia, & ex ea creatorem *teste Paulo* potuerunt agnoscere. Illud autem interesse inter Chymicos & Galenicos hac in parte sponte concedimus, & vel te tacente scimus, quod *Galenicorum elementa sint impuriora, & inelaborata*; Chymicorum autem essentialia, pura, plus minus prout elaborantur; reliqua tantum superfluitates quædam crudæ, & impuritates quas natura (licet ruditer) & ars separare solet. Interim nec hoc negamus posse sic partes mistorum præparari vt modo *tres sint numero, modo quatuor, modo quinque* aut etiam plures; vnde nata *principia, astra, arcana, tincturæ, terra* & *alia Chymica*. Hæc verissima sunt, vsuque compertissima, quæ & nullus Paracelsista negare potest, nisi quod verbis velint esse singulares, & linguam accommodent ad opinionem suam. Sed hæc nullam habet dignitatem scientificam, seu axiomaticam, vt & quæ locutiones sumuntur ex concordantiis, parabolismis, symbolismis, seu rerum inter se comparationibus, vt cum *pro bile flaua sulphur* dicitur, pro *salso phlegmate sal*, & sic de cæteris, quæ rem ipsam non offendunt, nec sufficiunt ad veterem disciplinam mutandam. Obiiciunt eos *omnia qualitatibus primis conficere.*

Rom 1

An omnia conficiant veteres primis qualitatibus.

Respondemus, eos de mistis sic disputasse non vt in creatione (quam plærique non crediderunt) sunt diuino verbo facta, sed quasi, dum generantur, & aluntur, primum miscerentur, atque inde factum est, quia mistilia alia non habuerunt, quam elementa, vt de qualitatibus eorum actiuis & passiuis primo simpliciter dicerent, quod facere necesse habent etiam Hermetici, si de elementis seorsim volunt docere. In mistis autem alimentis, & medicinis non simplices illas, sed contemperatas, atque adeo cum potestatibus vitalibus intellexerunt, licet tantum qualitatum nomina proferrent. Neque enim illis alia methodus patuit. *Quod autem per qualitates simul vires astrales designarint*, apparet inde, quia non quoduis frigus, aut calorem epati, ventriculo, &c. addixerunt sed santalinum, rosaceum, endiuiæ, cichorij, absynthij, &c. Deinde quia membris certis certa, appropriataque adiunxerunt, vnde cephalica, epatica, cordialia, &c. tertio, quod *specifica quidam* inuenerint vt *purgantia, venena, alexipharmaca*, &c. quorum vim toti substantiæ, naturæ & crasi, & tertiis seu occultis qualitatibus assignarunt: quarto quia & alias potestates agnouerut, vt glutinantes, consolidantes, corrosiuas, &c. Hermes Hartmani dicebat *sulphur vitale, & calidum innatum esse Galeni totam substantiam.* Hæc *Fernelius* disertius explicauit. Non erant vituperandi, aut infestandi odiis, sed corrigendi amice, aut exponendi ex sententia. Quod autem in aliquibus, in quibus comparationes venati sunt, vt in opio, hyoscyamo, & similibus, quibus *frigus narcoticum* asscripserunt, & frigida statuerunt ea quæ tamen sunt calida, dicendum est eos effectum, & non caussam respexisse; Effectum inquam analogicum vel æquiuocum, cum alia caussa in conspectum se non daret. *Quod frigori similia faceret, frigidum dixerunt*, interim non tam infantes quin *torpedinem*, vnde *narcotica* dicta sunt, proprietate naturæ torporem inferre tangentibus agnouerint. Suppleat Chymia defectus, & obscuritates explicet, non totam disciplinam euertat. Cogitent Paracelsici sicut Galenici per comparationes & analogismos sunt à vero abducti, ita & se posse. Itaque suis similitudinibus, & parabolis non nimium fidunt. Iam vide Hartmanne impudens & calumniosum os tui Hermetis.

Effectu frigida, seu crasi.

1. *Totos istis tuis elementis inhærere falsum* demonstratum est.

2. Cur mentiris de totis, si *Galenus* etiam totam substantiam & balsamum naturæ professus est? Si non vsus est tuis vocabulis, at vsus est aliis, & quam æquitatem *Seuerinus* in Hipp. Hermete & aliis adhibet, cur non vtimini ea erga *Galenum* quoque? Num hic magis impius & idololatra fuit quam illi?

2. Gen an. 3. & 3. Gen. an. 11.

3. *Inhærescunt* inquis. At de *Aristotele* id dicere nec *Seuerinus*, nec tu potes, qui vterque calorem, & spiritum naturamque elemento stellarum in humido primigenio ex eo producitis.

4. Qui potes dicere eos *totos inhærescere* tuis elementis, cùm *tertias & quartas proprietates profiteantur*, easq; ex seminibus, & familiaritate totius naturæ, aut in aliquibus etiam externis passionibus ducant? Quid aliud dicunt cum aiunt, *simile simili nascitur & gaudet*, quam quod Chymici *Natura naturam generat, natura natura delectatur*, &c.

5. Profundos

5. *Profundus Philoſophos* ſcoptice, & ironice tuo more dicis. Sed illi rident tua ſcommata ſcurrilia, contenti, quod ſint id quod ſunt, profundarum nimirum naturæ cauſſarum, & operum contemplatores, admiratoreſque arcanæ ſapientiæ Dei. Alibi appellas *materiales & elementarios ambulatores, ſpecioſos*, ſi diis placet, *Philoſophi ſectatores*, &c. Sed non ſcurrilibus inſectationibus vincuntur. Quicquid ſit, tam profundæ ſpeculationis eſt Ariſtoteles, Hipp, Galenus, Auicenna, & ſimiles vt non putem te verba eorum & ſententias de rerum cauſſis vbiuis aſſequi. *Profundi Philoſophi.* *Iniuria & mendacia Hartmani.*

6. *Aſſcribunt mortuis vitæ functiones.*) Mendacium indignum reſponſione. Vt Paracelſici vitam interpretantur, non cadaueri Rhabarbari aſſcribunt purgatiuam bilis, ſed eſſentiæ, etiam infuſione à fecibus ſeparant.

7. *Cortices & ſiliquas pro nucleo.*) Mendacium. Si elementa ſunt cortices & ſiliquiæ, quæ tu cum *Seuerino* appellas ſeminum indumenta partim interna ſpiritualia, inſeparabilia, partim externa ſeparabilia, corporalia, cum vtuntur integris, non cortices ſine nucleo, ſed vtrumque ſimul accipiunt, idque aliquando rectius Chymicis extractis, vt in Rhabarbaro confiteri cogitur *Crollius*.

8. *Veſtem pro matrona.*) Mendacium. Ignorant tuas veſtes. Qui eas poſſunt ſine matrona arripere? Deus matronam ornatam dedit mundo. Diuinum donum accipiunt, ſi veſtitam accipiunt, & in hoc conſulunt pudori naturæ. Quis autem eſt Paracelſicus qui ex toto nudatas elementis eſſentias poſſit concinnare? Nobiliſſimæ ſunt eſſentiæ, ſpiritus vini, coraliorum, plumbi, croci, roſarum, &c. olea ætherea ſuccini, Terebinthinæ, &c. Spiritus vitrioli, ſalis, halinitri, tartari, ſulphuris, &c. Admitte exceſſum caloris & frigoris elementaris: Videbis cum elementis cognationem. Quo fugient tuæ poteſtates vitales conſumtis elementis vt ais in prima materia? Nempe ad ſomnium orci Orphei, vel rudem maſſam materiæ primæ, quæ iam eſt in Vtopia. Abi ad hæc ioca, & cum Orpheo repoſce Eurydicen.

9. *Arripiunt aerem pro Iunone.*) Ridiculum. Vbi eſt tuus aer? Tantum habes duo elementa aquam, & terram damnatam, quam poſtea dignitate principij donas. Aer tuus vbi eſt? Nempe à Mercurio & ſulphure inſeparabilis. Si aerem arripiunt, & *Iuno* eſt *Mercurius & ſulphur*, vtrumque ſimul arripiunt, nec poteſt id prohibere *Seuerinus, Crollius, Quercetanus*, &c. *Aer pro Iunone.*

10. *Ancillas amplexantur pro domina Penelope.* Erras, & quod Paracelſiſtarum eſt, Galenicis aſſcribis. Probo. Quot ſunt errones de grege Paracelſi qui aurificam medicinam venantes arripiunt inania corpora minerarum, aut ſcortum aliquod fuco matronæ honeſtæ vultum imitatum? An non ita eſt? Quot ſunt Paracelſi qui tincturas, arcana, aſtra, eſſentias facturi, quodcunque prodit operantibus delire, id pro tincturis, &c. habent, vendicantque, & pro Mercurio vitæ præbent argentum viuum & antimonium mortis? Quid eſt quod *Quercetanus vitrum antimonij, & præcipitatum adeo odit?* An non quia impoſturis Paracelſiſtarum fucatur? Quis pro *Turpetho minerali, auro vitæ* & ſimilibus vendit officinarum *præcipitatum*: an non Paracelſiſtæ? Cur ſua medicamenta occultant, & ſemper nouis nominibus antiqua colore aliquo infecta producunt? Galenici Rhabarbarum, ſennam, piper, cinamonium & reliqua præbituri, ſtudioſe eligunt genuina, & vitalibus facultitatibus pollentia. Loquor de Galenicis per ſe, vti noſti ipſe. *Talia cum dant, qualia à Deo & natura accipiunt, & experientia explorata habent, num ancillas amplexantur pro hera?* Quid tu quæſo edis, & bibis? An non quod natura vel arte eſt paratum? Eodem, ſi conuenias, vtuntur & Galenici. Si tu non ancillas, ſed Dominas ipſas edis, aut bibis, aut vtraſque ſimul, culpas ideo Galenicos? Dicis natura tu me ſpagirian exercet. Inquam etiam in Galenicis. Qualem autem ſpagirian? Cum mumiam facere volunt Paracelſici ex carne, vel ſanguine, quanta mole coguntur ſeparare elementa? At iidem etiam in excrementis putridis inueſtigant eſſentias. Ecce ſemper Domina eſt cum ancillis, nec ſagaciſſimus Crollius potuit eas ſeparare, idque recte. Nam ſeruæ & heræ correlata ſunt. Hæc ſunt ſimul natura. Tolle vnum: tolles & alterum. Pone vnum, pones & alterum. Gramanus Paracelſiſta per ancillas viam affectabat ad Dominas, neque tamen poterat has ſolas ſolus adipiſci. Quid ſi Domina eſſet calypſo, vel Circe? Sæpe honeſtiores dominis ſunt famulæ, Finge etiam eas inferiore gradu eſſe, an non habent mumiam, balſamum & alia ſicut Dominæ? Vſneam vnde petit Paracelſus, Goclenius & alij vnguentarij? *Ancillæ pro Penelope.*

11. *Arripiunt & amplexantur cæco impio cum procis.* Si didiciſſes ſyncere, & ſine calumnia vera loqui, mendaciis homines innocentes non læderes. Non eſt cæcus impetus ſi quis vel Paracelſus, vel Galenus ſitiens vinum integrum bibit, & panem eſuriens comedit. Si inſulſa ſale condio vt decet, num cæco feror impetu? Dant medicinas bene deliberato conſilio prudentes Galenici, & in ſcriptis ſuis diligenter de temeritate in vſu nobilium medicamentorum monent & delectus circumſpecte habendos eſſe clamant. Non eſt hoc vitium Galenicorum, ſed Paracelſiſtarum, qui Panaceas fabricant, & tumultuario impetu omnibus perſonis, morbis, affectionibus, temporibus, &c. obtrudunt. Tu vendis tuā vomitoriam (Speywaſſer) in magna copia. Quo quæſo impetu? Dicam cum tua pace: AVRIPETA. Ita vero non ancillam, aquam ſcilicet communem, & dominam, ſalem colcotarinum puto, complectitur, tuque cum Haſſis amplectaris tam ſuauiter vt tua crumena turgeat, at Haſſi vel animam fere euomant? Si neſcis: Galenici (non rigidi quidam, ſed qui Arabicis inuentis, & Hermeticis ſimul gaudent) ſunt herba, *Noli me tangere*. *Vide querelas plurimas de Paracelſiſtarum medicinis, etiā apud Hildanum. Vide Ambaldina, &c.*

12. Iam grande conſequens attexis. Hoc quoq; vitali anatomia dignū eſt. Complecteris, cogiſq; in ſummam *Philoſophia elementaria & vitalis.*

in summam omnia quæ dixisti in pro aulio, hagiasterio, mesaulo, & atrio, indeque concludis ***philosophiam vitalem Paracelsi & sequacium, qui eam Hermeticam vocant grandi interuallo post se relinquere elementariam rudem, corpoream, quæ peripatetica est, & dogmatica seu Aristotelis, Galeni, Auicennæ, Hippocratis, &c.*** Sed ego tibi oppono ἀντίθεσιν ex his quæ in examine tui antecedentis patuerunt.

Pro Peripatetica.

„ Itaque sic viciſſim argumentor: Quæ Philosophia principiis indemonstrabilibus fulta notitia na-
„ turæ, & praxi antecellit, & absurditatum, falsitatumque alias conuincit, ea longis passibus post se
„ relinquit alias. Peripatetica Philosophia illuminata, & hanc sequens Galenica Hermetica, prin-
„ cipiis indemonstrabilibus fulta, notitia naturæ, & praxi antecellit, Paracelsicamque Hartmanni
„ conuincit absurditatum, & falsitatum. Ergo. Assumtum probo partim naturæ decretis, quæ hæc Philosophia sensu, ratione & experientia confirmata amplectitur, partim lumine libri scripturarum, partim artis synceritate, quæ hactenus in examine Hermetis Hartmaniani patuerunt. Ita de

Paracelsi sapientia.

„ Paracelsi quam vocant sapientia: Quæ Philosophia res essentialiter, vti sunt, & ex se virtutes exe-
„ runt explicat, antecellit modificatam quæ per similitudines obliquas, & adulterinas, quas concor-
„ dantias sua opinione, & inuento vocant Paracelsistæ, res adumbrat. Peripatetica illuminata & Ga-
„ lenica Chymicis amplificata res essentialiter, &c. explicat. Ergo: & ex consequente Paracelsicam
„ longo interuallo post se relinquit. Item: ***Quæ Philosophia opinionibus incertis, & carentia principiorum constat, & magica incantamenta per specula, nummos, Gemmaheias, Gabalos, imaginationes magicas, characteres, voces, &c. profitetur in contumeliam Dei & naturæ; quæ homunculos facit, arma adiurat, morbos curat pentaculis, omnique genere superstitionis Astrologicæ, Magicæ, Cabalisticæ, &c. quæ etiam diaboli auxilium expectat, & omnia deliramenta Tritemij, Agrippinæ, Sagarum, ambubajarum, & fabulas, næniasque vulgi insanientis in deliciis habet, policetur artes Rogerij mirificas, aquas magnanimitatis falsissimas, arma martia vanissima, & alia portenta, ea longis miliaribus postponenda est castæ, puræ, synceræque quæ nihil aliud assumit quam quod ex libro creaturæ, & naturæ, ratione, & experientia diuinæ humanæque sapientiæ congruum inuenit, fulcitur principiis, & intellectu vero; quantum in hac vita fieri potest.*** Paracelsica opinionibus, &c. Ergo. Minorem probo operibus Paracelsi, Crollij admonitoria, Burggrafij armatura, Tritemij, Agrippæ, Goclenij iunioris, Scheunemanni, &c. scriptis.

Vtra Philosophia sis vitalis Peripatetica an Paracelsica.

Alia plura argumenta in præsens, omitto. Quia vero Peripateticam, & Galenicam dogmaticam ita discernis à tua Paracelsica vt ***hanc appelles vitalem, illam elementariam***, operæ precium est de hoc quoque videre. ***Vitale*** vero accipiamus de eo quod considerat res facultatibus, & energiis potentibus naturaliter & principiis internis præditas, vt tibi morem geramus; & tuis Paracelsistis. Inde argumentum:

Quæ Philosophia magis contemplatur principia & caussas rerum naturalium insitas, propriasque & inde effecta tum manifestarum, tum occultarum operationum producit, ea magis est vitalis. Philosophia Peripatetica, & inde dependens, sequensque medicina dogmatica magis contemplatur principia & caussas, &c. quam Paracelsica. Magis ergo est vitalis. Propositionem concedes si constans esse velis. Assumtionem probo.

1. Philosophia Peripatetica simplicia naturæ corpora, & mixta ex se, & per se considerat: Paracelsica ex accidentariis similitudinibus, & analogiis fallacibus, quas excogitauit Paracelsus in sua concordantia, arte signata, seu Chiromantia, & aliis fundamentis incertis, & inexplicabilibus. Inde enim vires medicaminum venatur Paracelsus, Crollius, Quercetanus, & alij. At vt ***Physiognomia Portæ*** nihil firmi habet, ita & Paracelsi. Est enim comparatio externum, & particulare tantum argumentum: quod ni ratione, & experientia valida sit comprobatum, non concludit scientifice. Huiusmodi est & ***Astrologia Paracelsica***, & ***Magia***, & ***Cabala***, & ***Characteristica***, & ***Nectromantica*** aliaque diabolicarum professionum, aut saltem vanarum portenta. Vanum falsumque est primarium istius Stochasmi fundamentum, nec quicquam certi potest siue ad Physicam, siue Medicinam afferre, quod omnia maioris mundi in homine esse spiritaliter, aut alio modo dicunt, indeque concludunt cognito homine, cognosci omnia, etiam arcana diuinitatis: & rursus cognito maiore mundo, omnia patere in minore: esse globum superiorem, & inferiorem similiter in vtroque: Item quæ spiritus in corporibus peragunt, ea multo magis posse solutos à corporibus, & quidem solui posse statuunt, & operari per multa miliaria, & alias innumera.

Vana fundamenta Paracelsica.

2. ***Quæ Philosophia fallit in minoris mundi scientia ea etiam in maioris***, & contra atque ideo circa vera principia, caussas & effecta magis errat, quam quæ partem vnamquamque per se, & in sua natura vti est, sine fallacia, quantum in seculo fieri potest, considerat. Paracelsica fallit, &c. Ergo. Probo: quia homini, tanquam minori mundo falso ascribit ***duplex corpus, vnum corporale, alterum spiritale***, illud astrale, hoc elementare, & inde postea texit mirificas consequentias tam veras, quam sunt principia ex quibus texit. Contra ***Peripatetica illuminata*** & ***Galenica Chymicam artem complexa***, inuenit non duplex corpus in vno, sed vnum idemque diuersis partibus inter se exacte commistis constans quarum alteræ alteris sic opem præstant, vt inde communia ἀποτελέσματα fiant, quæ à separatis, & seclusis vel non fierent, vel non ita. Declaro. In viuentium corporum contemplatione inuenimus actiones vitales ab internis principiis in societate partium elementarium præsidente generali caussa vitæ proficisci. Tolle elementare vnum: peribit vita, & licet sulphur, salem, Mercuriumq; habeas exquisite extracta, tamen functionem vitæ nullam administrabis. Notum autem est hanc vitam, quæ proprie, & vniuoce vita est, à Paracelsistis admodum perfunctorie tradi, atque etiam ***localem anatomiam*** fere negligi. ***Seuerinus*** conatus est Paracelsiam ab hac macula purgare: sed petiuit principium in plærisque. ***Quercetanus*** propius ad Philosophiam Peripateticam illuminatam, & medicinam Galenicam Chymia auctam accessit, sed ne sibi quidem satisfecit.

Localis anatomia parui est apud Paracelsistas, qui tamē nec auris, nec oculi fabricā possūt explicare.

3. *Philosophia*

3. *Philoſophia Peripatica* conſiderat compoſitionum principia, generationum in miſtis ſeminia, deducit ſimilia ex ſimilibus, contrariorum vires conſiderat, qualitates primas, ſecundas, tertias, quartas diligenter expendit, & ipſo vſu, ratione & experientia perſpectum habet elementares vires eſſe minime ſpernendas, vt & ſacræ literæ docent. Vitam rerum & vitales actiones nec ſine elementis nec elementorum qualitatibus peragi poſſe totius mundi experientia probat, tantumque in ſpecificis miſtis animatis maxime, corpus quoddam ſpirituale, & naturam caloris elemento ſtellarum analogam comitem adeſſe, & generales vires ad ſpeciem dirigere cum præſide anima, inſtrumentiſque eius, agnoſcit, quæ natura in vaſtitate ſimplicium elementorum eſſe non poteſt, quia ſeminia à Deo creata non inſunt. At *Paracelſica* primum qualitates elementares primas & ſecundas pro relollaceis, infirmis, ſterilibus, &c. habet, atque ita vitalium principiorum poteſtatem deminuit labefactatque adeo, vt cogatur calores, frigora & alias qualitates denuo ſuis eſſentiis iungere, & noua elementa comminiſci. Licet enim videri velit ſe his parum, vel nihil tribuere, tamen fallitur, & fallit opinione nunquam probanda. Deinde multa garrit *de ſeminibus rerum, & inſitis potentiis*: Verum in receſſu omnes ex ſyderum externorum operatione petit, atque ita efficit, vt res non per ſe ſint vitales, ſed emendicata, participataque vita. Apertum autem eſt ex libro creationis plantarum, & conſequenter mineralium poteſtates ex ſyderibus nondum conditis eſſe non poſſe, & licet poſtea temporis benignitas cum benedictione diuina adiuuet prouentum, tamen genuina & naturalia principia eſſe vi talis generationis ex tali.

Vis qualitatum primarum.

Cæterum qualitates primas elementorum magni momenti in natura eſſe, & tum ad vitam rerum in materiam exiſtentium inſigniter conferre, tum alia operari ſiue natura ſola agente, ſiue adiuuante arte hoc argumento probatur: Quorum moderatione vitales poteſtates earumque ſubiecta, pro vt cuiuſque determinata natura poſtulat, bene ſe habent, & iuuantur, immoderatione vero impediuntur, & male procedunt, exceſſu etiam deſtruuntur; Item: quorum induſtria adhibitione artifex ſapientia, prudentia & peritia res admirabiles & vtiliſſimas procurat: abuſu vero malicia plurimum nocere poteſt; ea non ſunt virium ſterilium, relollacearum (vt Paracelſici male ſani loquuntur) inualidarum, & ſpernendarum.

Qualitatum primarum vires.

Qualitatum primarum elementarium moderatione, immoderatione, exceſſu, & aliis ex arte, inertia, malicia, &c. vſibus iſtiuſmodi fiunt. Ergo. Aſſumtum ſi negare velis, dicam te communi ſenſu carere. Quid frigus poſſit in plantis, compertum habent agricolæ quoque. Eo cum congelarunt radices, herbæ, fructus, &c. perierunt eſſentiæ, & omnes vitales virtutes, niſi quod ex combuſtis aliquid ſalis terreni potius, quam eſſentialis & vitalis, colligatur. Quod vitales poteſtates deſtruit, id potentius eſt ipſis. Quando vero determinatum eſt, & naturæ rerum conueniens, etiam mira operatur, vt videre eſt in Quercetani vrticis in congelato lixiuio. Quis etiam noſtrum eſt quem non iuuet frigida aura in caloribus? Ad vitam adeo facit frigus moderatum vt etiam Anima inde ſit dicta ψυχή, & recreatio refrigerium, Actor. 3. 20. *cum venerint tempora refrigerij* ἀναψύξεως: Pſalm. 66. verſ. 12. *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Ita Sapient. 2. verſ. 1. cap. 4. 7. *Iuſtus in refrigerio erit.* Eſa. 28. verſ. 12. Ierem. 6. 16. ἁγιασμὸν, ἀνάπαυσιν, refrigerium quietemque inuenietis, &c. Exceſſus autem frigoris in inferno ſtridore dentium arguitur. *De calore temperato* ſi velim dicere, à ruſticis irriderer, nedum à fabris & conflatoribus, & figulis, cæteriſque τῆς βαναυσεργίας, apud quos etiam magni æſtus opera illuſtria præbent, modo arte regantur. *Ignis nullum animal generat*, inquit Ariſtoteles: Interim tamen *Ægyptiæ fornaces, & arenæ lybicæ pullos excludunt ex ouis.* Chymici ſingularia præcepta habent de calore ſeu igne adhibendo. *Gramanus* fiducia ſui Vulcani audebat ſe toti Galeniæ opponere. In magno magiſterio ſapientum quantæ neceſſitatis eſt calor elementaris? In huius regimine ſi erres, vbi tuæ vitales poteſtates? In exercitu *Alexandri Magni* quidam frigore pene enectus, recipiebatur in ſelliam regiam iuxta ignem, & recuperabat vitalē vigorem. Cum vehementia frigoris naſi, aures, digiti, pedes ſunt necati, calor fruſtra adhibetur, eſtq; ibi nil niſi ſphacelus, vt in illo puero, qui à genio ſuo tēpore hyberno in Ecſtaſin raptus, ductuſque in montem Veneris, cum interim corpus ſub hara iaceret, pedes frigore perdebat. Nihil vitalium virium hic erat reſiduum. Quando vero mitius fuit frigus, calor quid poſſit etiam vetulæ ſciunt. Et eſt tam contempta res calor, & frigus elementare apud Paracelſicos? Atqui cum mundus conflagrabit, vbi tunc vitales poteſtates? *Nihil perit, inquit Seuerinus, ſed ad abyſſos concedit. Si enim non concederet, non poſſent res viciſſim naſci, pridemque exhauſta eſſet natura.* Vah hominem ſimplicem, & non intelligentem potentiam naturæ generatricis, & prouidentiæ diuinæ, & ideo ſuæ ſtultitiæ figmentum proponentem. Vbi illud creſcite & multiplicamini, & Deus ex vnius ſanguine fecit vniuerſum genus hominum? Sed quod ad calorem elementarem attinet non cogitat id hominum genus ſe quartum elementum cœlum dicere, ignem Ariſtotelis explodere. Si itaque calor eſt, & nec in aqua, nec in terra eſt, neque etiam in aere, qui ad ſalutem animalium reſpirantium frigidus requiritur potius quam calidus, vbi erit niſi in cœlo, idque inſeparabiliter, vt in radiis Solaribus multiplicatis ſentimus? Num ergo cœleſtis calor relollaceus, infirmus, ſterilis, mortalis, non vitalis? De vi *humiditatis elementaris* anni pluuioſi nos monent. Certe vbi abundat humiditas elementaris, ibi vel debilis, vel nullus eſt prouentus principiorum vitalium in plantis. Quando vero calores, & ſiccitates intercedunt, fitque Deo benedicente clemens aeris temperatio, & pluuiæ tempeſtiuæ, ad vitam, vitaliaque adeo conferre conſtitutionem didicimus, vt DEVS eo argumento ſuam benignitatem declaret: Leuiticor. 26. verſ. 4. vbi & contrariæ minæ ex contrariis, vt & Deuteron. 11. & 28. Pſalm. 104. verſ. 10. pœnam & deſtructionem habes in diluuio, eſtque domeſticis notum vaporibus humidis cellarum poma, herbas, radices, &c. ſitu perire & nihil eſſentiæ vitalis retinere, ſicut & quæ immodicis aquis putreſcunt.

Ecſtaticus.

Humiditas.

Siccitatis

Siccitas.

Siccitatis vim declarant anni ſqualidi, vt tempore *Eliæ* 3. Reg. 17. & contrariam pluuiæ cap. 18. eiuſdem libri. Tunc quam laboratum eſt vt ſaltem pabula iumentis inuenirentur? Vbi tunc ſemina & formæ ex orco Orphei? Vbi principia, quæ Elementis includitis? In phthyſi, & maraſmo quoque quid poſſunt vitales facultates deficiente humore? Omnino cum Paracelſici quatuor elementa cœlo includant, neceſſe eſt vt ſimul illigent qualitates elementares, cumque aſtra in cœlo operari dicantur, operabuntur etiam per qualitates elementares. Hæc pluribus declarabunt quibus eſt otium, vt pateat luce meridiana clarius Paracelſiſtas in qualitates elementarias inſanientes, & Deo naturæque contumeliam parere, & ſuis decretis, communique ſenſui & publicæ experientiæ contradicere.

Paracelſiſtas eſſe multis nominibus elementares ſeu elementarios ambulatores & hoc nomine infames præ Ariſtotelicis.

Iam quoniam Peripatetici Philoſophi traducuntur conuitio *elementariorum*, quaſi infame ſit, elementariam diſciplinam profiteri, & in generationibus, corruptionibus, miſtione, nutritione, medicina, ſimilibuſque aliquid tribuere elementis & elementorum viribus, videamus quibus id conuitium rectius debeatur. Sic argumentor: *Qui elementis longe plus tribuunt quam Peripatetici, & diſciplinam elementarem adeo auxerunt, vt etiam ibi ponant elementa vbi nulla ſunt, illi rectius notantur conuitio elementariorum quam Peripatetici.* Vt enim fabri materiarij dicuntur à materia, circa quam plus occupantur, ita & elementarij ij, qui elementa magis incultant. *Id autem Paracelſici faciunt. Sunt ergo præ Peripateticis conuitio elementariorum notandi.* Aſſumtio patet ex Seuerino, Crollio, & aliis.

Primum enim quod inauditum eſt, & incredibile, nulloque fundamento niſi ſtultæ imaginationis nititur, ex cogitant elementa prima, pura, quæ dicunt loca vacua, in quibus tamen latitent ſemina naſcentium in *abyſſo*, & *Orphei orco*. Mirifice autem ſibi placet hoc commento *Seuerinus*, & ideo priſcos propter ignorata vellicat. Negat ea in miſtionem venire, idq; recte. Quod enim non eſt, non poteſt miſceri. Vnde & *fraternitatis Roſeæ Crucis* phantaſian hanc corrigens *negat vacuum eſſe*. Oportet autem quatuor numero eſſe in orco iſto elementa, cœlum, aerem, aquam, terram, vt quoduis ſemen ſibi commodum locum habeat. Ex orco venitur in mundanam Scenam. Hic ſemina inueniunt alia elementa ſimplicia quidem, ſed miſtilia relollaceis qualitatibus prædita, eaque duplicia. Quædam enim præbent ſeminibus corpus internum, inuiſibile, ſpirituale, & ob hoc dicuntur elementa interna, itidem quatuor numero: Quædam tunicas præbent, ſuntque externa & viſibilia corpora quæ à Chymicis ſeparantur. Debebant & hæc quatuor eſſe. Sed Hartmani genius duo proflauit, aerem nimirum & ignem, retentis tantum terra, & aqua; Quercetanus aerem quoque retinuit. Ignis decoquitur in ſpagiria, proque eo cœlum ſubſtituitur, vt quartum hoc elementum ſit quaſi non elementum ſicut pumex lapis non lapis, vel lapis Philoſophorum lapis, & non lapis. Et eſt tamen ſpecies elementi, nec oportet mundanam naturam imperfectiorem eſſe ea quæ eſt in orco. Alioquin ſemina in abyſſi quarto elemento hærentia non inuenirent tunicas viſibiles in mundo, & omne cœleſte foret inconſpicuum, & intangibile, quod eſt abſurdum. Rurſus ab his ſimplicibus elementis, numero DVODECIM, progreſſio eſt ad compoſitionem. Hic primum componuntur elementa interna, & externa vim principiis indiſſolubiliter, excepta craſſiore parte externorum, quam ſpagirus remouet in duobus, terra ſcilicet & aqua. Sunt ergo *alia quatuor elementa aſtralia*, quia aſtris dictis perpetuo adhærent, vnde fit vt etiam nomine aſtrorum appellentur. Hæc ſunt illa elementa *in quæ Paracelſus omnia miſta ſcindit magiſtraliter.* Sunt autem licet quatuor omnino, tamen propter adhærentia aſtra ſingularia, quorum numerus iniri & definiri non poteſt innumerabilia. Nondum ſatis. Sicut omne principium eſt in omni (neque enim poteſt perueniri ad aliquod primum in Paracelſia, & ne mente quidem, niſi quod chaos, & erebum fingunt) ita *omne elementum in omni*, iudice Seuerino. Eſt *cœlum cœleſte aereum, aqueum, terreum*: Eſt terra terrea, aquea, aerea, ignea: Eſt ignis cœleſtis aereus, aqueus, terreus: Eſt aer aereus, igneus, aqueus, terreus. Sedecim hinc elementa exurgunt. Collige iam definita: Sicut nautæ 32. ventos habent, vt ſint ſatis ventoſi, ita Paracelſiſtæ 32. elementa, & præterea alia infinita: & non ſint elementarij? Noto quod apud *Seuerinum* ſint etiam communia elementa ſenſibilia ſeu vulgaria in quæ ſemina dicuntur, fructus ſuos deponere, non venientia ad miſtionem: vt eſt aer in quem cœlum tanquam in matricem ſuos fœtus infert; aqua, terra, &c. vide cap. 4. Ideæ. Itaque adhuc tria accedunt, vt ſint 35. Miſeri Peripatetici & Galenici tantum quatuor ſciunt, quæ & ſacra Scriptura, quotque Deus condidit; Ignem, aerem, aquam, terram: quæ ſunt mutabilia. Quinta natura cœlum, & æther, quia in tempore non eſt mutabilis, ſeorſim explicatur. Ignis in ſacris ſæpe extat, nec raro cœlitus deſcendit ad victimas, pœnas, fulmina, &c. Alias ex miſtis excitatur motu, vel aliis modis. In creatione continetur Luminis, ſeu lucis termino. Dicimus Deum hæc ſimplicia miſcuiſſe, & nobiliorem partem cum cœleſti natura copulaſſe, vnde eſſentiæ ſecundum ſpecies variæ: Quæ non miſcuit, ea ſuis locis eſſe iuſſit ad integrandum mundum, & variis neceſſitatibus inſeruiendum. Si velis aliquid vlterius, dicere poſſis elementa conſiderari vel vt ſunt ſeparata, vel vt in miſtis tum inter ſe, tum cum natura nobiliore ſecundum ſpeciem vnumquamque. Ita numerus vltra duodenarium in determinatis non aſcendet, vt ſint quatuor ſimplicia medij mundi membra, ſpiritus calidus ſiccus, ſpiritus calidus humidus quorum ille ignis, hic aer, & vtrumque reſpectu inferiorum formale & actiuum: aqua, terra, quæ materialia & paſſiua vtrumque frigidum, ſed aqua ſimul humida, terra ſimul ſicca. Hæc poſtea à Deo primum verbo, poſtea natura commiſta conſiderantur ratione miſtionis, & affectionis ex ea vt in miſtis ſunt, & ex illis ſeu natura, ſeu arte educuntur, cum vel ſine cœleſti eſſentia. De artificioſis miſtionibus naturalis non præcipit.

IV. Elemen. vacua in orco.

IV. Interna.

II. vel III. externa.

IV. Externa.

IV. Element. aſtralia cõpoſita, in individuis innumerabilia.

Seuerinus in Idea cap. 7.

XVI. Elem. inter ſe miſta

Hæc ſunt Ariſtotelica, quæ & Medici amplectuntur licet alicubi explicatius tradunt, alicubi

alicubi concisius, & primis temporibus crassius, rudiusque per nomina & qualitates elementorum, sed posterioribus, vbi Arabum Chymia accessit, & hodie plenius. Iam ergo minus elementares sunt Peripatetici: Maxime vero Paracelsici, & ob hoc infami suo titulo maxime gaudere debent.

SECTIO XXXVIII.

De his quæ in Porticu aulæ Hermetis.

PRimum hic repetitur profana impietas offenditurque Gloria Dei mentione *Deorum & oblationis Hermeticæ, consecrationisque* quibus Deo soli debitos labiorum vitulos Oseæ 14. 3. ℣. *Hermeti mactat, Lac, & mel pectoris offert, & linguam sempiternis præconiis consecrat*, quæ & Deus abominatur, & Christianæ mentes exhorrescunt. Si perfectum donum id fuit, à Deo patre Domini nostri IESV Christi fuit. Ei soli laus & gloria debetur sempiterna, non Hermeti. Deinde non satis sapienter in porticu non vult obliuisci τὸ γνῶθι σεαυτὸν, cuius meminisse in proasmate, aut saltem proaulio debuisset. *Crollius* ait apud occultioris naturæ interpretes in confesso esse, *Nihil in toto vniuerso esse cuius non sit etiam particula in homine*, ipso videlicet microcosmo: imo *omnium rerum semina in ipso latere* astrorum, meteororum, mineralium, vegetabilium, animalium, dæmonum ratione spiritus hominis, quæ symmetrica *concordantia & anagoge*. Physica diligenter sit consideranda: Et pag. 34. *Homo corpus mortale Physicum ex machina mundi & omnibus creatis possidet*: *Omnia enim externa nil aliud sunt quam corpus hominis*. Ideo etiam *triplici mundo, Deali, angelico, elementali* (archetypo, intelligibili, sensibili) *communicat*, &c. Item sicut *homo reipsa continet totam naturam corporalem in suo corpore*: Ita *secundum intellectum continet omnem mundum*, &c. *Nihil est in maiori mundo quod nō in ipso homine.* REALIHER non inueniatur. pag. 29. Qui cognoscit seipsum fundamentaliter cognoscit in se omnia, ac intra tempus, & æternitatem locatus supra se contemplatur Deum æternum, : iuxta se nouit angelos: Infra se magnum videt mundum & omnes creaturas, &c. Ideo pag. 26. mirifice commendat τὸ γνῶθι σεαυτὸν. Ex *Cornelio Agrippa* mago illo famoso, qui tamen vanitatis scientarum libro edito agnoscit suas vanitates, adducit dictum: *Vera via ad veram sapientiam perpetuamque beatitudinem consequendam est si teipsum cognoueris quia est in homine omnium rerum naturarūque vera & realis possessio & creatoris peculiaris perfectaque imago*, &c. Quanquam ille sua speculatione beatus est, & non considerat se impossibilia, vana, & falsa supponere, cum homo lutum, vermis, & si quid vilius est (vide Prou. 30. ℣. 2. & Ecclesiasten de vanitate: Paul. Rom. 3. ℣. 4. &c.) totus in peccatis & tenebris immersus non possit intelligere ea quæ sunt spiritus Dei 1. Cor. 2. 14. & de vento saltem & terrenis interrogatus nesciat, Ioh. 3. ℣. 8. 12. nescit quid sit crastinum; cum in honore esset non intellexit, comparatus & similis factus est iumentis. Psal. 49. ℣. 13. tamen persuasionem hanc secutus Paracelsista debebat à seipso incipere, & inde gradatim per scalam Cabalisticam vsque in *Ensoph* ascendere. Ibi vidisset omnia ex sententia. Ridiculum est in fine aulæ ponere illam sententiam quam Ethnici in foribus templi Apollinei in Delphis proposuerunt ingredientibus, & extra se vagari etiam vsque ad infernum Orphei cum intra te omnia habere arbitreris. Sed vt aliquid amplius de illa phantasia data occasione dicamus, quidam formant sibi ROTAM, seu circulum aut sphæram. Eam distribuunt in centrum, radios, peripheriam, & planicies triangulares inter radios. Inde plures sphæras addunt, seu circulos, & ad eos producunt radios à centro. Id quod intra primam peripheriam est, mundi elementaris est spacium; quod sequitur inter secundam & tertiam, est cœlestis regio. Quod inter secundam & tertiam, cœlum dicitur angelicum, seu Empyræum; post hoc est spacium infinitæ æternitatis & lucis inaccessæ in qua Deus habitat. His sic formatis iungunt centro, quod hominem repræsentat, omnia deinceps sequentia vsque ad Dei, cuius imago est homo, æternitatem infinitam. Sic omnia quasi in speculo oculis se putant subiicere posse, & centro cognito, omnia cognoscere. Quid ni enim? *Omnia enim in centro conueniunt. Centrum est potentia* OMNIA. *Principium mole minimum, potestate maximum.* Et hoc quidem per se ita sit: at accidentalis humana imbecillitas, & quia homini est determinata scientia data, adeo vt ne in paradiso quidem potuerit ex se, vel aliis cognoscere sibi euentura mala, mandato, & prædictione quoque DEI audita sed serpentis insidiis, & persuasioni de diuiniore aliqua scientia, sapientiaque, qualem adhuc hodie venantur Magi Paracelsici, obsecutus pro pulcherrimo naturæ lumine inciderit in crassas, fatuasque, & pueriles tenebras mentis, vt ex facto apparet, hæc omnia effecerunt vt homo luce perdita pene nihil veri scientifici ex ingenitis notitiis intellexerit, imo legem naturæ sibi insitam opinione Sophistica inceperit calumniari, & deprauare ita vt opus fuerit eam à *Mose* repeti, & à *Christo* explicari. Ecce *magnum miraculum hominem*. Ecce *centrum in quo omnia.* Sophistæ Paracelsistæ non ex seipsis incipiunt: Si enim hoc facerent, omnia stulta iudicarent, vt ipsi stulti sunt, & opinionibus, imaginationibusq; fatuis decipiuntur: Sed assumunt contemplationem mundi externi, & lumen Gratiæ quoddam. Verum in vtroq; errant. Dum enim ista lumina suis stolidis opinionibus metiuntur, & contemnunt sapientum, seu Ethnicorum in secularibus rationem & experientiam, seu Theologorum interpretationes: seu scripturarum collationes (Nam vt agunt in aliis, ita & in scripturis fallaces similitudines, quas *concordantias* vocant pro principiis habent) euenit ab initio mundi vsque ad nostra tempora nulli fuerint magis dementes & temerarij. Scripturas scrutantur, sed non Spiritus Sanctus verum suo scrutinio: Magni mundi creaturas intuentur, sed oculis stultæ imaginationis. Præoccupati ergo vanis cogitationibus ex spuria similitudine operū, & rerum, de omnibus adulterinum iudicium fabricant, id quod videntur lumen Gratiæ vocare, Magiam & Cabalam

Porticus Hartmani impius.

Nosce teipsum. pagin. 41. In homine omnia.

Miseria hominis.

Iacob 4. 14.

Si in homine omnia quid opus est orcū Orphei per vagari? Rota scientia.

Crollius in admonitoria pag. 30. Homo est centrū creaturarū, & circulus omnium earundem.

intelligentes;

intelligentes. Vident non poſſe ſe proficere iſtis. Aſſuunt Magicam, Cabaliſticam, Aſtrologiam, Chymiam, Medicinam, Chiromantiam, Aëromantiam, Geomantiam, Pyromantiam, Nectrolicam, Nectromantiam, Philoſophiam adeptam, ſpecula conſtellata rerum exiſtentium, ſcriptarum, & actarum, aliaque plurima etiam quæ Poëtæ fabuloſiſſimi,& aniculæ poſt fornacem, excogitarunt, quæque diabolus ſagis ſuis inſpirat,& alia monſtra. Hæc in Paracelſo expreſſe leguntur. Hæc eſt Paracelſi ſapientia, quam verbis, characteribus, ſignis ex Orphei diabolorum orco hauſtis
Pag. 58. prodidit,& ſic tornauit vt cum hactenus Latini & Germanici nullis ſumptibus pepercerint in explicandis, tamen præter vocabularia Dornæi, Thurneiſeri, & aliorum, adhuc audeat *Crollius* ſcri-
Pag. 76. bere ***veram Philoſophiam Paracelſi non intelligi, & à Deo, non è chartaceis libris ſpiritum intelligendi literam***
p. 59. & 76. ***mortuam Theophraſti & Philoſophorum petendum, licet interim luce eius illuſtrandam Hippocratis doctrinam moneat.***

Alij noua apud ſe vocabularia eſſe contendunt, audiuique ipſi qui negaret ſine ſuà claue Paracelſum intelligi poſſe. Pag. 58. *Crollius* ait veritatem in ſcientiis, & facultatibus in lucem ab alijs ingeniis excitatis proferendam eſſe. Hactenus itaque in tenebrarum abyſſo latuit, & adhuc latet, ſi vere dixit niſi velis Goclenium, Burggrafium & ſimiles aliquid præſtitiſſe. Quid autem hæc tandem parturient? Erat Coburgi *Möllerus* quidam, qui diuinabat *vltimum Prophetam futurum anno 1573.* Alij aliud videri volunt præuidiſſe. Talibus vaticiniis de *Elia artiſta*, & ſimilibus tandem res eo deducetur vt noua monſtra, nouæque ſocietates prodeant, quæ ſibi [illegible] arrogabunt, & neſcio an aliquid ſeu Gog, & Magog, ſeu antichriſticum nouum pullulet. Si nondum eſt in lucem protracta veritas ſcientiarum, & facultatum, quid actum eſt tot conatibus ſcholarum, & præter hos Paracelſiſtarum: An Paracelſus non ſcripſit lucem ſcientificam? Quorſum ergo laudes eius vltra omnes qui ſunt, fuerunt & futuri ſunt apud *Crollium?* Experti ſumus ***Paracelſi ſcripta eſſe lernam errorum. & plus quam Babylonicam confuſionem omnis doctrinæ,*** atque ita nil niſi *chaos*. Vere dixiſti *Crolli* de Paracelſia, ſed non de *illuminata Philoſophia noſtra*, & medicina aucta, illuſtrataque, quanquam non gloriemur vltra menſuram. Scimus & fatemur nos hic ex parte ſcire, & quicquid ſcimus eſſe donum Dei, qui vt ſubinde amplius nos illuſtret, ſemper eſt orandum. ***Sine Dei lumine nihil eſt in homine. Deus autem non in vni dat cuncta***, ſed dona diuidit ex arbitrio. Itaque humiliter de nobis ſentimus,& non ſapimus vltra id quod ſcriptum eſt. Hæc itaque ſit ratio noſtra: ***Si verum eſſet hominem centrum omnium totius vniuerſitatis, & ſi poſſet quoque illud centrum perfecte comprehendi, per id facile veniremus in notitiam cæterorum. At neque verum eſt illud, neque ſi verum eſſet centrum poſſet perfecte comprehendi. Ergo non poſſumus facile ex homine noſſe cætera.*** Non opus eſt probare aſſumtionem. Per ſe enim lucet: Et ſi non luceret per ſe,tum à Spiritu Sancto 1. Cor. 13. firmaretur, tum experientia probaretur.Pridem conqueſti ſuntPlatonici de impedimentis corporeis ad ſapiendum recte. Idem eſt in libro ſcripturæ Sap. 9.15.16.17. ***Vani ſunt omnes homines,*** inquit ca.13. ***quibus non ſubeſt Dei ſcientia.*** cap. 15. ℣. 10. ***Cinis eſt cor eius & terra ſuperuacua ſpes illius: luto vilior vita eius. Vniuerſa vanitas eſt omnis homo*** Pſ. 49. 11. 13. Pſ. 39. 7. 1. Cor. 1. 20. Eſ. 33. 18. *Si quis inter vos videtur ſapiens eſſe in*
28. ***hoc ſeculo, ſtultus fiat vt fiat ſapiens.*** 1. Cor. 3. 18. Repetunt Paracelſiſtæ ſuam ſapientiam ex Ægypto vbi ***ter maximus Hermes***, (***Crollio*** melius ſciens regeneratione, quam plurimi, qui ſe Chriſtianos vocare ſolent,& malunt Dei cognitores,quã amatores videri) fuit in flore:repetunt ex *Arabia*,& *Mauritania* vbi Magi Saraceni Mahometicolæ,&c. Ita ***Poſtellus*** ex oriente veritatem venabatur.Sed quid de illis pridem pronunciauerit Spir. Sanctus,legere eſt,Eſ.47.10.& ſeq. c.19. & 20. & 21. De Iudæis quoque eſt Eſ. 42. 19. Quis cæcus niſi ſeruus meus?Imitemur hoc: ***Quis cæcus niſi Paracelſiſtæ?*** Placet

Natura à primis inordinationi & vanitati ſubiecta non poteſt ad regulam in ſeculo reuocari.

ſpeculatio hominibus fanaticis. Interim non vident totam naturam poſt lapſum maledicto, vanitati,multis caſibus & prauitatibus ſubiectam eſſe, adeo vt homo etiam adiutus adminiculis reuelationis ſcripturarum ſe totum naturaliter noſſe nequeat,&hæſitet.***Crollius*** ille ***omniſciæ rotæ fabricator*** in ***aureo dente pueri Sileſij***, aliiſque multis,vt ſuo loco demonſtratum,poſſetque copioſe in aliis quoque doceri. In ipſas regulas humanas incidit irregularitas,quia impoſſibile eſt omnia ſingularia intellectu humano comprehendere, & plurima nos latent. ***Ea quæ ſcimus minima pars ſunt eorum quæ ignoramus***: Et Paracelſus ille temulentus perfectionem ſit aſſecutus? Neſciuit ***Crollius*** ſe maximum mendacium ſcribere de Paracelſo, & rota ſua,aliiſque quæ copioſe chartis illiuit, & intellexerit abſtruſiora? Verum proponatur illa rota. Ita ſcribit pag. 30.

Rota Crollii ad omnia ſcienda.

Ad hominem nõ ſolum omnia in mundi machina reſpiciunt tanquam ad Ducem & Rectorem propter quem omnia ſunt creata: Verum etiam ſupra ipſum VT PVNCTVM medium,& retinaculum omnes ſphæræ ſuos radios, operationes, reflexus, omnes itẽ creaturæ ſuas vires effundunt. ***Circulus vero*** HOMO dicitur, quod ***in ſe omnes creaturas contineat***,& omnia ex ſummo bono manantia ſecum reducat ad fontem æternitatis ex quo originaliter ſingula fluxerunt & emanarunt. ***Prima Dei imago*** MVNDVS, ***mundi homo, hominis animal, animalis Zeophyton,*** illius vero planta plantæ autem metalla,& horum lapides ſimilitudines, imagineſque repræſentant. ***Magnus ergo mundus cum mundo paruo per omnia vnus inſtar prolis cum parente ſuo,*** à prudenti antiquitate ſapienter quidem μικρόκοσμος, à multis vera hodiernis ſine vllo intellectu ita vocatus,quod magnus viſibilis mundus ſit homo&c. ***Deum*** vocat ***centrum & circulum omnium*** à ſe productorum: illud quia omnia ab ipſa manent, & omnium rerum eſſentia omnia penetret:hac,quia velut omnicapax tabernaculum omnia concludat, & cõplectatur; cum intra Deum ſint omnia & extra nihil tam ante quam poſt productionem rerum. Ita hominum vult eſſe centrum& circulum creaturarum ad imitationem creaturarum.Hæc ille ſatis impiè blaſphemè & in Deum ignominioſe, quam ob cauſam procul dubio à ſocietate fraternitatis Roſeæ crucis redarguetur. Vt enim paucis ſaltem oſtendam deliramenta.

Imagines Dei.

1. Conſideratio Dei, vt centrum ſit creaturarum repugnat eius naturæ, cumque Deum

nemo

nemo vnquam viderit, sed filius Dei annunciauerit nobis quicquid de eo sciendum est, quanquam vt Paulus inquit, & liber sapientiæ, etiam opus mundanum arguat suum opificem: nihil autem ex vtraque reuelatione habeamus de CENTRO DEO, fitque idolomania DEVM aliter fingere ac se patefecit; facile apparet stultitiam in notitiæ diuinæ explicatione prodere Crollium. Si DEVS est centrum, creaturarum, est de essentia earum. Sunt enim homogenia centrum, radij, peripheria; & DEVS concluditur intra creaturas in punctum angustum. At id absurdum, nec tam temere homo, qui sorbet iniquitatem vt aquam, de Deo garrire debet. *Ad Deum omnes creaturæ referuntur non vt ad centrum, sed vt creatorem*, patrem, conseruatorem; vnde habent vt sint, & bene sint: & tales erant in principio. Postquam autem peccauit homo & se à Deo auertit ad sathanam, creator quidem & sustentator ratione substantiæ manet, sed peccatum inter vtrumque sic diuisit vt tanta sit distantia inter vtrumque quanta beatitudinis & miseriæ extremæ; & propter hoc maledictum quoque est cœlo & terræ, totaque aspectabilis creatura vanitati subiecta. Quis quæso dicat pie Deum esse centrum mundi improbissimi hominum? Quis etiam diabolorum? Misericordiæ Dei est quod à Deo igni non tota machina sit consumta, sed per Christum salus & recõciliatio demum parta & oblata, verum quam paucissimi accipiunt. Melius fortasse sit Deum dici centrum electorum angelorum & hominum, adeoque Ecclesiæ suæ & nouæ Hierusalem quam ipse lux totam illuminat vt non opus sit sole: sed & hic retinendum est illud *Petri* οὐδὲν ἄτερ γράφης λέγειν: & *Pauli* οὐχ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. Si Deus esset centrum creaturarum essentia esset, aut effectis. Accidentaliter enim esse non potest, nec subiectiue, nisi spuria similitudine. At essentia non est, vti patuit. Quis enim similis Domino qui in altis habitat? Nec effectis. Hæc enim centro non conueniunt: sed principio vnde motus. At probat Crollius: *A quo manant omnia, & cuius essentia penetrat omnia* (melius: ad quem vicissim reducuntur omnia) *is centrum est omnium.* A Deo manant omnia, & &c. Ergo. Nego propositionem. Neque enim mare fit centrum aquarum omnium si omnes aquæ ex eo exeunt & vicissim in id redeunt. Elementa non sunt sibi mutuo centrum quia circulariter conuertuntur. Sol exit ab vno loco cœli cum omnibus astris, & ad eundem reuertitur: neque tamen ille locus est centrum cœli. *Centri ratio* est in medio globi vel circuli immobile & indiuisibile esse. Deus non est medium quid immobile & indiuisibile in mundo, sed cœlum sedes eius, terra scabellum pedum. *An Deus centrum creaturarum.*

II. Sed estne *circulus*? Neque circulus esse potest. Quando enim de Deo loquimur ab ipso omnia exire, & iterum ad eum redire, tanquam terminus, principium, & fons consideratur, non vt circulus, quam conficiunt egredientia & redeuntia, sicut in anni cursu. At argumentum habet Crollius: *Qui instar tabernaculi omni capacis omnia concludit & amplectitur est circulus.* Deus instar, &c. Ergo. Assumptio probatur: quia intra Deum sunt omnes res productæ: nulla extra. Primum nego propositionem. Nam concludere & complecti intra se res, vasis est. Capacissimum autem est globus, & non circulus. Iam Deum vasi alicui comparare, impium est. Non quæuis comparationes Deo conueniunt, sed fundatæ authenticis scripturis. Alioquin à Dei natura abducuntur cogitationes nostræ, fitque vt neq; patrem noscamus, neq; filium. Si Deus non noscitur, nisi ex filio Dei qui est imago patris secundum naturam, per reuelatum verbum: filius autem Dei vas non est, aut cucurbita: neque hæ similitudines sunt in authenticis literis, abstinendum est ab ista phantasia. Nosci debebat ex imagine quoque in homine. At ea per peccatum in spiritualibus (Deus spiritus est, & non nisi in spiritu agnosci potest) periit, inque hac vita per *Christum* incipit saltem instaurari. Vnde illud Paulinum: *Ex parte cognoscimus, tanquam per ænigma*, &c. *An Deus sit circulus.*

Secundo ad assumtum respondeo quod sit vanissimum. Ponamus sane Deum omnia concludere & amplecti, hoc sensu qui est in scripturis Hebr. 1. 3. *Portat omnia verbo virtutis suæ:* Sap. 1. ℣. 7: *Spiritus Domini impleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Ierem. 23. 21. Deus è vicino, & à longe *cœlum & terram implet*, Ps. 139. ℣. 7. 8. 9. &c. Ephes. 4. 10. At non concludit omnia vt tabernaculum omnicapax. Nemo hoc de Deo cogitare potest nisi profanus. Si ita sit, facile cum Hermete Ægyptio, & Platonicis ex ambitu mundi, sphæra extrema Deum feceris.

Tertio prosyllogismus assumti Sophisticus est. Intra Deum dicuntur esse omnia non vt intra vas, sphæram aut tabernaculum, sed intra potentiam, scientiam & prouidentiam. Est quidem Deus vbique etiam essentia; sed hoc modo intra ipsam creaturæ non sunt, sed extra. Hinc Theologica distinctio operum Dei ad intra, & ad extra. Illa sunt personalia, vt quod pater ab æterno genuit filium imaginem suam; filius à patre ab æterno est genitus; Spiritus Sanctus ab vtroque procedit: hæc communia, vt creare mundum, qui est extra essentiam Dei, seu nihil de essentia, quanquam profanus Crollius ausit scribere, *animam hominis, seu spiritum ab altissimo inspiratum nihil aliud esse, quam Deum in nobis habitantem & animam intellectualem diuinæ animæ quandam particulam esse*, &c. *Pagin. 33. & 34.* ad imitationem Prophetæ Horatij, qui tamen *auræ diuinæ particulam* scribit. Dicit quidem scriptura, Deum in Ecclesia sua habitare, vt in templo, & sic quoque in cordibus fidelium per fidem Eph. cap. 3. vers. 17. vti sit Deus omnia in omnibus, & operetur omnia sibi consentanea 1. Corinth. 15. vers. 28. & cap. 12. vers. 6. quomodo erit in cœlesti Hierusalem: Verum hæc omnia non carnalem, & Philosophicum sensum habent, sed spiritualem; nec possunt animalibus cogitationibus comprehendi, nec sequitur: *Si Deus habitat in mundo impletue; omnia sunt intra Deum, vt intra tabernaculum; nihil vero extra.* Quis enim hoc de impiis, operibus maliciæ, & diabolis affirmet? Patet ergo, Crollium per suas speculationes de γνῶθι σεαυτὸν seductum à veritate tantũ abesse, quantum abest mendacium, & statim in principio offendere ad lapidem scandali. Longe aliter de Deo Iob disserit cap. 9. & alibi. Sophar Naamathites *excelsiorem cœlo Deum, profundiorem inferno, vocat, & mensuram eius longiorem terra, latiorem mari* ait, volens immensitatẽ eius quodammodo designare.

Qui potest circulus aut centrum finitarum creaturarum esse is, qui est infinitus, & immensus? Hinc sequitur contrarium Crollio: *Si Deus neque circulus est creaturum, neque centrum, posito* (non autem concesso) *hominem esse Deo similem*, aut ad imitationem Dei similiter se habere, *nec homo erit centrum & circulus creaturarum.*

Deut. 4. 24. Deus ignis consumens.

III. Sed, *est ne homo comparabilis Deo?* Sane ipse seipsum aliquando comparat homini, & aliis creaturis, vt Psal. 103. ℣. 13. affectu patri confertur; & *Christus* iubet, vt studeamus esse perfecti, vt est pater cœlestis Matth. 5. 48. vltra comparationes scriptas sapiens non facile ascenderit, quod imperuestigabilis sit Dei natura, & viæ eius Rom. 11. 33. & sæpius disparitas, dissimilitudoq; in sacris indicetur, vt Deuter. 4. ℣. 12. 15. Es. 44. 7. 2. Par. 2. 14. Psalm. 86. 8. Psalm. 113. 5. Homo vanitati similis factus est Ps. 144. 4. & cum similis Deo vellet esse Eua, & Lucifer ille Esa. 14. quid passi sint, constat cum magno ipsorum malo. Quod autem attinet rationem imaginis, & similitudinis, ad quam est creatus, id non efficit, vt dicendum, vel sentiendum sit: *sicut Deus est centrũ creaturarum, & circulus, ita & homo est omnium creaturarum centrum, & circulus.* Sunt aliquæ comparationes à simili: sed non in hac, cum etiamsi concedatur, Deum centro circuli, vel globi comparabilem esse, eo, quod omnia portet verbo virtutis suæ, & totam creaturam sustentet emissis ad omnia radiis quasi ex puncto medio: tamen hoc nequeat de homine dici. De sua forma *Hermes* Hartmani audebat affirmari, quod *centrum haberet vbique, peripheriam nusquam*; quæ sunt verba sine mente, & negatio potius, quam affirmatio, si sunt aliquid. Deo si ista accommodare velis, neque centrum esse, neque circumferentiam dicendum fuerit. Neque enim rebus mensuralibus Geometria nostra, comparari potest infinitum, & immensum, seu incommensurabile. De homine id dicere etiam ridiculum est. Neq; enim idem potest esse ambitus circuli & centrum. Ait Crollius: *Homo est centrum omnium creaturarum, & circulus.* Nugæ impiæ. Ipse quoq; creatura est. Erit ipse simul, & aliud quid. Quidam ex veteribus hominem *mensuram rerum* dixerunt. Qui ad vim intellectus respexerunt vt *Aristoteles, possibilem omnia fieri, agentem omnia facere voluerunt.* Sed si iudicium Ecclesiastæ audias, & Psaltæ, & Iobis, *Homo vanitas est*, & post lapsum ne sui quidem mensura est ne dum aliorum. Qui sit omnia fieri ille intellectus, qui etiam illuminatus scit tantũ ex parte 1. Cor. 13? Animalis & psychicus, seu non illuminatus in secularibus parũ quid potest: in spiritualibus totus est tenebræ.

IV. Sed persequamur illas nouæ sapientiæ aureas speculationes, & insanientem sapientiam. Quo argumento probas, *hominem esse centrum & circulum omnium creaturarum?* Centrum est: quia ad ipsum omnia in mundi machina respiciunt. *Ad quem omnia in mundi machina respiciunt, est centrum omnium creaturarum. Ad hominem omnia* &c. *Ergo.* Assumtio firmatur: quia omnia propter hominem sunt creata. Illustratur etiam simili Ducis & Rectoris, quasi homo habeat imperium in omnes creaturas, & præsit omnibus. Primo dicimus, ad propositionẽ, Metaphoricas locutiones in poeti suum locum habere: in Philosophia ad veritatis exactam declarationem, & demonstrationes nihil facere. Possit itaque centrum sic concipi, quasi sit illud, ad quod respiciant omnia, quæ sunt in ambitu, seu circumferentia globi & circuli, & ad quod omnes radij dirigantur æqualiter, siue sensibile sit, siue rationale: sed cum hoc per se ad Geometriam pertineat, in aliis sit peregrinum, & tantum ex accidente declaratorium proprium principium in natura esse non potest. *Ex propriis autem est demonstrandum.* Deinde non est consequens, id statim centrum esse, ad quod cætera respiciunt. Neque enim ab instar, seu simile esse ad essentiam ipsam valet ratio. Sit aliqua instar centri: at non centrum τὸ εἶναι. Insuper, ad quod respiciunt omnia, id non necesse est esse medium, cum & summus apex esse possit, aut aliquis alius terminus generalis, veluti Sol, Luna, &c. Tota creatura aspectabilis interitum spectat. At interitus non est centrum creaturæ. Deum respiciunt bestiæ & expectant ab eo victum. At Deus non est centrum bestiarum. Iosephum tota domus Pharaonis respiciebat, vt & subditi suos reges. At non centro, sed apici comparantur. Ad assumtionem postea respondemus, quod fallat Elencho à dicto secundum quid. *Respicere omnia hominem* variis modis accipi potest. Non omnia (si detur respicere) eodem modo respiciunt hominem, vt inde ratio centri, & peripheriæ sequatur. Quo modo quæso respicit hominem rugiens ille leo diabolus? Quo modo infernus? Multa respiciunt hominem in pœnam, adeo vt astrologi ex cœli aspectibus plus infortunij pronunciẽt, quam boni. Homo hominem interdum respicit vt hostis, interdum vt amicus. Imo multa plane nullam habent rationem hominis. Deus respicit hominem nihili æstimatum, & vermem, & lutum ex mera misericordia. At homo ideo fit centrum Dei. Sed num concedendum est, omnia in mundi machina respicere? Probatur: Quia *propter quem omnia sunt creata, eum omnia respiciunt. Propter hominem omnia sunt creata: Ergo.* Dico ad propositionem: Imo homo potius respicit omnia, si omnia propter eum sunt creata. Deinde distinguo fines. Si ille respectus vniuersalis est, finis quoq; erit talis, & contra: Sin particularis, & alicuius saltem modi finis est, etiam respectus fiet secundum quid & particulariter tantum. Ad assumtum respondeo, quod tantum sit particulare, & secundum quid. Deus omnia condidit, non quod homo sit tanti principaliter & καθ' ὅλου; sed ad gloriam suam, ad quam fecit etiam hominem, qui non est finis creaturarum vniuersalis, sed particularis tantum. Conditi sunt angeli in gloriam & ministerium Dei. Hi postea mittuntur ad ministrandum homini Deo adhærenti, aut etiam adhibentur aliis officiis. Omnino si consideres hominem in integritate huius mundi ante lapsum, possis aliqua at non simpliciter ad eum cæterarum creaturarum fines referre. Sed non diu mansit in integritate tum angelorum perduellium cœtus, tum homo ipse. Hinc respectus benefici sunt mutati in maleficos. Homo conditus erat 1. propter Deum: 2. propter hominem, hoc est, seipsum & proximum. Est enim ipse quodammodo sibi ipsius finis: 3. propter terram, vt eum coleret. 4. Vt esset Dominus animantium: 5. Vt vteretur cæteris quoque, quæ potestati eius sunt subiecta ad gloriam Dei, & societatis communis emolumentum.

Hos

Hos fines vt assequeretur, adminicula addita sunt varia. Cœlum lumen præbet negotiis: nox dieti tenebras: aere attracto viuit; aqua vtitur pro potu & ad alias necessitates; & sic de cæteris. Ordinati erant fines ante peccatum, ita vt quodque suo modo, & loco inseruiret homini, seu esset in promtuario, vt ad necessitates promeretur. Sed post peccatum in pœnam cesserunt plurima. Diabolus factus est hominis & hostis, & victor. Infernus propter diabolos creatus euasit homini communis propter societatem. Ita procede ad reliqua, & considera hominis voluntatem, intellectum, affectus, naturam, habitudinem hominis ad homines, ad Deum, ad creaturas cæteras: videbis, num mansura sit speculatio de centro, & ad centrum directis. Malum certe centrum est, cui aduersatur tota peripheria, ipsumq; extinctum cupit. Stultum est de homine simpliciter talia pronunciare, cum immensa sit varietas; & non possit dici, si vnus homo, vt *Adam* in integritate possit centraliter, considerari etiam alios posse, maxime post lapsum, idq; ad notitiam, quæ inde extruitur, omnium rerum, & potentiam.

Quod attinet declarationem à duce & Rectore, id quoque particulare est, etiam in ipsa integritate. Non enim totius mundi regimen commissum est homini, quod satis apparet ex Dei cum Iobo expostulatione, & Gen. 1. 28. & cap. 9. vers. 2. Paracelsi homini sapienti astra subiiciunt. Sed *vbi est talis sapiens? Iosuæ parebat Sol & Luna*, verum precanti eum, in cuius potestate sunt sydera, qui se diligentium facit voluntatem. Absque hoc si cœlum esset in potestate hominum, quid non machinarentur? Imo pridem destructum esset. Quod malefica sydera sapienti non noceant, id non arguit potentiam eius in cœlum, sed custodiam, & beneficium prouidentiæ diuinæ. Si multa dicemus, vanum est ista tam temere garrire, cum ne sui quidem dux & Rector sit homo, nedum maris, terræ, aeris, & reliquorum. Prouerb. 18. 4. *Omnia propter se operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Hoc vniuersale est, & tamen ex Deo non facit centrum, sed terminum ad quem tantum. Debebant omnia ad Deum redire, sicut omnia ab eo processerunt. Homo & mundus propter hominem post Deum est factus. Homini enim propositus est tum ipse, tum creaturæ extra ipsum, vt quibusdã dominaretur, quibusdam vteretur ad suas necessitates. Generalissimus respectu ipsius finis est, vt ex notitia sui & cæterorum Deum agnosceret & coleret. At num perfectam accepit, ita vt etiam Dei maiestatem & profunditatem speculari possit? In hac vita neutiquam, etiam integra. Quid dicendum de statu peccati? *Sanctus Paulus de Spiritu Dei dicit* 1. Corinth. 2. 10. quòd omnia scrutetur etiam profunda Dei, & nos vult accepisse spiritum ex Deo, ita vt spiritualis omnia iudicet, mentem Christi tenens. At quomodo restringat hanc scientiam in hac vita, patet ex 1. Cor. 13. vbi post hanc vitam demum fore perfectionem in filiis Dei dicit. Quid miseri isti Magi in tenebris Paracelsis videant?

Iam ergo inuertimus argumentum primum: *Ad quem omnia creata tanquam ducem & Rectorem respiciunt, is nequit esse centrum omnium.* Nam qui omnia creata dicit totum mundum cum peripheria & centro, atque etiam homine & interstitiis complectitur, ita vt necesse sit, extra esse eum, quem ducem respiciunt, vt tanquam regem in sua aula, aut in summo apice, vel terminum correlatum. Finge iam ad hominem respicere omnia creata: quæ proprietas quædam Dei est, non hominis: Deo enim creatori creaturæ sunt oppositæ, & non homini: quanquam aliquo modo seu tropico, seu alio aliquid etiam communicetur homini. Verum magis in altera vita, vbi in Deo videbimus omnia, sicut in hoc seculo in lumine Dei videmus lumen particulariter, &c. sine lumine Dei etiam nihil videmus, vti debebamus; vnde gentiles Philosophos etiam tantopere infestant Paracelsistæ: consequens est, *hominem non necesse esse centrum creaturarum omnium esse.*

Argumentum secundum: *Supra quem, vt supra punctum medium, & retinaculum omnes sphæræ suos radios, operationes, reflexus, & influxus, ita omnes creaturæ suas vires effundunt, is est centrum omnium creaturarum.* Ass. *Supra hominem O. creaturæ suas vires effundunt, vt omnes sphæræ radios supra punctum medium, & retinaculum. Ergo.* Nego assumtum. Est enim falsum. *Non vt sphæra* (ita sumenda vox est per synecdochen, pro ambitu. Alias centrum pars media sphæræ est) *se habet ad centrum, ita omnes creaturæ cæteræ ad hominem.* Deinde supra hominem, qui dicitur dux & Rector omnium, fieri id non potest. Non enim versatur in medio creaturarum: & qui radij à cœlo tendere finguntur, prætterlabuntur hominem, ita vt ea pars, quæ in terræ globum protenditur, ad hominem non recurrat, atque adeo subterranea nõ possint centrum hominem attingere. Item qui homo est in Septentrione, non tangitur à radiis austrinis. Præterea si sic est, vt in sphæra, creaturæ nihil possunt in hominem. *Radij* enim *sphærarum sunt imaginarij, & non reales.* Insuper *creaturæ extra hominem sunt dispersæ in varia loca, & non sunt omnes sphæræ. Ergo non possunt omnes in hominem radios conicere.* Item ridiculum est, *hominem esse retinaculum omnium creaturarum.* Item *in malum hominem, qui pœnis subiectus est, nulla benefica creatura radios benignos proiicit.* Diaboli effunderent vires in omnes: Sed potestatem non habent in omnes. Sed vanior est assumtio, quam vt multis indigeat. Propositio est figmentum stultæ Paracelsiæ. Nam in centro principium est. A centro potius virtus in ambitum extenditur, quam contra. Ita homo fieret totius creaturæ sustentator, id quod per magos suos quærit diabolus, nempe vt homini persuasionem diuinitatis iniiciat, atque superbia deceptum secum ex cœlo in infernum detrahat. *O quantum miraculum tunc erit homo?* De vnico homine Christo verum est, quod sustentet omnia verbo potentiæ suæ, quod simul est Deus, & Dei: De cæteris non est: Et tamen ille non est centrum creaturarum, sed Dominus vltra omnes cœlos euectus, vbi potestatem exercet in cœlo & terra. Rediturus quoque est ad iudicium ex summo loco, non ex medio creaturarum.

Inuersio argumenti. *Supra quem omnes creaturæ non effundunt vires suas, vt supra centrum peripheriæ radios, is non potest esse centrum omnium creaturarum: Supra hominem, &c. Ergo.* Item *ex falso*

comparato non potest veri declaratio existere: *Falsum autem est comparatum de sphæris in centrum emittentibus radios*: *quia radij* à centro primum tanquam è principio exeunt in circumferentiam, non contra: *Falsa ergo & declaratio inde ad hominem directa.*

An homo sit circulus respectu creaturarum aliarũ.

V. Sed proba hominem etiam circulum esse. Nouimus respectibus mutatis consideratio- nem mutari. Sed iste lusus quidam est non philosophantis, sed fingentis, & declamantis. Si respectus mutarent naturam rerum, quid ex homine non faceres? Eadem retenta analogia figuræ globosæ vel circularis, si homo est centrum omnium creaturarum, non potest esse circulus. Vanitas iudicij statim primo aspectu se prodit. Sed quibus argumentis ostenditur?

I. *Quod in se omnes creaturas continet, est circulus omnium creaturarum: Homo in se continet omnes creaturas. Ergo.*

Resp. 1. Nego maiorem. Vas erit, aut globus concauus, si continet realiter, quomodo cœlum vltimum complectitur intra se omnem aspectabilem creaturam. Sin autem continet tropice, non necesse est vas esse, siue circulus sit, siue globus. *Multis enim modis contineri aliquid in aliquo dicitur*, vt relate, vt membrum in toto, anima in corpore animato, &c.

2. Nego etiam minorem. Quomodo enim verum est, hominem in se continere omnes creaturas, cum cœlum & stellas non contineat, nec possit simul diabolum, & angelum bonum. Tune in te contines asinos, lupos, boues, &c? Dices non materialiter, sed formaliter. Nego hoc quoque. Tu fingis per obliquas similitudines hominem in se continere omnia. Illa tua figmenta *Deus* non creauit. Non si quid tu affingis homini, id vel in homine est, vel Dei creatura est. Quæ monstra non possumus comminisci, & homini attribuere? vt te iocos & ludos faciam; *Homo continet in se etiam plura creaturis.* Nam si bonus est, creatorem quoque continet, si malus, peccatum, & mortem, quæ à Deo creata non est iuxta Sapientem *cap. 1. vers. 13.* & non vult mortem *Ezech. 18. 32. Deus autem omnia, quæ voluit, fecit, non quæ noluit. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem.* Sap. 2. 24. Quantus iam globus erit homo? Est placitum Paracelsi in homine esse simulacra creaturarum omnium. At, inquam, id est petere principium. *Non si ebrius Paracelsus, vel Magus diabolorum inspirationibus deceptus quid dicit, id statim est verum: nec quas ille fingit similitudines, sunt Dei creaturæ.* Nam nihil simile fingere potes, quin opponi ei possit dissimile, & dici non simile: veluti tu dicis *in homine esse Solem, quia calor insit, quia cor habeat.* Inquam ego vicissim: *at calor Solis non est Sol: Et hominis calor dissimilis est calori Solis; Et cor iratum Marti potius compares, quam Soli.* Si tua concordantia est creatura Dei, mea discordantia non erit Dei creatura. Omnino *quæ per comparationem dicuntur, tam ad non esse, quam ad esse affectionem habent, nisi ab eo dicantur, qui omnium essentiam perfecte exploratam habet.*

II. Argumentum. *Qui omnia ex summo bono (Deo) manantia, secum reducit ad fontem æternitatis, ex quo originaliter singula fluxerunt, & emanarunt, est circulus omnium creaturarum. Homo omnia ex Deo manantia secum reducit ad Deum. Homo ergo est circulus omnium creaturarum.*

Respondeo: Insanientis sapientiæ totum est. Propositio est falsa. Quod enim ex fonte exit, ducitque secum aliquid & iterum cum eodem ad fontem redit, circulum facere potest, sed circulum esse necesse non est. Duc globum, vel aliquid aliud funi alligatum circum caput, num fiet circulus? Turbo in gyrum fertur, at gyrus non est. Cœlum circumducit planetas, at non fit ideo circulus. Minor quoque falsa est. Omne bonum emanat à Deo non in vnum hominem: Habent angeli sua, cœlum sua, & quælibet alia creatura. Qui ergo omnia potest homo in Deum referre? Rideat sapientiam istam vel Epimetheus. Deinde si hominem peccatorem consideres, ecquę bona, quæso, cæterarum creaturarum ad Deum referat, cum etiam sua perdiderit, & si velit Deum videre, eum oporteat alieni beneficij munus afferre? Phil. 3. 9. Tit. 3. 5. Cum mundus peribit cum vniuersa sua bonitate, cum putredo consumserit hominem, num ad Deum reducet etiam consumta? Deus creabit omnia noua. Num & hæc homo affert? Quæ oculus non vidit, nec vllius hominis intellectus in hac vita est assecutus, quomodo ea fert ad Deum? Diaboli à Deo sunt creati. Si hos reducere ad Deum posset homo, beati essent. Deus restituet omnia per Christum: non afferet ad eum omnia homo Crollianus. Quid si Magi Paracelsici, Arabes, Mauritani cum infinita copia impiorum non peruenient ad Deum? Nemo enim venit ad Deum, nisi per *Christum* recte agnitum & cultum, vt pater in filio agnoscatur, & colatur. Quales iam erunt circuli isti? Circulo ad Belialem redeunt, à quo etiam exierunt, seu ad patrem mendacij & homicidij, cuius sunt filij, *Ioh.* 8. 44. at circuli ideo non fiunt. Hermes Hartmani terram maledictam & damnatam habet in suis principiis. Hanc num ad Deum relaturus sit homo circulus, videte insani vos sapientuli.

VI. Iam de imaginibus in isto fictitio centro & circulo. *Prima Dei imago mundus est*, inquit insaniens sapientia *Crollij*. Mirum est *Aristotelis, Galeni, Hippocratis*, & aliorum gentilium Philosophiam à Paracelsistis explodi, si possunt *Hermetis* istius pessimi Idololatræ & Deorum in Ægypto fabri sententias exosculari. Hoc autem ille scripsit in Asclepio cap. 6. *Deus, Dominus æternitatis primus est mundus est secundus, Homo tertius Deus.* (ideo cap. 3. ait: *Homo est magnum miraculum, animal adorandum, & honorandum. Nam transit in Dei naturam, quasi ipse sit Deus*: nimirum vt Eua & Adam commisso peccato Gen. 3. 5. 21.) *Homo nouit se & mundum: Veneratur Dei imaginem.* (*mundum*) *non ignorans, se esse secundam Dei imaginẽ. Imagines Dei duæ sunt, Mundus, & Homo, qui anima, sensu, spiritu & ratione diuinus est, & ascendere posse in cœlũ videtur*, &c. Id quod de Dei filio, qui est substantialis imago patris Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Verum est, diabolus inuasor gloriæ diuinæ per suos satellites *Hermetem* & *Crollium* transfert ad mundum, quem Deum esse mentiuntur etiam Platonici ab Ægyptijs seducti. Qua scriptura probatis viri insani, quod mundus sit Deus, & imago Dei? Mundus cum optimus à Deo creatus esset, propter obortum peccatum pessime audit. Maledicto enim subiecta est mundus creatura, & homines mundani à diametro Deo opponuntur. Machina mundi flammis cõsumetur, & mundus impiorum in infernum præcipitabatur.

Legantur c. 3 Asclepii, in quo est fundamentum desipientia Crolliana.

Hermes & Crollius diaboli satellites.

Ioh. 14. & 16 & 17. &c.

Hocne

Hocne conuenit Dei imagini? Hæc perdita peccatis restauratur per *Christū*, & sic imago Dei per gratiā in homine resuscitatur, gloriaq; ornatur. Impij imaginis nihil recuperant. Itaq; non imago Dei in cruciatuum pœnas mittitur, sed hi, qui cum facti essent ad imaginē Dei, eam peccando amiserunt, nec per pœnitētiam & fidem in *Christum* receperunt. *Si mundus Dei imago fuisset, aut esset, non eam amisisset. Non enim ipse peccauit. Si non amisit, non perire poterit. Atqui comburetur.* Sed satis est, ne angelos quidem creatos esse ad imaginem & similitudinem Dei, nedum mundum cōstantem cœlo, terra & contentis. Friuolum est dicere, ex mundo cognosci Deum, tanquam ex imagine: & ideo esse imaginem. Aliud est in opere artem artificis conspicere, in speculoq; formam obuersantis: aliud creatum esse ad imaginem & similitudinem Dei. *Præsentem monstrat quælibet herba Deum: at nō quælibet est condita ad Dei imaginem.* Sequitur: *Homo est imago mundi.* Falsum & hoc. Deus hominem incolam, & Dominum quorundam in mundo fecit, non imaginem mundi. Mirum est istos fanaticos multa garrire de sua sapientia ex libro Scripturæ, & naturæ, vel lumine gratiæ, & libro mundi, non autem sequi & profiteri ea, quæ sunt in libro gratiæ, sed quæ in Magorum dementatorum pollutissimis scriptiunculis. At inquis, *Microcosmus est imago macrocosmi: Homo est microcosmus, & compendium mundi. Ergo.* Respondeo: Homo paruus mundus dictus est ab Ethnicis primum secundum quid. Quia enim Ægyptij & Platonici cœlo, quod mundus κατ' ἐξοχὴν dicitur, asscripserunt diuinitatem, sensum, & intellectum, quæ in homine inueniuntur: Ideo hominem vocarunt paruum cœlum, seu mundum. Aliqui propter sensum & motum etiam bestias complexi sunt exclusis vegetalibus, mineralibus & elementis. Alias & homo & cæteræ materiatæ creaturæ sunt partes mundi, & de mundo, vt si integrum mundum sumere velles, homo deberet esse etiam imago sui ipsius, seu paruus mundus sui respectu. Hinc elucescit à Paracelsistis Elenchum secundum quid committi, & non essentialiter, sed accidentaliter Philosophari ab ipsis, dum quod quadamtenus, & per similitudinem partis cum toto dictum est, vniuersaliter interpretantur & essentialiter, indeque postea, vtpote ex falso principio, magnificas texunt consequentias. Auffer mundo externo rationem saltem, non magis homo erit paruus mundus, quam bos, equus, canis, &c. Quæ enim de Elementis, principiis, mineralibus, cœlestibus astris, & similibus proferuntur, sunt etiā in bestiis. Nam si vltimo creatus est homo, mundi imago est, aut per essentiam paruus mundus; neq; etiam si Dominus bestiarum est. Non necesse est incolam & Dominū mundi essentialiter paruum mundum esse. *Comparatio à simili non ponit essentiam:* quod nondum didicerunt Paracelsistæ, qui vanas fictiones sui magistri quasi Dei stulte sequuntur. Alia pars cathenæ. *Hominis imago est animal.* Bestiam voluit dicere. Sed audi, quid hinc colligam: si bestia est imago hominis per essentiam, sicut homo est imago mundi, & mundus Dei: concordantia essentiali vt homo est paruus mundus, mundus paruus Deus, ita idem homo erit magna bestia, & bestia paruus homo. Nonne? Analogia enim æqualiter per scalam ascendit, & vt se habet bestia ad hominē, ita cætera sequentia ad superiora, & sic Deum tandem faciemus bestiam. Non immeritò Ægyptij coluerunt bestias, si Deus aliquo modo bestia. Etiam hoc sequitur in eodem climace, bestiam esse imaginem Dei aliqua ratione inferiore, atque inde idem sequetur de bestiis adorandis. Verum nec vllus aliquis sapiens bestiam dixit imaginem hominis, neque verum id est. *Paracelsus* animalem hominem *Pauli*, & Pecuinum Poëtarum, & Ethicorum: Item Magicum *Circes* aliarumq; Sagarum, & Diaboli illusionū de Lycanthropis, felibus, asinis, &c. Item pœnas peccatorū per deliria, quibus homines etiā deterius bestiis insaniunt; Item Epicuræam vitā & similia in internas bestias transmutauit, vti & finxit duplex corpus hominis, vnū Olympicum, alterū elementare: sed ista omnia cum principij petitione. Falsum.n.est istas seu metaphoras, seu morbos, magicas delusiones, &c. internas & per essentiā bestias designare: Imo si essent argumenta bestiarū essentialium, quas spirituales vocant, bestia non esset imago hominis, sed homo bestia ipsa. Nec homo conditus est ad imaginem bestiæ, nec bestia, prior homine creatura, ad imaginem hominis. *Est in homine facultas sensitiua analogicè, non vniuocè eadem cum bestiali.* Habet homo aliqua membra singularia, sed plurima bestiarū quarūdam, præsertim porcorū, & simiarū similia. In bestia est æstimatiua tantæ præstantiæ, vt quidā ei rationē & intellectum tribuerint. Affectuum quoq; & disciplinæ, virtutū & vitiorum, generationis, nutritionis & aliorū inueniūtur simulacra. Verum omnia sunt cōparationis externæ, nec possunt principiorum essentialiū vim habere. Itaq; admittimus quidē *bestiam aliquo modo imaginē hominis vocari, & vicissim hominē imaginem bestiæ:* Logica.n.affectio valde est ampla: *sed non in ordine eo, qui ad Deum per hominē tendat:* Non sicut homo est imago Dei, ita bestia hominis. Multa dicuntur quauis cōparatione: sed ex dictis non potest colligi concordantia illa, q̃ Paracelsici in essentiis internis quærūt. Chirotheca similis manui est, & dici potest imago manus, vt vagina imago gladij: sed inde nihil possunt essentiale Philosophi extruere, sicut nec ex picta manu, & in speculis apparēte. Sit bestia imago hominis quacunq; æquiuocatione: magis imago hominis est species eius, seu figura picta, sculta, fusa, specularis, &c. Quid inde scientifici? *Spiritus S.* apparuit specie columbæ, ignitarum liguarū, venti, &c. Num hinc sequitur eius essentiam esse eiusmodi. Multi sunt typi, qui non sunt extendendi vltra significandi intentionē. *Euangelistæ* quatuor bestiis assimilantur, & *Christus* agno. Modo dicendi imagines sint: sed ex quibus præter significandi affectionē nihil colligas. Alia pars cathenæ: *Zoophyton est imago animalis. Aliquid, inquam, animale habet, sed plus de plantis. Inde si imago dicitur, reciprocè etiam bestia erit imago Zoophyti. Inter ea, quæ sic coordinata sunt, vt deinceps sequantur, non necesse est alterum alterius imaginem esse, & si coincidat ea affectio, tantum est mutabilis adiuncti, externæque rationis, cum qua plures sunt sæpe dissimitudines, quam similitudines, nec in omnibus par ratio est conuenientiæ.* Exempli gratia: In homine subordinata sunt membra, caput, collum, humeri, pectus, &c. Sed alterum alterius imago non est.

Iactant librum Scripturæ Paracelsici, & sequūtur Ethnica deliria contra Scripturam.

Bestia imago hominis.

 In

In cœlo subordinatæ sunt stellæ, vt fixis subiectæ sint errantes, & in his successio Saturni, Iouis, Martis, &c. qui specie coueniunt, nec rectè iudices, si arbitreris alterum planetam alterius esse imaginem, *cum ratio imaginis extra diuinitatem non sit essentialis*, vt apparet in Pareliis, Paraselinis, aliisq; speculorum apparentiis. Non rectè dixeris de pluribus indiuiduis genere vel specie iisdem, quod alterum sit alterius imago: sed vnumquodq; per se in sua singulari essentia accipitur. In aliquibus repræsentatio est imaginis instar, vt cum in fabulis personæ repræsentant hæc *Agamemnonem*, illa *Vlyssem* alia *Achillem*, alia *Hectorem*, *&c*. Imagines has personas si voces, impropriè voces. Ita in vicariatu, & subdelegationibus: In typis, & antitypis, &c. In homine facultates sunt subordinatæ. Rationi subest affectus, qui cum concupiscentia naturali cognationem habet: Mens, ratio, voluntas, sensus, appetitus, motus, facultas naturalis suo sunt ordine. Si inde imaginis vim elicere velis, ridiculus fias. Sed & Crollius ipse tandem infirmitatem collectionis agnoscit, cum de plantis, metallis & lapidibus scribit, quod repræsentent sequentia præcedētium similitudines, & imagines, quod est, non esse imagines propriè, sed aliquo modo repræsentatiuo, qui in diuersis non est idem. Malè ergo colligitur:

Si mundus est imago Dei, homo imago mundi, hominis bestia, bestiæ Zoophyton, Zoophyti plantæ, plantarum, metalla, metallorum lapides, magnus mundus cum paruo seu homine PER OMNIA *est vnus.*

Resp. Nego sequi. Non enim si *aliquo modo* alterum alterius imago dici potest, *per omnia* macrocosmus cum microcosmo est vnus. Ex aliqua qualicunq; comparatione non potest concludi vnitas vniuersalis. Deinde si ita sit, vti ponitur, sequitur omnium inter se aliqua saltem conuenientia & respectus, seu qualiscunque vnitas accidentalis, non autem magni mundi cum paruo per omnia. Præterea ratio inuertitur tota: *Si mundus est imago Dei, homo imago mundi, &c. magnus mundus cum paruo per omnia est vnus.* Assumo: *At mundus non est imago Dei, & homo imago mundi. Ergo magnus mundus cum paruo non est vnus per omnia.* En tibi æternæ sapientiæ Paracelsicæ specimen. Isto modo fieret, vt Deus quoq; traheretur ad vnitatem, fierentq; eius imagines vilissimi lapides, & ex consequente per omnia vnum cum Deo. Est enim in climace & sorite quæ ratio antecedentis, ea & consequentis, & tandem omnium inter se eadem. Quis autem tam profanus sit, vt lapidem Deo similem faciat.

VII. Non est sapientius quod apponitur: *Pater & filius sunt aliquo modo vnum: Magnus mundus est pater: homo est filius Ergo magnus mundus & homo sunt (per omnia) vnum.*

R. Conceditur hominem & mūdum aliquo modo ad vnitatem reduci, cum homo sit membrum quoddam mundi: sed id non sequitur ex antecedente, multo minus quod *per omnia* sint vnum. Pater & filius relatione sunt vnum, item consensu causæ procreantis & effecti. Essentia vero in creaturis adeo distant, vt sint opposita contraria. Deinde homo filius mundi dicitur modificate sicut filius seculi Luc. 20. vers. 34. non quod à mundo magno naturaliter sit procreatus. Si enim mundus gigneret, mundos sui similes procrearet, & non homines. Quod autem Deus materiam ex magno mundo sumsit, & ex ea fabricauit corpus hominis, inde nō aliō modo filius magni mūdi dicitur, quam olla filius terræ, & lignea domus filia syluæ. Eius fecis & hoc est: *Magnus mundus visibilis factus est homo: Ergo per omnia homo & magnus mundus sunt vnum.*

R. Falsum est, quod magnus mundus homo sit factus. Ex terra, quæ est pars mundi elementaris, Deus fecit corpus hominis: animam autem non de mundo sumsit, sed creatam seorsim inspirauit in faciem Adami, & postea propagauit per costam viri, vt fieret fœmina. Hi duo deinceps omnes posteros progenuerunt, tanquam capita & principes omnium familiarum. Hinc & Ecclesiastes dicit cap. 12. v. 7. *puluis reuertitur in terram suam, vnde erat: spiritus redit ad Deum, qui dedit illum* Sed & finge, quod etiam anima originem traxerit ex mundo magno, vti quidam arbitrati sunt eam à stellis produci, vel sole: attamen falsum est, ob id magnum mundum factum esse hominem. Sylua vel mons materiam ad domum confert, sed non ideo fit domus. Notanda autem dictio est propter profanitatem quandam adhærentem. Alludit enim ad mysterium incarnationis filij Dei. Sicut Ecclesia confitetur in symbolo: *Vnigenitus Dei filius homo factus est*: ita ille, *mundus est factus homo*, qualis impietas est: item dum alio in loco scribit, Medicinam esse verbum incarnatum, seu misericordiam incarnatam, verbum *creatum & incarnatum* in creaturis reperiendum, &c. quo alluditur ad dictionem Ioh. 1. *Verbum caro factum est*. Hoc scilicet est gloriam Dei quærere, & nomen Dei non profanare.

Profanitas Crolliana dictionis.

Pag. 45. 46.

VIII. Est autem copiosus argumentando, vt suam phantasiam obtineat. Itaq; & hoc modo ratiocinatur: *Quæ partibus conueniunt, per omnia sunt vnum: Maior & minor mundus partibus conueniunt. Ergo.* Assumtio probatur, *quia vt magnus mundus est bipartitus, visibilis & inuisibilis ita & homo, qui duplici spiritu vno firmamentali, altero anima est inuisibilis, visibilis corpore.* Hæc est dianœa ad formam redacta.

R. Nego propositionem. Ita enim omnia indiuidua fierent indiuiduum vnum per omnia, & homo transformaretur in porcum, simiam, &c. Item mundus maior non magis esset homo, quam bestia aut planta. Assumtionem dico, quod fallat Elencho à dicto secundum quid. Corpore sane conuenit cum mundo ratione terræ, & aliorum elementorum, item nutrimentorum, siq; ad mundum magnum pertinent etiam bestiæ, multæ sunt, cum quorum partibus cognationem habet. At de spiritu seu anima fallit. Neq; enim mundus magnus est animatus, nisi qua animalia, quibus sua est anima, & plantas continet. Verum à Philosophis cum de animato mundo loquuntur, cœlum intelligitur, sepositis contentis animatis. Itaq; rectè negatur mundus esse animatus, aut animal. Quæ vero de spiritu mundi, qui anima vocatur, dicuntur, item de potētia caloris animale principium habentis, huc non pertinent. In homine sunt spiritus præter animam organici. Itaq; concedi po-

di poteſt, duplicem ſpiritum habere hominem, magisq; ſi & dona ſpiritualia nomine ſpiritus voces: ſed *Crollius* alium vult ſpiritum, quem declarat in ſequentibus, & iam vocat firmamentalem, nos autem non admittimus. De his autem & ſimilibus deliramentis, quæ ex *Paracelſo, Hermete* & aliis cum magna confidentia & præſumtione effutit, alibi dictum eſt. Hæc in præſens repetēda cenſuimus, vt ſtudioſi videant, quod ſit illud fundamentum, cui innitur NOVA REFORMATIO oppoſita Peripateticæ, & dogmaticorum Medicorum diſciplinæ, & quomodo accipiatur τὸ γνῶθι σεαυτόν, vt poſtea deduci queant ſingularia ſectæ Pararacelſicæ decreta. Rotam reciprocam ſtatuunt, & modo ex cognitione mundi extra hominem de homine iudicant, modo ex hominis notitia concludunt de mundo magno, re non admodum improbabili, ſi intra terminos ſuos cohibeatur. Analogia iſta vtuntur & Philoſophi noſtri cum Theologis: ſed inde non ſequitur identitas, vnitasque eſſentialis. Quis enim concedat in homine eſſe omnia, quæ ſunt in externo mundo, vt cognito homine omnia externi mundi ſint nota? Eſt quædam notitia vaga, communis & indeterminata: alia certa & determinata. Illo modo dicere poſſis, qualitercunq; per comparationes & ſimilitudines eſſe in homine ea quæ & in mundo externo: Imo non in homine tantum, ſed & in beſtia: at certa ſcientia & demonſtratiuè non poſſis. Audio de cœlo & ſtellis in homine: at quis inde naturam vnius ſaltem ſtellæ cognoſcat, ſi ante nullam viderit? Quis tot genera piſcium, plantarum, inſectorum, quadrupedum, mineralium? Rectè aſſumimus ad explicationem creaturarum librum ſcripturæ. In eo enim multa ſunt, quæ nec ex nobis, nec ex natura externa cognoſcere poſſumus. Sed interim domeſtica principia, inſitæq; cauſæ propriæ cum ſuis effectis ſunt inueſtiganda, vti docet methodus ſcientifica. Hic ſenſus, ratio, & experientia, conſenſusq; ſapientum, & euidens ex principiis demonſtratio cum publico omnium iudicio vim criteriorum habent. Quæ vero inter ſe tantum comparantur in pari, diſpari, ſimili, diſſimili lucem poſſunt afferre intellectui infirmo: ſed eſſentiam ipſam non demonſtrare. Fatendum vero eſt, in hac vita noſtrum intellectum in pluribus hallucinari, & quædam planè non poſſe percipere, in quibusdam ſpecie veri & apparentia decipi, vt fit in ſimilitudinibus: in pluribus nos ſeduci opinione, & paralogiſmis noſtris. Hinc & tot diſſenſiones circa res naturæ & alias. Illud memorabile eſt, quod Sapientiæ *cap. 9. v. 9. & ſeq.* proponitur de hominis impotentia circa creaturas, & conſilium Dei ſine ſapientia à Deo conceſſa. Idem eſt *Prouerb. 1.* & alibi. Quocirca, vt concludamus hanc exercitationem, NEMO ſuo ingenio nimium confidat etiam cum putat, ſe demonſtratiua habere. Quid de analogiſmis & comparationibus Paracelſicis dicendum?

Curiſta deliramenta repetantur.

Finis examinis Hermetici apud Hartmannum.

D. O. M. A.



D. O. M. A.

EXERCITATIO PARACELSICA NOVA DE NOTANDIS EX SCRIPTO FRATERNITATIS DE ROSEA CRVCE.

NOTA I.



Pag. 58.

SWALDVS Crollius in præfatione admonitoria suæ Basilicæ Chymiæ, dum inuehitur in contemtores spagiriæ & Philosophiæ Paracelsicæ, quos *Thrasones Athenienses lucem tenebras, & tenebras lucem esse contendentes*, vocat, sperat fauentibus superis futurum breui, vt DEVS aliqua excitet ingenia, quæ veritatem in scientiis, & facultatibus (siquidem inuentio artium nondum attigerit vltimum finem) in lucem proferant, zizaniam scientiarum eradicent, & deceptiones, ac errores Scholasticorum (de Academicis professoribus sentit) refutent non verbis, sed factis, non syllogismis, sed re ipsa. *Quando enim perfectum venerit* (inquit) *appropinquante Renouationis, & Regenerationis tempore, omne imperfectum necessario cadet, &c.* Putauit nimirum Aristotelicam, Philosophiam, & Galenicam medicinam ex scriptis Paracelsi, & sensibilibus operationibus Chymicis & Medicis esse corrigendam.

Ideo & mirificis laudibus Paracelsum exornat, & scripta eius noui Philosophi & Medici non superficialiter & perfunctoriè, sed summa mentis attentione legenda censet, petendum à DEO Spiritum intelligendi literam mortuam Theophrasti & Philosophorum, non è libris Chartaccis. *Pag. 92.* optat, vt magnates partem aliquam sumptuum erogarent in pie & conscientiose doctos, rerumque Chymicarum peritos viros, atque ita Chymicum laboratorium instruerent. *Pag. 94.* mentionem facit cuiusdam Heliocanthari Borealis, qui vnica gutta laricis perfectæ & vniuersalis Medicinæ, (in qua tanquam pennario omnium corporum cœlestium, & terrestrium dispersæ virtutes admirando artificio inuisibiliter coaceruatæ, imo in qua totus mundus astralicè concentratus fuerit) hominem deploratæ valetudinis & morti vicinum vna nocte ad firmam & perfectam reuocarit incolumitatem sua ignea astrali, & cœlesti natura inuisibili influendo cordi radium vitæ naturalis, vitæque organa renouando & defunctam naturam reparando, quod regalis hæc & omnium aliarum Medicinarum imperatrix corpora humana subito, & quasi miraculose à quibuscunque infirmitatibus desperatis resurgere faciat. Talem medicinam tribuunt etiam *Paracelso*, quæ tamen in eo defecit, si verum est, quod *Crollius* idem scribit, veneno infectum & è medio sublatum esse: Talem & *Arnoldo*, cæterisque, qui lapidem Philosophorum perfecerunt. Est in manibus hominum scriptum quoddam Casseliis an. 1614. impressum cum titulo: *Communis & Generalis reformationis totius mundi: & fama fraternitatis ordinis do Rosea cruce.* In hoc non tantum mentio fit sanationum gratuitarum in Lepra & aliis grauibus malis, & præseruationis ab omni infirmitate vsq; ad naturæ terminum, verum etiam sapientiæ cuiusdam diuinę humanæq; ad errores vetustos extirpandos. Quid ni de his senserit *Crollius*? Fratres illi scribunt omnibus doctis, indoctis, summis & imis, adhortanturq; eos, velint animo attentè sua postulata perpendere, & artem examinare, quam acutissimo iudicio. Ea vera huc tendit, vt fiat aliqua reformatio diuini & humani, & satisfiat spei & desiderio aliorum & suo, licet tempus nondum adesse sciant. Rescripsit illis fratribus *Adamus Haselmeier*, & summam sapientiam, Cabalisticam scilicet Theologiam, Magicam; Astronomiam, Physicam, Spagiricam, Mathematicam, Medicinam sine gentili Philosophia ex fundamētis liberis expetiuit. Iussit venire fratres cum verbo pacifico sophorum cœlestium, cum Theologica Nectrometia, Beatorum Nectromantia, cum Magia Philosophica Bethlehemetica sancta; cum Astronomia gratiæ, &c. omnino expectat à fraternitate puram putam Paracelsiam, & inuehitur acerbè in Mundo. Christianos Academiarum insanos, qui putent non posse inueniri meliorē Philosophiam Aristotelica, nec certiorē Medicinam Galenica & Auicennæa, & Idololatrū ita doctrinam fulciant, &c. Non desunt sane Academiis & Gymnasiis viri eruditi, qui nec in *Aristotele*, aliisq; gentilibus omnia probent, nec in *Galeno & Auicenna*. Non enim hos mēsuram veri esse censent. Itaq; quicquid apud ipsos est sani, veri, & solidi, id suū faciunt & amplectuntur: Quicquid exorbitat, redarguunt liberaliter, & veris mutant, assumto lumine scripturarum authenticarū & experientiæ, rationisq; euidentis. In quibus deficiunt, student afferre supplementū vti hactenus cum laude factitatum est à multis, qui non tantū nouas obseruationes medicas prodiderunt: verū etiam medicinam Chymicis præparationibus locupletarunt, tametsi hoc non nouo exemplo, cum pridem

Illud scriptū an. 1615. denuo prodiit Franconf. cum confessione, & quorundam se in societatem dare volentium literis.

pridem *Auicenna, Mesues, Bulcasis, Arnoldus*, & alij id ipsum inchoarint. Videndum itaq; diligenter est, qui nam accusentur, & quæ reformatio desideretur. Si omnia sunt ad Paracelsi mentem dirigenda, eueniet longe plus errorum, & dubiorum intricatissimorum, quam ex literis gentiliũ vnquam existere potuerit. Veruntamen omnia probanda sunt; quod bonum est, tenendum. *Crollius* arbitratus est, se longe plus sapere Athieniensibus & phileraſtatis; & aliquo modo verum est plus sapuisse. Excessu enim peccauit, & dum Athenienses insectatur, in foueam insipientiæ delapsus est. Nos nihil contra institutum Fraternitatis scribemus in præsens: neq; enim in apertum dederunt omnia sua, & quam scripserunt confessionem, nondum vidimus. Venit ad manus postea. Sed breuitate temporis obstante iudicari non potuit. Summa est: *Omnia magica*: quod apparet *ex ficta mundi reuolutione ad statum Paradisi*; *ex felicitate incredibili in seculo*: *Ex palatiis plus, quam regiis*: *Ex inexhaustis Thesauris*: *De non posse ægrotare*: *De cognitione eorum, quæ vltra Gangem & in Peru fiant*: *De spiritibus mundi rectoribus aduocandis ad seruitia*: *De libro, in quo scripta sint omnia præterita, præsentia, futura, &c.* quæ omnia sunt Magiæ Paracelsicæ & Crollianæ iuxta Agrippam, &c. *De nebulis, quibus inuoluta fraternitas inueniri non possit*: *De doctrina Magorum in Arabia, &c.* Notabimus saltem nonnulla, de quibus præmonebimus, vt mature considerentur, ne fiant posteriora deteriora prioribus.

Nota II.

Scopus libri est *Generalis reformatio diuini, & humani*, seu in vniuersa Philosophia, quæ iam olim definita est scientia rerum diuinarum & humanarum. Hanc quæsiuisse dicitur quidam nobilis cœnobita *CH. de Rosea Cruce*, qui est caput & inuentor fraternitatis seu societatis de Cruce Rosea. *Reformatio.*

Mirum videri possit hoc propositum his, qui post reformationem Mosis in gente Israelitica sciunt in sacris literis duarum tantum mentionem fieri quantum ad res diuinas attinet. Prior extat Matth. 24. 14. *Prædicabitur Euangelium hoc regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio*: cap. 28. 19. *Euntes docete gentes, &c.* Marci 16. 15. *Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Act. 17. v. 30. *Tempora huius ignorantiæ dissimulans Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant.* Ita Rom. 1. 14. Coloss. 1. 28. Rom. 10. 18. *Nunquid non audierunt? Equidem in omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum* Ps. 18. 5. Ps. 50. 1. *Fortis Deus Dominus locutus est & vocauit terrã à solis ortu vsq; ad occasum: De Sion perfectam pulcritudinẽ Deus splendere facit*: Io. 4. 21. 22. 23. *& alibi.* Posterior est de Antichristo de cuius inuasione & occupatione Ecclesiæ vniuersalis sunt vaticinia *Dan. 11. v. 16. & seq. Matth. 24. 21 & seq. 2. Thess. 2. v. 3. 4. &c.* Itẽ *Apoc. 13. 11. & cap. 17.* Reformatio vero futura fuit per spiritũ oris Domini, seu ministeriũ Euangelij *2. Thess. 2. v. 8. Dominus enim Iesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet claritate aduentus sui.* Vnde colligunt Theologi hanc vltimam fore in diuinis reformationẽ, quæ peracta sit ministerio *Lutheri* in comitiis publicis *Augustæ* proposita confessione rectæ fidei. Dicit quidem *Christus* in Luca cap. 18. 8. *Filius hominis veniens inuenietne fidem in terra?* quasi designaret publicum ministerium tunc totum corruptum fore, dicentibus hominibus pax & securitas, quo tempore subito sint opprimendi; sed nullius amplius reformationis meminit.

Nemo vero dubitat, nos esse in vltima mundi fece, propter signa penè omnia antegressa, & adhuc hodie subinde apparentia. Quocirca quæritur, quæ ratio sit istius reformationis circa diuina, quam societas proponit. *Paracelsus* in animo habuit *Lutherum* simul & *Papam* in ordinem redigere. At obiit relicto opere. Num in locum eius venturi sunt fratres de Rosea cruce? Quod ad humana attinet, Politicæ & Oeconomicæ leges siue imperij & regnorum Christianorum, siue Mahometanorum & gentilium non curabunt, nec admittent, vti videtur, reformatores. Philosophia & Medicina accessu luminis scripturæ, & Hermeticæ solertiæ in Chymicis magna ex parte est correcta. Duriores nonnulli adhuc resistunt: sed qui non videntur curandi. Nunquam enim talis speranda purgatio est, vt nihil sordium amplius appareat.

Nostra sententia est, si innotesceret vniuersale illud nobile Prophylacticum, & Therapeuticum, in Medicina multa particularia casura esse. Quod si vero reformationis consummatio intelligitur, quæstio est, num ea ad *Paracelsi* mentem, quam *Crollius, Hartmannus, Seuerinus*, & alij illustrare voluerunt, sit instituenda, an vero etiam Paracelsia reformanda. Nobis hoc prius necessarium esse non videtur tantum, sed & serio statuitur. In quo enim loco Paracelsica factio non exercet Medicinas temere, & fortuito? Sed & quam grauiter hallucinatus est *Seuerinus, Crollius, Hartmannus* cum *Paracelso* in tota Philosophia, & Medicina? *Haselmeieri* quidem sententia est Theophrastiam debere publicari loco Peripateticæ, & Galenicæ disciplinæ: sed nisi illa prius fuerit repurgata, actum agetur, proq; reformatione inceptabitur deformatio.

Nota III.

De reformatoribus. *Deus dedit*, inquit liber, *ingenia summe illuminata ad artes perplexas & imperfectas restituendas. Mundus intra centum annos multo melior factus est. Peperit enim Heroas præclaros, qui summa vi per tenebras & barbariem penetrarunt, & posteris residuũ reliquerunt. Causa dicitur esse Igneus Trigonus, cuius flammæ magis magisq; indies splẽdescant vsq; ad finem mundi.* Inter Heroas illos numeratur Paracelsus in suã vocatione, qui librum mundi diligenter legerit, & hoc ipso sublime suum & acre ingenium incenderit.

Cur autẽ reformationẽ nõ perfecerit, causa redditur, *quia impeditus fuerit ab aliis Doctorib. qui ei in optimo cursu molesti fuerint, vt sensus suos non potuerit placide cum aliis conferre. Vnde indicauerit eos magis*

vexa-

vexatione, quam artis communicatione dignos, neglectim vixerit, & mundo suas stultas delitias reliquerit, &c. Laudanda fraternitatis libera cōfessio est de Dei nunquam satis prædicanda benignitate, quod Lucem verbi sui *sub dominio tenebrarum monasticarum* pene extinctam denuo accenderit, & ministerio *Lutheri*, aliorumque Doctorum præstantium religionem repurgauerit; artes Philosophicas etiam & linguas adeo illustrauerit, vt plurimis erroribus & inscitia, ignauiaque profligatis longe puriores euaserint, & in vsu frequentiores, quanquam adhuc laboretur in spinis & sentibus, lolioque nonnullo eradicandis, cum in hoc seculo, quod imperfectionis est, non speranda sit consummatio, vt *Paulus* innuit *1. Corinth. 13.* Idem sentiendum de facultate Medica est & iurisprudentia. Instructissimis certe diuina gratia, & lumine mentis pollentissimis, exercitatissimis, minimeque ignauis, & pusillanimis ingeniis ad eam rem opus fuit, quæ heroico impetu concitata turbam densissimam tenebrarum ab omni parte aggressa penetrarunt, difficultatibusque & hostibus victis in altum emerserunt, à latere vndiquaque assistentibus etiam principibus & manifestam vim excelso animo prohibentibus, vti est in historiis.

Paracelsus autem cur solus nominatur? *Quid quæso iste aliud excitauit, quam turbas? Non quidem est negandum, donis intellectus præclaris ornatum fuisse*, sed quæ ille malè collocauit, & cum impetu perumpere voluit & simul bona cum malis obruere, productis singularibus quibusdam figmentis ex omni angulo impuritatum, & quisquiliarum congestis. Fiduciam addidit Chymica peritia, & Medicinarum singularium ope eius præparatio. Erat autem iam pridē Alchymia & nota in Germania, & in artem pharmaceuticam recepta. Si itaque voluisset prudenter in ea versari, ad magnum splendorem eam perduxisset, & simul medicinam auxisset: Verum ille iracundia sua omnia peruertit, & vt videretur in omnibus singularis esse, Harmamoniam quandam seu concordantiam maioris & minoris mundi, & rerum singularium inter se ex vetustate (neq; enim nouum dogma est, vt apparet ex priscorum scriptis) proposuit. Et tamen non potuit eam altius fundare, quam in similitudinibus externis, quasi statim idem esset, quod aliqua est comparabile. Deinde ex Astrologia mutuatus est aliud fundamentum, quod & apud *Aristotelem* legitur, nempe medium mundum à superiore gubernari, ex quo ille conclusit, in medio mundo esse quoq; ea, quæ sunt in summo. Allusit huic opinioni axioma de familiaribus inter se affectis, & magnetismis: Item quod metalla planetarum nominibus designarentur, atq; etiam arbitrarentur quidam ab eis effici. Hinc ad mista alia peruentum est, & diuisio in principia tria à *Basilio Monacho*, & aliis assumta à mineralibus ad vegetabilia, & animalia accommodata est propter concordantiam.

In his si legitimo modo permansisset, non inutilem operam potuisset præstare. Habebat, à quibus didicit, & quorum studium potuit & imitari & amplius prouehere. In mineralium anatomia, & magisterio sapientum præluxerunt ei *Hermes, Geber, Isaacus, Basilius* & alij. Adiuuerunt sui temporis exercitati, quorum ipse in Chirurgia facit mentionem, nec parum ipse quoque in eis elaborauit. Sunt adhuc in manibus libri antiqui, ex quibus videre est, quando studio in mineralibus versata sit Germania longè ante *Paracelsum*. In medicina quid sciuisset præclari, si Arabes, & Galenicos autores non legisset? Apud *Mesuen, Bulcasim, Rhasin* & alios inuenit Chymiam vegetabiliū & mineralium, vti & apud *Auicennam*. Deinde *Lullij, Arnoldi, Rupescissæ* & aliorum pluriū libros habuit, qui adhuc in suo sunt honore. Hinc & res & verba traduxit. Cum autem istis temporibus in admiratione esset etiam Magia, non illa naturalis *Rogerij & I. Bapt. Portæ*, sed infamis *Tritemij, Agrippæ, Techelli, &c.* Item Cabala illustraretur à quibusdam Iudæis, *Pico Mirandulano* & aliis: ad has quoq; artes se contulit, & contemtis tandem omnibus veteribus & nouis Monarchiam arcanorum, & sapientiæ totius sibi dementissimè arrogauit inuentis semper asseclis, & applausoribus in hodiernum vsque diem. Medicinam Chymicam exercuit in initio feliciter. Nam *ad noua homines sunt attenti*, & imaginatione sua, vt *Crollius* de Panacea *Ambaldi* scripsit, fortiter vsi plus hac proficiūt, quam medicamentis. Sed postea vilescente nouitate tum multos læsit medēdo, tum non potuit sanare, in seipso quoq; infelicitatem expertus. Hæc ita se habere patet ex libris eius, & connotatis historiis, fidelibusq; testibus: Imò loquitur res ipsa in his, qui *Paracelsistæ* vocantur.

Paracelsistarum encomia.

Plærique enim sunt homines temerarii, insolentes, superbi, audaces, periclitatores, gloriosi Thrasones, imperitissimi, & indoctissimi bipedum, qui ampulantibus verbis decipiunt magis, quam aliquid laudabile re ipsa, nisi fortuito quid fiat, præstent, maxime si simul artem auri faciendi iactitant, cuius fiducia non pauci e terra in cruces emerserunt. Ecce reformatorem, & Reformatoris discipulos. Quod dicitur, librum mundi diligenter legisse, talis sane ipse videri cupit. Itaque alicubi scribit, se nullum librum scriptum decennio inspexisse. At si in præcedentibus quoque temporibus non fuisset auditor aut lector Arabum, *Hippocratis, Galeni* & aliorum plurium, quid sciuisset, Mira vesania est, quod audet literis publicis profiteri se longe alios *Galeni & Auicennæ* libros alicubi inuenisse, quàm in Academiis haberentur, seque literas permutasse cum *Galeno* in inferno, & disputasse cum *Auicenna* in vestibulo faucibusque orci, &c. Cum autem principia scientiarum à suis magistris accepisset, & in chymicis se exercuisset nonnihil, tunc abiectis commentariis priorum ad concordantiam maioris & minoris mundi, superiorisque & inferioris globi se contulit, & prauis imaginationibus, opinionéque adeo indulsit, vt totam naturam peruerterit, cuius rei testes sunt librorum, quos scripsit, argumenta pluribus insaniæ & furoris indiciis scatentia. *Seuerinus* Ideam suam ex illis eo legit: *Crollius* suam admonitoriam: *Dornæus* Clauem, physicas, philosophias, chemiam paracelsicam: *Suchthen* libros deantimonio, Theses, &c. *Thrasybulus* Theatrum, *Hartmannus* philosophiam vitalem, alii aliud. Verum omnes reformatorem coacti sunt reformare, vt & *Quercetanus*. Quis enim omnia paracelsicā probaret: Multi adeò indulserunt suis speculationibus, vt negarint eam fuisse mentem Paracelsi, quam litera, quam mortuam *Crollius* vocat, reddit.

Hoc

Hoc illi dementiæ velamentum excogitarunt, & suas opiniones interim prodiderunt, vt videre est in Croliiani. Ego puto, si *Paracelsus* in mundum rediturus esset & visurus istos suos interpretes, quod non mitior in eos foret, quam in *Galenum*, *Auicennam*, *Aristotelem*, & alios. Voluit esse reformator *Paracelsus* in diuinis, & humanis; sed quod voluit, non est assecutus, propter intemperiem: qua agitatus est, & confusionem malarum artium cum bonis; vitam profligatam, contemtum omnium, insolentiam, & alia vitia. Fraternitas itaque Roseæ Crucis videns in istis *Paracelsum* peccasse, & reformationis opus vitiasse, lenius incedit. Proculdubio autem quæ *Paracelsus* corrupit, restituet, & deliramenta eius procul gentium propellet. Aliàs non obtinebit, quod quæret, vt vt quidam applausores inuenientur, sicut solet fieri. ***Nihil enim tam malum est, aut fingi potest quin si tectorium adhibeas, & glaucoma oculis inducas, quale magi infames solent, inueniat approbatores & socios.***

Nota IV.

De reformatore A. CH. à Rosea Cruce, & Societatis instituto.

Texitur Historia de quodam Monacho ex nobili familia Germanorum à Rosea Cruce, patre, capite, & primo inuentore fraternitatis sui nominis, qui generalem reformationem necessariam esse vidit illis temporibus, quibus omnia erant tenebris oppleta, & Ecclesia à dominatu Romani Pontificis premeretur. Vidit nimirum ille id, quod multi alii coætanei, sed magnitudine dominantium tenebrarum absterriti ausi sunt in lucem prodire pauci, quique prodierunt (nunquam enim defuerunt confessores intrepidi, vt liber testium veritatis & centuriæ *Wolfii* probant) plærumque vi abrepti martyrio sunt affecti, ex quibus *Iohannes Hussius*, *Hieronymus Pragensis*, & quidam alii excellunt, vsque ad Hussitarum conspirationem, quæ deleri non potuit, & *Lutherum*, qui non comburi; aut alia improbitate è medio tolli. Sic in Gallia, Anglia, Germania inferiore, &c. horribiliter quidem in reformatores sæuitum est: sed vt olim in persecutionibus, ita hîc non potuit reformatio opprimi, quanquam interim zizania simul cum tritico enascerentur in agro reformato. Pater ille de Rosea Cruce adiit Damascum, ibique se contulit ad Magos Arabas, quorum doctrina & lingua imbutus profectus est ad magos Fessę in Mauritaniam, & horum quoque disciplina, pollutiore tamen Orientalium magia, cognita frustra tentatis Hispanorum & aliarum nationum literatis, à quibus fuit irrisus, (neq; id mirum tam potente sede Romana) in Germaniam rediit, ibique constructa æde Spiritus S. sua studia excoluit, & cogitata in summam coegit donec sibi confideret, & ex cœnobio sociis ascitis fraternitatem sibi cognominem excitaret. In hac historia diligenter considerandum est id, quod *Christus* dicit *Iohann. 10.* *Qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium, cui ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, ego sum ostium ouium, oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me: alienum non sequuntur sed fugiunt ab eo.* Est & perpendendum illud *Baptistæ Io. 3. 27. Non potest homo accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cœlo.* Item *Ebr. 5. v. 4. Neq, quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, &c.* Item *Hier. 23. v. 21. Non mittebam Prophetas & ipsi currebant non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant, &c.* Estne ista legitima via ad opus Generalis reformationis, & ostium per Magos Arabiæ, & Mauritaniæ? Respondebunt fratres, *Patrem de Rosea Cruce in suo cœnobio incepisse aperire oculos, vt multos alios. Tempus. n. reformationis fatale instabat & spiritus gratia in multos effundebatur, vnicuiq, distribuendo iuxta suum modulum. In Theologicis itaque de fide principium accepit ex libro Scripturæ, sicut & Lutherus: at dum hoc excolere studuit peregrinando incidit præter opinionem suam in illos Magos, à quibus non Theologiam, sed Philosophiam, quæ in Germania tam corrupta tunc fuit, quam Theologia, didicit, & principiis acceptis postea propria meditatione in vtroque studio profecit.* Hæc responsio tolerabilis fit confessione de fide reformata in Germania vigente, quam proculdubio confirmabit fructus, vt est *Mat. 7. v. 15. 16. & seq. Non omnis qui dicit Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus, dæmonia eiecimus, miracula fecimus, intrabunt in regnum cœlorum. Interim autem Paracelsus*, quem aiunt item multas regiones peragrasse, *suos habuit in Magia Doctores in Germania, Tritemium, Agrippam, & alios. Habuit & libros magicos, Cabalisticos, & similes à Iudæis & aliis: Philosophiam didicit ex Aristotele in scholis, vt & Medicinam, quam & Basileæ est professus, ex Galeno, Auicenna. &c. Chymiam à parente & aliis præceptoribus accepit, studioque proprio excoluit lectis libris Chymicorum præstantissimorum.* Non opus ei erat Magos in Arabia & Mauritania accedere. Cur foris peteret id, quo domi abundabat? Mirum autem, si tempore illius (mortuus est An. 1541. nondũ quinquagenarius, aut sexagenarius, cum quidam velint eum natum esse An. 1483. die 10. Nouem.) societas collecta fuit, cur non familiaritatem cum ea contraxerit. Legimus in *Basilii Monachi* scriptis, quæ circa ortum luis Gallicæ iuxta *Paracelsum in tom. 2. chirur. mag. lib. 1. de lue c. 3.* An. 1480. secundum *Clementium* An. 1485. aut alios An. 1493. confecta sunt, fere easdem in Medicos & Philosophos inuectiuas, quas postea auxit *Paracelsus*: legimus & de iisdem principiis, & ex stibio medicinis. Hinc colligere est, si istud est reformationis fundamentũ, in Germania inueniri potuit cumulate. Quod enim de maioris & minoris mundi collatione affertur, cum nota fuerit Harmonia vel ex *Aristotele & Platone* non defuerint Magi, Astrologi, Cabalistæ, Geomantæ, Hydromantæ, Chiromantæ, Necromantici, & id genus hominum pessimorum, ne sic quidem coactus quis fuit peregrinari. Maxime vero illa studia cum Alchymia in cœnobiis viguerunt, vbi homines otiosi potuerunt ea continuare & absoluere. Sed dici potest, *patrem illum tunc iuuenem xvi annorum ista vel ignorasse, vel non curasse: postea vero ab Arabibus accepta instructione feliciter ampliasse communicata sententia cum aliis.*

NOTA V.

DEscriptio plenior societatis. In hac specialiter sunt notanda quædam. *1. Personæ dicuntur à D.o & tota cœli machina coordinata, & electa ex sapientissimis, qui aliquot seculis potuerint vixisse. 2. Cum Ecclesia nondum esset expurgata, sciuerunt, quid esset sentiendum. 3. Summe concordes vixerunt. 4. silentij tenacissimæ. 5. His à* Deo *prædestinatũ iniunctũ, præuisum, vt suam doctrinã diuulgent. 6 Primi tamẽ fratres non adorti sunt negotij absolutionem, sed optarunt saltem consummationem. 7. Societas omnibus sufficiẽter instructa est. 8. In cœnobio Spiritus S. habet collegium à nullo inueniendũ, &c. 9. Sunt immunes ab omni morbo & dolore corporis, vt & primus pater, qui nulla vi mortuus est, sed Deo euocante spiritum.* Sed plura postea. Quod ad primũ attinet, si à *Deo* coordinata est societas, debet vocatio probari aliquo authẽtico principio. Opus reformationis generalis non ita temere instituitur. *Lutheri* reformatio fundata est in scripturis. Debet fraternitas etiã suam inde probare. Solent Enthusiastæ, quod cõpertum est circa annũ Christi 1524. & 1525. iactare singulares reuelationes, agitationes spiritus, & afflatus. Sunt & in numero Paracelsistarũ tales. Videndũ diligẽter, ne Sathanas simulato angelo lucis aliquid noui moliatur. *Luc. 16 29. Habent Mosen & Prophetas, quos si non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ita *Malachia 4. ver. 4. Ioh. 5. 39 46. 47. Esa. 8 19. 20. Quærite à Pythonibus & diuinis: nunquid non populus à Deo suo requirẽt? Pro viuisne à mortuis? Ad legem magis ad testimoniũ. 2 Pet. 1. 16. Non doctus fabulas secuti sumus; Habemus firmiorem Propheticũ sermonem, cui quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso attẽdentes bene facitis, &c.* Non ignoramus *Crollij* & aliorũ Paracelsistarũ fanaticas persuasiones. Itaq; societas excutiet illam suam vocationẽ exactius. Quod ad *totam cœli machinã* attinet, quia causa est vniuersalis, multo magis principiũ probationis requiritur. Trigonus igneus non est satis. *Semper plures stulti in seculo hominib. aucto fuerunt, q̃ sapientes.* Audimus & legimus Astrologorũ cõmenta: sed principiũ non inuenimus. *Ordinariæ vocationes sua habent fundamenta immota.* Si cœlũ coordinauit octo fratres, quis tot Academias & collegia, scholasq; coordinauit? An hic nihil potuit cœlũ? *In quibus maior vis est effectus, in iis causam plus pollere apertũ est: In scholis reformatis maior vis est effectus. Ergo.* Insuper non cœlum hic tanti est, quanti ordinaria institutio sacris literis conformis. Habeant octo fratres pro se aliquod cœli thema: at nihilominus congruere id debet in re tanta totũ orbẽ spectante cum Propheticis diuinis. Quoties decepti sumus vaticiniis Astrologicis? Quidam vltimũ Prophetam affore dicebat an. 1590. Alij notarunt an. 1588. quidã 1585. *Tobias Mollerus* de Noah quodã (seipso) an. 1584. scribebat, qui certo mẽsurare posset tẽpora prædicta in sacris. Pluriũ conatus, vt & *Paracelsi* prædictiones, habes in centuriis *Ioh. Wolfij.* Itaq; cum pleræq; vel fefellerint, vel his verbis fuerint cõceptæ, vt quouis modo ad euenta possint accõmodari, nõ multũ eis tribuimus. Quod autẽ attinet ad opus reformationis per *Lutherũ*, non immerito dicas, à *Deo* fuisse coordinatos Witebergæ collaboratores, & eius aliqua indicia cœlo inseruisse. Ita n. scribit *Clementius Clemẽtinus Amerinus in tractatu de peste; secundũ Astrologos sydera in nostra corpora vim maximã habent, & solent producere pestem cõiunctiones triũ superiorum planetarũ magnæ, Eclipses luminariũ, coniunctiones & oppositiones Saturni & Mercurij, & prædictorũ ascendentia, siue in signis mobilibus, siue humanis, vel in finibus Mercurij constituta inueniãtur, præcipuè, si prædictis syderibus dominantur maleuolæ stellæ Saturni, & Martis, qui solent inferre pestẽ bella, & alia genera malorũ regionibus, ciuitatib. & hominibus, qui habuere in suis genituris quempiam locorũ principalium in gradibus prædictis positũ, vt vidimus in præcedenti Iouis & Saturni cõiunctione, quæ fuit an. 1484. in 24. gr. Scorpionis ascendente 10 gr. Leonis, cui coniunctioni præfuit Mars supra Iouem eleuatus, qui in principio anni 1485. duxit in Italiã cum ingenti exercitu Carolum regem Gallorũ, qui regem Neapolitanũ bello superauit: & Scorpius signũ illius magnæ coniunctionis causa fuit morbi Gallici, qui eo tempore & regione ortus est cum maximis vlceribus vel sæuissimis doloribus. Sed ante annũ salutis 1515 multo maiorẽ rerum nouitatẽ decernent illæ septẽ magnæ cõiunctiones trium superiorũ planetarum, quæ superiori an. 1504. vel circa fuere sub cancro. Significant. n. his temporibus alteratione aëris, sterilitatem, penuriã, bella, &c. Et maximã nouitatẽ an. 1513. Extollẽt n. quendam potẽtissimũ Dominũ, qui falsam infidelium religionẽ destruet, & ditioni suæ magnam orbis partem subiiciet. Sydera ergo secundũ Dei voluntatem agunt in hæc inferiora, & præparant causas intermedias, & quãdoq; corrumpunt aërẽ & replent corpora malis humoribus, quorũ causa facilius hic eminus, q̃ ille propior peste corripitur, &c.* Hactenus Clementius. Si itaq; vaticiniũ illud ad *Lutherum* pertinet, vti pertinere euẽtus docuit, habuit simul vocationem à *Deo*, & præsignatus est astris. Quod si sociatas à Rosea cruce reformationem nouam vult inferre, videndũ est, an Lutheranam possit euertere, quæ iam 100. annos in fracta durauit siq; probare vult suum institutũ, paria argumẽnta proferenda sunt. Est & magna quæstio, *sintne illæ personæ sapientissimæ inter omnes, qui aliquot seculis vixerunt.* Si Paracelsiã probãt, & profitentur, parũ laudis referẽt. Venient. n. in opus & laborẽ alienum, coactæ fateri *Paracelsi* scriptis inesse summã sapientiam, qđ falsum esse sæpius est euictum, & *Crollius* secus scribens magno se polluit mendacio, vt & *Tyrolensis.* Si religionẽ à *Luthero* repurgatam volent reformare, tantum aberunt à sapientia summa, quantum dementia & temeritas. Videant ergo quid moliantur.

TH. Moll. Ex stella an. 1572. vaticinium de Propheta an. 1590. Ecclesiam reformaturo.

Locus de Astrologia ex Clementio circiter an. 1505. conscriptus.

Frid. Dux. Sax. & Lutherus.

2. Si sciuerunt veritatem ante repurgationem *Lutheri*, cur non accesserunt ad publicam confessionem? An ignorarunt illud *Pauli Rom. 10 vers. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem:* & illud Christi *Matth. 10. 32. omnis, qui confitebitur me coram hominibus, &c.* Dicent, *iurata* ἐχεμύθεια *& silentium, ad quod adacti sumus à patre, prohibuit.* Videant ergo, ne audiant alteram *Christi* sententiam *Matth. 10. v 37. Qui patrem aut matrem plus, quam me amat, non est me dignus. Non est silendum, vbi necessitas postulat loqui 1. Petr 3. vers. 15. Sitis parati, &c. Cap. 4. 11. Si quis loquitur, sermones Dei loquatur. Psal. 115. & 2. Cor. 4. Credidi, propter quod locutus sum.* In tempore astandum fuit sociis fidei communis. Iam post festum venitur.

3. De

3. De concordia, probamus, modo ea sit in *Christo* & verbo eius; Deinde in veritate demõstrata siue res sint leges ciuiles, ne quid seditiosi fiat in patria, siue Philosophemata. Alias occultas conspirationes facere, & in tumultus concordare, non est diuturnum. Referatur huc Gamalielis sententia *Act.5.v.38.39.*

4. De *silentio* iam dictum est. *Christus* ait, *Ioh.3.20. Omnis, qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius. Matth.10.26. Nihil est opertum, quod non reuelabitur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Eph.5 11. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed magis redarguite.* *Luc.19.22.* *Omnia, quæ arguuntur à lumine manifestantur, &c.* De seruo occultãte talentũ habes iudicium, *Matth. 25.v.24.25. Syrac.20 v.32. Sapientia absconsa & Thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisq;? Luc.12.47. Seruus, qui nouit voluntatem Domini sui, & nõ fecit, vapulabit pluribus.* Sed dicet societas, *quamlibet reformationẽ habere sua initia, incrementa, & apparitionem: oportuisse suam latitare 120. annos: Iam tempus instare reuelationis, & velle se sua manifestare, si constet receptum iri.* Est hoc, inquam, aliquid, si nulla vrgẽtiora sint argumenta. In *Paracelso* si sunt fundamenta, iam sunt cognita: si *Lutheri* cõfessionem probatis, iam diuina quoq; constant. Quid cunctamini? Si vultis recipi vestra, proponenda sunt, vt possint probari. *1. Thess.5.21. 1 Ioh 5. 1. Ioh.7. Nemo in occulto quid facit & quærit palam esse.*

5. Si *iniunctum, prouisum, & prædestinatũ à Deo est*, vt suam doctrinam publici iuris faciãt, tanto magis nõ debent hæsitare. De diuina voluntate cognouimus iam ex dictis. *Quo quid melius, eo magis est sui cõmunicatiuum.* *Matth. 5. v.44.45. &c.* Debemus similes patris cœlestis esse, qui cum bonus sit, nullius tangitur inuidentia, omnibus, à quibus rogatur, largitur sine exprobatione. *Iac.1.5.* Nemo lucernam accendit & modio supponit, sed candelabro infigit, vt omnibus luceat. *Matth.5.15.* Itaq; laudandum etiam propositum est, quod cum sciant, quæ mutationes instent, velint eas communicare cum Theodidactis, *Marc.4. 21.* quanquam tempus desideratæ reformationis nondum adsit. Effluxerunt anni occultati patris 120. & quidam fratres monuerunt in lucem veniendum esse. Quorsum ergo illa: *Impio mundo non reuelandum dominiũ inferiorũ regentis descriptum in pauimento sepulchri:* Item, *nullus, nisi Deus nostra faciet communia, aut dabit vtenda indignis?* Non sunt sane margaritæ porcis proponendæ, nec sanctum dandum canibus: at cum summum bonum, lux Euangelij, vniuerso mundo sit communicatum, & Medicina ex Chymiatria in summum prouecta: Philosophia quoq; non parum illuminata, quid dubitandum de reliquis bonis? Non omnes capient disciplinam: ne sitis soliciti. *Non est enim cuiuslibet arcana intelligere.* Dicta *Christi* non occultationem lucis volunt, sed in prædicando prudentiam. *Apostoli* multis Euangelium obtulerunt, sed cum id excuterent, & repellerent, indigni porro iudicati sunt, quibus id porro proponeretur. Tam liberales debetis & vos esse, & non bonum abscondere, sed prudenter publicare.

6. *Primos fratres timidius egisse propter imperitiam, & pericula suorũ locorum*, non est mirum. At sublata hac causa intrepide prodeundum est. Fuisse illos circa tempora reformationis Lutheranæ colligere est ex annis 120. patefactionis. Cur tunc siluerunt? An maius periculũ fuit ipsorum, quam *Lutheri*, cui *Imperator* & *Papa* proscriptionibus imminuerunt? Cum autem post Augustanam confessionẽ receptam nõ proditum est in lucem, præsertim cum omnibus ad externas necessitates sufficienter per se instructi essent fratres, & fortunati marsupium haberent? Considerate, quęso, quas de vobis opiniones excitatis. Iudæi putabunt ex vobis proditurum suum Messiam: Alij vos spiritualiter esse Gog & Magog, qui iam colligere velitis exercitum ex Tartaris, Arabibus, Moschis & aliis Barbaris gentibus ad doctrinam Israëlis inuadendã? alij vos esse spiritus dæmoniorum. *Apoc.16. 13.* Alij, vt pontificij, esse Antichristum suum præsertim cum magica miracula & scientiã præ vobis *Validissima* feratis, & iactetis Thesauros, quantos Rex Hispaniarum ne ex vtraq; quidem India capere possit, *argumenta societatis* quibus duobus argumentis perditissimum quemq; in vestram societatẽ potestis pertrahere, vt prędictum est *Danielis 11 42.43.* *Magia & Thesauri.* vbi Ægypti, Lybiæ & Æthiopię fit mentio, quibus in locis didicit vester pater doctrinã & magiam, cum chysopœa. De miraculis habetis *2. Thess.2.* & ea magica fore patres sancti iudicarunt. De Elia artista aliquid coniicit *Tyrolensis*. Nugæ. Ille homo rectius fecisset, si tacuisset. *Paracelsi* Thesauri & libri defossi pridem in fabulam abierunt, & mirum est, quas spes de homine spurco & lurcone habeant aliqui. Verũ ea est potentia Sathanicæ deceptionis, & iusti iudicij Dei. Nolunt recipere veritatẽ. Habent aures prurientes *1. Tim 4.c.4.3.4. 2. Tim.3.c.4.3.* præsertim iu- *2. Thess. 2.* uenes, qui tanquam sapientibus septem sapiẽtiores rapiunt sibi τὸ σοφὸν, & cum veteranis quoq; au- *Rom.1. 24. 26.28.* dent disputare rixose. Nonnulli Eliæ & Enochi reditũ sibi somniant iuxta *Apoc.11.v.3.* de duobus testibus Prophetis. Alij cogitationẽ coniiciunt in illud, quod scriptum est *Apoc.20.3.* de serpente antiquo post 1000. annos modico tempore soluẽdo. Putant hinc esse vestrã scientiam de nondum instante reformationis tempore. Quando. n. veri Doctores desinent in Ecclesia, tunc plenis vexillis erũpetis, & omnia occupabitis instar diluuij. Huc referri potest vaticinium *Pauli 2. Thess.2.6.7.* Nunc quid detineat, (potentia Imperatoria, & verbi lux illustris) scitis vt reueletur suo tempore. Nam mysteriũ iam operatur iniquitatis, donec ὁ κατέχων è medio fiat. Ego saltem recenseo suspiciones. Absit vt tale quid moliamini. Quidã tres prædictos esse putant reformatores *1. Apoc.17.* qui ostẽdit Iohanni Iudicium magnæ meretricis, qui fuerit *Ioh. Huss. 2. cap.18.* qui clamauerit, cecidit Babylon, & fuerit *Lutherus. 3.* eodem *cap.v.4.* qui sit vox de cœlo clamans, *exite. &c.* qui futurus sit nouus Propheta. Verum non probatur hæc opinio. Vox enim illa est apud Esaiam *cap. 48. vers. 20. & cap. 52. 11. 2. Corinth.6.17.* Signatq; non Prophetam, sed mandatum Dei ad Ecclesiam pridem per Prophetas & Apostolos propositum.

7. Gloriatio de *omniũ sufficientia* insidias vobis creabit, aut insidiabitur aliis. Quid possetis allectabilius in hoc seculo scribere? Diuinorũ & humanorum bonorũ abundantiã profitemini. Moneo vos, ne erretis, & hoc ipso argumento prodatis, cuius spiritus filij sitis. Si mundi consonantiam respicitis, videte, vbi filij Dei καθόλου tale quid potuerint iactare.

Adami, Noah, Abrahami & aliorũ historia vsq; ad *Salomonem* dissentit. Sed ô breuem gloriam, & nõ reparatam. In nouo testamentó quid? *Matth. 10.38. Qui non accipit crucem, &c. Ioh. 16.33 In mundo pressuram habetis. Act. 14.21. Oportet per multas tribulationes intrare in regnũ Dei. 1. Tim. 6.6. Magnus quæstus est pietas cum animo sua sorte contento. Habentes alimenta & tegumenta contenti simus:* Quanquã hæc abũdatia in vobis non sit multum agitanda: Nam & Iesuitæ votum paupertati fecerunt sine defectu, seu cum omniũ mundi bonorũ sufficientia. Vos essetis prædicatores pro Bauaris, qui cum eis nunciaretur pauper *Christus*, iubebant sibi verba fieri de diuite, quia etiam absq; illo pauperes essent, & locuplete indigerent. *Non est Christi qui huius mundi sufficientiam iactat absq; omni defectu in Gazis, & Thesauris. Abi vende omnia, &c. Da pauperibus: Nolite cogere Thesauros in terris,* inquit, *Saluator. Matth. 6. 19. c. 8. 20. c. 19. 21.* Videtur autẽ hoc interpretari *Tyrolensis*, qui citat *Senecam:* vis habere omnia, contemne omnia. Sed tunc de aurificio silendum.

Apoc 12.9. 65.14.11. 8. *Domus Spiritus S.* aut spiritualis est, aut corporalis. Si illa: inuenietur ex professione vestra & effectis seu fructibus, & si vel in cœlũ ascenderetis, deiiciemini, si quidẽ improba fuerit: si hæc, quo modo poterit latere? Magia eam tegetis, & nebulis, quibus aliquando tecta insula No Ceruo inueniri non potest. Sed *nullũ simulatum diuturnũ,* & oportet tandem omnia manifestari. Non bona erit occultatio vesti a, si magicis carminibus constabit. Alias Europa est perscrutabilis, & Galliæ (pater *Ch. de rosea cruce* in Gallia Narbonensi mortuus & sepultus in suo cœnobio Spir. S.) etiam interiora possunt inuestigari, præsertim vbi non cadauera sunt, sed homines collegiũ habent, & ad se vocãt plures. Europa prægnans pariet fortem & magnum fœtum, ad quem partum magnis sumtibus opus. Qui hoc poterit latere?

9. *Immunes esse socios à doloribus corporeis, & morbis,* magna indiget fide. Neq; tamen id impossibile esse etiã Galenici Medici senserũt, & ob id antidotos, sales, & alia sanitatis conseruatiua & prophylactica morborũ descripserunt. *Paracelsus,* & omnes pene ausim dicere *Paracelsici* hanc artem ignorant. Ideo nuper ad me scripsit quidam, se 1000. nummis redemturum à se certum podagræ remedium. Datur societati, si vniuersalem Medicinam habet, & in sua virginitate viuit temperanter, non facile morbis & imbecillitate tentari, vt *Moses, Iosua, Caleb.*

NOTA VI.

Societatis articuli. DE articulis societatis. Sex proponuntur his, qui in diuersas regiones ex cœnobio mittuntur articuli, seu capita obseruanda. *1. Gratuitas medicationes exerceant. 2. Vestitu vtantur cuiq; regioni consueto. 3. Quotannis semel quilibet ad cœnobium redeat, aut per literas absentiam excuset. 4. Quilibet sibi de successore idoneo prospiciat. 5. Tessera cõmunis, sigillum, & character Rosea crux esto. 6. Societas occultetur centũ annos.* His addi potest, qp *si quis in peregrinis moritur, curare debeat, ne sepulchrũ eius innotescat.* Itẽ, *si interiret fortasse societas ex toto, posset ex conclaui & sepulchro primi patris restaurari.* Itaq; illud sartũ tectũ custodiendũ, &c. Hæ leges profecturis præscribuntur: sed quoniã fraternitas, seu societas dispersa sine vinculis interioribus, arctioribusque contineri non potest, proculdubio erunt quædam interioris coniurationis, seu conspirationis capita, quibus fidelitas, & silentium, validius astringatur. Colliguntur nonnulla etiam ex scopo seu intentione societatis. Singulos enim fratres oportet reformationi generali in diuinis & humanis intentos esse, & huc sua consilia, dicta, factaq; dirigere: doctrinã propagare docendo alios; studia & res aliorũ obseruare, &c. vti videmus fieri etiã in pontificiis fraternitatibus, maximeq; Iesuitica societate, cui hæc de Rosea cruce non videtur dissimilis fore.

1. Artic. Prima lex charitatis Christianæ est, quæ requirit, vt proximus tanquam ipse diligatur, fiatq; ei idem, quod tibi velis in simili causa. Quoniam autem compertum est, conspirationes interdum fieri tales, in quibus prætenditur aliud, aliud spectatur: aliud in manifesto est, aliud in occulto, donec se offerat occasio perficiendi, quod institutum erat; societas debet à se depellere Hypocriseos suspicionem, & libere suum consilium profiteri, neq; etiam aliud agere. Non deerunt oculatissimi, & simulatores callidissimi, qui sociorum res & negotia diligenter obseruabunt, & si quid ὕπουλον fuerit, mature reuelabunt, vnde quantum periculum imminere possit, quilibet videt. Quanquam autem beneficio Magiæ suæ, Cabalæ, & Astrologiæ videantur scire posse instantia sibi & aliis fata; tamen cogitare debent hominem omniscium esse non posse, & sæpe decipi vates tales à suo ipsorummet spiritu, propriaq; persuasione. Si itaq; gratuita præsertim pauperum medicatio non est tectorium technæ alicuius occultioris, non potest satis laudari, cum pertineat ad opera misericordiæ sequaturq; exemplum *Christi & Apostolorum:* imò & veterũ Medicorum nobilium, qui diuinum hoc beneficiũ negarunt posse pecunia compensari. In hanc sententiam scripsit Abderitanæ ciuitati *Hippocrates* ad sanandum *Democritum* pecunia inuitatus, *se non ab Abderitis, sed à natura ipsa vocari ad conseruandum suum opus quod periclitabatur, ne vi morbi collabatur: Argentum autem sibi venienti neq; naturam, neq; Deum promittere, aut persuadere posse, quando liberæ artis libera opera esse debeant, & qui mercedem capiunt, hi scientias seruire cogant veluti captiuas facientes ipsas ex priore libertate, &c.* Præclare hæc omnia apud principes, quales olim fuerunt Medici, qui suis opibus affluẽtes aliorũ auxilio nõ indigẽt. Itaq; & societas illa Fortunati marsupio instructa pro mercede sanare haud difficulter detrectat. Quorsum.n. argentum illi, qui non tantum argento & auro, verum etiam gemmis & Thesauris adeo abundat, vt etiam reges ditare possit? Noctuas Athenas: In lucum ligna non ferunt.

Probrum mercedis pro sanatione. Inter probra, quibus Paracelsistæ Galenicos afficiunt, etiam hoc est, quod non gratis, sed precio conducti medeantur. Obiiciunt *Paracelsum* gratuito sanantem, atq; etiam medicamenta sine remuneratione præbentem. Interim ipsi, qui nesciunt artem, vnde parare sibi subsidia debeant, sicut *Paracelsus*, rapacissimi sunt æris, auidissimique pecuniæ adeo, vt medicamenta à se ex rebus vilibus

vilibus confecta magno vendant ægrotis & inſuper etiam præmia laboris accipiant. Hos redarguit liberalitas ſocietatis, & proprium factum. Galenicos quod attinet, quia theſauris nunquam deficientibus carent, non inuidendum eſt, ſi honeſto ſtudio, profeſſione, & labore vitæ præſidia quærunt.

Non ſolent vagari, & mendaciis Paracelſicis, agirtarumq; impoſturis rem quærere, ſed conducuntur à principibus & ciuitatibus non ære mercenariorum, ſed liberali ſtipendio tanquam caſtrenſi. Cum enim in acie ſtent aduerſus morbos, & tam ab aliis periclitentur, quam ab hoſte miles, iniuſtum foret, ſi non afficerentur muneribus & vitæ ſubſidiis. Quid tum, ſi etiam congiaria ab Imperatoribus, quod tamen rariſſimum, capiant? Non ſunt inferiore conditione militibus legionariis. *Chriſtus* mittebat Apoſtolos ad prædicandum & ſanandum cum hac inſtructione: *Infirmos curate, lepr oſos mundate, dæmones eijcite. Gratis accepiſtis: gratis date: Nolite poſſidere aurum aut argentum, neq; æs in Zonis veſtris, non peram, duas tunicas, calceos, virgam. Dignus enim eſt operarius mercede ſua, ſeu cibo.* Factum ſcilicet eſt hac potente præceptione, vt nunquam egerent Apoſtoli. Medicorum non admodum diſſimilis conditio eſt. Nam ne egeant, & cibo cum ſuis careant, non quidem ſic aluntur, vt Apoſtoli: veruntamen id accipiunt, vnde cibos emere poſſint. Perinde eſt ſiue idem, ſiue æquiualens accipiant. Grauis ſententia eſt, *Operarium eſſe dignum mercede ſua*, eaque adhuc clarius exponitur à *Chriſto*, iam diſceſſuro, *Luc. 22 v. 35. 36. &c. Quando miſi vos, &c. At nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.* Significans, nihil defuiſſe magiſtro præſente, aſt poſt diſceſſum (ſponſo ablato) fore tempora indigentiæ, & defecturam hominum liberalitatem, ideoque opus eſſe vel duplici crumena ad ſumtus viarum. Vnde vero hi pauperibus, niſi ex præbentium commiſeratione? *Paulus* peculiare hoc habuit, vt gratis prædicaret: ſed interim non gratis texuit tentoria, nec repulit Philippenſium donaria ſponte oblata. De presbyteris ſcribit 1. *Tim.* 5. 17. quod ſint duplici honore digni, nec obligandum os boui trituranti. Dignus enim eſt operarius mercede ſua. 2. *Tim.* 2. 6. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.* Similes ſententiæ in ſacris ſunt plures de miniſtris verbi, quibus recte comparantur Medici legitimi. *Si quis vult ſibi miniſtrari in cauſſa ſalutis, efficiat gratitudine, ne is, cuius auxilio ſanitatem ſperat, propter indigentiam propria ſalute careat, poſſitq; id, quod bene facit, diu facere, & aliis quoque prodeſſe.* Non gratis didicerunt medicinam. Non itaque tenentur gratis mederi his, qui poſſunt impenſam operam remunerari. Si quis autem moroſe exigit ſtipem, & pauperes, niſi dato precio, negligit, eius factum non laudamus. *Malus meritorum iudex eſt, qui omiſſis virtutibus, & decoro aliqua vitia & næuos in cenſum defert, & inde æſtimat totum.* Hæc cogitanda ſunt, ne ſocietatis liberalis & gratuita ſanatio Medicis non abundantibus Gaza ſit fraudi.

Articulus ſecundus de veſtitu etiam videtur bono conſilio inuentus. Sic enim latitare poteſt 2.
fraternitas, omnium oculi in hunc coniiciuntur, qui veſtitu eſt ſingularis, vt olim Elias & Iohannes Baptiſta. Sed vitare debet ſocietas etiam hac in parte hypocriticam. *De Gheſuitis, qui in regum & ciuitatum negotia inquirunt, & proditionibus, ſeditionibus, cædibusq; magnatum* (quod in Gallia, Angliaque ſatis patuit) *intenti ſunt*, conſtat, quod malo conſilio verba, nomina, veſtes, & alia ſæpius mutent, ne agnoſcantur, poſſintque illis latibulis ad arcanorum explorationes, & conſiliorum effectiones vti. De falſis Prophetis *Chriſtus* dicit, quod ſub pelle ouina lupum occultent. Id & ad hypocriticum veſtitum referri poteſt. *Carelſtadius* autor turbæ ruſticæ abiecto habitu profeſſionis ſuæ ruſticis ſimiliter ſe veſtiebat. Omnino magnus abuſus indumentorum pene omnibus temporibus apparuit, & quanquam tot formæ veſtitus fere ſint, quot fraternitates & factiones, illæ tamen minus incurrunt doli ſuſpicionem, quæ ſemper eodem modo veſtiuntur. *Mutatio indumentorum conuenit his, qui fallere alios, & latere ſtudent, niſi cauſſa manifeſta cogat.* Cogitabit itaque fraternitas de hac lege amplius, & ſimul conſuetudinem Turcarum attendet. *Facilius in ſeruitutem rapitur ſacerdos, qui aliena veſte, quam qui ſua indutus incedit*, quanquam in Aſia & Ægypto peregrinantes cogantur ſe accommodare conſuetudini gentili, & nautico habitu, aut mercatorio, vel ſimili non irritatrice vulgi incedere.

Articulus tertius quantum ad literam culpari non poteſt. *Chriſtus* emittebat 70. diſcipulos. 3.
Hi ad eundem reuertebantur, ſicut & *Paulus & Barnabas* ad Eccleſiam Antiochenam. Facile degenerant, qui diutius & longius à capite ſodalitii abſunt, nec tenentur rationem officii reddere. Sed licet hæc ſpecies bona ſit, non tamen cauere poteſt, quin aliquid mali interdum ſubrepat. Si conſilium malum eſt, & quæritur reformatio ad aliquod illegitimum; renunciatio de ſucceſſu, & affectione, præparatione, obſequio, occaſionibus, & aliis poteſt moneri Director, & amplius inſtrui emiſſarii, quod deinceps facto ſit opus. Ita nullum de ſocietate fugere poteſt commune conſilium, ne quid ſecus fiat, ſed omnes vnum idemque inſtitutum teneant. Ad inſidias hoc plurimum facere nemo prudens non intelligit. Quapropter diligentius in conuentus tales inquirent populi & nationes. Quod ſi conſilium non eſt malum, candide, ſyncereque omnia fient nec lux fugietur. In cauſſa bona quotannis conuenire, nihil habet ſuſpecti. Vbi vero clam, & occulte omnia inſtituuntur, ibi anguis in herba latet. Sunt ſtratagematibus, & ſimulationibus hoſtilibus iſta ſimilia, donec eo perducta eſt res, vt poſſit vi agi manifeſta. Aiunt cacodæmones in omnia loca emiſſos quotannis conuenire, & ſuo principi referre, quid quiſque peregerit: tunc laudari ſtrenuos, ignauos caſtigari: quod fieri in ſabbatiſmis ſagarum quoque annotatum eſt. Idem inſtitutum ſeruant Gheſuitæ, quanquam non confluentibus in vnum locum ſingulis, ſed rectore prouinciali Collegia viſitante, & exigente rationes officiorum in peruertendis Lutheranis, & explorationes conſiliorum in aulis Regum & Principum. Hæc poſtea ad Generalem Romæ & Papam perueniunt. Poſſet bonus aliquis dicere, ſuſpectam eſſe iſtam conueniendi rationem. Terrent enim ſimilia exempla:

4. Quartus articulus conseruandæ societati est. Quanquam dicitur quilibet munitus esse contra dolores & morbos, tamen non habet præsidium contra mortem. Si itaque persona personæ succedit, collegium octo fratrum diu manere potest. Est tamen & hic aliqua dubitatio. Nam societates tales plærumque serpere solent, vt cancer. Itaque Ghesuitæ ex paucis in innumerabilem fere multitudinem creuerunt, & omnem mundi angulum perrepserunt. Illi emissarii proculdubio plures inescabunt, & ad consortium eiusdem instituti trahent: Et cur non confluant plurimi? Non est hîc dura professio paupertatis, humilitatis, castitatis, obedientiæ absolutæ: sed Syrenum cantio suauissima de opibus non deficientibus, de abundantia omnium, quæ quis optare possit, de securitate à doloribus & morbis. Crediderim ne Vlyssem quidem sibi temperaturum fuisse, vel vnica tali Syrene audita. Itaque & facilimum erit successores inuenire, præparare, sistere, confirmare, & iurata fide obligare, atque ita societatem in longum tempus producere. Illi vero successores non erunt fratres inferiorum gentium, sed patres, penes quos est summa gubernationis, & oraculum illud, quod meditantur ad instar Apollinis Pythii, vnde reges & principes consilia petant tanquam à publico synhedrio, & dicasterio Imperiali, quæ ratio generalem reformationem facile procurabit, præsertim Magia mentes occupante, quale quid legimus *Act.13* de *Sergio Paulo*, Proconsule in Papho, quem *Banjehu* seu *Elimas* abstinebat à fide, & *Act 8. de Simone Mago* Samaritanos Magia dementante. Quid si tale quid passus esset ab Arabicis & Mauritanis Magus pater *C H. à Rosea Cruce*?

5. Lex seu conditio quinta factiosis conuenit ad imitationem castrensis instituti. Veruntamen & boni habent suas tesseras, sicut Christiani in puplicis conuentibus Sacramentis participant. Imperator *Constantinus* vtebatur signo Crucis cum nomine *Christi* in vexillis, monetis, & aliis monumentis, vt legere est in *Baronio Ezech* 9. 4. viro cuidam mandatur, vt signet frontes improbantium abominationes; & *Apocal.7.v.3.* serui *Dei* signantur, sicut in Exodo domus Israelitarum sanguine mactati agni: *Iudicum 7.18 Gedeon* suis militibus symbolum dat: *Domini & Gedeonis.* Verum & Antichristus habet suas notas, signa, characteres. Ita enim scriptum est *Apocal. 13. 16. Et faciet omnes pusillos, magnos, diuites, pauperes, liberos & seruos habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis posset emere aut vendere, nisi qui haberet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius, qui est 666.* Huius characteris mentio fit etiam *cap.16.2. & cap.19.20.* vbi notandum est, vt *& c. 20. & cap.16.* bestiæ post draconem iungi Pseudoprophetam quendam signa facientem, qui proculdubio etiam suum habet characterem. Societas si *Christi* est, vltra *Christum* non debet symbola proponere. Nouum nomen nouæ Ecclesiæ est id, quod Antiochiæ prodiit *Act.11.26.* Ideo & sæpe in persecutionibus Christiani hac tessera sunt vsi; CHRISTIANVS. Secessiones qui faciunt, noua symbola quærunt, vt Corinthii· Ego sum *Pauli*, ego *Apollo 1.Cor.3.4. Fundamentum vnum est Iesus Christus, qui & vnus legislator & Dominus, præter quem non sunt quærendi magistri & Rabbi alii. Matth.23.8. 9. Iacobi 3 1.* Vitia seculorum & hæresium multitudo effecerunt, vt protestantes, & Augustanæ Confessionis vel Martinistæ, aut Lutherani appellentur fideles reformati, qui aliàs nihil sunt, nisi *Christi* discipuli, confessoresque fidei Christianæ. Hoc nomen non in occulto & mysteriis quasi eleusiniis est, sed in propatulo coram vniuerso mundo. Suspectus valde est titulus & tessera *de Cruce Rosea*, vt supra dictum. Melior vox esset de cruce Christi, qua gloriatur Apostolus. *Gal.6.v.14.* Et quoties iubemur in *Domino* gloriari, & crucem eius suscipere, non roseam, sed admodum asperam? Attamen etiam sunt rosæ, & lilia inter spinas, quas experiemini, si *Christi* estis, & non tam beate fruemini vestris thesauris, ne audiatis illud: *Fili accepisti bona tua in vita tua. Luc. 16. 25. Oportet hic pati, si volumus in altera vita vnà dominari.* Phil.1.29. 2. Tim.3.12. Rom.8.17.

Cantic.2. v. 2. Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias.

6. Sexta conditio. Centum annos debere societatem latitare, patrem absconditum haberi 120. annos, & sepulchrum patere post 120. annos, mirus est computus. *Festina lente. Quod cito fit, cito perit. Diu deliberandum est, quod statuendum est semel. Non sunt viuaces præcoces partus. Bene coctum, verberatum, & reuerberatum, probatumq; igne, & examine auri esse oportet, quod fixum esse debet.* Caussa videtur expressa in ipso scripto. Quia enim non vetera axiomata necessario & per se vera nec comprobata vsu & experientia, nec ex lege Dei authentica voluit societas vsurpare, sed noua ex Arabum Magorum scholis, & libro mundi propria inuentione, & experientia collecta, ideo tot annis opus fuit ad fundamenta statuenda. Itaque scribunt fratres, se in variis regionibus quæsiuisse & obseruationes contulisse, num sua axiomata essent vera. Ego liberaliter interpretabor. Quæ manifestatæ sunt fidei & DEI mandata in vtroq; testamento, his nullum tempus ad veritatem sui spectandam dari potest. Sunt enim principia fidei ex se vera, vtpote DEI testimonia & eloquia, quorũ nulla alia est prior ratio. Leges ciuiles magistratuũ, vt Imperii Romani, Turcę, Hispani, Papæ, &c. ad examen reuocare, & vsu comprobare, non est in potestate societatis, quæ si sapiens & prudens haberi velit, hac in re non erit πολυπράγμων, sed ἐν ἑαυτῆς πράξει. Restat, quia de Philosophia gentili, Logica, Physica, Medicina, Astrologia, Magia Cabala, Gabala, & similibus controuersum est, nec geometricæ, arithmeticæve demonstrationes labafactari possunt, circa illas tam diuturnam fuisse speculationem, ex principiis propriis, qualia & *Telesius* cum quodam Monacho proposuit contra Peripateticam sectam. Illa igitur principia variis collationibus debuerunt roborari. *Non omnia vbiuis nascuntur* Nouæ plantæ, animalia, mineralia, meteora, morbi, emergunt His non sufficiunt Aristotelica, Hippocratica, Auicennæa. Chymiatria omnia redarguit cum spagiria, præsertim magni magisterii, quo & homines & metalla ex statu insalubri in salubrem traducuntur. Quanto tempore laboratum est & adhuc laboratur in materiæ inuentione, & Antimonio vtroque, stibio scilicet & bismutho, quorum illud habet tincturam auri, hoc argenti, & ideo vocatur illud aurum Philosophorum, hoc argentum? *Suchten, Rogerius, Basilius, Paracelsus*, & vulgus Alchymistarum multos an-

nos

nos consumserunt in Antimonio & Mercurio sublimato, neque tamen vniuersale potuerunt ex eo conflare. *N. Guibertus Lotharingus* 40. annos vagatus est inter Paracelsistas, & nihil inuenit. *Suchthen* redarguit aurum artistarum ex antimonio, etiamsi aliquot acria examina toleraret. Vnde hodierni Alchymistæ nolunt consentire in acria examina quartationis, stibii, sulphuris, aquæ regiæ, &c. Sed satis esse putant, si tinctura ex antimonio copulata mercurio sublimato, & sale Alembroth, vel ammoniaco fixo fixata proiiciatur super argentum, & postea per aquam fortem fiat separatio. Societas de Rosea Cruce diutius versata fuit in inuentione inconsumti thesauri, & vniuersalis medicinæ, quod bene sciuit pater primus. Ideo Echemythian non quinquennium, sed secularem præscripsit. Non paruum tempus etiam in gemmas artificiosas impendendum est, antequam consequamur naturalium proprietates. Facere specula constellata, in quibus videantut scripta, dicta, facta præsentia præterita, futura, & discere æternas lampadas cum attificioso sole parare, item, ad exemplum Vulcani clypeos fatales formantis, omnia arcana in schemata redigere, circuloque describere, minutumque mundum fabricare, & fortasse etiam globum Drebelianum, & musicum instrumentum certis temporibus per se sonans, (exoratis aut vi coactis intelligentiis per magnetismos chatacterum, & alias sympathias, vt putauit *Hartmanus*,) componere: Item tot libros conscribere, quot opus erat ad artis & professionis complementum, non est res paucorum annorum. Quid de Rogerianis miraculis, archidoxicis *Paracelsi*, Agrippæ constellatis & condiabolatis sigillis, de præsagiis & fatis futuris totius mundi; de cœli reformatione, quam post *Tychonem*, & alios adhuc desiderat *Herlicius*, de Turcico Imperio in potestatem redigendo, de persuadendis omnibus hominibus, & seminum satis alte in agros cordium infigendo, de nouis machinis poliorceticis, vt omnia sciamus & possimus æqualiter DEO ex mundana concordantia, & imaginationibus, fideque naturali nostra, item de precibus singularibus formatis, & aliis mille artificiis dicam? *Paracelsus* tamen & alii magi non consumserunt multos annos in fere innumeris experientiis, eratque, qui putaret ad Turcam debellandum vix vna æstate opus esse, hocque consentit cum armatura Achillæa Burggrafii, & tonitru, aliisque artibus Rogerii, si non hebes est machæra.

De occultandis sepulchris peregre morientium non recte & satis prouide cautum esse societas ipsa intelligit. Nam arcana vnà sepeliuntur, fitque vt fortuito postea ad indignos perueniant, quod accidit artificio aurifico sæpe, quanquam & sophismatibus. Mirum tamen, qua arte id possit caueri, si nesciunt fatalem diem, & sine morbo moriuntur inter peregrinos SOLI. Sed illi clancularios sibi parant discipulos, quibus os obthurant iuramento fidelitatis & silentii. His nota erit ratio *Tobiæ* clam cadauera sepeliendi. Sed monendi sunt, ne simile incurrant infortunium, præsertim inter Papistas. Hispani oculis & naribus aquilinis solent defossos thesauros perspicere & eruere longe felicius, quam Magi per Paracelsicam Thesaurinellam. Hi admoniti scripto fratrum erunt attentiores. Itaque monendi sunt, videant, quid scribant. Si enim non in nubibus, aut sub terra, marive versantur, explorari possunt vel virgula diuina.

Nota 7. de libris & instrumentis, monumentisque societatis. Admirabile prorsus est con- 7.
claue sepulchri *CHR. à Rosea Cruce*, & pene incredibile. *Iohannes Hartmannus* ab *Hermete* ductus est
in quoddam extra & intra mundanum cœnobium, ibique vidit omnia diuina, humana, vt in clypeo *Achillis* vel *Æneæ* depicta. Nihil hoc ad rhombum. Paruus quidam mundus est monumentum roseæ crucis, in quo sol artificialis cum æternis lampadibus lumen præbent. Risit *Iupiter* Archimedis sphæram. Quid diceret aut faceret viso illo monumento, in quo magnus mundus naturalis & artificialis cum minuto? Serio dico, si mihi seni contingeret videre & intelligere monumenti isti⁹
ornatum, in tota Philosophia nihil optabilius ducerem. Paruus seu minutus mundus visu pul- 1.
cherrimus, compendium extractum rerum præteritarum, præsentium, & futurarum, quantum me oblectaret, præsertim si omnium operum causas simul aspectui subiiceret, de quo *Arist* scribit *lib. 1.*
de part. anim cap. 5.? In speculis variæ virtutes viderem omnia in vniuerso certius, quam si in turri v- 2.
niuersi apud *Amadisæum* essem, aut magico illo speculo, in quo quidam Magus Romæ ostendit Germano peregrinanti vxoris per magi homunculum insidias, vterer. Proculdubio illa specula longe sunt virtuosiora, quam *Paracelsi*, quæ construere docet in magica archidoxi, & quorum specimen
fractum ego vidi signis cœli & aliis characteribus inscriptum. Vt enim *Crollius* docet: *Deus viuit: vi-* p. 44 basilica.
uit ergo & nomen Dei, & characteres. Ita astra viuunt. (Quid enim non viuit Paracelsicis? *Viuunt ergo & nomina & characteres astrorum, omniaque possunt, quæ astra.* O beatas Magorum cogitationes.
Viderem etiam tintinnabula fortassis his similia, quibus Magus quidam adulteras arguit, quæ hi- 3.
storia non ignota fuit *Paracelso*. Si quærerem de materia, responsum acciperem, esse ex omnibus Planetis mineralibus certa sub constellatione, & posse hostes in fugam vertere longe potentius Achillæa armatura Burggrafii, & fistula constellata: posse item tonitrua & diabolos abigere, vt campanæ baptizatæ Pontificiorum. Sono istorum tintinnabulorum omne spurium à genuino discernitur; fugiunt mures & lemures, & serpentes, cum dæmonio meridiano. Isto somni conciliantur, maniæque pelluntur melius, quam Dauidis cythara. Si Tarantula quem momordit, non opus est fidibus: campanillæ pulsentur, quibus tinnientibus etiam Prophetiæ funduntur, vt apud Elisaum cythara excitatum: 4. *Reg.* 3. 15. Alicubi ea parte conflantur, vt Musicam harmoniam tinniant. Per hanc affectus sunt in potestate. Si itaque quis hostili animo ad claustrum accederet, motis campanillis statim ex lupo fieret ouis, nisi forte tale quid fieret, quale cum Apollo templi sui spo-
liatores repulit. Quid de lampadibus? In maximi olibrii, & Tulliæ Ciceronianæ sepulchris, 4.
item Trismosyni Chymia, & Artesii magia apud *Cardanum* proculdubio non sunt tam artificiosæ. Conati sunt quidam Trismosynias conficere: sed non potuerunt, siue quod integrum artificium non sit descriptum, siue quod vis constellata & magica defuerit. In illis lampadibus potest exerceri

5. Pyromantiæ, ſicut in ſpeculis Catoptromantia. Cantiones artificioſiſſimæ ſunt θελκτήρια νόων; &
fortius mouent Syrenum, vel Sileni, cantu, aut Circes, & Calypſus voce. Ad vniuerſi notitiam per-
tinet & Muſica, quam in ſocietatis monumento oportet angelica ſuauitate eſſe. Nihil autem hæc
ſunt ad vniuerſi compendium. Tumulus Patris de Roſea Cruce eſt octauum mundi miraculum,
6. & Mauſolæum nouum. Nihil ad illud Pyramides Ægypti, quæ inſanorum Regum perhibentur
monumenta. Itaque quos quidam ſumtus in has viſendas impendunt, eos rectius collocarent in
ſepulchrum Roſeæ Crucis, quod oportet etiam Hieroſolymitano expetibilius eſſe, quando Pater
ab illo ad Arabicos Magos declinauit, apud quos didicit ſibi longe precioſiorem tumbum ad imi-
tationem mundi magni fabricare. Hic tota Geometria in tabulas figuratas conſumta eſt. Hîc trian-
guli, quadrata, circuli, Pyramides, & alia ſapientiæ æternæ dictatis hieroglyphice inſcripta, quales
olim fuerunt columnæ & tabulæ Ægyptiæ. Dicunt ſane fratres, linguam magicam in ſua ſocie-
tate eſſe. Quot peregrina alphabeta hic videas? Quot characteres Chymicos nulli notos præter
filios diſciplinæ? Sexies mille literas dicuntur habere Chineſii. Confuſio hæc eſt. Societas Roſeæ
Crucis in compendium cogit omnia Cabalæ beneficio. Nulla eſt litera, nulla vox, nulla ſyllaba,
quin Cabala aliquid per eam monſtret. Ideo & periti Cabaliſtæ & pictores ſunt in fraternitate. Qui
ſcriptis gaudent, habent hîc, quo ſe oblectentur. Scriptura enim eſt illuſtrata vocabulatio magnæ
ſapientiæ. Habent quidem & vocabularium **Paracelſi** ad intelligenda myſteria in eius libris iuxta
7. **Crollium**, non iuxta **Dornæum** & **Thurneiſerum**: ſed propriæ opes longe antecellunt. Compoſuerunt
8. fratres librum Mundi, & doctrinam acceptam, (Cabala, ſeu traditione) in literas pro poſteris, retu-
9. lerunt, ſicut Iudæi Thalmud confecerunt. **Paracelſus** quidem fertur librum mundi diligenter legiſ-
ſe, & inde fundamenta eadem, quæ Pater Societatis apud Magos inuenit, & ipſe congeſſit, peti-
uiſſe, inque ſcripta retuliſſe: verum Paracelſica iam ſunt publica: illa adhuc intra veſtæ penetralia
verſantur.

Aiunt totũ magnũ mundum eſſe in paruo homine. Si ſepulcrum illud vniuerſi compendium eſt, complectitur magnum & paruũ mundum, & in his Deum quoque ipsũ per imaginẽ.

Nota, quod pater dicitur librum M. in latinam linguam tranſtuliſſe, ſecũq; ex Damaſco Arabiæ, vbi Phyſicam & Mathematicam didicit, detuliſſe. Duo ergo erunt.

Itaque quo occultior eſt liber iſte; eo cupidius petendus eſt. An autem per tot millia annorum librum mundi externum nemo legere potuit præter Patrem de Roſea Cruce, & **Paracelſum**? Hinc duo ſoli ſcripturam intellexerunt, & ne **Daniel** quidem, **Salomon**, aut **Adam**? Reſpondebit Societas etiam ab **Hermete** recte lectum eſſe, & ideo eius Commentarios commendari à **Crollio**, qui itêm acute vidit, vt aquila & ſerpens Epidaurius, aut Lynceus priora interiſſe: fatales terminos in tempora ſocietatis & **Paracelſi** incidiſſe. Nos videmus quidem ſtellas, animalia, plantas, mineralia, & elementa. Sed quibus oculis? Plebæis. Oportet prius Magiam, Cabalam, Gabalam, Chymiam, & alias artes didiciſſe. In hoc lumine videmus lumen. Ethnici ignorarunt lumen gratiæ. Hoc vbi deeſt, vel non recte percipitur, mundi literæ non agnoſcuntur. Interprete **Paracelſo**, & fratribus de Roſea Cruce opus eſt. Hi enim illuminatos oculos habent. Ideo non immerito clamat Monarcha: ***Me ſequimini veteres & noui.*** Dolemus ſane nobis non fulgere illud lumen, ſi lumen eſt, & non tenebræ.

Librum de mundo non poſſe in hac vita perfectum eſſe.

Itaque diuulgationem libri & manifeſtationem ſcripturæ patienter expectabimus. Velim autem, vt ſi æternitas ante libri iſtius apocalypſin diligenter perpendat, quid promittat, perfectumne opus, an imperfectum: ex opinione, & parabolis deductum, an ex intellectu & principiis verorum. Si imperfectum erit, & more Paracelſico ex apparentibus, Sophiſticis, opinabilibus, & ſimili habitu ſe gerentibus, nihil nobis proderit. Perfectum autem dari poſſe, negant Sacri & Profani. De Sacris habes 1. *Cor.* 13. *Iob.* 26. 14. *Pſalm.* 139. 6. 18 Eccleſiaſtes de vanitate, quem imitatus videri voluit *Cornelius Agrippa* de vanitate ſcientiarum, qui tamen Magus & Cabaliſta fuit: ***Autor libri Sapientiæ cap. 9. v. 13. & ſeq.*** qui Platoni conſentit: ***Syrac. 42. 17. 18. & alibi.*** Ipſe **Deus** dicit; ***Cor hominis eſt prauum ſuper omnia: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. Ierem. 17. v. 9. 10.*** At eſt cor hominis non parua pars de libro mundi. Quis ſit tam temerarius, vt ſibi arroget ſcientiam naturalium omnium, & voluntariorum, cum & Aſtrologi peritiſſimi mentiantur, nec poſſint omnia humana ex aſtris diuinare? Magus fortaſſe confidat Parhedris ſpiritibus. Hi ſi mali ſunt, mendaces ſunt, ſicut & omnis homo poſt peccatum in ſe conſideratus, vt eſt ***Pſ. 115. 12. Rom. 3. 4.*** Si boni, permiſſum ipſis non eſt omnia reuelare, quin nec ſciunt omnia. ***Spiritus ſanctus*** cum ***Eliſæo*** erat, & manifeſtabat ipſi multa, ſed non omnia. 4. *Reg.* 4. 27. Quod ſi ſpiritibus familiaribus non vtitur, & naturalis eſt notitia ex lumine naturæ inſitæ & externæ, adiuuante lumine ſcripturarum, vereor, vt quid melius & verius, & caſtigatius habeat illud comportatum Mundi volumen, & ne res in riſum, & probrum vertatur, ſeu montes parturiant, ridiculus autem mus naſcatur.

10.

Bibliotheca.

In Bibliotheca philoſophica oportet eſſe non tantum librum axiomatum præcipuorum, (modo ſciant illi fratres, quid ſit axioma) & opus artificioſiſſimum, quod mundi ROTAM vocant, prætereaque vtiliſſimum titulo PROTEVS: verum etiam duplicem Mundi Codicem, vnum, quem PATER Ordinis in Damear Arabiæ, (ſi modo eſt aut fuit vnquam in Arabia eo nomine oppidum) inuentum in latinam linguam tranſtulit; alterum, quem fratres compoſuerunt, proculdubio continentem Mathematicam, Phyſicam, Cabalam, Magiam, Alchymiam, & ſimiles ſcientias ad nouæ Societatis ſaliuam, & Paracelſicam harmoniam corraſas, iudicataſque, quanquam quid opus eſt multos nouos libros conſcribere, cum veteres nondum perlegerimus, præſertimque ſocietas Paracelſica contemnat; multo minus legat; aut intelligat; vel etiam recte ad experimenta mundi applicare poſſit? Pater Ordinis in adoleſcentia ſua didicit Ethnicos libros *Ariſtotelis*, *Galeni*, *Plinii*, &c. Spernere, non legere, & non intelligere. Si item in minore mundo homine ſunt omnia, ſatis erit, noſmetipſos ſine ſcriptura intueri. Si dices, ***eſſe quidem omnia ἐν τῷ γνῶθι σεαυτόν, vt Crollius plenis buccis ex Mago Agrippa contendit: at non omnium eſſe intellectum, imaginationem veram, & applicationem,***

nos

hos quidem in imperfectione huius seculi id concedimus, sed quo argumento Paracelsistæ persuadebunt suum magistrum præ cæteris omnib. voluisse intellectu, & accommodasse infallibiliter, seu, vt loquuntur, illuminatum fuisse singulariter? Sed quos præterea libros habere debet Bibliotheca? Itinerarium patris, cuius aliquampartem historice recensuit societas, in qua mirifice elucet id, quod dicitur adolescēs seu ephebus XVI. annor. venisse ad eos Magos, à quibus compellatus fuit tanquam notus & diu expectatus, qui etiam arcana Cœnobij in Germania sciuerint, & nomen hospitis, à quibus Physicam, & Mathematicam didicerit, non sine cognitione scilicet, Magiæ, Cabalæ, & axiomatum Hispaniæ doctoribus oblatorum. Quid si etiam Theologiam, & Ethicam? Nā & in his dicitur excelluisse, atq; adeo in tota rerum vniuersitate vt generalis reformatio his præsidiis constet, & oraculum in omni quæstione possit consuli. De Alchymia tanto minus dubitamus, quanto vilius artificium habetur posse aurum per transmutationem metallorum facere, & quanto magis suos Thesauros inconsumtiles & Hispaniæ regis prouentib. ex vtraq; India seu pares, seu maiores effert societas. Aderunt etiam Elenchi Chymicorum librorum, & Magicæ linguæ lexica cum duplici vocabulario, vno in volumina *Paracelsi*, altero in Magicam linguā incredibilis sapientiæ: Et hi omnes in penetralibus cœnobij. Alij vsus quotidiani vilius æstimantur, possuntq; cum exteris communes esse, quasi illi sint mystici, hi exoterici. In tali Bibliotheca quis sapientiæ studiosus non vellet ætatem consumere? Liber, quem pater defunctus in manu habuit, fortasse non venit in Bibliothecam: at maxime optanda erat eius lectio. Si nō estis inuidi & mali, ô fratres, & tanto longius à *Deo*, qui vobis communia fecit sua bona, vt vultis credi, quanto inuidentiores, & bonorū tenaciores; publicabitis istum & alios libellos mysticos. Alias necesse est vestram Bibliothecam vel vaticana instructionem esse. Qui enim librum Bibliorum habetis in multis linguis, qui iudices & reformatores esse videri vultis omnium artium, scientiarum, & facultatum in toto mundo; qui ad vos, tanquam ad *Apollinis*, aut *Iouis Hammonis* oraculum allicitis regētes superiores, inferiores: qui maiorem & minorem mundum perspectum vndiquaq; etiam in locis extra mundanis, & vbi sunt aquæ, & angelorum chori, Deiq; lux inaccessa, habetis; qui syllabum & Elenchum librorum Chymicorū promittitis, an non necesse est omnes de istis rebus libros legisse, & si legistis, possidere? Nemo iudicare potest de ignotis, nisi ausit id tanquam fatuus. In vestra Bibliotheca erunt libri *Lutheri*, *Brentij*, &c. Item *Auicennæ*, *Galeni*, *Hippocratis*, *&c.* Item *Aristotelis*, *Platonis*, *&c.* Item *Bartoli*, *Baldi*, *&c.* Et qui non? Verumtamen Bibliotheca habebit quædam adyta; in quibus erunt libri Arabum Orientis & Occidentis, Tomi, *Paracelsi*, *Cornelij Agrippæ de Magia* (non autem de scientiarum vanitate) *Tritemij* de Steganographia, & tribus principiis numeralibus: *Dornai* Philosophia, artificium supernaturale & alia Paracelsica, Tritemiana, &c. *Artephius*, *Postellus*, *Labor Sophiæ*, *Techellus*, *Cabala Talmudica*, *Monas hieroglyphica Londinatis*, Magia *Pistorij*, & *Pici* Cabalistarum, *Iamblichus Proclus*, & alij Platonici cū *Marsilij* speculationibus: Item Grimorium, liber magicus *Numæ* de numinibus euocandis, quanquam hoc non videatur opus esse, cum *Tritemius* numeris suis principalibus & aduocet, & abigat diabolos; Insuper Liber Artabel, & quis omnes Magiæ Mathematicæ, quorum magnam partem *Salomoni* attributam cum Æneo serpente combussit *Ezechias*, & quos in actis crematos magno numero *Lucas* scripsit? Quanto redimeretis libros *Salomonis*, & illos in actis igne consumtos? Quanto illo, quos Alexandriæ Bibliotheca habuit? Quanto, quos Sibylla cremauit? Fortassis habetis Epistolam *Galeni* ex inferno ad *Paracelsum* scriptam, & illos libros, quos Monarcha alicubi in cœnobio *Galeni* & *Auicennæ* vidit, longe diuersos ab vsitatis: aut illos, quos cum Thesauro suo in æterna tempora occultauit. Vtimini speculis vestris, & arte *Tritemij*, qui potuit, vt saga in Endor, pridem mortuos sistere viuos. Genij antiqui libros veteres vobis repræsentabunt, nisi mentientur. Verum tempero mihi, ne crabrones moueam. Emite vobis *Crollij* admonitionem Basilicæ præmissam, & Hermeticam *Hartmani*, cum similibus. Ornamento erunt vestræ Bibliothecæ.

NOTA VIII.

Commoda ex societate expectanda.

PRimo non quidem magni æstimant auri faciendi scientiam fratres, quanquam id magnum magisterium, & verorum Philosophorum vnicum secretum ab *Hermete* vsq; tanti sit æstimatum, vt in eo omnia sint posita, omniaq; cætera diuina, humana ad id reuocata, ex eodem explicata, & tot libri de eodem scripti, quot non facile numerari queant, soliq; sapientes dicti, qui id scirent, & Alchymia fere non alio, quam Elixyre imperfecta perficiente in metallorum genere definita: Veruntamen offerunt inconsumtiles Thesauros auri, & gemmarū, omniumq; expetibilium in hoc mundo. Plus auri proponunt, quam Hispanus ex vtraq; India congerat, idq; ideo, quia ad magnum partum Germaniæ magna dos patrima requiratur. Omnino REGES inuitantur ad opum istarum cōmunionem: vt & alij, qui se in fraternitatem conferre volunt, ex qua socij nō pauperes in mundum mittuntur, sed FORTVNATI SACCVLO instructi. Apparent diuitiæ etiā ex descriptione sepulcri patris, in cuius vertice carbunculus dicitur esse solis instar illuminans conclaue. Hic solus magni thesauri instar est, ne quid de cæteris κειμηλίοις dicatur. De *Paracelsi* Thesauro somnium somniat *Haselmeierus*. Hæc vna ingens est in temporalibus bonis vtilitas, & pene summa omnium bonorum fortunæ, quibus *Crœsus* beatitudinem ascribi posse ante captiuitatem putauit. 1.

Secundum commodum est sapientiæ veræ cognitio: & quidem tantæ, quanta homini à *Deo* concessa est. Itaque societas hæc erit schola quædam τῶν θείων & ἀνθρωπίνων πραγμάτων γνώσεως. 2.

Tertium ex secundo resultat. In ea enim REGENTVM superiorum & inferiorum filij educati, vtiles erunt ad generalem mundi reformationem. 3.

Quarto conuenticulum illud erit instar oraculi, aut senatus Amphichyonum, aut Parlamenti seu dicasterij totius orbis, ad omnium quæstionum decisionem inde petendam. 4.

Quinto

5. Quinto diuinitatis cuiusdam instar est sine morbo viuere, sapientiæ Gymnosophisticæ deditum esse, oblectare se contemplatione *Dei* & totius naturæ nuda, fallere molestias vitæ fruitione omnium sufficientium, de *Tantali* fonte bibere, in insulis plusquam fortunatis æuum traducere, & consequenter non in hoc mundo, qui est vallis miseriarum, in qua nulla fortuna diuturna, nullaq; ante finem felicitas, & vbi nostrum hostem nobiscum circumferimus, & vel dormientes cum malo fato colluctamur, sed angelico viuere per mortem Philosophicam Socratis, & excessum mentis ex corporis ergastulo. Hæc quem non moueant ad amplectendam illam societatem? Recordor istius melancholici apud *Horatium*, qui se beatum in suo morbo fingebat, miserum autem effectum sanatione. Nisi fallor hæc promissa spiritualia potius sunt, quam corporalia, & arguunt societatis REGVLAM, totumq; ordinem esse fictam quandam de mundana beatitudine comœdiam, quanquã Fortunati filij cum crumenam indeficientem haberent, & pileum ad vota omnia paratum, tamen effugere miseriam non potuerint, sintq; suspecta ista omnia commoda ex sententia Abrahæ *Luc.16.25. Accepisti bona tua in vita tua; nunc cruciaris*; & *Apo.7.14.* de electis: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna:* de qua *Christus* prædixit *Matt.10.35 & seq.* & *Paulus Act.14.21.* Consideremus aũt partes singulas.

1. Quod ad Thesauros attinet, verum est illud *Pauli Phil.4.11. Ego didici in quibus sum sufficiens esse. Omnia possum in Christo. Habeo omnia & abundo. 1.Tim.6.6.7. Est magnus quæstus, &c.* Ita *Diogenes* cõtemtis omnibus omnia habebat. Hic animus philosophicus est, qui etiam si habeat opes, proiicit, ne sint impedimento studiis sapientiæ. His quis Thesaurus cõferendus? *Iob 28.17.18. Sap.7.11. Omnia bona cum sapientia contingunt*, vt & Salomoni. Est infinitus Thesaurus homini, *ỽ.14. Act. 8. 20. Simonem* increpat *Petrus*, quod donum *Dei* æstimet pecunia. Si hoc sentiunt fratres, næ sunt laudandi, & Sol ille in centro domicilij seu mausolæi proculdubio erit fons sapientiæ illuminans omnem hominem, & phosphorus in tenebris lucens *Ioh. 1. 9. 2. Petr. 1. 19.*

2. Quæ de sapientiæ schola dicuntur, suspecta sunt. Vbi enim in precio sunt fundamenta *Paracelsi*, & Magia, Physica, aliaque Arabum, item Iudæorum Cabala: vbi elucent *Crollii, Tritemii, Agrippa*, & aliorum Magorum flosculi: vbi sapientia Philosophorum & Medicorum longo vsu, ratione, experientia, & benedictione diuina in plurimis comprobata improbatur; noua axiomata cuduntur, reformatio generalis post reaccẽsam verbi diuini lucem suspicione Caluinistica, & similia proponuntur, iiraturq; silentium, & occultatio interioris scientiæ, quin & vbi præciduntur disputationes, quibus veritas examinatur, & autores poscunt sua recipi sine controuersia, videndum, an non dolus subsit. Si hanc tyrannidem in artibus recipimus, quorsum à pontificatu discessimus? Libertatem sententiæ sibi postulant *Paracelsus, Crollius, Hartmanus Horatius, Aristoteles*, & alij, qui seruitia illa opinionum nunquam probauerunt. In Solis authenticis diuinis præceptum est, ne à *Dei* mandatis discedamus, siue ad dextram, siue sinistram, nec addamus quicquam, aut subtrahamus, *Deut. 4. 2. cap. 12. 32. Apoc. 22. 18. 19. Hominum spiritus sunt probandi 1. Ioh. 4. 1. 1. Thess. 5. 21.*

3. Si sapientiæ doctrina fuerit examinata, & sustinuerit lucem, bonum est ad eum admittere non magnatum tantum filios, sed quælibet ingenia non inepta. Sed tunc vnum cœnobium non sufficiet. Cur autem ista noua schola opponitur, tot Gymnasiis & Academiis Europæ? Cur Doctores nolunt ingredi Academias? An neque in diuinis, neque humanis sapientiam habent vllam, nec vllam admittunt? Fallitur societas, si id credit. In scholis publicis disseritur, docetur, disputatur pro veritate, siue ea stet ab *Aristotele, Galeno*, & aliis, siue eis aduersetur. Explosum enim est illud αὐτὸς ἔφα ex philosophico campo. *Paracelsi* fundamenta itidem sunt ad lapidem lydium reuocata. Quicquid colorem genuinum sub coliritio retinet, id non reiicitur. Si autem quis vult, vt sputa eius venenata lingamus, & damnemus omnia antiqua & noua, solum autem monarcham sequamur; eiusque spurias similitudines & Poëtica figmenta pro oraculis habeamus, eum merito non audimus. Optimum consilium est, vt fraternitas sua axiomata, & dogmata luci exponat. Si vera sunt, accepta erunt: Sin minus, vt ipsa ad falsa astringi non vult, ita neque nos alligari posse cogitabit. Reiicere gentilium Latinorum & Græcorum de Philosophia naturali scripta, & ad Mahometanos Magos ire, indeque petere noua axiomata, quale est? Num Magi illi diuinatores ex *Pythone* à *Christi* doctriina ad dæmonia mendatia *Mahometis* auersi aliquid fide dignius, & probatius nos docere possint de his, quæ sensibus, & iudicio nostro sunt subiecta, iamque longis seculis spectata?

4. Responsa petenda esse ab illa societate Magica, perinde est, ac cum vulgus insanum veritatem quærit ex Pythonicis, quos sapientes iudicat, cum diabolum in Crystallis, Berillis, (vnde Berillistica *Paracelsi*) speculis, imaginibus, homunculis & aliis Magicis foueant, & eius oraculis instructi quæstiones soluant. Ex fine hoc elucescit instituti ratio. Superbus ille genius videns præparationem magnam fieri ad suum regnum per Paracelsicas persuasiones, Astrologicas, Cabalisticas, Magicas, Necromanticas & alias, de quibus multus est *Paracelsus, Crollius, Agrippa, Tritemius, Artesius*, similesque Magi, qui contemtu veterum disciplinarum discipulis superstitiosis persuaso facile inueniunt ad noua prurientes aures, audet in lucem prodire, & tribunal, oraculumque publicum sibi deposcere per genus illud hominum, quod suæ intentioni nouit aptissimum esse. An non sit hoc id, quod Lucifer *Esa. 14. vers. 13.* dicit: *In cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte conuentus in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo? Daniel. 11. vers. 36. Faciet iuxta suam voluntatem rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum* (doctrinam à *Deo* in diuinis, & humanis traditam, & autoritatem veterum, & recentium) *& aduersus Deum Deorum loquutur mirabilia, &c. 2. Thessal. 2. 4. Extollitur super omne, quod dicitur Deus, &c. Esa. 8 19. Quærite à Pythonibus, &c.* Qui vero sunt illi sese eleuantes? *Actor. 20. 30. Ex vobis ipsis exurgent viri* (socij, monachi, in monasteriis Christianorum educati (

educati) *loquentes peruersa, vt post se abducant discipulos* (iuxta famam fraternitatis) *1.Ioh.2.19. Ex nobis prodierunt, &c.*

Quintum commodum Sirenum cantus est. *Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.* Ea arte attrahantur discipuli non sub cruce *Christi* & corona spinea militantes, sed delicias huius vitæ affectantes, & cruces roseas, teneras, mollesq; ad omne animi desiderium concupiscentes. Certum est ista promissa vltra modum huius mundi esse, præsertim iam ad interitum festinantis, de quo quid expectandum sit, prædixit *Christus Matth. 24. Paulus 1. Tim. 4. & 2. Tim. 3.* cum aliis. Sed penetremus in interiora huius fraternitatis. *V Commodum.*

Nota IX.

Quæ sunt partes professionis ἀποφαντικῆ, *seu negatiuæ, & destructiuæ?*

SI *fratres* (inquit fama) *in lumen hoc nostrum clarum incidissent,* PAPAM, *Mahometum, Scribas, Artistas, & Sophistas acrius aggressi fuissent. Quod cum auditione cœlesti conuenit, caput antiqui mali serpentis intrepide & impune conculcat, ad quam rem nostrum seculum est dispositum: Non dicendum est, hoc per Philosophiam est verum, per Theologiam falsum.: Doctorum nasuta molestia impediuit Paracelsum in optimo cursu, qui dignos potius subtili vexatione, quam arcanorum reuelatione iudicauit, &c. Idem patet ex instituto patris, qui cum post quinquennem apud Magos disciplinam iuuenis 21. annorum in Hispaniam indeq; ad alias nationes venisset, sua axiomata in locum priscæ doctrinæ voluit substituere, reiectusq; ad suas solitudines in Germaniam redit, vbi crudum cibum ruminando per coquere tentauit, donec* REFORMATIONIS *opus denuo susciperet* Patet ergo propositũ esse fraternitati huic REFORMARE disciplinas sacras & profanas, id quod primi fratres adhuc tenebris quibusdam occupati nõ potuerint suscipere. In sacris arma sumunt contra doctrinam *Pontificis Romani*, seu Ius Canonicum & totum Papatum : deinde etiam *Mahometis* Alcorano minantur, quod mirum, cum pater apud Arabes & Saracenos Mahometicolas studuerit. An non aduersaturi sunt etiam Iudæorum Thalmud? Tacent de hoc, forte quia Cabalam eius probant de Mercana, & Bereschit: inueniuntq; principia Magica. An nihil in *Paracelso* desiderant, in *Alberto Magno*, in *Hen. Cornelio Agrippa*, in *Tritemio*, & sociis? Tacent de his quoq;. In Philosophicis *Galeno* & *Aristoteli* sunt infesti, quorum tamen scripta non videntur nec legisse, nec intellexisse, quod ipsis cõmune est cum Paracelsistis. Hoc ne est illud antiquum caput serpentis? Doctrinas priscas hactenus conseruatas, quanquam cum correctione & augmento ex lumine gratiæ, & experientiæ, in Christianorum Academiis, tangunt. Ideo *Crollius* Academicos Professores sæpe excitat nomine Scholasticorum, & Atheniensium, gradibus dignitatum gaudentiũ, & Paracelsiæ cursum impedientiũ, sicut & hi fratres *nasutam Doctorum molestiam* protrahunt. Quid autem sentiunt de *Hermetis* libris, vt Apocalypsi, Pimandro, Asclepio, &c. Quid de Platonicorum? Quid de medicina Arabum? Quid de *Lullii Arnoldi* & similium scriptis? *Paracelsus* quidem omnes veteres & recentes in tergum reiicit: sed *Crollius*, intus & in cute frater de cruce rosea quod ad doctrinam attinet, *Lullium* probat & consummatissimum Philosophum vocat. Videntur & fratres non satis Paracelsici esse, dum non omnia vno impetu prouoluunt, sed cõcordantiam concentratam spectant. Sane quod ad medicinam attinet, si vniuersalem illam possunt & obtinere, & publici iuris facere, magnam molẽ præceptis Medicis, quæ particulares pepererunt, detraxerint, siq; in commune consulere pergent, nullus erit sapiens, quin cum magna promtitudine & gratia receperit tam exoptatam medicinam. Hæc totam Chymiam *Paracelsi, Crollij, Quercetani, Penoti,* & aliorum plurium excepto solo lapide Philosophico auerruncabit: Hæc *Hippocratis, Auicennæ, Galeni* & aliorum volumina ad tenebras latibulorum relegabit, vti fiet etiam post destructum mundum. Vbi tunc erunt ista tria principia Chymica? In sola Physica hærebunt. Hanc tamen & Artistæ profitentur. Itaq; non vsq; adeo his erunt infesti, præsertim in Dialectica, Grammatica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Musica, Oratoria, Poëtica, &c quarum artium scientiam *Deus* etiã gentilibus cõcessit. Leges Politicæ siue Imperiales, & aliæ Christianorum, siue Mahometanæ non patientur se à Monachis reformari. Verum vt verborum compendium faciamus, quærimus, quidnam putent fratres à viris diuinis in redarguenda ea Philosophia, quam *Sanctus Paulus* cauere monet, ne eius falsi nomini scientia Christiani decipiantur, relictum esse? Quid intactum à posterioribus, cum animaduersum esset, Theologiam ea misceri, vti fit in Scholastica dicta, & Caluinistica humanæ rationis? Quid non in Academiis diligentia Philosophorum illuminatorum in *Aristotele, Galeno, Hippocrate, Plinio, Seneca, Cicerone,* &c. notatum? Quod si adhuc aliqui sunt, qui erroribus priscis adhærent, an non pridem fuerunt, qui contra eos in arenam descenderunt, & adhuc descendunt? Quid si illa societas Socratica deliramenta reponere velit, & hanc emendationem spectet? Si de Pontificia, & Mahometica Theologia hæreticorumque aliorum erroribus agitur, quid est, quod ab Orthodoxis spiritu oris Dominici non est redargutum? *Paracelso* propositum fuit reformare & *Lutherum,* & *Papam*; nec desunt, qui nostros accusent sacras literas ab eis non esse intellectas, adeo vt etiam putent interpretamentis corruptas esse. Ideo nouas expositiones inueniunt ex suis speculationibus de concordantia, seu harmonia seculorum. An non huius fecis sunt etiam fratres isti? Quod rectum est, aut iam correctum accusant, locoque mouere satagunt, quo suas nouitates statuant. Si adhuc corrigere volunt Papam, Mahometum, Philosophiam, idque inauditis ante hac axiomatibus ex Harmonia seculorum, & parui mundi cum magno, spiritus oris *Christi* nondum functus est suo officio, & Ecclesia adhuc super falso, vel notho fundamento recumbit.

Videbimus autem, per quod ostium sit intratura fraternitas, & quo spiritu

concitata

concitata reformationẽ ſuſceptura, ſi publicabit axiomata & libros ſuos. Interim nos liquido fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, vbi lapis angularis *Christus* eſt, firmiter innixi, quid paritura ſit Germania, expectabimus quanquam non ſit difficile, cuiuſmodi ille fœtus ſit futurus cum OMNIA ſapiant PARACELSVM, & Magiam, & Cabalam, & Chymiam cum Aſtronomia, & variis ſpeciebus manteumatum, vt Chiromantia, Hydromantia, Aëromantia, Necromantia, Nectromantia & aliis quarum nomina in diuinationibus *Peuceri*, & libris *Paracelſi* occurrunt. Male fuerit rebus noſtris in tribus hierarchiis, omniumq; diſciplinarum complexu, ſi talis reformatio erit introducenda. Verum non deerunt, qui Lumine euidente deliria iſta tenebricoſa Paracelſiſtarum fortiter diſcutient, & diabolo laruam detrahant. Si Seueriniana, Crolliana, Quercetanæa, Hartmaniana, Gramaniana, Burggrafiana, &c. erunt iſta axiomata, aduerſa demonſtratis noſtris, non opus eſt opera ſocietatis. Iam ſcimus per *Dei* gratiam, quid ſit ſentiendum.

NOTA X.

Doctrina καταφανής.

ASſertiones paulo prolixius deſcribuntur tum generice, tum ſpecialiter. 1. Promittitur Regula omnium artium, & liber naturæ, & dicitur Doctrina fraternitatis lumen clarum manifeſtum. 2. Hanc didicerunt ex libro mundi. Totius enim imago antẽ oculos haberi poſſe affirmatur. 3. Noua Theologia, Phyſica, Mathematica, &c. Cur enim non nouæ ſiquidem reformatiuæ iam exiſtentium? 4. Aliqua tamen Philoſophia non eſt noua. Aiunt enim: *Noſtra Philoſophia nihil eſt* NOVI, *ſed ea, quam Adam poſt lapſum tenuit, & Moſes cum Salomone exercuit.* 5. Vt preſſius dicant, & exactius cognoſcamus, ex quibus fundamentis documenta petiuerint, ſequentia inculcant. *Philoſophia noſtra non eſt occupata dubitationibus, & aliorum opinionibus. 6. Cum auditu cœleſti quicquid conuenit, id probum. Vbi enim Plato, Ariſtoteles, Pythagoras, & alij verum dixerunt, quod Enoch, Abraham, Moſes, confirmant, præſertimq; vbi ſacra Biblia concordant, hæc conſentiunt, & fiunt vna ſphæra, cuius omnes partes æqualiter à cẽtro diſtant. 7. Veritas eſt vnica, breuis, ſibi ſemper ſimilis, ſecũ ex omni parte omnibus membris conſentiens. 8. Totus mundus eſt in homine paruo mundo, ſicut arbor magna in paruo ſemine.* Sicut imago patris, ita eſt eius contrafactura (ſicut antitypus & prototypus, ita typus, & ſimulacrum) 9. *Fides inuenta iuſte concordat cum Harmonia totius mundi, cuius liber diligenter legendus exemplo Paracelſi, apud quem dicta Harmonia inuenitur.* 10. *Eadem harmonia & fides impreſſa eſt omnium ſeculorum periodis.* 11. *Magni mundi religio, politia, ſanitas, membra, linguæ, verba, opera, omnia ſunt in eodem tono & melodia.* 12. *Quod contrarium eſt, à diabolo eſt.* 13. *Bonum ſemper ſui ſimile, & vniforme eſt: Malum varium & difforme.* Hic ſubſiſtamus. Fatendum eſt, *Deum* quam optime omnia feciſſe & ordinaſſe. Πάντα γὰρ ἐν σοφίᾳ, ἐ καλῶς: πάντα καλὰ λίαν. Quocirca cum eſſent in ſua bonitate, & ordinem decenter ſeruarent, homoq; fulgeret perfecta *Dei* imagine, harmonia iſta, conſenſus, melodia, concordantia fuit iucundiſſima, omniſq; ex ea cognitio facilima. Quid enim ni? Homo ſenſibus, & intellectu perſpicaciſſimis, cũ iudicio acerrimo, nec aberrante, ſi vellet in integritate ſua *Deum* ſequi, erat exornatus. At poſt maledictum apoſtaſia inuectum, & poſtquam homo laqueis diaboli captus in tenebras & caliginem carceris Plutonici eſt tractus, quin & creatura tota vanitati ſubiecta, multa inordinatio naturam corripuit, eſtq; illa harmonia ſphærica, & linea veritatis vniformis valde diſſipata, & contorta. De mentis noſtræ, voluntatis, affectuum, ſenſuum, naturæq; inferioris labefactione quid dicam? Nemo ergo poteſt ſibi in hac vita extra reuelationem per lumen ſcripturæ authenticæ perfectionem aliquam policeri. Centrũ dimotum eſt à ſuo loco: circumferentia incuruata & rupta: radij diſtorti. Potentia & vires humanæ admodum proſtratæ, mens caligine obruta: Sophiſmata & opiniones vim faciunt veritati, noſiipſi quoque nobiſcum diſcordamus, vt nec minor, nec maior mundus ſiue in abſolutam, ſiue relatam concordantiam à nobis reſtitui poſſit. Nõ eſt noua via, quam tentat fraternitas. Iam pridem in minore mundo magnus eſt exploratus, & ex magno minor declaratus. Quid non tentatum à magis Orientis, & Ægypti in omni ſapientia? At quid *Deus* de ea pronunciet habes *Eſ.29.14.Rom.1.16.1.Cor.1.19.20 Eſ.33.18.c.* 47.12. de Babylonicis Aſtrologis. *Moſes* eruditus eſt omni Ægyptiorum ſapientia, quam legimus in *Horapolline, Hermete*, Platonicorum ſcriptis, &c. At omnem abiecit, vti nec quicquam inuenitur de Babylonicis & Chaldæis apud *Danielem*. Noſtra ſecula leuata quidem ſunt pluribus iſtius ſapientiæ monumentis Bibliothecarum confertiſſimarum deſtructione, & librorũ Magicorum, aliarumq; ſuperſtitioſarum artium combuſtione: Veruntamẽ adhuc etiam multis abundant, ex quibus priſca & noua coniunctim patent, dieſq; poſterior priorem docet non ceſſante inveſtigatione, & exercitatione per rationem & experientiam. Quid opus verbis? Detrahunt Paracelſiſtæ cœli aſtra in hominem, & alia medij mundi, indeq; reciproce iudicant: At cœlum minime exploratum habent, adeo, vt Aſtrologi noua adhuc inueniant partim, partim correctiones exoptent. Mirum erit, ſi in Arabia & Mauritania, & monaſterio Roſeæ Crucis hactenus latuit perfectio. Veruntamen videamus ſingula.

De I. *Regula Catholica omnium artium, qua & iudicantur materialiter & formaliter, ratio eſt & experientia:* illa in iudicio axiomatico & ſcientifico conſiſtit; hæc in opere & praxi ſimul cum prudentia in Theorematum ad optimum adhibitione. Hæc regula ex mente diuina profluxit, hominiq; eſt conceſſa, vt recta ratione artes conſtitueret propriis principiis, iuſta methodo ad finem optimum coordinatis, quæ etiam ſunt ſecundum eandem rationem & modum perpetua, ſicq; & opera bona iuxta principia teſtibus hiſtoriis, & ſapientum conſenſu omnibus ſeculis & facta ſunt, & adhuc fieri poſſunt, quanquam in comparatione mutabilium alterum altero melius ſit, & meliore quoq; me-

thodo

thodo fieri poſſit. In æternis, & demonſtratiuis mutatio non habet locum. De qua vero regula loquitur ſocietas? De harmonica comparatione maioris, & minoris mundi ex hypotheſi, *nihil eſſe in maiori, quod non & in minori, nec quicquam in minori, quod non in maiori: Imo nihil in tota diuinitate, quod non in homine Dei imagine.* Verum hæc regula fallit. Neq; enim in integritate ſua, comparari poſſunt: neq; exacta & infallibilis comparatio eſt humanarum virium poſt lapſum; & tandem nõ eſt eſſentialis harmonia, ſed tantum qualiscunq; externa & accidẽtalis: imo tropica, & ſpuria. Quis ſit tam fatuus ex ſapientibus, qui ex ſimili eſſentiam concludat? Num ſi *Spiritus S.* apparuit ſpecie columbæ, etiam eſſentialiter eſt columba? Spiritualiter & aſtraliter dicunt. *Quæ enim in mundo alicubi ſunt corporaliter, ea & aſtraliter, & ſpiritualiter.* Hoc argumento ad mundum Idealem *Platonis*, & intellectualem magorum, aut aliorũ exemplarem, vel ad orcum fictitium *Seuerini & Hartmanni* aſcendimus, & id quærimus, quod nõ eſt. Non verbis, & opinionibus, aut ſimilitudinibus inanibus paſcimur, ſed verorũ demõſtrationibus. Scimus *in animatorũ principio omnia eſſe ſecundum virtutẽ & principium, quæ in corpore viuo deprehenduntur actu ſecundo & operatione.* Nouimus *miſtorum eſſe diuerſas partes, quarum ſubtiliores & nobiliores dicuntur eſſentiæ, principia Chymica, ſpiritus, &c.* Sed non eſt conſequẽs, earum vmbras & typos eſſe corpora, multo minus quæ in inferiore mundo ſunt ſenſibiliter, ea in ſuperiore eſſe eſſentialiter, ſpiritualiter, & intellectiue. Aliam regulam petunt ex comparatione partium ſphæræ. *Mundus eſt ſphæra. Quæcunq; ergo in centro ſunt, ea his reſpondent, quæ ſunt in peripheria. Lineis enim rectis iunguntur, ſunt media effluxus exteriorũ.* Hæc quoq; regula fallit. Nam alterius naturæ eſſe cœlum, alterius elementarem globum, in confeſſo eſt. Quis etiam faber non poſſit globũ facere cuius centrum ſit ligneum, ambitus vitreus? Adde radios æreos, & interualla terrea. Vbi iſta conformitas? Quod attinet ad illa: *Verũ vero conſonat: omne verũ* (neceſſario, ſed non contingenter) *eſt perpetuũ & immutabile: Ex vero* (per ſe) *nil niſi verum: omne falſum mobile, &c.* nouimus vel tacente fraternitate. In ſcientificis *Ariſtoteles* certiores regulas habet, quã vllus ex Paracelſica ſocietate. Æſtimandum autẽ vnumquodq; eſt principiis primis, & propriis, non alienis & exotericis, niſi demonſtratum ſit, ſubalterna eſſe, & hypotheſin concludere theſin. In diuinis vnicam regulam habemus VERBVM DOMINI MANENS IN ÆTERNVM. *Pſ. 119 v. 105. Pſ. 1. v. 2. Eſ. 8. 20. Luc. 16. 30. &c. Si non dixerint ſecundum verbum hoc* (eodem ſpiritu declaratum, quo & ſcriptum) *non erit eis matutina lux.*

Quæ de libro naturæ afferuntur, ſpecioſa quidẽ ſunt ex *Paulo Rom. 1. 20. & Sap. 13. v. 3.* Sed iisdem etiam refutantur. Neq; .n. omnes mundi ſapientes ſine reuelatione in ſcripturis authenticis extãte potuerunt inde aliquid aliud de *Deo* colligere, quã ſtultitiam, vt tum loca citata habẽt, tum *Matth. 11. 25. 26. 1. Cor. 1. 19. 21. 26. 27. 28 c. 2. v. 6. 8. c. 3. v. 18. 19. &c.* Quod ſi etiam illuminatio ex ſcripturis librũ mundi non totũ aperit: Ex parte enim in hoc ſeculo ſcimus. *1. Cor. 13.* & experiẽtia teſtatur, nullum neq; Paracelſiſtam, neq; magum, neq; Philoſophum conſecutũ eſſe exactam perfectamq; notitiã, concedimus quidem fraternitati gloriolam hanc inanem, doctrinam ſuam eſſe lumen clarum, & manifeſtum; ſed in rei veritate, & examine patet tantũ eam falli, quantũ *phaëthon* mundi imperio & ſcientiæ inhians. Ne *Adamo* quidem, & *Euæ* omnia perfectè patuiſſe, lapſus indicat: & quorſum *Deus* in arcanis retinuiſſet ſummam beatitudinis *Eſa. 64. 4. 1. Corint. 2. 9.* ſi lumen fratrum eſſet adeo clarum?

De II. Si didicerunt regulam ſuam ex libro mundi, imperfecta ea eſt, & admodum incerta. Ita argumentamur: *Si id, vnde regula petitur, incertum, mobile, & tranſitorium eſt, & ne à ſapientiſſimis quidem in hoc ſeculo potuit perueſtigari, Regulam neceſſe eſt plane flexilem & dubiam eſſe.* Regula enim & regulatum ſibi correſpondent. *Illud eſt:* quod non tantum probatur natura poſt lapſum maledicto, & vanitati ſubiecta, verum etiam hominum imperfectione ſeculari, maximeq; Paracelſici dubiis comparationibus, & fallacibus opinionibus ducuntur. Ideo *Paulus* rectè *2. Cor. 4. 18. non contemplamur ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna. Omne ſeculare eſt caducum, & inſtabile,* quod & *Salomon* conſiderauit. Si liber mundi debet rectam & infallabilem regulam præbere, perfectè intus, foriſque omnibus ſeculis cognoſci & legi debet. At quis tam ſit confidens, vt hoc ſibi arroget, niſi ſtolidiſſimus Paracelſiſta? Frater ipſe de Roſea Cruce nouas res inuenit: & quot putas adhuc abſconditas eſſe? Abyſſos maris, & profunditates terræ quis eſt ſcrutatus? Illa fraternitas deuota virginitati non poteſt dicere peritè de coniugio. Quid de opificiis, regiminibus, & aliis in ſpecie? In genere & confuſo modo multi de multis garriunt. At ſuam ſtultitiam produnt, cum *impoſſibile ſit, hominem exiſtentem non multa neſcire, & in multis errare.* Aiunt, totius imaginem ante oculos haberi poſſe. Scilicet pictura aliqua, qua colores & figuræ ſuperficiariæ repræſentantur: aut fabrica aliqua archimedæa: aut, vt ille putabat opere magni magiſterij, in quo nudam naturam ſe videre arbitrabatur: aut in magicis ſpeculis *Paracelſi:* aut Enthuſiaſtica opinione: aut homine viſo ſecundum vtrumque ſexum, totamq; eſſentiam, & ſtatus omnes. Sed verba audio: rem demonſtratam non cognoſco. Video Elementa aſpectabilia, etiam aerem in ſuo termino, cum ſpiritibus coagulatis corporeis: Video aſtra: Intueor miſta, nec tantum hoc, ſed & anatomia Chymica reſeco: addo qualemcunq; rationem, & experientiam: Confero catulos canibus, hædos matribus: Omnino *Eccleſiaſtes* omnia regi ſapientiſſimo, & potentiſſimo perſcrutabilia inueſtigauit, & *Ariſtoteles Alexandri Magni* opibus adiutus nihil non inquiſiuit: *Geſnerus, Vlyſſes Aldrouandus* & alij quicquid vſpiam inueniri potuit, in volumina congeſſerunt. At quid tandem illi? *Nihil ſub ſole nouum*, inquit *Salomon. Vide cuncta, quæ fiunt ſub ſole: & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. Dauid* etiam hominem vocauit vniuerſam vanitatem. *Quid gloriatur miſera terra, cinis, lutum, vermis, vmbra?* Inſpice imaginem mundi. Pandoram aliquando videbis, & ſcenam fabuloſam. Si quis ex Comœdia, Tragœdia, aut luto Hemmerlini velit de vniuerſo iudicare, fallaci cortice decipietur. Numerate mihi quæſo ſtellas cœli

Pſal. 78. 39. Caro ſpiritus vadens, & non reuertens.

ô ſocij, & dicite officia & vires ſingularum, cum ſitu altitudinis, longitudinis, profunditatis: oſtendite in ſole, & non in veſtris oculis maculas: dicite, quid ſit in profundiſſimis terræ, ignis, terra, aqua; ſimplex an miſtum corpus, Infernus, an aliquid aliud. Menſurate mundum triente, & ea expedite, quæ *Deus Iobo* obiicit. Tunc videbimus, quid ſit de veſtra imagine ficta vel picta ſentiendum.

De III. Noua Theologia quænam eſt, ſi nihil ſub ſole nouum? Quomodo noua ſi eſt primitiuæ Eccleſiæ? Si ſcripturarum carceribus tota clauditur? Sed & quam Theologiam? Gentilem, Mahometanam, Iudaicam, Pontificiam, Arianam, Anabaptiſticam, Lutheranam, an Paracelſicam? Fingite vobis & nouum Deum, & nouum cœlum, caueteque, ne in veterem Infernum incidatis. Nos manemus in antiquâ ſcripturæ Canonicæ *Eſa.8.Luc.16.30.Ioh.5.39.cap.14.21.2.Petr.1.19.1.Ioh 2.27.Epiſt.2.9.10.1.Cor.4.6.* μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. *1.Cor.3.11.* & alibi. Nouam Phyſicam properate edere. Vidimus multas nouas, & inter eas etiam Paracelſicam, Ramæam, & alias. Aut noua natura vobis eſt, aut nouè ſarta, iudicataque. Si Paracelſico modo; lingite veſtra ſputa in ſilentio, & deliramentis veſtris placidè indormite. Alias ſi quid edetis in publicum, quanquam detrectetis certamina, tamen ab aliis excipiemini, vt digni eſtis. Sin autem probata proferetis, aliquo labore noua poſſunt eſſe, ſed re antiqua. Geometriam, & Arithmeticam nouam ſi cudetis conſtantem, placebitis. Nam fiducia earum inuolabimus cœlum, & omnia nudè intuebimur. Rectè facietis, ſi eſſentiales numeros, & figuras apud *Pythagoram, Platonem, Lullium, Tritemium, Londinatem,* & omnino magos, & magni magiſterij Philoſophos declarabitis, poteritisq; *Danielis* dies & tempora ſupputare, cum numero illo beſtiæ 666. & aliis, vereor, vt ad hos ſufficiat veſtra Cabala, & Arithmomantia, etiamſi Coſſicam quoq; & totam Logiſticam addatis. Admonendi eſtis, fratres ſocietatis, non de nouis figuris planis, & ſolidis, aut noua menſuratione in Geometria, ſed vt explicetis myſteria veterum inuentorum *Architæ, Archimedis, Euclidis, &c.* In Arithmetica doceatis non 1.2.3.4. quod ex his collectis fiant decem, & quod numeratio ab vnitate incipiens in vnitatem redeat, aut abiecto binario elementari retinendas ſit ternarius, in quo & quaternarius ille ſacer *Pythagoræ*: hæc & ſimilia pridem nobis ſunt nota. Quod ſi venietis cum numeris Cabaliſticis quinquaginta portarum intelligentiæ, & erumbere conabimini in Myſteriarchæum *Dei*, cauendum eſt, ne ab igne, qui ibi eſt, conſumamini, & ſcrutatores maieſtatis facti opprimamini à gloria. Multi per numeros tentarunt ſecreta Dei & futurorum temporum inueſtigare: ſed in riſum & vanitatem abierunt.

> *Tale quid an.1613. promiſit Iohan. Faulhaber Arithmeticus & modiſta Vlmēſis per numeros pyramidales ex polygonalibus Algebra.*

De IV. Negatis veſtram Philoſophiam eſſe NOVAM. At repudiatis Academicam. Quæ ergo & qualis eſt? Nimirum ea, quam pater veſter à magis didicit, & *Paracelſus* fundamentaliter complexus perhibetur. At *Paracelſus* ſe ſequi iubet Monarcham omnes veteres, & nouos. Si Paracelſica eſt, noua eſt. Niſi fallimur, erit *Hermetis Triſmegiſti*. Si hoc; non noua quidem, verum non ſine multis abſurdis, quæ etiam in *Platonis* Scholam irrepſerunt, & à diuinis, humanisq; literis redarguuntur, vt vel vnicam hoc indicat, quod TRES *Deos* ſtatuit, primum *Deum* conditorem, ſecundum mundum, tertium hominem: Item aliam imaginem *Dei*, quam ſacræ literæ, mundum nempe, cuius porro imago ſit homo: Item quod homini poteſtatem Deos faciendi tribuit, &c. An non hæc ſunt ſummæ dementiæ argumenta? Abiicite & Hermeticam, quam *Crollij* amicam blandiſſimam: quæ relinquitur? Thalmudica, Cabaliſtica, Magica, Aſtromanica, Chiromantica, Signata, Nectromantica, & omnino Dæmoniaca. Quid vos dicitis? *Eſt ea, quam Adam poſt lapſum habuit.* Vellem ante lapſum. Neq; enim ea, quæ poſt lapſum ipſi fuit, caruit imperfectione. Maledicta enim tunc erat natura, & vanitati ſubiecta, adeoq; obtenebratus intellectus *Adæ*, vt neceſſe haberet à *Deo* veſtiri. Quid multis? Coactus eſt *Adam* diſcere diuina ex *Deo*; humana ex natura per ratione & experientiam. Ridiculus eſt *Crollius* & alij, qui, affirmant, *Adamum* diu vixiſſe beneficio lapidis Philoſophici, quem ſciuerit fabricare, & in quo viderit totam Philoſophiam, vt *Drebelius, Sediuogius* & alij. Non dicendum eſt, ſed probandum. Non ſi quis diu viuit, lapidis virtute diu viuit. *Dominus eſt longitudo dierum tuorum*, inquit *Moſes, & in Pſalmo* ſcriptum eſt, *Sortes meæ ſunt in manu tua*; &: *longitudine dierum replebo eum*: Et, *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*; non per lapidem Philoſophicum, ſed *Dei* beneficio, quo & *Moſes* & *Caleb*, & *Ioſua* conſeruabantur, multiq; Iſraëlitarum potuiſſent ſalui eſſe, niſi vitam perdidiſſent peccando. Si eam Philoſophiam habetis, quam *Adam* poſt lapſum, nondum cōprobatā mundi experientia habetis. Sed vnde ſcitis, qualis fuerit ea Philoſophia? Opinamini nimirum eſſe veſtram. Sed nos non paſcimur verbis. Si *Adami* Philoſophia fuiſſet veſtra impietatis Magicæ & Cabaliſticæ, multorumque errorum, qui apud *Paracelſum* inueniuntur, fuiſſet rea. At quis hoc credat, de primo patre *Dei* conuerſatione, & oraculis amiſſa bona recuperare coacti? Sed veſtram etiam *Moſes* exercuit. Quam? Num illam, quæ dicitur vniuerſa Ægypti ſapientia, de qua apud *Horapollinem, Hermetem, Herodotum*, Platonicos, & alios, maximeque quam *Iammes, & Iambres 2.Timoth.3.8.* Sapientes & malefici *Pharaonis Exod.7.verſ.11.* exercuerunt? Veriſimile eſt vos hanc velle.

> *Act.7.22.*

Ratio eſt: quia eam naturalem eſſe *Paracelſus, Crollius, Tritemius, Agrippa, Arteſius* & alij magi contendunt. Similia, imo eadem hi conantur, profitentur, docent, quæ magi *Pharaonis*. An non ex iisdem fundamentis? Eſt tamen, vt Magos iſtos ſapientiores *Paracelſo, Crollio* & ſociis putemus. Nam magi ſciebant, & confitebantur, ſe non omnia poſſe, quæ *Crollius* fide naturali & imaginatione, characteribus, ſigillis, verbis, Gamahæis, Gabali, Homunculis & aliis Magorum crepundiis, præſertim nomine IHSVH & *Iehouah* (quæ nomina non innotuerunt ante *Moſen* patribus; vnde colligimus *Adami* Philoſophiam non fuiſſe Paracelſicam, & Crollianam) perfici poſſe ſtatuit. *Exo.8.v.18.* in pediculis deficiunt, & digitum *Dei* agnoſcunt: Et *cap.9.11.* non poſſunt ſtare malefici coram *Moſe* propter vlcera in ſe, æquè ac in cæteris.

Sed

Sed nec Babylonios Magos & Chaldæos omnia potuiſſe ex *Daniele*, & *Eſaia* conſtat. Concludimus ergo, Philophiam *Moſis*, ſi fuit Ægyptiaca, non poſſe eſſe veſtram, ſi eſt Crolliana, Paracelſica, Tritemiana, Thalmudica,&c. Num autem ea fuit, quam ipſe in pentateucho deſcripſit? Hæc ipſa, inquam, nec vllam aliam profeſſi ſunt etiam poſteri quandiu in mandatis *Dei* ambularunt, nihil addendo, nihil ſubtrahendo, & nuſpiam decedendo. De hac Philoſophia vero quid in Euangelio ſentiendum ſit, diſcite ex CHRISTO, & *Paulo*. *Lex & Prophetæ vſq; ad Iohannem: Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, quo exhibito non amplius ſumus ſub pædagogo.* Legenda eſt *Epiſt. ad Rom. & Galatas.* Abrogata eſt illa Philoſophia penitus duabus partibus, ceremoniali, & iudiciali. *Gal.3.23. 24.25.*

Pars tertia adeo eſt eneruata, vt ſaltem admoneat & arguat ſibi aduerſantes; ſed in *Chriſto* exiſtentes damnare nequeat. *Rom.8.1.1.Corinth.15.54.55.* Quod ſi veſtra Philoſophia eſt hæc Moſaica, Chriſtiani non eſtis. *Gal.4 9 cap.v.2.3.4.* Si ne hæc quidem, cur mentimini veſtram Philoſophiam exercuiſſe Moſen? Quæ ille miracula fecit digito *Dei* fecit: quæ docuit ex colloquiis cum *Deo* facie ad faciem didicit. Num & vos ita? Propheta fuit *Moſes*, & multa prædixit futura. Num & vos eſtis Prophetæ? Tales quidem videri vultis, cum iactatis ſcientiam præſentium, præteritorum, & futurorum Harmonia veſtra: ſed hæc *Moſi* fuit incognita. Longè enim alio ſpiritu, quam Philoſophico is eſt vaticinatus. Idem *Moſes* adminiſtrauit officiũ Ducis, & Regis, ſimulq; cum *Aarone*, cuius quaſi *Deus* fuit, ſacris præfuit. Num & vos regiam, & ſacerdotalem affectatis? Pontificij ſcriptores *Papam* ſuum *Moſen* eſſe dicunt: imo & *Chriſtum*. Hoc Apoſtolus *Paulus* ſcripſit eſſe filij perditionis extollentis ſe ſuper omnia. Videte ne hòc argumento *Antichriſti*, & non *Chriſti* ſocij eſſe perhibeamini. Porro veſtram Philoſophiam exercuit & *Salomon*. De hoc ſcriptum eſt. *3. Reg.3.12. Dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Ita & *cap.4.v.29* Dedit *Deus* ſapientiam *Salomoni* & prudentiam multam nimis: & ſuperabat ſapientia *Salomonis* ſapiẽtiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum: & erat ſapientior cunctis hominibus, &c. Locutus eſt parabolas, & carmina: diſputauit ſuper lignis à cedro Libani, vſq; ad Hyſſopum: diſſeruit de iumentis, volucribus, reptilibus, piſcibus. Ecce hæc fuit *Salomonis* Philoſophia, nõ hauſta ex ſcholis Chaldæorum, Ægyptiorum, Arabum, ſed à *Deo* accepta, longis paſſibus cæterorum ſcientiam poſt ſe relinquens. Vos autem quid profitemini? *Hermetis* putidas nugas, & impia deliramenta, quæ *Crollius* repoſuit: Ex Arabum Mahometicolarũ ſchola prorepſit magiſter Veſter: Magiam *Paracelſi, Tritemij, &c.* Cabalam Iudæorum & ſimilia teretiſmata docere cogitatis. *Cap.10. 24. Reg 3.*

Quid hæc ad *Salomonis* Sapiẽtiam? Quid *Hermes* ad *Salomonem*? Sed & hoc dicite, qui *Moſis* & *Salomonis* Philoſophiam vobis arrogatis: De *Moſe* ſcriptum eſt: Deuteron.34.10. *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſraël ſicut Moſes*: nempe ratione notitiæ *Dei* & familiaritatis ſingularis, Item miraculorum, miniſterij ſacrorum & Reipub. inſtituendorum, quibus oportuit & *Salomonem* obſtrictum eſſe. Neque enim permiſſus eſt ſapere vltra leges; Et cum hoc deceptus blandimentis mulierum faceret, ſapientiæ exiſtimationem perdidit. De *Salomone* quoque *Deus* dicit, non ſurrecturum eius ſimilem poſt ipſum. Licet enim *Moſes* vaticinatus ſit de Propheta ex fratribus ſuſcitando, ſicut ipſe erat ſuſcitatus, iſque Propheta ſit *Chriſtus* nulli homini comparabilis: tamen veritas *Dei* intra ſuos terminos manet ſolida. Si itaq; vos non eſtis *Chriſtus Deus* & homo, ſed homines tales, quales alij, dicite, num in vobis fallitur elogium *Dei*, & vos vel pares, vel ſuperiores eſtis *Moſe*, & *Salomone*? *Si veſtra Philoſophia eadem eſt, pares eritis. At non poteſtis eſſe pares. Impares ergo.* Dicetis: *Philoſophia pares, at dignitate impares.* Probabitis igitur, quod dicitis. Vt dubitemus, facit amor & commendatio fundamentorum *Paracelſi*, quæ quo principio demonſtrabitis nota fuiſſe *Salomoni*? Vbi ille ſic Philoſophatus eſt, vt *Paracelſus*? Vbi ſunt res, & rerum notæ, ſeu modus diſciplinæ Paracelſicæ apud *Salomonem*? Diſcernit ille de animalibus, vegetalibus, & mineralibus. Nam & hoc addamus. Diuinis ſcriptis profuit Eccleſiæ, de quibus adhuc reſtant, quæ in bibliis ſacris leguntur. Sed num Paracelſicè? *Ezechias* combuſſiſſe dicitur libros eius propter Magiam, cuius reliquiæ creduntur ea eſſe, quæ apud *Plinium Democrito* & aliis magis aſſcribuntur, idque conantur veriſimile reddere *Pſalmo 58. verſ. 6.* de incantatoribus ſerpentum. Num ergo *Salomon* exercuit Magiam Paracelſicam, incantatoriam, & ſpirituum adiuratoriam? Si hoc, iam lapſus exercuit perſuaſus ab Ægyptia vxore, Moabiticis, Ammoniticis, Idumæis, Sidariis, Cethais & aliarum gentium, quarum conſuetudo Iſraëlitis erat prohibita. Inde ſecutus eſt Deos alienos, quorum cultores ſimul erant magi impuri, vt conſtat ex hiſtoria *Bileami Num.24.1. Leuit.19.31 & cap.20.6. & 23.* vbi nationes illæ dicuntur feciſſe illa abominabilia, vt & *Deuter.18.v.10.11.12.* Lapſi vero Philoſophiam Magicam num vos profiteamini? Sapiens cum eſſet, non potuit per interdictum nec exercere magiam, nec docere. Sed & cum incinaſſet ad ſtudia gentilium non ipſe videtur libros Magicos conſcripſiſſe, ſed ſaltem vel aliunde acceptos vſurpaſſe, vel vt ſolet fieri in commentariis de lapide, aliquis ad eum retuliſſe, quod minimè fuit eius. Itaque rectè combuſta ſunt illa volumina Magica, ne malo exemplo ad poſteros peruenirent. Eſt & alia ſententia de magicis iſtis. Potuerunt enim Hieroglyphici, & Ænigmatici eſſe, quorum ſenſum cum non intelligerent alij, forte factum eſt, vt literæ vis aſſcriberetur, vnde poſtea Diabolo ſe aſtute accommodante, & veris magis dæmoniacis adiuuantibus, nata eſt Characteriſtica & Cabaliſtica magia cum cæteris partibus à Paracelſo redactis. Omnino libri Sapientiæ *Salomonis* Philoſophici de mineralibus, plantis, & animalibus aut naturali planoque ſtylo fuerunt conſcripti, aut magico: ſi illud: eadem habuerunt, quæ noſtri botanici, Zoographi, & Metallici, vt *Delechampius, Dioſcorides, Plinius, Matthiolus, Ariſtoteles, Galenus, Auicenna, Geſnerus, Aldrouandus, Lobelius, Rhondeletius, Agricola, Mattheſius, Meſue, Bulcaſis, Cæſalpinus* & alij plurimi. *Deut.17. v. 18. cap.4. v. 6.7. Sapientia: illa deſcribitur.*

Natura enim non decessit ex toto à suo statu, estque eadem Cedrus, Hyssopus, Bos, Canis, Adamas, Sapphirus, &c. hodie, quæ olim, vt & idem aurum, & argentum *Salomonis*, licet non numero. Quid ergo vestra Philosophia habebit, quod non & nostra? *Turneiserus* botanicum conscripsit cum Anatomia Chymica, & Chiromantia, quæ est & apud *Ioh.Bapt.Portam, Crollium, Quercetanum, &c.* Quicquid in his est verum, nos scimus etiam vobis in monasterio vestro mussitantibus. Si magico: aut Hieroglyphico seu ænigmatico, aut dæmoniaco. Hoc modo si Philosophabimini, quatiemini foras cum vestra Philosophia. Si illo, nihil alieni facietis à sapientibus magni magisterij, quorum iam satis explicata est difficultas. Non ignoramus vestræ sortis homines solere scribere de mirabili potentia artis & naturæ, nec est in hoc nihil, modo non transcendantur ista principia. Sed pleriq; de *Paracelsi* grege prætextu tantum hoc vtuntur, & miscent magica dæmoniaca magicis naturæ & artis, diabolo astute se immiscente, & superstitiosis istis facile persuadente. Procliues ad magiam, quã molliter inducit ad suos nutus? Cauete astutiam Cacodæmonis, & Philosophiam vestram bene examinate.

De V. Si Philosophia vestra aliorum opinionibus non est occupata, proprias habebit, atque adeo essentialiter & axiomaticè erit tractata. Num vero nec *Salomonis?* Consequenter cum rectum sit iudex sui, & obliqui, sitque ea ratio docendi & discendi, vt sæpius præcepta negatè potius, quam affirmatè sint concipienda: Vt: *Non furtum facies: non mœchaberis, &c.* admittet etiam negata, & sic contraria. Placebitis tamen, siue affirmatè, siue negatè docebitis, modo vere. Vt veritatem autem cognoscamus, prohibere dubitationes non poteritis. Principium enim hoc est philosophandi, & vt mutuo attritu durorum ignis elicitur, ita ex cõtrariis inter se confligentibus lux veritatis. Videte, ne more Paracelsico per spurias similitudines, & fictitias concordantias scientiam constituatis. Neque enim similitudines respondent omnino veritati nudæ & essentiali, cum *nullum sit simile, quin aliqua dissimile.* In hac vita per ænigma videmus. Dij eritis, si absque ænigmatibus docebitis. Est & hoc considerandum. Si enim vestræ opiniones essent eædem cum Aristotelicis, & Galenicis, num forent improbæ? *De vno, qua vnum, tantum vnicum est verum.* Quando ergo *Galenus* dicet, *Aër est Elementum, ignis inflammatilia disposita inflammat; homo est animal;* vos non dicetis, *aër est cornu capra, ignis non inflammat disposita, homo est tribulus aquaticus, &c.*

De VI. Placet hoc. Quicquid enim ex *Deo* audiuimus, modo & intelleximus, nec sophisticè deprauamus, vt serpens in Paradiso *Dei* oraculum, id principium est, & per se verum. Itaq; regula est omnium cæterorum. Hinc Physici nostri dicunt *Aristotelem, Platonem* & alios ipsorum sententiam de ortu mundi amplectentes falli, quia principium auditus diuini non conuenit. Negat *Aristoteles* elementaria posse esse vltra cœlestia: at auditus diuinus aquas ibi esse docet. Corpora humana numero, non specie resurrectura post corruptionem esse, quis Ethnicus credidit: Negatio est improba, quia non consentit cum auditione diuina. Hanc Philosophiam nostræ scholæ iam pridem habent. Vos à nobis didicistis. Amplectimur Harmoniam illam vnius apud omnes veridicos veritatis. Quis enim turbet consensum scripturæ, patrum, & Philosophorum vnanimem? Ne plebem quidem eadem dicentem reiicimus. An ignoratis *κριτήρια*? Facile patimur, vos istum consensum in sphæram homogeneam cogere. In ea principiũ est centrum. Circumponite iam in ambitu *Adamum* cum Patriarchis, Gentiles, Philosophos & Medicos: Christianos; Iudæos, & Græcos: Apostolos, Euangelistas, Doctores; Academicos & alios. Vnio cum centro vniet omnes. Sed velim scire, vbi ponenda sit Paracelsica Magia, & Cabala, cum similitudinibus dissimilibus, cum Archidoxi magica, cum adiurationibus spirituum, cum Characteristica, Thesaurinella, Berillistica, sagace Philosophia, in qua sagæ naturaliter faciũt fulmina, & iuxta quam licet mentaliter morbos curare per Diabolum & incantamenta, quomodo infligi eos posse *Paracelsus, & Crollius* docuerunt. Vbi ponetur Monarcha ille, qui se effert vltra omnes priscos, & nouos? Excentricus erit.

De VII. De veritate, quæ per essentiam & sua natura est veritas, vel ex ea necessario profluit, rectè dicitis. Nã principalis, & Axiomatica necessaria est, & immutabilis. Est alia veritas, quæ dicitur contingens, competitq; his, quæ sic vera sunt, vt aliter esse possint. Vt ex illa cõclusiones & scientiæ itidem veræ necessario nascuntur: ita ex hac contingenter. Quælibet æstimanda est suo iudicio. Optamus artes sic constitui posse, vt ex meris principiis & conclusionibus immutabilibus constent: sed optamus tantum. Huius enim seculi inconstantia non fert mera immota, cum plurima contingentia immisceat, imo etiam propter accidentium turbam, & vanitatem, cui natura subiecta est, labefactet etiã id, quod *καθ' αὑτὸ* dicitur. Aut semper, aut *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* fit, quod necessario verum est. Si Philosophia vestra ex solis perpetuis est, valde manca est & deficiens. Quid si tertia veritas vobis imponeret? *Vt enim est ens, ita & verum.* Iam *ens potest apparere aliquid, cum non sit, vt vmbra arboris pro homine, somnium auri pro auro. Itaq; & verum potest aliquid videri, cum non sit,* quale tribuitur sophistis, & his, qui putant hominis sensum, & intellectum esse mensuram veri, ita vt verum sit, quicquid videtur *Paracelso, Anaxagora, Agrippæ* & aliis, licet mihi vel tibi falsum. Non opinione tantum & sensibus decipiuntur multi, verum etiam amore sectarum, imperitia, experimentorum diuersis euentibus, & omnino variis circumstantiis. Recte dicitur, verum esse, quod cum diuinis literis consentit. At illæ non omnia complectuntur: Deinde applicatio & interpretatio sæpe est instabilis. Multi paucis inspectis facile pronunciant. In Logica & Metaphysica, quantum apud Peripateticos est fiduciæ? *Erastus* putabat etiam ignota inde iudicari posse. Sunt enim generalissimæ scientiæ. At quo quid generalius, eo pluribus conuenit, & in singularium iudicio facile dubitationem affert. Hinc *Aristoteles* ipse Logicas dissertationes in Physicis superuacaneas esse arbitratus est, voluitq; ex propriis, primis, & immotis philosophandum esse.

Sic ergo de veritate statuite, necessariam semper & omnibus membris secum consentire, nisi per accidens eueniat dissensus. Ita accidens effecit, vt iustitia non possit amplius legi asscribi, quæ tamen ad vitam & iustitiam data erat, poteratque hanc efficere, si peccatum non labefactasset naturam nostram.

De IIX. In homine esse totum mundum, paruum & magnum: addo etiam DEVM ipsum & angelos (in aliquibus bonos, in aliis malos) *Crollius, Seuerinus, Paracelsus*, & similes magi ad rauim vsque inculcant. Finge hoc esse: concludo: *Homo ergo sufficiens est sibi ipso, & nihil externorum ad sui sustentationem requirit. Qui omnia in se habet, quid possit iuris petere?* Sed rident tales Philosophos esurientes caculę, & *Diogenes* cum suis Parasitis. *Nudus egressus sum*, inquit *Iob*, *de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*: Et *Paulus*: *Nihil intulimus in mundum, palam est quod nec quicquam efferemus.* At Stoici illi in se habent omnia: nempe opinione sua. Cum sitiret *Paracelsus*, cum rusticis vinum vel cereuisiam non ex se, sed ex taberna ære dato petebat. *Quæ inesse dicuntur, aut per essentiam, essentialiaq; insunt, aut per tropum: Totus mundus in homine per essentiam non est. Pars in toto est, sed non totum in parte.* Qui dicunt, vt *Crollius*, *Deum* extraxisse quintã essentiã ex vniuerso, & ex ea specie limi fecisse corpus hominis, obloquuntur sacris literis, in quibus scriptum est, ex puluere conflatum esse, seu terra. Vt scias, ex qua terra, eandem DEVS monstrat, in quam corruptione per mortem abit. Ea olim erat benedicta; sed nunc damnata per maledictum ob peccatum dicitur. Vbi ista quinta essentia? Deinde, si ex quinta essentia omnium factum esset corpus, totum esset quinta natura, & essentiale extractum. At quanta vis elementorum est in homine? *Si non factum est corpus eius ex omnibus, neque dici potest essentialiter omnia esse in homine*, vt taceam *Crollii* impiam sententiam de anima hominis, quasi sit de essentia DEI creatoris. Quæ Chymici ex corpore extrahunt, sunt genere eadem cum his, quæ & ex aliis mistis, vt liquor, oleum, sal, aqua, terra, vapor, halitus. Possumus concedere, omnium mistorum partes generice esse corpori humano: at non specifice, nec singulariter. Sic etiam de functionibus & viribus. Viuit homo initio plantæ instar; sed vita non est eadem specie: aliter sentit homo, aliter bestia, & tamen eodem modo quoque: illud singulariter & specialiter: hoc generaliter. In homine sunt & cœlestes spiritus, calor, humidum: at analogice. Quæ insunt per analogiam, & æquiuocationem; seu per similia comparata, manifestum est, quod essentialiter non insint; atque ideo scientiam gignere nequeant, quæ est vniuocorum & propriorum.

Dic iam, in homine est Rhabarbarum, senna, polypodium, rosa, lapis, aurum, argentum, Smaragdus, vnio, balæna, lucius, lupus, anguilla, sol, luna, Orion, pleiades, &c. quid aliud dices, quam symbolicum, parabolicum, metaphoricum, analogicum, per comparationes ex parte, cum interim plures sint rationes dissimilitudinis? Ecce vestram Philosophiam ex principio adulterino. Si per essentiam putatis inesse, & ex vno tanquam principio de altero apodictice concludi posse, dicite quis spiritus fuit in *Paracelso*, bonus, malus, an vterque? Vos ipsi negatis nullam communionem esse *Christo* & Beliali, nec coire posse contraria, vt *Crollius* nugatur. Quo modo in homine erunt omnia? Ante lapsum, post lapsum, in statu gloriæ & damnationis, monstrate omnia, si verum dicitis. *Somniare, opinari, dicere, similia comparata adducere &c. omnia non faciunt ad veri scientiam.* Animas nostras esse partem cœli, olim dixit *Hipparchus*, vt ait Plin. *lib. 2. c. 28. Crollius Dei* essentiam: *Horatius* diuinæ auræ particulam. Sed illis dicendum prius est, quæ nam sit natura cœli, quæ DEI essentia, & aura diuina. Ignoramus qualis sit anima: Declarationem petimus ex longe ignotiore.

At argumentum debet esse notius re arguta. Dices: *Homo est similitudo & imago Dei.* Non, inquiam, secundum essentiam: Deinde id, quo eramus Imago DEI, sanctitatem, iustitiam, puritatem, beatitudinem, imperium in subiectum mundum, pene tota amisimus. In spiritualibus nihil restat. In secularibus vix vmbra. Quod de imagine tenemus, ex sacris haurimus, & restauratione percipimus, idque ex parte. Hinc concludere aliquid perfecti, aut identitatis, quæ dementia est? Vbi scriptum est, nisi apud varium *Herimetem*, mundum esse hominis antitypum, hominemque esse exemplar & imaginem? Veteres astra in nos & alia inferiora potestatem habere scripserunt, vt est apud *Senecam lib. 2. cap. 11. & 32. nat. quæst.* Iidem terram matrem hominis corpori ratione ventriculorum, venarum, ossium, &c. compararunt. At omnia per comparationem externæ habitudinis, nec magis id homini tribuas, quam bestiæ, aut plantæ. Quin dicitis etiam, in planta quauis, & bestia esse omnia? *Sicut imago patris, ita Contrafactura imaginis*, inquis: Dic ergo idem de matre, & collige, hominem esse imaginem & contrafacturam terræ, & omnia quæ in terra sunt, esse etiam in homine. Quis te ferat sic delirantem? Contrafacturæ externam dispositionem totius & membrorum cum coloribus referunt; si exacte sunt factæ: num ideo omnia typorum sunt in eis? Contra te arma prębes. Si non omnia sunt in contrafactura, quę in typo, nec omnia erunt in homine, quæ in Deo & maiore mundo. *Furor est profecto, furor*, inquit *Plinius lib. 2. c. 1: egredi ex mundo, & tanquam interna eius cuncta plane iam sint nota, ita scrutari extera, quasi vero mensuram vllius* (alius) *rei possit agere. qui sui nesciat, aut mens hominis videre, quæ mundus ipse non capiat. Vos Monachi nescitis vos ipsos, & vultis mundum totum nosse*, atque etiam ea, quæ sunt extra mundum.

De IX. Quæ de fide dicuntur, quod inuenta cum Harmonia totius mundi concordet, itidem considerationem indigent. *Est fides salutifica per Christum, qua necesse est saluari omnes, qui salutem petunt, cuiuscunque sint temporis, ætatis, loci, vnicum enim est nomen, nec aliud sub sole hominibus datum. Act. 4. 12. 13. & cap. 15. v. 11.* Falsum itaque est, quod quidam naturali notitia, quidam lege, quidam Euangelio salutem consequantur. Non puto de hac loqui principaliter fratres; sed de ea, quæ constat notitia, & assensu, estque primum principiorum, quæ dicuntur αὐτοπιστα; deinde sci-

 entiarum

entiarum ex principiis, quæ ἀξιώματα, vtpote fidem ſuam principiis debentium. Bene dictũ eſt, *vnum de vnum de vno, qua vnum, credi debere, eſſeq; conſenſum harmonicum omnium verarum artium, & ſcientiarum*. Per ſe vero hoc accipiendum eſt.

Hinc diluitur quæſtio, an aliquod effatum in diuinis verum ſit, quod in humana Philoſophia falſum. Abſit humana iudicia poſſe falſa efficere, quæ Deus, qui eſt veritas ipſa, pronunciauit, aut fecit. Itaq; ſolis ſtatus tempore *Ioſuæ*, & retroceſſio ægrotante *Ezechia*, cum Eclipſi ſolari patiente *Chriſto* aliaq; miracula ex ſe ſunt vbiq; vera. Sed hoc cõſiderandum eſt, ſint ne vera principiis Phyſicis, & ordinario curſu naturæ. Finge tibi ſphæram naturæ, & mundi totius vti eſt à Deo conditus: Dic, qua in parte inuenies miraculorum iſtorum veritatem? Num in centro naturæ, radiis, interuallis, an circumferentia: Non? Res enim eſt ὑπὲρ τὴν φύσιν. Si itaq; dicere quis velit: *Sol in plenilunio naturaliter, & ordinariè ex toto priuatus eſt luce*: quæro verumne dicat, an falſum? Opinor falſum. Simplicius: *Sol deficit ex toto*; eſtne verum in Phyſica ordinaria, an alibi? Reſpondebis, non in Phyſica, ſed in Hyperphyſica miraculorum potentiæ diuinæ. Eſtne natura tota, mundusque ex nihilo conditus, ſic, vt id demonſtrari poſſit aliquo Phyſico principio? Non. Phyſicè enim nihil fit ex nihilo, necque quod ex aliquo factum eſt, in nihilum corrumpi poteſt. At Theologicè veriſſimum eſt potentia *Dei* ex nihilo aliquid fieri, non priuatiuo tantum, ſed & negatiuo, quod *Crollius Deale* vocat. Si miſcere velis diuerſarum ſcientiarum principia, vide quantam confuſionem ſis introducturus. Phyſicus Chriſtianus credit Mariam virginem genuiſſe θεάνθρωπον, manſiſſeq; virginem, at negat fidei fundamentum eſſe Phyſicum ordinarium. In tota enim rerum natura id locum non habet, quia eſt præter rerum ſeriem, & ſuper naturam. Talia ergo extra ſphæram mundanam exiſtentia non peruenient cum cæteris æqualiter ad centrum, neq; ex eodem naturali procedent.

Quid ſi vero totam ſphæram dilatemus, & immenſitatem potentiæ diuinæ quoque includamus? Non, inquam, hoc fieri in ſeculo poteſt. In altero poterit beato, vbi *Deus* erit omnia in omnibus. Ratio, cur non debeat, aut poſſit fieri eſt, quod creatura mundi ſit opus *Dei* ad extra. Quanquam ergo ipſe vbique ſit, cœlumque & terram impleat, tamen eius eſſentiæ creatura eſt extranea, vt falſum ſit iudicium *Catonis* apud *Lucanum*, *& Senecæ* ex Orpheo, quod Iupiter, ſi DEVM hoc nomine intelligis, ſit omnia, quæ vides, & quocunque moueris. Neque enim lapis & DEVS in vnam ſphæram eſſentialem compingi poſſunt, vti nec corruptibile, & incorruptibile, momentaneum & æternum, homo peccato pollutus & ob pertinaciam filius Belial, & CHRISTVS, non Sathanas, & DEVS.

Fides Theologica altiores radices habet, quam Philoſophica. Si quid credo ex Theologiæ propriis principiis, non credo ex naturalibus. *Animalis enim homo diuina & ſpiritualia non intelligit, ſed pro ſtultitia habet*. Ioh. 3. v. 11. 12. 32. 1. Cor. 2. 14. Ideo & renaſci nos oportet ex ſpiritu, vt ſpiritualia fidem apud nos non ex nobis, aut natura mundi, ſed ex DEO inueniant. Ideo & duæ ſunt fabricandæ ſphæræ vna naturalis, altera ſupernaturalis. Ibi ſapientia mundana eſt. *1. Cor. cap. 1. & 3. 2* quæ ſi diuina velit menſurare ſuo metro, ſtultitia eſt: Hic ſpiritus *Dei*, & vnctionis, quæ ſola nos diuinitus ſic docet, vt externis non indigeamus, *In Chriſto habemus omnia*. Secularia cum iam ſint, paulo poſt non erunt. Quod attinet *Paracelſum*, de quo dicitur, quod mundi librum diligenter legerit, agnoſcimus pronunciatum diſcipulorum & amatorum eius nimis delicatum. Nouimus cum vndiquaq; corradere hiſtorias & fabulas etiam aniles: Scimus comparationibus nimis confidenter & temerarie vti. Habet & hypotheſes quaſdam incredibiles. Confundit in eadẽ ſphæra Dealia, mentalia, magica imaginationis & incantationum, Cabaliſtica, ſomnia, cœleſtia, Elementalia, Chymica, Medica, &c. Hac ſua fictitia concordantia efficit, vt putet naturaliter fieri poſſe, quæ ſunt remota ab omni natura, veluti tempeſtates excitare eo modo, quo naturaliter ignis ex ſilice excuditur: morbos aliis imaginando inferre, iterumque tollere, & alia plurima, quorum compendium dedit *Crollius*. Idne eſt harmonicum: ſicut faber lignarius & ſculptor homũculum ex ligno facit, ita magiſter cœli fabricat hominem eſſentialem? Sicut diſcipuli errant in operibus propter imperitiam, ita & Vulcani diſcentes in cœlo, cum homines fingunt, pro ſapiente faciunt morionem? Sicut baſiliſcus halitu necat in terris homines: ita in cœlo eſt baſiliſcus, qui intuitu aërem peſtilentem facit: ſicut mulier menſtruoſa *Cacochymica* faſcinat infantes, ſpecula pura inficit, & alia tenera lædit: ita inficit & cœlum, efficitq; vt inde per aërem exoriantur morbi deleterij. Ita molitores, erunt in cœlo, ſartores, ſutores, carnifices; & quid non? Hi omnes ſpiritualiter facient id, quod homines corporaliter. Ad hæc probanda non eſt ſatis illa fictitia concordantia, & ſimilium diſſimilimè ſe habentium comparatio. Dato vero hoc ſciendi principio, nullus hominum erit, quin facile poſſit omnium rationem reddere. Cur capra eſt cornuta & non ouis? Quia ſicut pictor vel ſculptor pingit vel fingit cornuta & non cornuta: ita in cœlo ſunt pictores & ſculptores, qui ſpiritualiter fingunt pinguntq; capras & oues, quæ poſtea elementaribus tunicis indutæ in mundo ſenſibili tanquam in ſcena apparẽt. Vt. n. vult *Seuerinus* ſpiritus abeunt in corpora, & ſibi foris alia induunt. Cur *Therſites* eſt deformis? Quia ſpiritualiter factus eſt à malo pictore cœli, vel ſculptore, vel fuſore, vel ſimili aliquo fictore. Cur Æthiopes ſunt nigri? Quia vt Carbonarius fuſcat faciem, aut fuliginarius aut alius Calo, ita ſunt inter aſtra Carbonarij, qui atrant ſpiritaliter Æthiopes, & poſtea atratos in mũdum mittunt: vel ſicut actores fabularum Diabolos atros repræſentant veſtibus pullis, & fulginoſo vultu, ita fit in cœlo. Ratio horum: *quia quicquid fit in centro, id prius factum eſt in peripheria, & per radios dimittitur*. Vnde ſcis? Quia omnium eſt eadem Harmonia. At illi atri ſpiritus Olympici primis annis mundi non erant, nec ſunt in Europa? Didicerunt adhuc, fueruntque imperiti.

Typus harmoniæ Paracelſica.

Deinde

Deinde quoduis operatur suo loco, & tempore iuxta prædestinationem: qua sedem sibi illi magistri in Æthiopia constituerunt, vt alij opifices. Sed quo probas prædestinationem istam? Facto ipso. *Nihil enim fit non prædestinato.* Hæc est concordantia *Paracelsi.* Interdum fertur ad Ascendentes Olympicos. Cur enim insania corripitur, aut mania aliquis? Quia sicut in magno mundo ascendens sydus tumultus excitat; ita & in paruo; idque fit item prædestinatis temporibus. Adde magnetismos. Quomodo se habet magnes magni mundi ad ferrum attrahendum, & Theamedes ad abigendum: ita se habet minor mundus homo ad sibi familiaria attrahenda, & aduersa propulsanda. Hinc fundamentum petitur fascinandi, excantandi, morbos inferendi, transferendi, &c. *modo accedat fides, & directrix imaginatio.* Et est aliquid in comparationibus recte adhibitis: Verum non ad essentiam, sed tantum ad aliquod adiunctum externum. Cum enim vnius caussæ possint esse plures effectus, & vicissim vnius effectus plures caussæ (neque enim axioma istud in omnibus locum habet, quo dicitur VNVM *ab vno, & vnius tantum vnum est caussa*) similitudines istæ claudicant: Exempli gratia: *Cur febrientes in inuasione rigent, aut horrent?* Respondetur: *Vt se habet in maiore mundo halinitrum ad ignem, ita rigor ad febrim in microcosmo.* Itaque rigor vel horror est halinitrosa trepidatio. At, inquam, corripiuntur homines eodem symptomate etiam aliis de caussis, vbi nulla omnino est incensio, vt cum hyeme frigent, cum febrificum piscem tangunt, cum timore, vel ira tremunt, cum neruis sunt imbecillibus. Si parabolæ valent tantum, quæ ratio est, quin dicam: *vt se habet auræ motus in maiore mundo ad tremulam arborem: ita caussa febrifica in minore ad materiam febris:* vt succutitur & contremiscit terra fulminum ictu, vel Spiritus intus sæuiente; ita & homo in paroxysmo febrili? vel sicut creta, aut lapis cancrorum, aut lapis stellatus & alia affuso aceto subsultant: ita membra hominis ab aceto in terra microscosmica: vel vt fit in coctionibus pisorum, & ebullitionibus inter elixandum: vel vt cum aqua forti perfunditur ferrum, aut stibium, aut cum fluxilia mineralia excoquuntur cum ebullitione & fumis, &c. Quam multa sunt opere & effectu similia, caussis etiam contraria? Non si Sol lintea, & ceram albificat, Sol microcosmicus hominem quoque album reddit. Patet itaque non omnia posse sic concentrari, vt ipsarum per se caussarum certitudo innotescat; & essentia verum intus perspiciatur. At, inquient fratres sapientia illa parabolica & harmonica Philosophia omnibus temporibus fuit in vsu tam in Philosophia, quam Theologia, eaque est propria pene Arabum, Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum; vnde sapientissimus *Salomon* parabolas & prouerbia traxit, sapientesque Philosophi sua mysteria. Vnde ista nisi ab harmonia & concordantia quadam sphærica, ex qua etiam interpretatio petenda? Quod enim in peripheria ponitur per similitudinem, id per essentiam est in centro. Noui, inquam, sapientes tam in sacris, quam profanis per Apologos, figmenta, fabulas, parabolas, symbola, similiaque disseruisse. Vnde enim alioquin sacerdotes illi Deorum poëtæ, quos Philosophos fuisse, qui ænigmatibus variam sapientiam occultarunt, constat? Ille mos fuit & Prophetis, & sacrorũ mysteriorum, populo non reuelandorum procuratoribus. Verum omnes illi vsi sunt parabolico genere ad populum tantum, & in libris exotericis: Domesticis suis, & filiis doctrinæ omnia palam exposuerunt. Id in Oriente pene necessarium fuit. Nam semper extitit magna copia irrisorum veræ sapientiæ, præsertimque alieni à Patriarcharum Ecclesia non admiserunt veram doctrinam, indigni, quibus nuda veritas exponeretur. Id *Christus* ipse nobis significat. Cum enim *Matt 13.10.* interrogaretur, cur in parabolis loqueretur ad populum, respondet: *quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autẽ non est datum, quia videntes nõ vident & audientes non audiunt*, &c. *Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt.* Ita *Mar. 4. 11.* discrimen fit inter domesticos, & eos, qui sunt foris, quibus sine parabola non loquebatur, seorsim autem discipulis suis aperiebat omnia, vt est *v. 34.* Neq; tamen omne eius dictum fuit parabolicum, debebatq; id docendi genus durare tantum aliquo vsq;. Itaq; *Ioh. 16. 23. Christus* dicit, *in illo die non me interrogabitis quicquã.* Ratio est *v. 25* quia ante locutus erat in parabolis, quarum interpretatio erat exigenda: at tempore prædestinato palam de patre annunciabat, & præterea etiam *Spiritum Sanctum* Doctorem mittebat. Itaq; tempore Euangelij cessare debuerunt parabolæ, & mysterium æternis seculis tacitum vbi vis gentium reuelari, vt non opus esset expositore ænigmatum. *1. Ioh. 2. 27. Salomon* quoq; in prouerbiis comparationibus vsus est, sed non solis omnino parabolica doctrina irrisorum, & insipientũ gratia inuenta est: aperta vero traditur filiis doctrinæ, qui sitiunt sapientiã. Non autem hinc est consequẽs talis concordantia & harmonia omniũ inter se, vt ꝙ aliquid est simile, aut saltem simile videtur sit pro codẽ. In aliquib. est conuenientia: at non in omnib. Neq; etiam verũ est, in cœlo stellato sic fieri & præludi omnia, vt aguntur in repub. humana. Sed de his nimis multa. Si cõcordantia illa parabolica locum habere debet, certiorib. fundamentis est roboranda, q̃ quę apud *Paracelsum* inueniuntur.

Matt. 13. 34. 35. ex Psal. 49. v. 5 & Psal. 78. v. 2.

Notandum autem, quod parabolarum, & concordantiæ illius abusus, & imitatio praua apud gentiles peperit maleficam Magiam, & Idoiomaniam, de qua loquitur *Paulus Rom. 1. v. 23. Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum serpentum*, &c. Ita *Sap. 13. 1. 2. & seq. Deus* sane ideo noluit sub aliqua figura apparere *Deut. 4. 12. & seq. Aaron* ista concordantia in Idolomaniam inductus est, cum putaret *Deum* Api boui, comparabilem esse, idq; proculdubio etiam respexit *Ieroboam 3. Reg. 12. 28* aureis vitulis pro *Deo* propositis, qua in sententia fuisse Ethnicos, liquidissimum est: Assint ergo socij isti cum sua concordantia, & facile reducent Magiam impuram, & Idololatriam. *Quæ enim vis est signati, eadem est signi, & relata sunt reciproca:* ex quo fundamento adorantur imagines, & Magia characteristica extruitur. Hinc *Crollius: Viuit Deus: viuit & nomen Dei, & character nominis*, quasi inde sequatur; quæ per *Deum* effici possunt, ea & per nomen *Dei* pronunciatum, aut scriptum, perque characterem nominis. Inde est & corradiatio, vt ita loquar, seu collustratio in eadem sphæra, sicut enim radij solares in speculo, aut vase

Concordantia Paracelsica abusus quid pariat.

concauo excepti diriguntur in aliquod inflammatile, quod inde comburitur: ita & ſi radij mentis & intentionis noſtræ in diſcum alicuius aſtri infigantur, indeq; reflectantur in hominem certum, cui bene vel male facere volumus. Idem fieri creditur per ſpecula conſtellata, ſigilla, imagines, gemmahæas, homunculos. Hinc armatura Martia *Burggrafij*. Si enim quis ingentem vim inimicitiæ, & Martij ardoris concipiat, & à ſui cordis centro mittat in ſydus *Martis*, magnetiſmo coniunguntur, & per reciprocam reflexionem vis redit in propoſitum metallum Martium in hora *Martis* valentis cudendum, quod item cum ſtella *Martis* concordat: & adiuuatur reflexio imaginatione noſtra fideque valida, imo & verbis, & habitu & characteribus. Ecce tibi, inde fiet armatura, quæ vniuerſos exercitus ſolo conſpectu in fugam poſſit vertere. Ex eodem fundamento Magi ſibi arrogant ſcientiam omnium præteritorum, præſentium, futurorum per omnia loca. Qui enim in concordantiæ ambitu eſt, & per illum ſpatiatur, is centrum vndiquaque ſub conſpectu habet, & vertere ſe poteſt in omnia. Hi ſunt fructus harmoniæ iſtius. Speramus autem à ſocietate ſaniora. Quæ enim *Paracelſus, Hermes, Crollius*, & alij inde commenti ſunt, nihil habent ſani; præſertim illa, quæ *Hermes* habet de mundo imagine Dei ſenſibili, & homine imagine mundi, porroq; & *Dei*, vnde triplex *Deus* ex ſimilitudine harmonica, illaq; ἀποθέωσις gentilitia, & vnio cum *Deo* Crolliana. *Omnium mirabilium admirationem vincit*, inquit *Hermes capit. 13. Aſclepij, quod homo diuinam naturam inuenire potuit, eamque efficere.* Qua arte? De natura mundi ſumpſerunt virtutem conuenientem (Harmoniam, concordantem) eamque arti inuentæ adiunxerunt (quæ alia adiunctio illa, quam per magnetiſmos, imaginationes Magicas, & alia ex concordantia *Paracelſi*?) & miſcuerunt (nempe conſtellationibus certis, vt in Achillæa armatura, & quomodo vires aſtrorum mundi, *Dei* iſtius ſenſibilis, in gemmas, Gamahæas, ſtatuas, characteres, ſigilla, &c. putant ſe trahere poſſe noſtri Paracelſiſtæ) Animas autem facere non potuerunt. (voluerunt ſtatuas ſuas etiam animatas eſſe, & loqui, aliaque edere poſſe: ſed noſtri Magi id non petunt, niſi quod Pontificij ſuas ſtatuas aliquando mirifice vertunt, auertunt, loquaces & ambulatorias more tripodum apud gentiles fingant. Satis eſt conſtellata illa habere vim ſpiritalem, quam Magus ſua intentione dirigat, quo vult ad lædendum vel iuuandum) Ergo euocarunt animas dæmonum vel angelorum, eaſque ſanctis imaginibus indiderunt. (Quid ni? Iuxta *Paracelſi* harmoniam ſimile influit in ſimile: natura natura lætatur: genij gaudent adeſſe ſuis familiaribus) & myſteriis per quas ſolas idola benefaciendi & malefaciendi vires habere potuiſſent, &c. Iſti ſunt aſcendentes *Paracelſi*.

Ad X. *Eadem fides & harmonia dicitur impreſſa fuiſſe omnibus ſeculis.* Excipe prima tempora ante lapſum. Neque enim probare potes, quod *Adamus* in cognoſcendis animalibus vſus ſit iſta harmonia: & ſi etiam vſus ſit, indeque nomina & characteres ſumſerit, abſque labe tamen id totum eſt factum. Concordantiam autem Magicam, qua homo ad *Dei* ſcientiam aſpirauit, inuenit ipſe ſerpens antiquus, qui tum pro ſe voluit ſimilis eſſe filio *Dei* naturali (fortaſſis inde, quia & angeli aliquando filij *Dei* dicuntur, & homines) tum id perſuaſit protoplaſtis *Geneſ. 3. 5. aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Deus, ſcientes bonum, & malum.* Ecce inuentum concordantiæ primum, quo etiam perſuaſi nonnulli principes, quod ſe *Deos* dici ob officium, & beneficium diuinum audirent, ſe in numerum *Deorum* referri voluerunt. Proculdubio autem in Cainitico cœtu malus genius illam fidem Magicam ante diluuium fundauit, ſicut poſt in *Hami* & *Chuſi* poſteritate, quam poſtea ampliauit Zoroaſtres, & tota colluuies Magorum apud Chaldæos. Parabolica doctrina proculdubio in gente *Dei* exorta eſt, vt arcerentur illuſores Cainitæ: ſed diabolus cacozelia quadam in ſuo cœtu ſimilem ſtatuit, & in abuſum Magicum traxit etiam parabolas *Patrum Sanctorum*. Ita harmonia omnibus ſeculis impreſſa eſt, nec nos eius vſum ſanum repudiamus.

Quia vero Paracelſiſtæ fiducia eius quamlibet Magiam etiam Pythonicam, vt apertum eſt ex *Paracelſi* aſſertionibus, item Magorum poſitionibus & effectis, quanquam colore aliquo adulterino, & prætextu ſe à Magis maleficis ſeiungere conetur fruſtra, & diuinis adiungere aut naturaliter operantibus, ſaluare quærunt, & aſtrorum genios, vireſq; rebus à ſe formatis includere, & admirabilia perpetranda dirigere, quod totum eſt contra librũ ſcripturæ & naturæ; ideo caute eſt tractanda, & non plus ei tribuendum quam affectio declaratoria ex ſimilium comparatione patitur. Non ſicut corporeus ignis ceream imagunculam liquat, & tabeſcere facit: ita ignis magicus hominis conſtellati, qui magnete ſuo aſtrali ſpiritum aſtralem attraxerit, alium hominem, in quem vis imaginando dirigitur, labefacit, aut pecudes, arboreſque exurit, quale quid legitur apud *Ouidium* de fatali ſtipite *Meleagri*. Malij genij iſta ſunt, *Deo* iuſtis de cauſis conniuente, opera, non harmoniæ naturalis. Siue bonum vſum, ſiue abuſum diabolicum intelligas ab initio lapſus concedimus iſtam harmoniam; & ſi placet huc refer etiam *Dei* conſilium de homine ad imaginem ſuam formando, licet non ad Magicam imaginẽ *Paracelſi*. Harmonica Philoſophia, & typica Theologia in ſacerdotio Leuitico diu floruerunt: & in noui Teſtamenti initio parabolicæ conciones *Chriſti* ad populum nondum perſuaſionibus Phariſaicis, & opinione de legis operibus, Item de *Meſsia* falſis ſententiis exutum crebræ fuerunt: ſed primum diſcernendum eſt inter hæc & Magica Paracelſiſtarum. Nihil enim omnino, niſi apud dementes ariolos, diuinos, incantatores, & ſuperſtitioſam plebem tale inuenimus, quale eſt in vere ſapientum commentariis hieroglyphicis, ſymbolicisque Chymicorum, vt apud *Pierium, Horapollinem* ſimileſque, item in Philoſophorum turba & aliis de arte magni magiſterij eſt legere. Deinde ſemper eſſentialis expoſitio vel interiecta eſt vel in ſcholis manifeſtata diſcipulis initiatis. Si tota Biblia percurras, vetus Teſtamentum typis, vmbris, imaginibuſq; frequens eſſe animaduertas. In nouo quoque multæ ſunt parabolæ. Sed quam ſæpe additæ ſunt etiam declarationes Euangelicæ, & in nouo Teſtamento tandem omnes typi ceſſarunt, exceptis Propheticis

quibuſdam

quibuſdam in Apocalypſi. Quæ Ægyptij in myſteriis habuerunt, & à populo remouerunt, ea *Hermes* & alij plana doctrina propoſuerunt, nec ſic inuidi fuerunt, vt non communicauerint cum *Herodoto, Platone*, & aliis Græcis. Metamorphoſis *Ouidij* tota eſt parabolica, declarans hiſtorias, naturam, artificia. Sed quis neget, eandem etiam declaratam fuiſſe eſſentialiter, ſicut *Æſopus* ſuos Apologos per moralia explicauit? Hoc itaque etiam addendum eſt, *vt Harmonia illa impreſſa fuit omnibus ſeculis, ita & nuda veritas, tandemque omnia in apertum prodire debent, iuxta Euangelij tempora, & Chriſti vaticinia.* Nos non viuimus in harmonico ſeculo, ſed in eſſentiali reuelationum, cumque facile fieri poſſit, vt imprudentes, & ſimplices ſeducantur concordantiis, niſi recte explicentur, ſatius eſt ſine parabolicis dicere, quid res ſit, quam per ſimilitudines ambidextras, ſpurias, ambiguas, vt diuinandum ſit, quæ ſit ratio congruentiæ, aut ſi ipſe dixeris, tamen fidem non inuenias, quia non ſcientia, ſed opinione, & perplexa accommodatione dixeris: vt: quo modo fit coctio & nutritio in homine? Reſpondet *Seuerinus*, non per canales diſtributis humoribus, ſed ſpiritibus inuiſibilibus inuiſibiliter per meatus arcanos penetrantibus, qui corporaſcunt in partibus, & in ſubſtantiam earum cedunt. Qua fide? Harmonica. Sicut enim magni mundi ſpiritus, & ſpiritualia ſemina ſine canalibus per elementa feruntur, omniaque conſtituunt & nutriunt ex incorporeis corporea facta: ita eſt in minore mundo. Rideo hanc rationem. Cur? Quia argumentum concordantiæ fallit, ſumiturque diſcordans pro concordante, & fictum principium pro vero. Quanto rectius Peripatetici inueſtigant cauſas primas, & immotas, indeque extruunt definitiones eſſentiales, cauſales, aliaſq; neceſſarias, item proprietates demonſtrant, & concluſiones neceſſaria conſequentia texunt? Quanto ſecurius Theologi principia eſſentialia, ipſumque *Dei* verbum, & non fallaces concordantias ſupponunt? *Nulla eſt neceſſaria conſequentia & concluſio ex ſimilibus per ſe*: Si aliquid inde colligitur firmiter, id fit nō ratione ſimilitudinis, ſed vi aliarum cauſarum: Exempli gratia: *Chriſtus* dicit aduentum ſuum parem eſſe irruptioni nocturnæ furis, aut celeritate ſimilem fulguri. Argumenta ſunt declaratoria pro ſimplicibus & infirmis, qui manu ducuntur, & lacte ſpirituali ſunt nutriendi. *Paracelſus* argumentum fulguris torſit ad fulmen, & tonitruum ſeu ictum fragoris quo & tubam angelicam declarauit, q. *Chriſtus* ita proſtraturus ſit omnia mundana, ſicut fulmen, & tuba ſit inſtar tonitrui. At ille celeritatem volebat deſignare, & improuiſam inuaſionem, cuius cauſæ non pendent à cauſis fulminis, nec ſunt eædem, ſed effecti modus ſaltem extrinſeco argumento declaratur. Eſſentia effecti & cauſæ longe ſunt alia. Hinc ſcientia eſt, non inde.

Matth. 10. 26. 27. *Mar.* 4. 22. *Luc.* 8. 17.

Coctio & nutritio Seuerini ex concordantia.

Peripatetica ſciendi ratio.

Ad XI. *Magna mundi omnia eſſe in eodem tono & melodia*, audax eſt effatum in ſtatu ſeculi peccatis polluti. De integro mundo ante peccatum, & cœleſti Hieruſalem in mundo Electorum verum eſt, quod dicitur. Nihil enim inordinatum, & diſſonans fecit *Deus*, nec quicquā erit anharmonicum, vbi ipſe omnia in omnibus. At in hoc mundo, qui eſt vanitati ſubiectus, & totus in malo, qui id affirmes? *Ipſe homo & paruus mundus ſecummet ipſo pugnat, & diſſonat, nec patitur ſe regi ſpiritu Dei Ge. 6.3. Rom. 7.14. & ſeq. Ergo nec magnus mundus ſecum concordat.* Ratio eſt: quia eſt harmonia magni & parui mundi. Deinde experiētia teſtatur in magno mundo multa eſſe inordinata. Hæc qui ſint ſub vna melodia? Inſpice religiones. Sunt ne ſub eodem tono? Conſidera Reſpub. Deſpoticā, Tyrannicam, regiam, ſeu monarchiam, oligarchicam, &c. Suntne eiuſdem toni? Sanitas concentus quidam eſt & mediocritas, at in mundo eſt regnum morborū adeo diſſonans & variū, vt etiam & ipſi Paracelſici ſubinde nouos, inauditos, & inexplicabiles ex aſtris & aliis cauſis diuinent. Membra mundi qualitercunq; cohærent, at ruinæ non parua dant indicia tumultibus cœli, terræ, aeris, aquarum, igniū. *Totali ratione aliquis conſenſus eſt*: ſed partialibus commotionibus quantum diſſideant, apertū eſt inundationibus marium, aereis pugnis, imbribus, terræ motibus, &c. vnde *Seneca* non male: *Si id, quod ſtabiliſſimum eſt, infidum eſt, quid expectandum de inſtabilibus*? Vnde vero ille polluti mundi conſenſus genericus? Certe à *Dei* prouidentia, & valentiore, quam natura eſt, cauſa. Alioquin pridem terras obruiſſent maria, *Iob. 38. 8. & ſeq.* & niſi *Dei* pactum cum hominibus obſtaret, experieris melodiam, qualis erit, cum ſoluetur vinculum naturæ. Huc pertinet diſcors concordia elementorum, & aliarum mundi rerum. Igni & aquæ tanta eſt concordia, quanta terræ & aeri: Lupis & agnis, tanta, quanta homini & ſerpenti. Sunt ſympathiæ, ſunt & antipathiæ, amicitiæ, inimicitiæ, paces, bella, &c. Et tamen mundus totus harmonico quodam concentu cohæret, & membra membris decenter iuncta totum continent. *Deus omnia diſpoſuit pondere, menſura, & numero Omnium rationem ſcit ſapientia Dei, Sap. 11. v. 21. & c. 9. 11.* Si hanc ſapientiam *Paracelſus* habuiſſet eſſentialiter de rebus, & non per comparationes externas diſſeruiſſet, nec tantum concordantiam totius, ſed & diſcordiam partium ſpectaſſet. De linguis & verbis iudicium eſt diſtinctum. Si mentis lingua & verbum Noematicum accipis, omnes eadem vtuntur lingua: Sin προφορικόν: ridiculum eſt omnibus tribuere eundem tonum. ναὶ Græci affirmatiuum habent: Latini ſæpe negatiuum, vt *ne facias*: Miſnenſes *Ne* dicunt pro *Non*. Sed tranſeant iſta. De operibus quid ſentiendum? Suntne filiorum *Dei*, & Belial opera in eodem tono? Cur tam ſæpe mentiuntur Calendographi, ſi omnia ſunt in eodem tono? Cur tam ſæpe mutantur tempora anni? Quandiu, quæſo, opera microcoſmi ſunt melodica, & harmoniæ eiuſdem? Ebrius, ſobrius, valens, ægrotus, vir, fœmina, &c. num eiuſdem toni? Vbi eſt illa obedientia beſtiarum paradiſi erga hominem? In veſtris cellulis, & monaſterio ſpeculamini iucunde. Sed cum progredimini in mundum, videtis veſtras ſpeculationes nullam fere Muſicam inuenire, niſi in male ſanorum Paracelſiſtarum cerebris. Minutus veſter mundus, globus Archimedæus, Drebelianus, &c. eandem habeant melodiam, & tonum eundem: Sed Muſica noſtra ab antiquo habuit ſeptem tonos, & noſtro æuo quatuordecim. Quoties autem confunditur harmonia, & cantor aberrat? Ridebit vos *Plato*, cum hoc audiet. Nam Leo microcoſmicus raro paret homini, multo minus varium animal. *Fertur equis*

auriga,

auriga, neq; audit currus habenas, &c. Eſt aliud naturale, aliud voluntarium: aliud neceſſariũ, aliud contingens: aliud liberi arbitrij, aliud coacti & ſerui. Fingite vobis mundum: nos in ſeculo talem non inuenimus. Sed fortaſſis aliud ſentitis, aliud loquimini, & melodiã illam veſtram ipſi corrumpitis. Ita argumentamur: *Si magni mundi religio & opera ſunt eiusdem melodiæ & toni, tenduntque ad idem centrum, perinde erit, ſiue Deum colam Ethnico more, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue Iudaico, ſiue Mahometano, in vel ſine imaginibus.* Ratio eſt, quia Philoſophi gentiles, & Idololatræ in Papatu negant, ſe aliud quid intendere & colere pro numine, quam quod Iudæi & reformati, licet obiectum aliquod habeant ſenſibile, in quod cogitationes figant, alij non habeant. Imo dicent ſuam religionem eſſe meliorem. Nam ſine imagine intus foriſue propoſita negant ſciri poſſe, quid colatur; & illam imaginem magnetice affectam eſſe ad typum iuxta harmoniam *Paracelſi*. *Qui ſine fictione & typo colit Deum, is neſcit, quid colat, ſed orat in indefinitum, & interminatum, quaſi ſentiret Deum aut nihil eſſe, aut ſi ſit aliquid, indefinitum quid ſit.* Quod ſi etiam hi recte colunt, conſequens eſt, omnes religiones vno nodo cohærere; & hoc fortaſſe didicit ab Arabibus veſter pater, qui ea ſunt opinione, nihil intereſſe, quo cultu vtaris, & ſic omnes, qui in templo Solymitano ſacris inuigilant, licet diuerſiſſimarum religionum; tamen in vno *Chriſto* conuenire.

Hanc ſententiam nuper legimus in Caluiniſtico libello, eamque etiam Argentoratenſis ludimoderator dicitur fouiſſe, *Nullum in Chriſtum baptiſatum, & ſeruantem caput, & fundamentum, damnandum eſſe, ſiue ſit Pontificius, ſiue Caluinianus, ſiue Lutheranus, aut etiam prædeſtinatianus, Eutychianus, Neſtorianus*, &c. Fundamentum autem *Petri* & *Pauli* verbis enunciant, quorum ille *Act.* 4. 13. nomen *Ieſu* proponit, hic 1. *Cor.* 3. 11. *Ieſum Chriſtum.* Super hoc quicquid ſuperſtruitur, varium eſt, & non lædit ſalutem, quanquam crucis purgatorium ſtructiones alienas conſumat. Dicite, quæſo, an non hæc ſiue gentilicia, ſiue hæretica perſuaſio etiam vobis eſt, cuius merito poteſtis eſſe Turcæ, Arabes, Iudæi, Chriſtiani, & quid non, ſi modo vnicum *Deum* conditorem mundi reſpiciatis? In hoc eſſentia eſt harmoniæ: cætera ſunt ſtipulæ. Nolite ſic fratres: Nolite. Nam illi inſidioſi Caluiniſtæ, & Philoſophi gentiles cum Papiſtis & Hæreticis, non recte exponunt fundamentum. Noſtis definitionem debere concordare cum definito, & contra. Qui definitionem integram non habet, is nec definitum. *Chriſtus non eſt diuiſus. Definitio* vero *Chriſti continetur fundamento Prophetarum, & Apoſtolorum.* Ab hoc nihil eſſentiale eſt demendum. Tota doctrina eſt ſeruanda cum omnibus, quæ mandauit Chriſtus. *Non omnis, qui clamat Domine, Domine, &c. Matth, 7. 21. intrabit regnum cœlorum.* Meretrices, & publicani pœnitentes hypocritas antecedent, & fideles Chriſtiani infideles. Si itaque harmoniæ veſtræ hoc eſt fundamentum, non eſtis angeli lucis, ſed ſpiritus tenebrarum, & ſeductores, maleque fatuus ille *Haſelmeierus* vos puros IESVITAS appellauit. Fuerunt autem etiam ante vos ſeductores, qui dixerunt, *quemlibet quauis religione ſaluari poſſe.* Hoc principium didicerunt ab eodem ſpiritu, à quo & Arabes & pater veſter, niſi aliud quid ſentiatis, quam verba ſonant. Interrogandi eſtis, quæ ſit religio magni mundi, lingua, verba, &c. extra paruũ?

Ad XII. *A diabolo eſſe, quod contrarium harmoniæ veſtræ eſſe iudicatis* magna eget declaratione. Nouimus illa *Matth.* 5. 37 *Sit veſter ſermo Eſt, Eſt, Non, Non, Quod abundantius eſt, à malo eſt.* Item *cap.* 6. 24. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Et 2. *Cor.* 1. 17. *Sit apud me Eſt, Eſt, Non, Non. Apoc.* 3. 15. *neque calidus es neque frigidus. Matth.* 16. 6. *Cauete vobis à fermento Phariſæorum, & Saducæorum*, hoc eſt doctrina, & hypocriſi *Luc.* 12. 1. 2. *Cor.* 11. 13. de Pſeudoapoſtolis, & veris, &c. Debetis itaque primum veſtram harmoniam ſic explicare, vt pateat, eam lucem eſſe, aut lumen ex luce *Chriſto*, non autem tenebras, tunc videbimus, num quod ei contrarium eſt, ſit à Diabolo. *Haſelmeierus* ſtulte optat, vt qui non aſſentiuntur Paracelſiæ veſtræ, quam putat æternam eſſe Philoſophiam, experiantur fatũ Datan, & Abirom, aut falſorum iudicum Suſannæ, quaſi iam conſtaret, ſcripta fraternitatis de Roſea Cruce eſſe αὐτόπιστα, αὐθέντικα, diuina. Sed ille miſer ſuo deceptus eſt delirio. Nos probare oportet ſpiritus. Vt probemus, prodite veſtras doctrinas axiomaticas, quas oportet longe differre à *Paracelſi*, *Seuerini*, *Crollij* & ſimilium monſtris, ſi contrarium à diabolo eſſe dicendum eſt.

Ad XIII. *Bonum ſui ſimile ſemper, & vniforme eſſe, malum varium*, concederemus, ſi ſciretis, quid eſſet bonum, aut malum. Non id veſtro iudicio eſt definiendum: neque enim menſura rerum eſtis: ſed aliquo αὐτοπίστῳ principio. *Bonum eſt à patre luminum, cuius bonitatis radios communicatos habet: Primum enim bonum nihil eſt niſi Deus.* Hic optima condit, & omnia bene fecit, nec quicquam operum eius eſt culpabile. Verum quod bonum per ſe eſt, ex accidente poteſt fieri malum, vt tota creatura mundana propter peccatum hominis. Eſt abſolute bonum, eſt relate. Ita & malum. Fit, vt glaucomate oculi mentis laborent, & bonum dicant, quod eſt ſua natura malum vt corpoream voluptatẽ *Sardanapalus*, & *Epicurus*. Bonum poteſt bono ſimile eſſe, ſed non ſic apparere. Multis circumſtantiis res bonæ quoque variant, & efficitur, vt quod hodie bonum eſt, cras ſit malum; vt in bonis contingentibus & fortunæ, corporiſque, quanquam & animi bona, excepta pietate, nutent. *Variari* accidere poteſt etiã bono. Hæc in genere eſtis monendi, ne putetis veſtra axiomata eſſe ab errore & cõtingentia immunia. Si ad ſingulare iudicium deſcendimus, quid tunc fiet? Sicut in magno mundo bonum eſt ſitientibus aruis pluere, ita & in paruo catarrhis perfundi. Num hoc eſt ſimplex? Si bonum eſt *ſemper* ſui ſimile, ſemperq; bonum, num & dormire *ſemper*? Bonum eſt edere: ſi ſemper, etiã cum non eſuris. Aliquibus melius eſt ieiunare, quam edere. Inopes mentis eſtis; ſi axiomata talia habetis. *eſt bonum neceſſarium & per ſe*: quod tamen aliquo accidente poteſt affici: Eſt contingens: Illud ſi nihil impedit, ſemper bonum eſt, vt & primum & abſolute bonum: Hæc variat multis circumſtantiis, nec ea varietate tranſit in malum. Eſt & malum quoddam perpetuum; quoddam contingens. *Eſt tam bonum, quam malum comparabile; & gradibus ſubiectum*: vt ſtellæ. 1. *Cor.* 15. 40.

NOTA XI.

Plura de professione Societatis à R. C.

PRimum profitentur fratres, se absoluisse secretam Philosophiam.

2. Veterum Philosophiam imperfectionis arguunt, quia ei plus, quam dimidium mundi fuerit incognitum; nouæ herbæ, noua animalia (adde & morbos & alia multa) sint inuenta, quæ non possint sub veterum doctrinam cogi.

3. Fratres se in omnes terras diuiserunt, vt sua axiomata examinarentur, & nouæ obseruationes cogerentur.

4. Policentur profunda mysteria.

5. Totum naturam sibi patere dicunt.

6. Quomodo artes sint corrigendæ, volunt docere.

7. Proponere indicia certa de futuris seculis.

8. Præteritis futura per quæ sint concilianda, & in harmoniam coaptanda.

9. Monstrare volunt, quomodo defectus Ecclesiæ supplendi.

10. Qui tota Ethica corrigenda.

11. NOVA axiomata promittunt ad quæstiones omnes soluendas.

12. Qualia axiomata? Ex omnibus artibus, scientiis, facultatibus & natura tota, infallibilia, certa, quæ in globo cum vnico centro concordent.

13. Rotam fabricarunt, quæ incipit à primo FIAT, & desinit in vltimo PEREAT.

14. Certi sunt, sua axiomata mansura vsque vltimum diem, de quibus tamen mundus etiam in summa senecta nihil sit visurus, quanquam & hoc dicant, se posterorum informandorum causa axiomaticam doctrinam acceptam in literas relaturos, & confecisse librum axiomatum præcipuorum, quamuis ea neque Hispani, neque alia natio voluerit recipere. Hic quoque abrumpamus filum, & nos ad examen accingamus.

De I. An aliquis in hac vita homo possit absoluere Philosophiam, non illam Scholasticam, quæ cyclopædia dicitur, sed simpliciter Philosophiam, eamque arcanam, magna quæstio est. Tribuitur ea vox aliquando magisterio lapidis sapientum, ad cuius exemplum iudicant etiam de aliis, quasi si Chymicus cognitum habeat perfectum magisterium lapidis, sciat & cætera. Verum hæc ex comparatione cum aliis scientia imperfecta & manca est, nec potest dici naturam intus omnium eodem se habere modo. Si quid fidei est sacris literis (debet autem summa esse, cum *Dei* sapientiam contineant) nec sacram Philosophiam in hac vita absoluere possumus *1. Cor. 13. 9. 12.* nec naturalem *Iob. 26. 14. & cap. 38. & seq. Sap. 9. 9. 13. 14. 15. 17. Syrac. 42 17. Ne sanctis quidem datum est omnia mirabilia Dei enarrare: Solus Deus scrutatur abyssum maris, & terræ profunditatem, &c.* Quæ ergo est illa absolutio secretæ Philosophiæ? Hypothetica ex instituto præsente, & particulare, sicut qui orationem, quam instituerat, ad finem perduxit, dicitur eam absoluisse; aut vt ex concordantia *Paracelsi* respondeatur, sicut vota circum acta ad principium per media redit, vnde incepit moueri, & sicut Scholastici absoluunt cursum Grammaticum, & Mechanicus faber domum perficit. Nam Mechanicus spiritus etiam in fratrum officina est, ibique tornat globos, rotas, domos, aliaque instituit, & vt figulus absoluit vrceum, cum amphoram inceptasset. *Opus cuiusque dies probat.* Non satis est dicere *absoluisse*. In lucem prodeundum est, & quod dicitur, comprobandum.

De II. Philosophiam veterum esse imperfectam, facile donamus. Sed videndum & de hoc est, quæ & qualis sit. Non nouam Philosophiam suam esse, sed *Adami, Mosis, Salomonis*, supra asseruerat fraternitas. Necesse autem est *Adami* Philosophiam respectu nostri seculi veterem esse. Si vtraque est eadem, vna absoluta, etiam altera absoluta erit. Itaque non simpliciter dicendum est de Philosophia *veterum*, sed determinatio addenda. Quin & sit Adamica post lapsum. Quo argumento absolutio eius probabitur? Nullo. Incepisse Philosophari, & artes inuenire *Adamum* dare possumus. Coegit enim partim necessitas, partim insitus sciendi amor, & appetitus ille, qui in natura corrupta proculdubio ad illud serpentis inclinauit: *Eritis vt Deus; scientes bonum, & malum.* At quis nos de absolutione certos reddet? Si illa fuit secundum quid, etiam fraternitatis erit, atque ita etiam quodammodo imperfecta. Relatam perfectionem tribuamus *Salomoni.* Qua ratione persuadebit societas, se Salomoniam saltem assecutam esse? Pater ordinis principium quoddam in schola Arabum accepit, & rudimentum. Id excoluit propriis speculationibus. Quis credat inclusum monachum perfecisse Philosophiam, & simul veterem redarguisse? An palma mundus est? Veterem Philosophiam possumus dicere etiam Arabicam, quali se iactabant *Iobi* amici *ca. & v. 12. In antiquis est sapientia:* Imo inquit *Iob, apud Deum est sapientia. Ipse nouit hominum vanitatem cap. 11. v. 11. Vanitas vanitatum* dicebat *Salomon* ille omniscius inter homines. *Ergo vos estis homines, & vobiscum morietur sapientia Iob. 12. v. 2.* Dixi, *dies loquantur & annorum multitudo doceat sapientiam, sed spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium. Iob. 32. 7. 8. 9.* Inquit inflatus ille *Eliu, Dauid* senibus sapientior factus est *Dei* verbo *Psalm. 119. 46. 98. 99. 100.* Ille omnes homines mendaces pronunciauit *Psalm. 115. 11.* vt & *Paulus Roman. 4.* Verum itaque est Arabicam sapientiam veterem imperfectam esse. Sed neque de Chaldaica, & Ægyptia dubitandum est. Iudæorum sapientia hactenus est perfecta, quatenus permanet in eloquiis *Domini. Deuter. 4. 5. Scitis, quod vos docuerim, &c. En populus sapiens, & intelligens, & gens magna. Nec est alia ratio, &c. Dei* dono etiam *Salomon* habuit, quod habuit; Verum non totum, quod ad perfectioné requiritur. Sapientia Græcorum, & Latinorum & omnino omnium extra Ecclesiam stultitia vocatur à *Paulo 1. Cor. 3. 19. & Ro. 1. 22.* φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Ideo & *Col. 2. 8.* Philosophia gétilis, & Sophistica cauenda.

Assentimur

Assentimur ergo fraternitati libenter, *quod Aristotelis, Platonis, Hippocratis, Galeni, Plinij, Senecæ, Ciceronis, Catonis*, & omnino etiam septem Græciæ, & Sibyllarum sapientia sit imperfecta, si per se consideretur. Veruntamen speramus duo nobis dari posse; primum Gratam *Dei* famam aliquam etiam in illorum scriptis inueniri. Neque enim adeo inuidus erat *Deus*, vt mundo nullum suæ bonitatis radium largiretur. Vnde haberent Paracelsistæ vim medicam, nisi à veteribus didicissent, siue Græci illi fuerint, siue Arabes, siue Latini? Vnde scirent magisterium lapidis, si nullus fuisset *Hermes*, Paracelsistarum *Plato* tanquam *Deus*? Vnde didicissent philosophari de astris, de quatuor elementis, de triplici familia mixtorum? Gloria *Dei* etiam inter Ethnicos emicuit, quanquam satis debiliter, propter mistionem humanorum figmentorum, & falsitatem sacrorum. Nō paruam caliginem bonis illis attulit diuersarum opinionum, & factionum multitudo. Notæ sunt lites Epicuræorum, Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, Pythagaræorum, Pyrrhoniorum, & ceterarum Sectarum. Totus mundus immersus erat tenebris ante exortum luminis diuini. Itaq; & Iudaica Ecclesia suos defectus habuit. Aliquid fuit in veterum Philosophia boni, sed multis malis contaminatum. Postquam vero Philosophia illa in possessionem Christianorum peruenit, multam accepit lucem magna mole tenebrarum expulsa. Neq; tamē hic quoq; est perfecta, vt pateat hoc seculum esse imperfectionis. Ideo adhuc sunt Philosophicæ contentiones, non secus ac Theologicæ. Comparatione instituta eorum Philosophia cōsummatior est, quæ lumine scripturarum illuminatior. Hoc itaq; secundum est, quod dabunt Paracelsistæ haud inuite, cum & ipsi glorientur de vnione luminis naturæ & Gratiæ, modo concordantiam recte explicarent. Si hac Philosophia diuina & humana syncere declarata absolutius quid afferent fratres *Deo* & ipsis magnam gratiam debebimus & debebunt re vera omnes male habentes, quiq; in morbos sunt procliues, si eorum beneficio nunquam ægrotabunt, atq; ita Medicina, Medici, Pharmacopolia, Pharmaceutica Chymia, & quæcunque ad sanandum languentes pertinent, in fabulam fuerint conuersa. Quorsum enim medicina, vbi nullus languor? Quod autem attinet argumentum, quo veteris Philosophiæ imperfectio docetur, nempe nouarum terrarum detectionem, in quibus noua metalla, fructus, animalia: id nō videtur sufficere ad euicendum Thema, nisi dicas, illarum gentium Philosophiam imperfectam, imo nullam fuisse, quia caruit sapientia Asiatica, Africana, & Europæa. Nos ad illas perfectionem afferre potuimus ex Thesaurario *Dei* apud nos: illi nobis nihil contulerūt perfectius. Quicquid in Oriente fuit, Arabum studio sciueramus, exceptis quibusdam, quæ non efferebantur olim. Et tamen etiā hæc non cadunt extra regulas Physicas, & Medicas, sicut nec nostratia cum in Chinam, Iaponiam, Tartariam & alias regiones inferuntur, Et qualis erit concordantia, & harmonia omniū membrorum mundi, si quid sit, quod generalissimorum axiomatum amplexu non contineatur? An nouo aliquo prædicamento, argumento, aut iudicio Logico aucta est Dialectica, visis illis nationibus? An corpora ibi non sunt corpora, nec spiritus spiritus terra, ignis, aqua, aer, ligna, lapides, tonitrua, &c. nō vti apud nos? *Aristoteles* scripsit, nullam auem esse apodem. Id redarguere voluerunt mendacio & dolo Indico. At Batauí demonstrarunt, non errasse *Aristotelem*. Portentosas narrationes ab initio audiebamus de aue igniuora, & aliis plusquam Ctesianis, & Plinianis miraculis. Sed locis diligenter cognitis aurum, argentum, gemmæ, &c. non deprehensa sunt alia, quàm pridem nota: Mulieres & viri ita viuunt, nascuntur, gignunt, naturaliter (de Politicis alia ratio est) vti apud nos: Arbores, herbæ, & aliæ plantæ aut seminia proueniunt aut sponte. Licet specie differunt à nostratibus, vt & nostrates ab illis, tamē axiomatibus genericis naturæ subsunt. Idem est iudicium de animalibus peregrinis. Nullum est sine sensu & motu, Omnia cadunt sub definitionem & proprietatē animalium, si sunt vniuoca. Cornua fortasse apud nos non sic radices agunt, vt Goæ, & agnus Scythicus nonnihil deflectit à cōsuetudine bestiarum cæterarum. Sed adhuc sub iudice lis est, verane ista sint, an fabulosa. Nos etiam ficta putamus non excedere rationes Physicæ nostræ. Proferant fratres aliquid, cuius caussa non possit peti ex principiis Europæis, & fatebimur aliquam vim esse argumenti. De nouis morbis non opus est Indiam & Americam adire. Apud nos quoq; eueniunt, quorum rationem exactā non possumus reddere. Interim cognitum est, Indos eodem malo venerio vexari, quo Hispani, Galli, Germani, & in primis Itali: tolli ijsdem pestibus fame, gladio, bestiis: pati caritates annonæ, squallores, & alicubi etiam frigora: atros, albos, flauos esse etiam in Æthiopicis tractibus. Alicubi aures extendūt, & nasos labiaq; perforant; pingunt corpora, crassum alterū pedem habent, &c. Sed nihil eorum est, quod & nostris non possit accidere, vti nihil nostrorum, quod non & illis, nisi quod è generica dispositione quædam reuocentur ad singularitatem per locorum singularum naturam; vnde vena medena nostris incognitum malum, &c.

Medicina inane nomen erit, si fraternitas curabit, ne quis langueat.

Considerate vero, fratres, hoc à vobis sumtum argumentum. *Si particularium quorundam ignoratio imperfectionis arguit Philosophiam veterem, eodem argumento sequitur vestram, atque adeo etiam nostram longe esse imperfectionem vetere.* Ratio est, quia plurima veteribus nota, nobis sunt ignota; adeo vt post *Galeni* ætatem ne Theriacam quidem possimus sine antiballomenis dispensare. Quis sit ille, qui herbarium *Dioscoridis, Plinij*, & similium possit sine dubio explicare? Multa sunt veterum opera, de quibus præter vocabula nihil scimus. Itaque in veterum disciplina adhuc luctamur. Dicite saltem, quid sit Apnus apud priscos, & quæ illa radix, qua Eleazar sacerdos dæmonia per nares extraxisse scribitur. Animalia vnicornia apud veteres sunt plura. Nos in monocerote, vnoq; asino Indico deficimus. Copiosa est hæc materia. Laborabitis in soluendo hoc argumento, præsertim si adieterimus, ne nobis quidem possibilem esse scrutationem profunditatis, & altitudinis naturæ, & nondum interfuisse astrorum, angelorumq; choris, nec in Ætinam, Heclam, Vesuuium, Syrtes, Charybdem & alia descendisse, vt scire possemus, quænam ibi stabularentur. Itaq; etiam mirum, vnde didicerit *Paracelsus*, esse genios singulares in omnibus elementis, & insuper etiam Flagas. Fors scripsit hoc illi

Galenus

Galenus, ex inferno, vti gloriatur, aut cognouit ex disputatione cum *Auicenna* in orci vestibulo. Nisi me fallit opinio, vos neque in cœlum conscendetis, neque descendetis in infernum perficiendi Philosophiam vestram causa.

De III. Fratrum in omnes terras sapientiæ causa emissorum studium est laudabile. Sed si hoc modo putatis vos posse complere Philosophiam vestram, quanto magis compleuerunt suam veteres? Vniuersus olim mundus patuit eruditis expeditionibus *Herculis*, *Osiridis*, *Alexandri Magni*, *Romanorum*: Item nauigationibus *Salomonis*, *& Carthaginensium*, quibus etiam ad Americam & terram meridionalem creditur peruentum fuisse. Totus Oceanus est circumnauigatus. Hodie non multis licet, Turcæ imperium peragrare, sique id velit facere, herbarum aut aliorũ inquirendorum causam, periculum subierit, quale *Rhauwolfius*. Olim apud Gymnosophistas in India, Chaldæorum Magos, Ægypti Sacerdotes, Ebræorum Datores copia erat sapientiæ. Ad eos Græci magno studio confluebant. Hodie in illis locis mera est barbaries. Abundabant Athenæ totius mundi Philosophia, nec nescij erant quidam mysteriorum Ebræorum, & Ægyptiorum: sed negligebant superstitione suorum; vnde *Socratem* periclitatum constat, nec ausus est *Plato*, & *Pythagoras* domi profiteri, quæ foris hauserant. Si peregrinatio perficit Philosophiam, veterum fuit perfecta, vbi etiam erant liberalissimi *Alexandri*, qui poterant *Aristoteles* suos, *Arianos* & alios munificentissime adiuuare. Ita in Nilo explorando reges Ægypti nullis sumtibus pepercerunt. Si nostros consulas, qui non societatem vestram ornant, sed Philosophiam nostram, quis vestrum est, qui possit se æquare *Columbo*, *Magellano*, *Draconi*, & aliis, qui totum mundum circumierunt velis, & innumerabilia littora, insulasque viderunt, & ad nos retulerunt descriptas tabulas? Quis Batauorum studia versus boream, *Zephyrum*, *Austrum*, & *Eurum* vicerit? Quam aucta sunt nostra botanica, Zoographica, mineralia, illorum per terras & maria itineribus? Non est, vt vobis proponam *Linschottum*, *Dasylycum*, *Casalpinum*, *Paludanum*, *&c.* habetis tota Emporia in *Lusitania*, *& Hollandia* peregrinis rebus plena. Nec Ghesuitæ vobis permittent, at explorantiores sitis ipsis. Date nobis, quæso, tantum Herbarium perfectum. Interim contenti erimus nostris Gesnerianis, Aldrouandinis, Lobelianis, Matthiolanis, Clusianis, & quæ *Monardes*, *Garzias*, *Bellonius* cum aliis descripserunt, quorum magna pars inueniri potest in principum magnorum apothecis. Si aliquid præstantius, & abundantius, perfectiusque comportabitis magna gloria afficiemini, & de mundo melius merebimini, quam *Hercules*. Quod autem dicunt peregrinationes suas, & distributiones sociorum eo fine institui, vt axiomata (à patre accepta & domi recusa auctaque primitus ex Arabum Magorum schola hausta) sua examinentur, & nouis obseruationibus illustrentur; primum mihi videntur illi simplices socij non intelligere axiomaticæ doctrinæ inuentionem, & constructionem. Obseruationes singularium antecedere necesse est vniuersalia. Hæc enim ex illis per inductionem colliguntur, & postea rursus analysi facta declarantur. Fingere in loco solitario aliquid, ꝙ videtur congruum esse vero, idq; postea obseruationibus accõmodare inuersa methodus est, & simul res periculosa. Fere.n. nostras speculationes sic amamus, adeoq; nobis indulgemus, vt obseruationes tamdiu torqueamus, donec opinioni conuenire videantur. Dialectica suppeditat argumenta inuentionis, & instrumenta bene iudicandi præceptiones axiomaticas, & syllogisticas. Res, quib. ea adhibentur, suppeditat historia. Sunt autem vel diuinæ ex sola reuelatione infallibilis principij sapientiæ *Dei*: Hic non opus est quærere, sintne axiomata reuelata vera, & cum obseruationibus humanis conueniant, quia ex se fidem habent: Declarari tñ exemplis possunt, & illustrari collatione, & interpretamentis spiritualibus: vel sunt humanæ, eæq; Politicæ, Oeconomicæ, Physicæ, Medicæ, Iuridicæ & aliarum artium. Leges suas ad examen reuocari, non patientur nationes, & qui Famæ fraternitatis præmisit Senatum sapientum deliberantium de vniuerso seculo reformando, suauiter & lepide irrisit institutum talis reformationis. *Consuetudines & consensum populorum, principumque edicta Monachis mutare non est concessum.* De misera Physica & Medicina agitur. Ad hanc quod attinet, inuento vniuersali medicamento, omnes controuersiæ cessabunt. Tantum hoc probent fratres, sua medicina præseruari homines ab omni ægritudine, aut si ægrotent, vnica sanari: Donabimus illis etiam Chirurgiam, & Diæteticam. Quod si vera sunt ea, quæ tot Chymici magistri ab antiquo prodiderunt de vniuersali, dubium omne erit solutum, & non opus est examinis gratia peruagari mundum. In Physicis ab origine mundi huc vsq; laboratum est. Tot eruditorum scripta & explicationes habemus, vt nostra obseruatio ad illorum sit nulla. Placeat tamen ea, quæ ipsi condiderunt in Geometria, Arithmetica, Musica, Astrologia, & artibus dicendi ad limam reuocare, & examinare. Puto semper bis quatuor fore octo, & binarium ex duabus vnitatibus. Non alius Sol, vel Luna erit inueniendus, quam apud priscos: non alia quadrata, Triangulos, circulos, sphæras, &c. Noua instrumẽta, quibus in cœlum sit iter, ad minutias quoque syderum persequendas si inuenerint, bene erit. Vt hæc spectentur, non in Germania tantum, sed & Babylonia, Ægypto, America, terra Meridionali, Septentrionali, &c. peregrinatione opus fuerit. In Physica nescio an amplius quid restet. Scrutati sumus iam à primo Tubalcaino mineralia, & fere ad manes vsq; descendimus: metalla, gemmas, succos, lapides & alia mira copia eruimus: Imo veteres videtur nobis ea in re feliciores fuisse. Quis enim est, qui possit gemmarium eorum explicare? Si socij sunt emittendi, nõ tam vt sua axiomata examinent, emittendi sunt, quam vt indagent ea, quæ veteres sciuerunt, posteri amiserunt. Simile iudiciũ est de plantis, & animalibus, in quibus omnib. quicquid axiomatice cognosci potuit, cognitum est. Vt denuo repetatur notitia, sane fiat exulatio. Simplices mundi partes item pridem sunt axiomatica doctrina comprehensæ. Mistæ per Chymiam & alias artes ad plenum videntur excussæ à patre *Hermete* per *Persiam*, *Babyloniam*, *Ægyptum*, *Germaniam* & alias regiones, vt nihil superfit. An dubitant de *Paracelsi* Harmonia? Si non dubitant, quorsum examina illa laboriosa? Necesse est fratres illos

aliquid plane noui sua speculatione Magica, Cabalistica, Necrolica, Nectromantica, Geomantica, &c. Inuenisse, quod Pyromantia, Chiromantia, anatome & alij volunt confirmare. Sinant ergo ad nos fluere riuulos suos. Habemus scholas, Academias, & Collegia, quorum ingeniis satis examinabuntur axiomata. Et temerarium sit ad Indos per maria, saxa & ignes currere, vbi nulli amplius sunt sapientes Gymnosophistæ, nec necessarium adire Moschos, Turcas, Tartaros, Americanos & insulares, in quibus mera Barbaries. Hispani, Galli, Itali, Germani, Angli sufficient. Dicam ego pro me cum vestra bona pace sententiam. Si adhuc examinatis vestra axiomata, suffragia quæritis apud eos, qui sunt de saliua vestra, & obseruationes venamini, nego vos SCIRE. Ratio: quia *scientia est ex principiis, & immotis, per se veris.* (loquar de Philosophica & vniuoca scientia) At vos emendicatis principia, & petitis & per vniuersum mundum non in scholis sapientum, sed conuenticulis Paracelsistarum, & apud eos, qui sunt similes *Haselmeieri.* Nego iure vos scire, & tamdiu negabo, quamdiu non afferetis principia immota. Si nescitis ea, quæ sunt ante pedes, qui scietis futura? An non Magia malefica prægnantes estis? An non sapitis id, quod *Magus Paracelsus, Tritemius, Agrippa, Artefius, Techellus, Crollius, Simon Magus, Elymas, Pythonissa,* & similia diaboli pecora, ? Ne arbitremur, facite, vt vestra axiomata non sint dæmoniacæ, aut apparentis, sed veræ, & diuinæ, humanæque sapientiæ.

Paracelsus Magus.

De IV. Promissio profundorum mysteriorum admodum est audax. Mysterium quod absconditum fuit à seculis, & generationibus *Deus* manifestauit Sanctis suis. Nihil est profundius. In sacris tamen adhuc aliqua vaticinia nondum sunt expedita, vt quæ de numeris angelicis *Danielis*, de *Gog, Magog*, & Apocalypsi *Iohannis* restant. Multi conati sunt de temporibus futuris prophetare, interque eos etiam est *Paracelsus*: sed perplexitate ambigua. Cothurnos enim vaticinantur. Magi malefici prædicunt ea, quæ sibi suggesta sunt à spiritu nequam, à quo & permittente *Deo* perficiuntur. Vates cœli irridentur apud *Esaiam cap.* 47. 13. Quæ ex historiis & naturalibus caussis viri eruditi, peritique pronunciant, conclusiones sunt ex hypothesibus, & seculorum concordantia. *Deus solus scit abyssos, & renes cordaque scrutatur.* Hic per suos ministros sæpe prænunciat futura, vt & *Christus* fecit cum Apostolis. *Prophetæ scrutati sunt*, inquit *Petrus*, 1. *Pet.* 1. 11. *quod vel quale tempus in eis significaret. Spiritus Christi* prænuncians passiones & glorias. Sancti *Dei* homines locuti sunt inspirati à *Spiritu Sancto* 2. *Pet.* 1. 21. Videte ergo fratres, vt bono spiritu ducamini. In Physicis profundum mysterium est artificium Catholicæ Medicinæ, & transmutationis metallorum. Hoc sitit totus mundus. Placebitis manifestatione. Mysteria aliquando vocamus etiam arcana principum consilia. Sed nullum valet aduersus *Deum* & Sanctos eius. Nil tam abstrusum est, quia in lucem sit producendum. Mirabile est, Arabes Magos potuisse reuelare secreta cœnobij, in quo vixit pater vester. Vix Chaldæos *Nebucadnesaris* id posse opiner. Sed Magi tamen nesciunt cordium cogitationes. *Scotus* dicitur imitatus esse, secreto scriptas Epistolas, & in aurem clam dicta repetiuisse. *Crollius* mysteria Magica pene exhausit. Alij in *Ensoph* per Cabalam & scalam *Iacobi* ascenderunt, & omnem Remp. angelorum descripserunt. *Paracelsus* etiam dæmones recensuit. *Seuerinus* & *Hartmanus* viderunt ea quoque, quæ sunt in orco *Orphei* extra mundum. Pontificij norunt arcana inferni, & purgatorij. Speratum est *Empedoclem* ex Ætna rediturum & relaturum de rebus sociorum. Noui puerum, qui per Ecstasin in montem Veneris raptus, cum reuerteretur, mira diceret, vt Sagæ & alij Euthusiastici. Sed vos fortasse in quartum cœlum rapti estis, vt *Paulus* in tertium, & *Petrus* in locum visionis suæ cum *Ezechielis, Daniele*, & aliis. Reuelationem mysteriorum non promittetis tantum, sed & præstabitis, ni vultis exibilari.

De V. Totam naturam se nudam in magisterio lapidis vidisse scripsit etiam *Sedinuogius*. Erat quidam festiuus, qui diceret: *vsque ad genua. Magna res est opinio, seu persuasio.* Luciferum in cœlum ascendere fecit, vt *Phaethontem*, & *Promotheum*: sed cum eorum damno. *Qui sublimia aggreditur sine vocatione, tanto humilius deprimitur*, vt & diabolo accidit, & Salmoneo cum aliis. Si vultis diuina effata audire, parcius naturæ nuditatem vobis arrogabitis. Num *Deo* respondere potestis in *Iobo*? Nunquid arcanum *Dei* audistis, & deficiet respectu vestrum sapientia? *Iob.* 15. 8. An vos non estis abominabiles, & putridi homines *vers.* 16. Et senes & antiqui sunt in nobis multo vetustiores, quam patres vestri: *vers.* 10. vide *v.* 18. 19. 20. An vos non estis hesterni, nec opus habetis interrogare patres vestros? *Iob.* 8. 8. 9. *Deut.* 32. 7. Et mihi est cor, sicut vobis, nec inferior vestri sum. *Quis enim hæc, quæ nostis, ignorat*, inquiet ex *Iobo* vetustas & sapientum chorus. *Iob.* 12. 3. Legite *Rom.* 11. 33. 34. *Es.* 40. 13. *Sap.* 9 13 1. *Cor.* 2. 16. *Iob.* 36. 23. *Modeste de se sentire homines debent. Impossibile enim est vlli mortali exploratam totam naturam esse. Rom.* 12. 16. *Prou* 3. 7. *Non alta sapientes: ne sis sapiens apud teipsum.* 1. *Cor.* 4. 4. *Nec vltra, &c. Quid enim habes, &c Gal.* 6. 3. *Si quis putat se aliquid esse, &c.* Legite *Ps.* 131. *Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, & mirabilibus super me, &c.* Cur id scribitis, cuius nec dignum fide testem habetis, nec in hominis peccatoris potestate documentum.

De VI. Modum artium corrigendarum tentarunt multi. Quidam compendia discendarum linguarum proposuerunt. Ramæi in omnibus artibus & scientiis quid non conati sunt? Ad tres leges scientificas omnia reuocarunt. Sed vsus docendi & discendi aliquid admisit: vnde magna viris gloria, & vtilitas discentibus: non autem totum. Dies me deficeret, si vellem scholarum reformationes, & totius Philosophiæ emendationes recensere. In medicina multum est præstitum studio Arabum, & Hermeticorum. *Paracelsus* vt omnia innouaret, omnia pessundedit, quod accidit Physicæ & Medicinæ etiam apud priscos. Vide *Plin. lib.* 29. *cap.* 1. Quid iam non tentant Paracelsistæ passim conuenientibus turpiter legibus? Empirici, methodici, agyrtæ & fex similes desperatissimorum nebulonum opprimere fiducia arcanorum omnem dogmaticam medicinam fatagit. Quam correctionem à vobis sperare posint artes, & scientiæ, Paracelsica vestra harmonia indicat.

Sed

Sed si *Petrus Ramus* suum lapidem lydium adhibebit, vereor, ne in fabulam vulgi abeatis. Nihil ille admittet, nisi essentiale, & necessario verum. Vestras comparationes ablegabit ad Oratores, & Poëtas, aut Apologos, sapientesque parabolicos. *Quod docendum est scientifice, nuda axiomata requirit.* Pueros & simplices possumus per parabolas in rem ipsam ducere, sed typi cessant, cum essentia est reuelata. *Non in constitutione artium locum habet accidentalis concordantia, & parabola, sed in interpretatione; aliqua etiam in occultatione ab indignis.* Qua concordantia artes gaudent, ea inuenitur in methodo vniuersali, & analysi totius Philosophiæ: Inuenitur in affectione consentanea argumentorum, axiomatum, ratiocinationum. Si hic quid laude dignum præstabitis viri sapientes eritis.

De VII. Indicia futurorum seculorum, quæ promittunt certa, aut eadem sunt cum his, quæ in sacris iam extant *Matth. 24. & 25. capitibus, Marci.* 13. *Luc.* 21. *Act. 20. 30. 2. Thess. 2. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. &* 4. *In Apocalypsi, Daniele, Ezechiele*, & alibi, præsertimque de fine mundi apud *Esaiam, Ezechielem, Petrum, Paulum*, &c. de quibus *1 Pet.* 1. 11. scriptum est, quod Prophetæ scrutati sint, quod vel quale tempus significaret in eis *Spiritus Christi* prænuncians eas, quæ in *Christo* sunt, passiones, & posteriores glorias, quæ indicia patres nonnulli & interpretes scripturarum etiam clarius proposuerunt: aut sunt diuersa. Si illud, Ecclesia *Dei* satis est informata, nec indiget nouis Prophetis. Quidam θεοδίδακτοι in applicatione specialiore elaborarunt, & non nihil præstiterunt. Si societas Rosæ Crucis etiam ex vaticiniis diuinis velit aliquid mouere magis particulare, fecerit ex officio, & fortasse oleum & operam non perdiderit. Si autem hoc, scimus multos sibi tribuisse Propheticum spiritum, & perplexis verbis nonnulla prædixisse ita, vt potuerint ad plura accommodari. Congessit vaticinia talia *Iohannes Wolfius*, apud quem videre est *Sibyllina, Brigittæ, Capistrani, Catharinæ, Grunbeccii, Hanschilti, Lutheri, Machtildis, Nostrodami, Onuphrii, Paracelsi* & multorum Astrologorum. Iactantur & *Schlitbergeri* & *Abbatis Ioachimi*, multaque picturæ futurorum passim inuentæ. Quædam vera esse deprehensa sunt, quædam vana: quædam applicabilia, vtpote incerta dictionis, & signorum perplexitate. Viri sapientes conferunt præterita cum præsentibus, indeque nectunt futura, & ad hoc vtuntur tum vaticiniis diuinis, tum axiomatibus & apophthegmatis generalibus, tum comparationibus rerum variis, naturæque ipsius argumentis, & signis in sacra scriptura notatis.

Sed & quæ suscipiuntur ab his, qui dominiis præsunt, & quæ ab illis communiter spectantur, modo se offerret perficiendi occasio, multos, si attendunt, monere possunt. Viros pios non latet consilium sathanæ. Huic obediunt, qui se patiuntur ab eo duci. Itaque facile est prædicere, quid sit futurum, si non categorice, ac hypothetice. Sæpe enim vaticinia ex se non sunt vana, sed in irritum cadunt, quia fuerunt hypothetica. Vt *Deus facit voluntatem suorum, neque quicquam facit, quin id significet Prophetis suis Psalm.* 145. 19. *Amos* 3. 7. Si itaque prædictæ sub conditione conuersionis calamitates instent, & pœnitentiam egerint gentes, quod prædictum est, non euenit, non quod prædictio fuerit falsa, sed quod conditio proposita impleta pœnam sustulerit. Hoc *Deus* ipse enunciat *Ierem. 18. v. 8. Ezech.* 18 *&* 32. Sic si inter irascentem *Deum*, & peccantem populum se interiecerit *Moses* aliquis, aut *Daniel*, aut mitigantur, aut differtur, aut tolletur, quod futurum erat. Si nullus intercessor se opposuisset. Sæpe concilium cogitur contra Ecclesiam *Dei*. Sed hanc portæ inferorum non euertent. Interim deliberantibus euenit illud *Esaia* 8. 9. 10. *Dissipabitur, Non fiet, &c.* vtile consilium erat *Achioris Iudith* 5. 24. Si id attendisset *Holofernes*. Sed *Deus* impediuit. Permisit autem succedere in Israelitis *Bileami* suasionem *Numero.* 24. *v.* 14. *& capit. 31. vers. 16.* Hæc sunt hypothetica.

Paracelsus voluit vates videri fiducia suæ Magiæ, Cabalæ, Astronomiæ, Pyromantiæ, Chiromantiæ, Hydromantiæ, & similium artium: Imo audet scribere Magos excellentes & Cabalistas fuisse *Mosen, Aaronem, Eliam, Enochum, Bildad, Dauidem, Solomonem, Danielem, Baruch, Ieremiam, Hezechielem*, & cæteros Prophetas. Hinc Paracelsistæ plærique sibi vaticinandi scientiam arrogant. Sed satis innotuit eorum vanitas. Si Magiæ, & Cabalæ vox Sanctorum Prophetiæ est tribuenda, profecto non sic eis competit, vti est in vsu apud Paracelsistas. *Prophetia est singulare donum Spiritus Sancti. 1. Corinth. 12. vers.* 10. Quæ ex aliis iam notis principiis deducuntur, vt cum prædicunt Astrologi Ecclipses, aspectus & alia naturalia, prædictiones quidem sunt, sed non diuinæ de futuris, quorum in natura & rebus humanis nullum vestigium est, Propheticæ. Itaque & *Deus* irridet varios Prophetas, & Idola, seu pythones & diuinatores: *Esa. 41. vers. 22. 23.* quem locum vos fratres bene notate cum *vers. 24.* Item *capit.* 44. *vers. 25.* de Magis *Paracelsicis: cap. 47. vers 12. 13. 14.*

Nouimus, quod diabolus simulet angelum lucis, & non tantum facta *Dei* imitetur, sed & verba, rursusque suas pollutiones affricet rebus diuinis. Voces illæ Magia, Cabala, possunt esse vsus sani: sed non apud Magos istos, qualis fuit *Paracelsus, Tritemius, Agrippa, Techellus, Artesius*, &c. nec apud Cabalistas Thalmudicos. Societas Roseæ Crucis, si sua oracula, vaticinia, & Prophetias, seu signa futurorum certa promet, proculdubio vitula scripturarum arabit. In his enim est certitudo. In cæteris nunquam deest dubitandi occasio. In hypotheticis mutabilis est euentus. Neque enim verum est, quod aliqui affirmant, omnia fieri necessario, & *Deum* inscripsisse fata tabulis cœli, quod si verum esset, vbi *Daniel*, qui scripturam absque errore possit legere? Astrologorum lectiones iam etiam prouerbio populari accusentur mendacij. Societas indicat, se scire instantes mutationes, easque velle cum piis communicare. Interim aliquando particularia nonnulli diuinant, vt frater mortem fratris in Anglia: neq; tamen scire se posse dicunt vel calamitates, vel mortem suam. Ianuæ sepulchrali patris inscriptum fuit: *post 120. annos patebo*, quod ita factum descri-

bitur, verum sic, vt fortuito, non autem ex composito factum videatur. Poterant obligari fratres, ne sepulchrũ aperirent, nisi post 120. annos, & tunc etiam famam societatis ederent. *Ioseph* conscius prædictionis diuinæ *Gen. 15. 16.* potuit inscribere suo sepulchro: *post 142. annos patebo.* Sed illi fortasse habent descriptionem superioris & inferioris regentis, fatorumq; publicorũ: determinatas autem & particulares personarum, aut aliorum singularium prædestinationes ignorant. Alioquin Astrologi ex suis ascendentibus, & aliis in cœlo multa conantur etiam definite, & personaliter prædicere, iactitantque aliquando sic euenisse. Magi malefici prædicunt fulmina, tempestates & similia ex suggestione sui magistri, qui, quod sibi permissum nouit, statuit certo tempore exequi, aut quæ alias naturaliter euenturum præuidit, vel ex moribus & vaticiniis diuinis collegit & suppeditat suis. Huc *Apollinis*, & *Iouis* oracula referuntur, quorũ multa ad deceptionem fuerunt comparata, quod malus genius vel ignorauerit certitudinem euentus, vel astute suos consultores circumscripserit, ne à natura sua, quæ mendax est, nimium decederet. Verum euentus docebit, quam veridica, & ex quo fundamento fatidica sit fraternitas. Illud saltem monendum est: Si de futuris seculis certa indicia habet societas, scire prius debet, num vlla sint, futura in hoc mundo, & quot sint. Si nescit, in incertum exit diuinatio, & dicitur *si aliquod seculum erit, hoc illud erit.* Quidam extendunt computum ad aliquot millia annorum. Si respondisset aliquibus coniectura, pridem perisset mundus. Post mundum destructum & renouatum quid futurum sit, ex sacris constat aliquo modo.

De VIII. Solertia quædam est præsentia præteritis conciliare, & in vna harmonica rota vtraque proponere. De futuris nonnihil habemus in sacris. *Christus* enim vltima tempora diebus *Noe* comparat *Matth. 24. vers. 37. Luc. 17. vers. 26.* Item *Petrus 2. Petr. 2.* adducit tempora *Noæ* & Sodomorum. Non defuerunt, qui horas vndecim patris familias in computum detulerunt. Ali-
Matth. 20. qui Iubilæos numerant, & respiciunt ad exitum ex Ægypto, & Babylone. Est aliquid in statua *Danielis*, & temporibus Antichristi. Vbi vaticinia sunt expressa, non est multi laboris conciliatio. *Vbi eadem, vel similes sunt caussæ, ibi eadem, vel similia effecta esse aut fore statuimus.* Ego suaserim fratribus, vt prius certi esse studerent, num aliquod seculum (spatium centum annorum) superesset, an nullum. Alias ineptient cum his, qui si non diem, & horam, saltem annum vltimi diei voluerunt ex præteritorum recensione diuinare. *Iacobi 4, vers. 13. 14.* Quidam proponunt hodie vel cras aliquo ire. Hos Apostolus ait ignorare, quid erit in crastinum, & num etiam sint victuri. Sic Poeta: *Quis scit, an adjicient hodiernæ crastina summæ tempora Dij superi.* In longa secula spem mundo facere, cum finis pridem sit prædictus & *Apostoli* adhuc viuentes dixerint, seculorum fines incidisse *1. Iohann. 2. vers. 18. 1. Petr. 4. vers. 7. 1. Cor. 10. vers. 11.* Sitque iam reuelatus & spiritu oris *Christi* confectus antichristus, audax videtur esse temeritas. Vis scire quid de te futurum sit, si impius esse perrexeris. *Luc. 12. vers. 46. veniet Dominus in die qua non speras, & hora qua nescis, teque diuidet & partem tuam cum infidelibus ponet.* Lege ibi & sequentia cum *cap. 17. vers. 22. & seq.* vbi est comparatio cum diebus *Noe*, & *Lot*, & dicitur secundum hæc fore qua die *filius hominis* reuelabitur, & nobis proponitur exemplum vxoris *Lot Marci 13. vers. 37. Quod vobis dico, omnibus dico. Vigilate. Dauid* Propheta erat, & nolebat ambulare in magnis *Psalm. 131.* Consultum est, vt & nos non vltra id quod scriptum est, sapiamus *1. Cor. 4. 6.*

De IX. Quomodo Ecclesiæ defectus sint sarciendi, sæpius est deliberatum, fueruntque in Conciliis, Synodis, Comitiis, Consistoriis multi, quibus ista res publice curæ fuit: multi etiam priuatim ea de re scripserunt. Quod ad dogmata spectat, habemus normam *Spiritus Sancti* in scripturis Canonicis. Ab his non discedendum, neque ad dextram, neque sinistram: nihil addendum, nihil subtrahendum. Non enim nos magistri fidei sumus, qui fundamentum ponere possimus, sed vnicus magister & legislator *Christus*, qui doctrinam per Apostolos, & eorum le-
1. Cor. 3. 11. 12 gitimos successores per totum mundum propagauit. Fundamento Prophetico, & Apostolico consentanea debent esse omnia, quæ superstruuntur, siue sint consectaria, siue ritus ad ordinem,
1. Tim. 6. 20. & decus pertinentes. Analogia & hypotyposis sanæ doctrinæ omnino est retinenda. Conferan-
2. Tim. 1. 13. cap. 2. 16. tur cum hæc norma religiones, & abscindantur dissentanea, deficientia suppleantur. Habemus modum. Hunc *Lutherus* secutus est in reformatione Papatus. Hunc Ecclesiæ orthodoxæ adhuc tenent. Quem alium quæritis? Editum est Irenicum Caluinisticum, à *Paræo*, in quo proponuntur tales rationes, quales si sequi volumus, omnes erimus Sacramentarij. *Fricius* Polonus conciliare voluit *Papam* & *Lutherum*, Belial & *Christum*, frustra. Actum est crebris conuentibus & disputatum de vnione sine effectu. Magno labore concordia in Ecclesiis Augustanæ confessionis erecta est. Apparuit *Hospinianus* Caluinista, & alij sectarij, qui eam turbare, & discordem reddere conati sunt, vt opus fuerit Witebergensibus, & Wirtembergicis, aliisque concordiam defendere. Quid etiam sic obtinetur? Plures deficiunt ad Caluinianos, aut quasi, specioso emendationis, & plenioris secessus à Papa ad primitiuam Ecclesiam prætextu. Itaque tandem eueniet, quod *filius Dei* dixit, *filium hominis in aduentu suo vix fidem in terris inuenturum. Luc. 18. v. 18.* Si magis magisque elanguescit charitas, & fides deficiet abundante iniquitate *Matth. 24. v. 12.* (Pseudoprophetæ enim seducturi sunt plurimos) quorsum noua de supplendis defectibus consilia? In pisa, fœniculum, petroselinum, rubras baccas similia crepundia consilium vestrum, fratres, exibit. Aut idem erit cum pridem ab orthodoxis, piisque hominibus proposito, aut diuersum. Si illud: actum agetis cum pudore vestro. Si hoc, neminem fidelium *Christi* habebitis obsequentem. *Omnes enim meæ vocem meam audiunt, & alienum non sequuntur*, inquit ipse *Ioh. 10. 3. 4. 5. 27.* Quid ergo restat? Factionem, seu hæresin nouam excitabitis, quasi diabolus cum suis angelis non satis debacchatus hactenus sit in
Es. 8. 20. Ecclesia. *Ad legem & testimonium. Habent Mosen & Prophetas, audiant eos. Si non, non erit eis lux matu-*
Luc. 16. 30. *tina*, nec resipissent, etiam societas de Rosea Cruce totam patris deformationem attulerit.

De X.

De X. Eccleſiæ correctionem audiuimus: iam & tota Ethica producitur. Si ageretur de Ethica *Ariſtotelis*, aliquid dicerent fratres, quanquam & hoc temere, cum illa pars Philoſophiæ pridem ſit declarata per Ethicam Chriſtianam, & iura, legeſque ciuiles: At hæc quædam eſt portio reformationis generalis attentatæ. Agitur de Imperiis, Regnis, & Rebuſpubl. in aliam formam tranſmutandis. Qui Eccleſiaſticam hierarchiam, & Politicam mutat, is non ſolicitus eſt de œconomica. Certum enim eſt, quod *in vulgus manent exempla regentum.* Iam itaque totius ſtatus mundani inuocatio concipitur. Sed ego vates veſter eſſe, ô ſocij, non dubito. Seculum corruptius eſt, quam vt emendari poſſit. Deinde laboramus in Iuratis *Deo* pactis ſeruandis, & conſuetudinibus populorum, quæ alias ſunt difficiles mutatu, quid de nouitatibus ſperandum? Imo dicitis, quia nec conſuetudines hærent, nec iurata fœdera pacis gentium, reformatio noſtra facilis erit obtentu. Sane multi deſperati poſſunt nouitates, vellentq; peſſundatum ſtatum præſentem vt aliqua emergerent: Quidam etiam vi & armis id attentarunt, vt ruſtici ſeditioſi: De *Gog & Magog* putamus adhuc ſupereſſe Prophetiam: Iudæorum rumor eſt, tanta ſe eſſe copia, vt ſi ſedes belli daretur, cum Turca, & Imperio poſſent confligere. *Quid ſi vos contraheretis clàm copias ex Arabibus, Saracenis, Iudæis, Paracelſiſtis, & ſimilibus, & obrueretis Germaniam?* Dicitis, vos ſcire inſtantem mutationem. An non ſic conſilia inſtituitis, vt ſciatis quidem quid tentare velitis, ſed de tempore adhuc circumſpiciatis? Si hoc fouetis conſilij; peribitis vt *Gog & Magog.* Non ſoli ruſtici anno 1525. peccatores erant, ſed *Chriſtus* dicit, vobis niſi pœnitentiam egeritis, & inſana conſilia abieceritis, vos ſimiliter perituros. *Ad ſeditionem omnia vobis ſunt comparata: diuitiæ inexhauſtæ: Societas iurata; quæ emiſſis ranis in omnem mundum ad prælium conuocat populos;* ſicut Ieſuitæ dicti: *Prætextus reformationis: hominum perditorum cupiditas ad opes & dominia: Magia, Cabala. Arma, & ſedes belli ſeſe offerent vel ſponte* Promittitis veſtris à morbis ſecuritatem, & vitæ adminicula ad votum. *Simulatis amorem* IESV: *An non hæc ſatis ſunt ad ſeditionem?* Leges accuſatis, Philoſophiam antiquã damnatis, Theologiam deficere dicitis: Medicinam veterem exploditis noui prædicata. Oraculum publicum vultis condere. Hæc omnia quid ſibi volunt? Vertetis in vos oculos magiſtratus. Quod ſi ſyncere agitis, & cum bono publico, prodeundum eſt in lucem; non clam attrahendi diſcipuli iuxta vaticinium *Sancti Pauli Actor. 20. 30.* Luc. 13. 2. 3. 5.

De XI. Promiſſio nouorum axiomatum ad omnes quæſtiones ſoluendas, mihi videtur humanum ingenium, & experientiam excedere, eſſeque aliquid de illo ſerpentis *Geneſ. 3. Aperiuntur oculi veſtri, eritiſque ſicut Deus ſcientes bona, & mala.* Omnes ſapientes ſacri, & profani ſemper inſufficientiam ſuam libenter ſunt confeſſi, & loco omnium *Paulus* id vere dicit *1. Corinth. 13. verſ. 9. 12. 2. Corinth. 3. 5.* Inter Philoſophos tumidi Sophiſtæ fuerunt, qui cum nihil ſcirent, omnium ſcientiam profeſſi ſunt, vt apud *Platonem* ſcriptum eſt. Credo tamen ſocietatem ad omnia quæſita aliquid dicere poſſe, ſi inter cætera axiomata etiam hoc habeat: *Quæ neſcis, ſuntque vltra captum humanum, non pudeat te dicere:* IGNORO. Quod ſi perſeueret in ſua affirmatione, iubebimus diſerte, & ſine Sophiſtica dicere, quot ſint in cœlo ſtellæ, & quibus appellentur nominibus: quot fuerint arenæ maris, quas numerauit *Archytas*: quot fluctus excitentur procellis: quot guttæ fuerint pluuiæ trium dierum & noctium, ad quarum numerũ Papa quidem indulgentias expendit: quando appariturus ſit *filius Dei* ſupputato die, hora, minuto; quando quiſque frater ſit moriturus, &c. Sed fortaſſe dicent, iſta eſſe inutilia ſcitu: ſe de vtilibus & proficuis loqui: Reſpondeant ergo, quo loco ſcripturarũ probare poſſint ſuæ fraternitatis prædeſtinationem. Nihil enim futurum eſt in Eccleſia, vt *Amos* ait, quod *Deus* per ſuos Prophetas non reuelauerit. Exponant nobis infallibiliter numeros *Danielis*, & *Apocalypſeos. Haſelmeierus* ſcire volet, vbi lateant libri *Auicennæ & Galeni* diuerſi à vulgaribus, & vbi Theſaurus *Paracelſi* cum voluminibus ingentis ſapientiæ: quando venturus ſit *Elias* artiſta, & an iſte inter vos ſit. Alij aliud exigent. Si non poteſtis certum reſpondere fratres, do vobis bonum conſilium: Aliquid perplexi muſſitate, vt *Apollo Pythius*: aut dicite veſtra reſponſa eſſe authentica, ſeu per ſe vera, tanquam ex ſcrinio pectoris Papalis oracula. Quicquid reſpondetis, eſſe dictamen ſpiritus *Müntzeri* Anabaptiſtæ. Ita ad omnia aliquid dicere poſſitis ex libris Sibyllæ aditis. Agnoſcenda tamen rurſus eſt modeſtia veſtra, dum de homini ſcibilibus tantum ſentire vos docetis. Num de homine καθόλου loquimini & ſimpliciter, an de aliquo indiuiduo? Putauerim ego nec *Salomonem* auſum fuiſſe de omnibus rationem policeri, quanquam reginæ *Sabæ* ſatisfecerit *3. Reg. 10.* Refero huc illud Martialis: 1. Odyſſ.

Sæpe rogare ſoles, qualis ſim, Priſce, futurus
Si fiam locuples, ſique repente potens,
Quenquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu Leo, qualis eris?

Quædam quæſtiones ſunt de præteritis, quædam de præſentibus, quædam de futuris: noſtratibus, alienis, definitis, interminatis; generalibus, ſpecialibus; ſingularibus, &c. omnes ſoluere ne Oedipus quidem poſſit. Verum vobis aliquid donandum eſt, ſi totam naturam habetis in palma manus, ſcitiſque futura, vt de vobis dici poſſit ὅστε θαλάσσης πάσης βένθεα οἶδεν; quod de *Atlante Homerus*, & de *Tireſia* τῷ καὶ τεθνειῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια οἴῳ πεπνῦσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν. *Homo humiliter de ſe ſentire debet, etiamſi perſuaſum habeat, ſe aliquid poſſe. Humanæ cõditioni in hac vita negata eſt omniũ ſciẽtia,* quique hanc ſibi arrogat, pro fatuo habetur. Non vni dat cuncta *Deus*. Quoſdam *Deus* poſuit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, aliquos Doctores, &c. Num omnes Apoſtoli, Prophetæ, Doctores, &c. *1. Cor. 12. 28. 29. 30.* Sunt, qui magnas Bibliothecas omnium ſcientiarum habent, neque tamen audent omnium quæſtionum ſolutionem profiteri, *Papa Rom.* ideo hoc ſibi arrogat, quia putat ſe authenticum eſſe, & quicquid reſpondeat, errare non poſſe.

De XII. Si axiomata ſunt talia, qualia deſcribuntur, & ſimul omnibus quæſtionibus, næ ſuperat ſocietas ſcientia omnes, quotquot fuerunt, ſunt, & erunt, etiam ſathanam & angelos bonos. Agnoſcimus autem hominum imbecillitatem, & quod multi verbis ſibi arrogent id, quod nulla vi præſtare poſſunt, quomodo *Xantus Æſopi* mare volebat epotare, & *Xerxes* eidem vincula inicere, quale quid & de *Tyri* Emporio ſcriptum eſt *Ezech. 26. & 27.* Item de *Babylone Eſa. 14.* De *Roma Babylone altera Apocal. 18 & Antiocho. 2 Machab. 9 verſ. 8. Deus* autem ſcit hominum vanitatem, & inanem præſumtionem, & ſapientes vertit in ſtultitiam. Quomodo, quæſo, poſſunt omnium artium & ſcientiarum facultatumque axiomata ſic in globum cogi, vt infallibilia ſint, cum partim imperfectæ ſint, partim lateant, quædam multa habeant contingentia, præſertimque facultates multa difficultate laborent, & inexplicabilia occurrant? Reſpondere vero ex *Paracelſi* parabolis, Cabala, Magia, & ſimilibus deliramentis, ſtultitia non vacat. Veruntamen ſi prodierint illa axiomata ſuper centro immobili extructa, indeque in omnem ſphæræ ambitum vim ſuam emittentia, iudicabimus de illis, & quantum habebunt ſolidi, verique probabimus. Videat ſocietas, ne inani phantaſia ſe & alios decipiat, mundumque palmam putet. Si ſolus *Deus* ſcrutatur abyſſos maris, & profunditates terrarum: Sunt autem in his quædam, quorum naturam nondum perſpectam habemus, quo modo naturalia omnia complectentur, videbimus. Nos ſupra diximus. Logica & Metaphyſica generalibus omnia includi poſſe; ſed interminate, generice, confuſe. Cum ad ſingularia peruentum eſt, applicationis difficultas apparet, vnde tot controuerſiæ in artibus, ſcientiis, & facultatibus. Si vlla eſt talis ſphæra inter homines, Dialectica eſt, & Philoſophorum Metaphyſica, cuius fucatam imaginem habet Sophiſtica.

Hac *Gorgias* apud *Platonem* ſic confiſus eſt, vt iuſſerit omnes præſentes, quam quiſque vellet quæſtionem inducere, ſe ſingulis reſponſurum. *Lib. 2. Sat. 5.* *O Laertiade*, inquit apud *Horatium Tireſias*, *quicquid dicam, aut erit, aut non*: Diuinare etenim magnus mihi donat *Apollo*. Ita ſocietas rem in compendium contrahet. *Omnes enim quæſtiones tribus verbis abſolui poſſunt: Eſt,* NON *eſt: aut duobus: Quicquid eſt, aut ſubſtantia eſt, aut accidens.* Si prædicabilia duxeris in prædicamenta decem, naſcentur quinquaginta portæ intelligentiæ Cabaliſticæ, qua abſolui poſſunt, vt aiunt, omnia diuina & humana, vt omnia, quæ de numeris per Algebram. Sed vereor, ne ſæpe vtendum ſit verſutia Phœbæa, & reſpondendum ambigue, aut per, *videtur*: aut NONDVM LIQVET. *Omniſcium enim eſſe oportet, qui axiomata fabricat omni quæſtioni ſoluendæ ſufficientia. Scio hominem*, inquit *Paulus 2. Corinth 12. verſ. 2. in Chriſto, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, raptum vſque ad tertium cælum in paradiſum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui* (ἄῤῥητα ῥήματα ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι) & *1. Corint. 2. 9. ex Eſa. 64. 4. Quod oculis non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis deſcendit, quæ præparauit Deus his, qui ipſum diligunt.* Poſſet aliquis ſimplicior ex Cabaliſtis iſtis quærere, ſcirent ne, vbi fuerit *Paulus*, intra an extra corpus: & vbi ſit illud cœlum, quæ verba audiuerit, Cabaliſtica, Magica, Paracelſiſtica, angelica, diuina, humana, &c. Item quænam ſint à *Deo* electis præparata. Verum recte reſponderent, niſi fallor, ſua axiomata tantum ad ea comparata eſſe, quæ ſub humanam ſcientiam cadunt in hac vita, quæque iam ſunt explorata: De cæteris nihil determinate habere: poſſe quidem ad ſingula aliquid dici, ſed confuſe, & metaphyſice ſæpius, quam ſingulariter, proprie & definite. Si hoc eſt, ſocietas non poteſt gloriari ſua axiomata eſſe ſcientifica. Itaque vela contrahet prudenter, & relinquet aliquid etiam MEDIS.

Sed quid tunc reſpondebimus ad obiectum ex *Eccleſiaſta cap. 1. verſ. 9*? *Quid eſt, quod fuit? Ipſum, quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? Ipſum quod fiet. Nihil ſub Sole nouum, neo valet quiſquam dicere hoc recens eſt. Iam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos. Non eſt priorum memoria: ſed nec eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in nouiſſimo.* *Eſa. 43. 18.* Videtur hinc colligi poſſe, qui *vnum ſeculum nouit, omnia noſſe: Societas nouit ſeculum vnum: Ergo.* Propoſitio firmatur harmonia ſeculorum. Verum modeſtior longe eſt *Eccleſiaſtes*. Loquitur enim de his rebus, quæ ſunt ſub Sole, non de his, quæ vltra Solem; item quæ ad Solem iudicari poſſunt, non quæ in abyſſis latent, tandemque valde diffidit memoriæ hominum, cum ait nouiſſimos priora neſcituros, quaſi fraternitatis confidentiam redargueret, negans, eius axiomata talia eſſe vt omnium ſeculorum res poſsint comprehendere. Verum hic oportet ἐπέχειν, donec axiomata iſta diem videant. *Salomon* ignorauit artem ſphæricam, nec ſciuit globum fabricare Cabaliſticum, in cuius centro ſint OMNIA per vim principij, quod poſtea explicatur emiſſis radiis ad omnem ſuperficiei & ambitus partem, in qua neceſſe eſt eſſe omnem quæſtionem ex principio pro-fluentem. *Eſa. 48. 13 cap. 45. 12. Eſa. 40. v. 17. 22. 23.* Alias globus non eſſet perfectus. Pictores illum globum manui *Dei* appingunt: ſed heliocanthari Cabaliſtici eum irrepſerunt, & vndiquaque perſcrutati ſunt, niſi quid opinio reliquit intactum.

De XIII. Mira rota incipiens à *Fiat*, & deſinens in *pereat*. Cur non in *Bereſchit* incipit? Antequam *Deus* diceret FIAT LVX (hoc enim eſt primum *Iehi eſto vel ſit*) iam creauerat cœlum rude, vt aliquibus placet, & terram cum aqua, aere, & tenebris ſuper facie ſeu ſuperficie abyſſi. Si non incipit in *Beretſchit*, vbi & Cabaliſtæ incipiunt, non continet omnia, nec explicare, aut euoluere poteſt omnem quæſtionem. Eſt & mirabilis terminus. Vnde ſcitis, boni viri, quod *Deus* dicturus ſit PEREAT? *Luc. 21 33.* *Chriſtus* ait *Cœlum & terra tranſibunt.* Vide *Eſa. 51. verſ. 6. cap 65 17. Petrus 2. Petr. 3. 6.* Mundum priorem ſcribit aquis periiſſe, cœlumque & terram igni reſeruari in diem iudicij & perditionis impiorum: Nouum autem cœlum, & nouam terram expectari ſecundum *Dei* promiſſa. *Apocal. 20. 11. à conſpectu ſedentis ſuper throno fugit cœlum & terra ita. vt locus eorum non inueniatur.* Hæc quia fieri non poſſunt *Deo* nolente, nec iubente, ideo affingunt ei callide verbum iuſſionis PEREAT. Nondum tamen puto explicaſſe Rotam illam quæſtionem, ſitne mundus eſſentialiter

liter periturus, aut accidentaliter tantum. Quidam enim sunt in ea sententia, quod non sit in nihilum rediturus, sed tantum renouationem, & speciem gloriosam accepturus. Minor mundus maiorem videtur declarare. An non hoc est in centro globi vestri Fratres? Si est, maior mundus non peribit simpliciter, nec *Deus* dicet PEREAT, qui ne minor mundus periret, in persona λόγου etiam homo factus est; & cum esset in *Christo*, secum reconciliauit mundum, non imputans ei peccata *2.Corinth.5.19.* Præterea termini correlati debebant sibi ex æquo respondere, vt amplitudini τοῦ Fiat, responderet amplitudo τοῦ PEREAT. At hoc minimè futurum est. Nam Diaboli cum impiis in loco tormentorum supererunt, sicut Electi cum *Angelis* & *Christo* in cœlo. Non estis boni Logici, fratres, quantum quidem attinet nostram Dialecticam. Fors vobis est alia Magica, & Cabalistica vel etiam Alchymistica, in qua sunt tantum tria prædicamenta, Sal, Sulphur, Mercurius, & quatuor prædicabilia cœlum, aër, aqua, terra, in quibus duo damnata. Verum hæc transeant. Si vestra rota incipit in *Fiat*, & desinit in *Pereat*, quis eam fabricabat, & rotabat, cum DEVS diceret FIAT? Si tunc incepit, per aliquem incepit. *Moses* quidem historiam facti annotauit dictante *Spiritu sancto*, vt credere par est; sed ità concisè, & breuiter, vt ne angelorum quidem creatorum, nec ignis, aut principij tenebrarum, quæ tamen & ipsæ sunt *Dei* creatura, item non lapsus Angelorum meminerit

Crollius ex *Paracelso* multa mirifica commentatur, quæ non sunt in scripturis. Vnde illa? Ex lapide Philosophorum, quem volunt esse iudice *Hermete*, Exemplar creati mundi; aut ex spagiria principiorum & Elementorum, vnde constat, Limum seu puluerem terræ, ex quo factus est homo, non fuisse glebam agrestem, aut argillam rubram, vel puluerulentam terram, sed extractum ex omnibus Elementis, quintum esse, Salem, Sulphur, Mercurium; & animam non esse creaturam singularem, sed ipsam DEI æternam essentiam. Num hæc ex vestra rota transtulit? Postea si desinit vestra rota in PEREAT, necesse est vobis reuelatum esse numerum seculorum, & annorum, ne dicam dierum & momentorum, quibus mundus destruetur. Si ignoratis, falsum dicitis rotam vestram in illo termino desinere. Vtrum autem scire possitis articulum temporis, quo dicturus est *Deus* PEREAT, ex *Christi* vaticiniis, & iudicio palam est. Ita enim inquit *Lucæ 17.23 Et dicent vobis: Ecce hic: Ecce illic. Nolite ire, neq; sectemini. Nam sicut fulgur* (*Paracelso* Fulmen) *corruscans de sub cœlo in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die sua*: quod *Paracelsus* declarat, quod quasi ictum fulmineo *Christus* tunc mundum sit perditurus. *Cap.21.35. dies vltima veniet tanquam laqueus, &c. 2. Petr. 3.10. Sicut fur in nocte*: Matth.24.42.44. *hora, qua nescimus*: vers.36. *De die & hora nemo scit, neq; angeli cœlorum, nisi solus pater*: Marc.13.32. *neq; filius ipse.* Quomodo ergo Axiomatica vestra rota desinit in PEREAT? Hoc autem dico de numeris seculorum, & reuolutionum, item de actibus humanis. Nam alias satis constat, fore homines, terram, cœlum, aërem, &c. adueniente filio hominis. Ita erunt generationes animalium, nuptiæ, conuiuia, &c. de quibus ῥητῶς aliquid & ex hypothesi dici potest. Sed cuiusmodi illa futura sint, & quo die, quaque hora desitura, non constat homini. Rota ergo vestra aut citius exire potest, aut longius extendi fine mundi. Verum & hoc considerate. *Si axiomata vestra sunt scientifica, & magna ex parte etiam de verbo* Dei, *aliqua breuius iusto spacium attribuistis rotæ vestræ. Nam hactenus durare in æternum debet atque etiam ab æterno ex mente* Dei *esse, quia verbum Domini & veritas manet in æternum. Quod si non est talis, vanitas est gloriari axiomatibus vestris posse omnem quæstionem solui. Haselmeierus Paracelsi* sapientiam putat æternam fore. Si hæc est maxima pars, imo centrum rotæ vestræ, videbitis, quomodo cum isto conueniatis, ne rota pereat cum *Pereat*.

Gen. 9.9.10. Matth.24.38.

Esa.40.8. 1.Pet.1.25.

De XIV. Hoc iudicatur ex prædictis. Si certi estis vestra axiomata duratura vsque ad vltimum diem, quo desinet rota vestra, quæ conflata est ex axiomatibus, non complectuntur omnem veritatem; nec sunt de necessariis, sed tantum de contingentibus, & caducis. Ex consequente non possunt esse scientifica, atque ita Philosophia, non dicam Theologica (de hac enim certum est, quod principia eius sint immotæ veritatis in sua essentia, quanquam in vetere lege typorum & vmbrarum tunica tecta latebant, & in nouo quoque Testamento nonnulla sint ænigmata. *1. Corinth.13* & parabolæ) sed Peripatetica longè erit præstantior, quam vestra Magia, Cabala, Spagiria, Astrologia, Chiromantia, &c. quia multa habet æterna; vt bis quatuor sunt octo: Triangulus est figura tribus laterib. tres angulos includens: homo est animal rationale, &c. Physica quoq; tamdiu erit, quãdiu natura, atq; ita pertinget ad finẽ mundi, quãdocunq; sane is est futurus. Videmini autẽ aliud significare velle, & non tam de axiomatibus per se loqui, q̃ de cõpositione, & disciplina vestra, quasi diceretis, vos certos esse vestrã sectam mãsuram vsq; ad finẽ mundi, quomodo quis diceret *Antichristum* vsq; eo duraturũ. Multi sunt adhuc Epicuri de grege porci; hæresis tamẽ ea periit: Ita Stoici inueniri possint, sed secta nõ est amplius, quomodo *Papa* deleuit ordinem templariorum, & alias quasdam factiones in ipso exortu oppressit. Si secta vestra est duratura vsq; ad vltimũ diem, proculdubio non erit diuturna. Est enim mundi finis præ foribus. Quid autem de Monarchia *Paracelsi* sentiendum? *Scheunemannus* & alij Paracelsistæ pro suo Monarcha pugnabũt: vos pro vestro patre & societate de Rosea cruce. Non possunt esse duo Monarchæ simul in eodẽ dominio. Videte, ne regnum vestrũ intestinis dissidiis contra seipsum diuisum citius pereat, quã dies vltimus adueniat. Vestra vero axiomata cur vultis à mundo abscõdere, cum *Deus* secretos suos Thesauros ipsi communicauerit? Estisne de familia serui istius mali, qui acceptum talẽtum terra obruit? At quid respondebitis *Domino* reposcenti rationem villicationis, & negotiationis vestræ? Itane BONI estis? Scilicet si quis non simpliciter volet astipulari vobis, id, quod fore coniicitis cauteriata conscientia, καὶ αὐτοκατακρίτῳ affecti, is nomine mundi à vobis repudiatur? Is autem, qui in verba vestra iurat, ἐχεμυθίᾳ compellitur, nullum dictum domo efferre, & eliminare foras.

An.1312. Fratricellorũ an.1323. Albatorum 1399.

Matth. 25. 18.24.& seq.

Hoc si consilij fuit, cur famam vestram non in adytis vestris retinuistis? Cur scripsistis librum naturæ legendum esse, & fundamenta extare apud *Paracelsum?* Quem? An non typis vulgatum? Ille, de quo *Haselmeierus* nugatur, non videtur vnquam in lucem proditurus, nisi forte per specula vestra latibula eius inuestigastis, atque ita fundamenta nondum editorum librorum designastis. Velle occultare sapientiam, & posterorum causa in libros coniicere, non videntur esse Harmonici consensus, nisi forte posteros societatis vestræ intelligitis: Sed dies arcana reuelabit.

Pag.100. reformationis: Axiomata in globo centrum respicientia solis sapientibus inseruire debent, sicut apud Arabes solet. Pag.109. nostra mysteria sponte, non coacte, & gratis deferimus: pag.111. non verebimur publicis typis reuelare quicquid à nobis petitum fuerit. Pag.117. Indices sine fraude quidam libri communicantur. Pag.123. mutationes libenter cõmunicare piis volumus.

Nota XII.

Quædam sententiæ ex monumento.

1. *Post 120. annos patebo. 2.* A.C.R.C. *Hoc vniuersi compendium Viuus mihi sepulchrum feci. 3. Iesus mihi omnia. 4. Nequaquam vacuum. 5. Legis iugum. 6. Libertas Euangelij. 7. Dei gloria intacta. 8. Granum pectori Iesu insitum. 9. Ex Deo nascimur, in Iesu morimur, per spiritum reuiuiscimus. 10. Sub vmbra alarum tuarum Iehouah.* Nihil est in his, quod non vel ipsa litera placere possit, & innocens propositum patris, & fraternitatis declarare. Quia vero fieri potest, vt quis seipsum opinione aliqua praua decipiat, vel alios hypocrysi; vt fermento Pharisaico, & Herodiano *Marci 8.15.* Item Saducæorum *Matth. 16 6. Luc.12.1.* Item *Christus* præmonet Ecclesiam de falsis Prophetis, & falsis Christis, qui incedunt in vestitu ouium, cum intus sint lupi rapaces, adeo insidiosi, vt si fieri posset, etiam Electos seducerent *Matth.7.15.cap. & v.24.* aut palmã interuertere tentent humilitate simulata & religione angelica, vel Philosophia: *Coloss.2.8.18.* Simulatione angeli lucis, & transfiguratione in Apostolos Christi *2.Cor.11.v.13.14.* Secundum operationem Sathanæ in omni virtute, signis, prodigiis mendacibus, & seductione iniquitatis *2.Thess.2.10.* Spiritibus Impostoriis, dæmoniorũq; doctrinis *1.Tim.4.1.2.* Vbi & in Hypocrisi loquuntur mendacium cauteriata cõscientia: peruersa locutione *Act.20.30.* habentes speciem pietatis virtute abnegata. *2.Tim.3.v.5.* Bestiæ habentes cornua similia agni, loquentes vt Draco, &c. non grauiter feret societas, si ista quoque excutiamus, præsertim cum velit sua axiomata accuratè iudicari.

De I. Historicum hoc est, & siue à patre, siue fratribus ianuæ additum. Fides sit penes societatem, quæ tamen dicitur 100. annos tantum latere debuisse.

De II. Sepulchrum patris de Rosea Cruce esse compẽdium vniuersi non est necessarium. Nam ex opinione magis, quam essentia proficiscitur, estq; homini impossibile τὸ ὅλον in cõpẽdium cogere, cum hæc ars requirat omnium scientiam, etiam eorum, quæ sunt in abyssis. Philosophi suæ notitiæ subiecta cõpegerunt in prædicamenta, Logicam, Metaphysicam, quorũ genera ex plærisque singularibus per inductionem sunt collecta, sicut Paracelsici sua principia in aliquibus, & quidem mistis tantum spectata dilatarunt, & omnibus communia fecerunt. Sed fratres societatis Philophorũm complexiones mancas iudicant, quia nescierunt res noui mundi, sicut ipsi quoq; nesciunt Oeconomiam cœlorum, profunditatis maris, & abyssorum, barathrorumq; terræ. τὸ ὅλον, ergo oportet, valde concidere, & si ex eo compendium cogitur, non absolutum, sed relatum erit. Alias dicitur homo vniuersi compendium, quo simul Deus & creaturæ comprehendantur. Hic liber paruus est & quasi Enchiridion magni, cuius scripturam Paracelsici putant se totam nosse, verum non scientia, sed opinione, non re, sed verbis. Neq; enim quisq; seipsum recte nouit. Et si fratres nossent humanam naturam, putasne, quod sibi tantam perfectionem, scientiam, potentiam, dignitatem & alias prærogatiuas essent asscripturi? An non credendum sit, dicturos cum *Socrate* sapientissimo illo gentilium, *hoc solum scimus, quod nihil scimus?* An non cum *Paulo & Iobo* se demissuros? Ridemus inflatum *Eliu.* Risu digni sunt, qui compendia vniuersi fabricant, cum nondum seipsos cognouerint. Sed esto compendium κατά τι, οὐκ ἁπλῶς. Mirum est fratrem in vniuerso, & sic

8.Pharsal. vbiq; cubare voluisse. Reprehendit *Lucanus*, eum, qui magno *Pompeio* tumulum paruum in littore fecerat, quasi ibi situs esset: *Situs est* (inquit) *qua terra refuso pendet in Oceano:* Romanum nomen, & omne Imperium magno est tumuli modus, &c. Pater de Rosea cruce similiter vbiq; voluit esse sepultus. *Magni* cognomento est donandus:

De III. Præclara sententia est, IESVS *mihi omnia.* Ita *S. Paulus Phil.3.7. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, omnia vt damna & stercora duco, vt Christum lucrifaciam. Charitas Christi supereminet omni scientiæ Eph.3.19.* Propter *Christum* sancti mundum cum omnibus suis concupiscentiis spreuerunt. *Mirum ergo, cur ille pater tantos Thesauros possederit, si ipsi omnia Christus?* Num *Christus* erat in Arabia, & Mauritania quærendus? Si ipsi omnia *Christus*, vbi mandata *Christi* de scientiæ talento non occultando? *Vade, vende omnia, da pauperibus. si vis perfectus esse. Matth.19.21.* Ei, cui omnia *Christus*, satis est victus frugalis vel parcus in hoc mundo, & amictus pro necessitate. Si sepulchra Eremitarum, monachorumq;, quibus omnia fuit *Christus*, consideres, non inter gemmas & Thesauros defossa corpora inuenias, verum in Cryptis terreis, aut vulgaribus Sarcophagis. Sed hoc singulare sit capiti societatis, licet non capiti *Christo.* Non autem hæc dicuntur, quod mortuum velimus iudicare: *Qui enim iudicat, Dominus est, qui illuminabit abscondita tenebrarum*, 1.Cor.4.4.5. *Viuentium spiritus sunt iudicandi siue viuant corpore, siue scriptis.* 1.Ioh.4.1.1. Thess.5.v.21. Ille pater licet iuuenis sapientiam quæsiuerit in Arabia & Mauritania, & alia iuueniliter egerit: tamen conspecta mundi vani-

1.Tim.6.6.7.8.

vanitate, & inutili spe diuitiarum didicit aurum fortiter contemnere, & dicere: *Phy aurum, nisi in quantum aurum*, hoc est, *Dei creatura bona, & donum.* Itaq; iam vicinus morti cum curas omnes in sepulchrum & discessum composuisset, verus IESVITA factus est, cui nomen IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilum, seu totus amor. Nobis autem & cæteris, qui supersumus, prodest consiliũ *Syracidæ c.1.36. Ne accesseris ad Deum duplici corde: ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis Ne elcueris, ne forte cadas, &c.*

De IV. Vacui absoluti negatio Peripatetica est. Si itaq; sensus est Physicus dicti, apparet patrem illum non abhorruisse à communi scholarum doctrina. Quid illi respondebit *Seuerinus, & Hartmannus*, in sua vitali Philosophia de elemento puro, orco Orphei, abyssoq;, quam dicunt nihil esse, nisi inanitatem, & locum vacuum, ex quo tamen veniant rerum semina in scenam mundanam intratura? Pater ridebit stultitias tales, & meliora promet axiomata. Potest autem sententia etiam relata esse, nimirum animũ nequaquam vacuum sapientia, & cognitione rerum esse debere, sicut & sepulchrum non fuit instar aliorum, in quibus nondum quicquam conditum est, sed totius mũdi & vniuersi scriptura & imaginibus plenum. Id ostendunt fratres, cum indicant, conditorium illud in classes rerum fuisse digestum, ea arte, vt si professio interisset, inde posset instaurari. Sed nec vacuum fuit Thesauro ad exemplum sepulchri *Dauidis*, ex quo *Hircanus* postea magnam vim auri extulit, qualem promittit etiam societas ad se venientibus. *Vacuum.*

De V. Legis iugum nouimus sic abolitum esse, vt non amplius possit condemnare eos, qui Euangelio creduntq;, suntq; sub gratia in *Christo*. Puto vero intelligi priorem partem doctrinæ cœlestis, & non leges ciuiles, quibus obtemperare & subesse oportet in aliqua Repub. victuros. Id enim mandatum est. *Rom.13.1.* Omnis anima, & per consequens etiam monachorum, potestatibus supereminentibus subdita sit: qua de causa *Christus* quoque & *Petrus* noluerunt vectigal seu tributum detrectare, & iussit *Christus* etiam Pharisæos reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Iugum hoc nemo viuentium sub potestate excusserit. Ita & qui præpositos habent, tenentur eis obedire: *Ebr.13.17. Deuter.17.12.* Quocirca bona erit admonitio etiam fratribus ordinis, ne velint sine lege viuere, sed tum regulas societatis obseruare, ne sint irregulares canonici, sed fratres de obseruantia, tum capiti & patri suo obedientiam præstare, iuxta iuramentum, quod recepti in ordinem, iurarunt. Hoc modo *Legis* iugum ad fratres spectat. Modo autẽ primo non dubium est patrem voluisse discedere ab Antinomorũ hæresi, quæ Legem in Scholis & Ecclesiis Euangelicis non patitur. Amplectitur ergo vtramque partem doctrinæ, & Lege redarguit peccata, compellitque CHRISTVM quærere, qui nos à iugo legis liberauit, deleto, quod contra nos erat, Chirographo. Id autem lege morali. Proculdubio enim pater non sensit cum Iudæis infidelibus, qui & ceremonialem adhuc vrgent, nec iudicialem omitterent, si Rempubl. haberent. Hæc manifestius patebunt confessione fidei. Sed si aliquid tribuit Legi, cur dixit, *sibi omnia esse Christum, seu Euangelium?* Vt finem & summam spei ostenderit. *Neque enim in alio salus est quam in nomine Iesu: Actor.4. Videte*, inquit *Apostolus* Coloss. 2. 8. *ne quis vos decipiat secundum traditionem hominum, & elementa mundi, non secundum* CHRISTVM, *quia estis in ipso completi. Sicut accepistis Christum Iesum Dominum, in ipso ambulate, radicati & super ædificati in ipso, & confirmati in fide.* Is *Matth.11.* etiam ad se adesse iubet omnes, non quod nullus amplius sit vsus legis in Ecclesia, sed quod per legem iustitia & salus impetrari nõ possit, *Gal.2.16.c.3.v.8.10.11.21. &c.* Hæc sentire societatem de mente patris etiam hinc est manifestum, quia Papæ se opponit, atq; ideo negat per opera legis posse quenquam iustificari, quanquam per eam necesse sit peccata agnosci, & ad *Christum* duci, tanquam per pædagogum, & nostram naturam contemplari, scireque quæ sit voluntas *Domini* in diligendo *Deo*, & proximo, quam ob causam *Christus* non amisit legis explicationem *Matth.5.* vt & *Paulus Rom.6.12.13.& seq.* vbi negat quidem nos sub lege esse, quia sumus sub gratia: sed qua non simus, dicit *cap.8.* nempe ratione condemnationis. Interim seruiendum est iustitiæ iuxta mandatum dilectionis vtriusq;, quo indicatur Legis præcepta quadamtenus etiam pertinere ad Christianos, vt dicit *Paulus Rom.13.8.9.10. Dilectio est impletio legis, Dilectio est Christianorum. Io.13.34.35.1.Cor.13.1.Io.2.9.10.&c.* Christiani ergo diligentes *Christum* & fratres legem implent, ita tamen, vt propter imperfectionem nõ ipsi per se ἐνεργητικῶς dicantur implere, sed per imputationem perfectionis, quã pro nobis præstitit *Christus*. Nam alias si omnia fecissemus, tamen serui inutiles essemus, nedum facere perfectẽ possimus, aut faciendo aliquid mereri. Rectẽ ergo in suo sepulchro retinuit pater *Legis iugum* Sub quo si non fuisset, non opus fuisset sepulchro. Mors, quæ est pœna & stipendium peccati à lege debitum, conuincit nos apostasia à lege, quæ adhuc aliquam in nos potestatem exercet temporaliter; sed quod ad æternam mortem attinet, stimulum perdidit. 1. Cor.15.26.54.55.56.57.

De VI. Libertas Euangelij facile iam patet. *Neq; enim est licentia viuendi, vt velis* Rom.6.16. *Sed liberatio ab infirmis, & egenis elementis* Gal.4.9.c.5.1.2.3.& seq. Item, *à condemnatione* Rom.8.1. *à traditionibus hominis:* Coloss.2.8.16.18.20.& seq.Matth.15.2.& seq.c.23.4,&c. *Libertas est, qua filius Dei nos liberauit à seruitute peccatorum.* Ioh.8.32.34.36. Pater ergo voluit monere suos filios, seu socios, vt hic legis iugum respicerent, ne Euangelicam libertatem perderent: sic vterentur, libertate Euangelica, vt scirent nihilominus non esse contra legem peccandum. Credendum Euangelio est, & à peccatis abstinendum. Vtrumq; sancit Euangelium, FIDEM, & CHARITATEM, ita vt fides ad iustitiam faciat, charitas vitam fidei declaret. Est enim fructus ex arbore viua fidei, quæ succum ex *Christo*, vt palmes viuus ex viua vite, accipit, productus. Doctrina & moribus debet fraternitas excellere; vtroq; non secundum suum iudicium, sed iuxta verbum *Dei* scriptum. Vt Antinomi peccant abiectione obedientiæ; ita Iudæi excussione Euangelij. Libertatem Euangelium promittit, si mandata *Christi* obseruemus, & non insaniamus, vt rustici initio reformatæ doctrinæ.

Qui

Qui dicit ſe in CHRISTO *manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare* 1. Ioh.2.6. Multa habent ſententiæ illæ in receſſu, quæ ſi diligenter exponantur, ſocietatem poſſunt ab omni inordinatione abſtrahere, ſimulq; mouere, vt charitatis Euangelicæ rationem habeant, cuius vi non tantum ſua debent proximo communicare, ſed & vitam pro ſalute eius impendere. *1. Ioh.3.14.15.16.17.* qui locus bene eſt notandus.

De VII. *Gloria Dei intacta ſeruanda eſt*, hoc eſt, nihil faciendum, quo Dei gloria obſcuretur, lædatur, opprimatur, aut mutetur, ſeu in aliud quid transferatur. Nemo quidem *Dei* gloriam in ipſa & per ſe poteſt labefactare: at relatè poteſt omiſſione laudum diuinarum, vel commiſſione alicuius, quod in Eccleſia, vel apud angelos & homines gloriam *Dei* vel offuſcet, vel deminuat. Id
Pſ.97.7. Eſa.10.12. 13. 14. de Aſſyria rege.
fiebat apud gentiles, qui Idolis aſſcribebant ea beneficia, quæ erant ſolius *Dei*. Fit & apud hos, qui in ſua virtute gloriantur, quaſi ipſi, & non *Deus* magna præſtitiſſent *Dan.4.27. Iudit.1.4.* de rege Medorum gloriante in potentia ſui exercitus. *Deut.32.v.27.* In diuitiis *Pſ.49.7.* In malitia *Pſ.52.3.* In antiquitate, vt Tyrus *Eſ.23 v.7.* In vallibus, montibus, Theſauris vt Ammon *Ier.49.4.* In magia, diuinationibus, ſculptilibus *Ier.50.35.36.& ſeq.* In lege *Rom.2.23.* In ſua ſcientia. *1.Cor.4.7. Ier.9 23.* In hominibus *1.Cor.3.21. 2.Cor.10.17.* Et ſic in aliis bonis. In *Deo* vero gloriandum: vt in hæreditate & laude Dei *Pſal.106.5.47. nos patrem habere Deum Sap.2.16.* In mirabilibus Dei *Syrac.17.8.* Dei ſcientia *Ierem.9 24.* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *2.Corinth.10.17. 1.Cor.1.31. Rom.4.2.* De poteſtate à Domino accepta ſecundum menſuram regulæ, quam Dominus dedit. *2.Cor.10.8.13.* In ſpe gloriæ Dei & tribulationibus. *Rom.5.2 3.* De reuelationibus Dei non pro ſe niſi in infirmitatibus ſuis. *2.Cor.12.5.6.* quanquam poſſit aliquis etiam de veris gloriari; *ibidem*: In *Chriſto Ieſu*, non in carnalibus prærogatiuis, *Phil.3.3.* In cruce Domini. *Gal.6.14.* Deo gloria dãda. *Ier.13.17. Luc.2.14.c.17.18* à ſolo quoq; gloria accipienda, non ab hominibus mutuo. *Ioh.5.44. 2.Cor.10 18.* Gloriam ſibi debitam Deus alteri nõ dabit *Eſ.42.8 & c.48.11.* Hæc & ſimilia pater ſuæ ſocietati tanquam ſpeculum gloriæ propoſuit, ne ſuperbiant, confidantq; in ſua fraternitate, ſcientia, diuitiis, meritis, & aliis terrenis bonis, ſiue ſint animi, ſiue corporis, ſiue fortunæ. Omnia.n. à manu *Domini* acceperũt. Qui ergo frater ſupercilioſus eſt, & confidit in ſua Magia, Cabala, Aſtrologia, Chymia, Chryſopœa, Chiromantia, Paracelſia, vocabulariis arcanæ ſcripturæ, ſocietate, minuto mundo, ſpeculis, campanillis, compendio vniuerſi, gemmis, auro, axiomatum ſingularitate & ſimilibus, is gloriam Dei non tangendam tangit. *Humiliter ſapiendum eſt, & proximus non contemnendus. Ordo Dei eſt Philoſophia, qua docetur in Gymnaſiis, Scholis, Academiis, vt & Theologia ſyncera declarata Auguſtana confeſſione: Dei donum eſt medicina dogmatica, & aliæ artes, ſcientiæq;.* Has qui ſpernit, criminatur, & explodit *Dei* gloriam, & pupillam tangit. Qui exercet Berilliſticam *Paracelſi*, Characteriſticam, artem ſigillorum, ſpeculorum cõſtellatorum, homunculorum & ſimilium: qui ſuæ fiduciæ, & imaginationi, literis, verbis, habitui, intentioni, aſtris, id aſſcribit, quod eſt *Dei*, is gloriam *Dei* intactum non relinquit, ſed nomen *Dei* profanati. Qui ſententias *Spiritus S.* & miniſteria rapit in alium ſenſum, & quidem non tantum ſpuriũ, Sophiſticumq; ſeu hæreticum, ſed & profanum, vt multi, qui de aurificio ſcripſerunt, in primisq; autor Roſarij, qui ſpurcis, & obſcœnis picturis miſcuit ſacras, &c. Is gloriam *Dei* tangit illicitè. Horum omnium ſtudia debent fugere fratres vt peſtem. Itaq; & non vſq; adeo commendabunt Magiam & Cabalam *Paracelſi*, non fidem naturalem & imaginationem *Crollij* probabunt; non deprauationes ſcripturarum, & abuſum nominis *Ieſu & Iehouah* apud *Thraſybulum*, *Crollium* & alios: non affingent cœlo menſtrua muliebria, & baſiliſcos: non nouos dæmones in ſingulis elemẽtis, & præter eos Flagas comminiſcentur. Omnino totam Paracelſiam ad examen reuocabunt, & omnia iſta portenta eradicare conabuntur, quando nihil eorum eſt, quin veritatem *Dei* & gloriam lædat, & vtiles, præclaraſq; ſcientias euertat.

De VIII. Granum pectori IESV inſitum Pater de roſea cruce ſpiritualiter ſe vocat. *Quicunq; in Chriſtum Baptiſati ſumus, Chriſtum induimus. Chriſto ergo inſiti ſumus.* An autem ſicut granum terræ, non apparet ex ſacris. Ita loquitur ſcriptura: *Ioh.14.20. vos in me, & ego in vobis* (ad ſignificandam vnionem per fidem, per quam habitat *Chriſtus* in cordibus noſtris *Eph.3.17.*) *v.23. Manſionem apud eum faciemus, qui diligit me, & ſermonem meum ſeruat. Ioh.15.2. Omnem palmitem in me, &c. Manete in me, & e-*
1.Cor.12. v. 12.13.27.
go in vobis. Ego ſum vitis, vos palmites. 1.Cor.6.15. Corpora noſtra membra ſunt (corporis) *Chriſti*; nempe quia *Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti capitis. Membra noſtra ſunt templum Spiritus ſancti: ibid.v.19. & 1. Cor. 3.16. 2.Cor.6.16. vos eſtis corpus Chriſti* (totali Eccleſia) & membra ex parte (ſinguli fideles pro ſe) *1. Cor. 12.27. Chriſtus caput Eccleſiæ Eph.5.23. Saluator corporis ſui*: Eccleſiæ ſcilicet; *ibid. & c.4.12. & ſeq.* Siue ergo dicamus nos incluſos eſſe pectori nos diligentis *Chriſti*, ſiue *Chriſtum* in nobis eſſe, ſiue nos ex eo prognatos, ſicut palmes ex vite: ſiue partes conſtituentes corpus eius Eccleſiaſticum & ſpirituale, conſequens eſt, nos non alio ſucco viuere debere, nec alia fide eſſe, nõ aliud docere, aut recipere, quam quod doctrinæ Chriſti, & voci conſonat. Ita magiſtri noſtri vnius genuini diſcipuli amore mutuo inter nos, & vnitate fidei deuincti erimus, nec patrem nobis in terra quæremus, qui alia nos doceat, quam *Chriſtus*, *Matth.23.8.9.10.* Itaq; & fratres ſocietatis alieni erunt à gentilibus profanis, à Mahometicolis, ſiue Arabes ſint, ſiue Mauritani, ſiue Aſiatici, Thraces, Ægyptij, &c. ab hæreticis, potiſſimumque humana doctrina & ſanctionibus Pontificum Romanorum poſt factam Apoſtaſiam: Item *Caluinianis ſeu Sacramentariis, qui non ſunt de fide Abrahæ, nec fratres vere credẽtium, ſed ſuum Euangelium & ſacramenta habent humanis rationibus polluta*: à Prædeſtinatianis, Anabaptiſtis, Enthu-
Petrus: οὐδὲν ἄπερ γραφῆς λέγομεν: Paulus non ſupra ſcriptum. 1.Corinth.4.6. Nihil niſi Propheticum, & Apoſtolicum Act.26.22, Epheſ.2,20.
ſiaſtis, Synergiſtis, Neſtorianis, & huiuſmodi hæreticis aliis, vti & ipſi profitentur. Si aliud quid ſequentur, quam ſcriptum eſt, & Abrahæ fidei ſimplici conuenit, non erunt plantulæ ex grano patris ſui Roſea de cruce enati, ſed vel zizania, vel palmites infrugiferi. Ideo pater ſe Granum *Chriſto* inſi- [illegible] tum

tum dixit, vt in *Christo* sit, succum ex ipso trahat, & proficiat in germen à *Christo* non alienum, non habens aut iactans suas prærogatiuas, *Phil.3 8.9.* Sed iustitiam, quæ ex fide in *Christum* est, in quo, & non extra quem, etiam vult inueniri. Si ergo vos fratres estis illud germen in *Christo* radicatum (nostis grana frugifera in terra mori. *Io.12.24.1.Cor.15.37.38.*) & noua suboles in *Christo* educata, sic quoque agetis, & credetis. *Sin autem Caluinianorum sectam sequimini, infelix lolium, steriles auenæ, & igni debita gramina eritis.*

De IX. *Nascimur ex Deo.* Hoc *Ioh.1.v.13.* extat. *Filij enim Dei, qui credunt in nomen verbi incarnati non ex sanguinibus* (cognatione carnali) *neq; voluntate carnis* (quæ spiritui concupiscentiis suis aduersatur, & Electitiis cultibus studet *Deo* placere: *Gal.5.16.17.Coloss.2 23.*) *sed ex Deo nati sunt*, nimirũ per Euangelium & verbum vitæ. *1. Cor.4.15.1.Pet.1.23.Ioh.3.5.* ex aqua & *spiritu.* Sed & in *Deo viuimus Act. 17.28.* & ex *Deo* sumus, ob id audite verbo *Dei* parati *Ioh.8.47.* Intelligitis fratres, quid nam ex vobis exigat Pater vester? Ex *Deo* debetis procedere, & vocationem diuinam habere. Debetis in Ecclesia existere, ibi nasci & manere, ne de vobis dicatur: *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis.* Quod si vt Rom.11.17.
Syluestres oleæ aliunde translati, & insiti estis per pœnitentiam & fidem in baptismo, diligenter cauere debetis, ne excindamini, aut per fissuram, (schisma) separamini. Cogitate, num vocatio diuina sit ex Arabia & Mauritania: num ex *Deo* nati sitis, si profitemini Magiam, Cabalam, & alia commenta Paracelsica, quibus & Pythonissæ fulminum & tempestatum procuratrices excusantur, & horrenda quædam docentur, sicut ex *Crollij* Paracelsia apparet. Ex *Deo* non est, qui mendacia docet ex *Tritemio, Cornelio Agrippa, Artesio, Techello, Hermete Æ*gyptio & similibus. Si ex *Deo* vultis nati esse, perfecti debetis esse & benefici bonorum vobis creditorũ dispensatores. Ita enim filij *patris cœlestis* describuntur *Matth.5.44.45.48.* Additur: *In Iesu morimur.* Hoc quoq; consentaneum est scripturis in sano sensu, quanquam litera *Spiritus sancti* nonnihil dissonet. Rom.14.7. *Nemo nostrum sibi viuit: nemo nostrum sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur. Apoc.14.13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* 1. Thess.4.16. οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον. Rom.6.4. *Cum Christo consepulti sumus in mortem per baptismum, vt quomodo Christus resuscitatus est à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c. In Christo moritur vetus Adam, quando baptismo Christi corpus peccati destruitur, & resurgit per pœnitentiam & fidem nouus homo.* Baptizamur autem in mortem *Christi*, tanquam beneficium mortis *Christi*, per quam nostra mors sublata est, & vita reducta. Ita à morte in vitam transimus. *Ioh.5.24.* Sed potius est in *Christo* renasci & resurgere. *1.Cor.15.2. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Ita Rom.5.15. *Delicto vnius multi mortui, sed magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abũdauit.* Lege & seq. Si spiritualiter loqui voluisset pater, vitam suam & resurrectionem CHRISTVM dixisset *Iohan. 11. 25. In Iesu viuimus: In Iesu resurgimus: vi mortis eius mors nostra spiritualis irrita facta; est vi resurrectionis resurgimus, cum fieri non possit, vt vite resurgente, non etiam palmites in ea resurgant.* 2.Cor.5.14. *Si vnus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt: pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Vita nostra Christus est, non mors.* Phil.1.21. Coloss.3.v.4.2.Cor.4.10.Ioh.14.6. *Male moritur, qui in peccatis moritur, & in Adamo sine resurrectione in Christo.* Ioh.8.24. Sed quid voluit ille pater suos filios in fraternitate monere? Num Arianis & Photinianis astipulatus est, cum ex *Deo* nasci, non autem ex Christo atq; ita ex patre vitam acquiri, ex *Christo* & in *Christo* mortem scripsit? Nos non credimus, Arianum fuisse. Itaq; essentialiter putamus, vsum esse vocabulo *Dei* non excludens *Christum Deum, & Spiritum S. Deum*, sed includens.

Qui enim excluderet filium, qui omnia condidit, omnibusq; vitam dedit; In quo condita sunt vniuersa: omnia per ipsum & in ipso: qui est ante omnes, & caput corporis Ecclesiæ: *Coloss.1. 16.&c.* Cauebunt ergo fratres, ne Photinianæ hæresi assentiantur. In *Christo* vero sic se mori putent, vt tenebræ abeunt, luce adueniente, & mors abolescit vita ingruente. Vt viuamus in *Christo*, mori oportet peccato. In *Christo* morimur etiam, cum temporaliter desinimus viuere, quando retinentes fidem bonam conscientiam, non in nostra iustitia aut operibus confisi discedimus, sed in mera, gratuitaq; misericordia, iustitia imputata, & fide vera, viuaq; in *Christum.* Martyrum passiones & mortes *Christo* asscribuntur. Si qui moritur, *Domino* moritur, & in *Dominum*, in quem & credit. Qui vero sic moritur, eum oportet etiam sic vixisse, ne vitæ flos, principium, mediumq; sit Belialis, fex vero & finis *Christi*, quanquã ne latro quidẽ dexter resipiscens reiiciebatur, cum illis, qui vndecima hora in vineam veniunt. Non tamen est secure viuendũ, & gratia Dei abutendum iuxta prædestinatianorũ de electione doctrinam, qua etiam optimè viuẽtes, si non sint electi, pereunt, & pessimi tandem saluari dicuntur, in quo distinctio iusta est adhibenda. Vt enim saluentur pessimi, non est nudæ & absolutæ electionis, sed gratiæ Dei, qua peccatores conuertuntur. Qui in Christo moritur, neq; infernum videt, neq; mendax purgatoriũ pontificiorum. Idẽ paratus est non ad delicias huius vitæ, sed ad quotidie moriendũ pro *Christo.* Donatũ.n. est fidelibus pro *Christo*, vt non tantũ in eum credant, verũ etiam pro eo patiantur: *Phil.1.29.* Hæc est meditatio mortis verior, q̃ Platonica Philosophorum. Μέμνησο τὰ ἔσχατά σου. *Memẽto nouissima tua, & non peccabis. Syr.7.40.* Vbi iam diuina illa magia, Cabala, & aliæ stultitiæ *Paracelsi?* Si *Christus* vitæ initiũ, mediũ, finis, quid attinet decipere se & alios magia quadã ficititia, quæ sit naturalis, cum reuera sit diabolica vt eam descripsit *Paracelsus*, & ex eo *Crollius?* Sed his missis, quid de *Spiritu S. Per spiritum renascimus*, inquit pater. Sane renasci oportet nos per *Spiritũ. Io 3.5.* Nihil renascitur, nisi q̃ de natũ est prius. Non refello locutionẽ. *Vbi.n. Christus est, ibi & spiritus Christi.* Alias scriptura resurrectionẽ, & in veram vitam restitutionẽ asscribit *Christo* *Ioh.11.25. Ego sum resurrectio & vita* inquit *Christus. Ioh.5.21 filius viuificat: Et qui vocẽ filij audient, viuent. c.6.39 Omne, quod dedit mihi pater, resuscito in nouissimo die; resuscitatione scilicet non iudicij, sed vitæ Ioh.5. 29.* Ita *1.Cor 15.22. In Christo resurgimus per fidẽ Col. 2. 12.* Verũ in talibus licet proprietas scripturæ sit seruanda, tamen nec nimium scrupulosi simus, cum opera diuinitatis ad extra sint indiuisa.

Viuificat *Deus pater, Deus filius, & Deus Spiritus S.* cuius exemplum habemus in prima creatione *Adami* Gen.2.v.7.& in typo reſurrectionis. *Ezech.37.5. Pſal.104.30.Ioh.6.63.Spiritus viuificat Rom.8.6.10.Spiritus vita eſt.2.Cor.3.6.* Si *Spiritus* viuificat ſocietatem, cum fiducia & audacter loquetur verbum *Dei*, ſicut *Paul. Act.17.16.* Num autem hoc fiet in monaſterio, & ædificio eo, quod nullus exterorum poſſit inuenire? *Non extinguendus eſt ſpiritus.1.Theſſ.5.19.Feruentes ſpiritu oportet eſſe Chriſti confeſſores.Rom.12.11.* Sed non ſpiritu perſecutionis piorũ, & homicidij *Antichriſti*, aut eo, quo *Paulus* ſpirauit contra Eccleſiam ante conuerſionem. *Spiritus*, qui nos viuificat, & virtutem excitat, non eſt crudelitatis autor, ſed conuerſionis & ſanctificationis, longanimitatis, humilitatis, &c. aliquando & zeli, ſed in bonis, & legitimo modo. Exuſcitate ergo, quod in vobis eſt, donum *Spiritus Sancti* fratres, & ſpiritum veſtrum in publicum date. Videbimus, qui nam ſit, à quo reſuſcitationem ſperatis.

De X., Diuina & hæc ſententia eſt: *Sub vmbra alarum tuarum*: ſcilicet, *protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt*: Pſal.17.8.Pſal.36.8.*In tegmine alarum tuarum ſperabunt filij hominum.* Ita.Pſ.57.v.2.*In vmbra alarum tuarum ſperabo.* Pſal.61.5.& 63.8.Deut.32.11. Vt monuimus initio, videndum, ne bono melle fel occultetur, & religio ſit ad ſpeciem per hypocriſin compoſita. Si ſub vmbra alarum *Iehouæ* ſocietas verſatur, quid Magiam, Cabalam, & alia iactitat? Num ſub alis Iehouæ ſunt etiam Necromantici, Necrolici, imaginatores *Crollij*, Pythonici, Arioli, aſtrorum vates, & alia Paracelſica, quę *Deus* odit, & omnes pij? Nummi quidam argentei illud Apophthegma inſcriptum habent, ſub tali vmbra multi mallent eſſe, quàm ſub monaſterij.

NOTA XIII.

QVa eſt ſocietas fide & quem agnoſcit in Politicis? Ita ſcribunt *Pag.97. De feſſanis ſæpe fatebatur, quod Magia ipſorum non omnino eſſet pura, & Cabala polluta ſuperſtitione ipſorum. Nihilominus nouerat eam ſibi valde vtilem reddere, & inueniebat ſuæ fidei meliora fundamẽta, quæ fides exacte cum totius mundi Harmonia concordaret, & omnibus periodis ſeculorum mirabiliter impreſſa eſſet. Hinc concludebantur pulchræ conſpirationes, ſeu vniones. Sicut enim in nucleo eſt bona & integra arbor ſeu fructus: ita magnus mundus in paruo homine, cuius religio, politia, ſanitas, membra, natura, ſermo, verba, & facta omnia in eodem tono & melodia cum Deo, cœlo & terra procederent, &c. Pag.102. Pater quanquam arte metallorum transmutatoria potuiſſet ſuperbire & ſe iactare, tamen multo magis curabat cœlum, & eius ciuem hominem. Pag.104. Magica lingua vtimur ad Dei laudem, & gloriam. Nouum ædificium dicebatur Spiritus S. ſocij deuotæ ſunt virginitatis & cœlibes. Pag.105. Si noſtri patres & fratres incidiſſent in noſtri temporis lumen clarum, Papam, Machometam, ſcribas, artiſtas, & ſophiſtas alacrius adorti eſſent. Pag.107. Singulis annis omnia Dei miracula per mundum diſperſa in conuentu enarrarunt. Pag.115. procidentes gratias agebamus ſoli ſapienti, ſoli potenti, ſoli æterno Deo, qui nos plus docuiſſet quam omnis humana ratio poſſet inuenire: Laudatum ſit nomen eius. Pag 122. Vt quilibet Chriſtianus ſciat, cuius fidei, & fiduciæ homines ſimus, fatemur nos eſſe de cognitione Ieſu Chriſti, vti ea his vltimis temporibus, potiſsimum in Germania eſt publicata perſpicue & clare, & adhuc hodie excluſis omnibus erroribus, hæreticis, & pſeudoprophetis, à certis & conſignatis prouinciis conſeruatur, propugnatur, & propagatur: Fruimur duobus ſacramentis, vti ea ſunt inſtituta cum omnibus phraſibus & ceremoniis primæ reformatæ Eccleſiæ. In Politicis agnoſcimus Romanum Imperium, & quartam Monarchiam tanquam noſtrum, & Chriſtianorum caput.* Hæc de religione & politia.

1. Si quæ nota præcedente ſunt viſa, ſine hypocriſi, non quam quiſq; ſibi poſſit fingere, ſed quæ iudicatur fructibus ſecundum dictata *Spiritus S.* profitetur, & exercet ſocietas, non opus eſt prolixa confeſſione: ſed rotundè dicendum: *Sentimus cum Auguſtana confeſsione, & Lutherana concordia.* Hoc ſymbolo dignoſcetur. Olim ſacrarum literarum acceptione, mox Eccleſiæ Orthodoxæ communione agnoſcebantur fideles. Sed illæ teſſeræ noſtris temporibus ita generatim propoſitæ ſunt ambiguæ, quæ res coëgit Orthodoxos ſcripturam ſpecialius deſcribere cum Eccleſiæ veræ notis ex eadem collectis, & *Spiritus S.* declaratione illuſtratis. Dicite fratres, eſtisne de Auguſtanæ confeſſionis, & formulæ concordiæ Symmiſtis?

2. Quæ de Magia & Cabala *Feſſanorũ* dicuntur, videndũ, an non & de *Paracelſi, Crollij, Artefij, Tritemij. Piſtorij, Mirandulani, &c.* Thalmudica, Magia & Cabala poſſint affirmari. ἀδιὰνοῦτι in Paracelſia. Vnde agnoſcis? Ex fine, & fructibus: item collatione cum *Spiritu Dei* in verbo ſcripto: Collatione cum omnium temporum Magis, Ariolis, Aſtrologis, diuinis, Chaldæis, &c. Dicis naturalia ſunt: Inquam ego: ad populum phaleras: Ego te intus & incute noui. Scio quid naturale: quid *Dei*, quid dæmoniorum. Nulla Pythoniſſa eſt & Saga, quę non iſto prætextu ſua incantamenta ſaluare poſſit.

3. Quod modum patri potuit accedere ex Mauritanorum Magia, & Cabala? Vellem ingenuitate *Hen. Cornelij Agrippæ* vſus eſſet, qui nullam aliam ex ſua vana magia vtilitatem percepit, quam *Pœnitere* & alios abſterrere. Scio, nullum eſſe tam prauum librum, ex non aliquid commodi ſit, ſiue ad habitum, ſiue priuationem: ſed cum in Magicis & Cabaliſticis plus ſit detrimenti, quã proficui, cur non ſequimur exemplum *Ezechiæ*, qui ſerpentem, & libros Magicos *Salomonis* vt placet quibusdam, combuſſit? Quos autem libros? Audi *Ioſephum* lib.8. cap.2. Antiq. *Præſtitit ei Deus, vt etiam contra dæmones artem ad vtilitatem hominum, & eorum curas ediſceret: & incantationes inſtituit, quibus ægritudines ſolent mitigari: modos etiam coniurationum, quibus obſtricti dæmones, ne denuo redeant, effugantur, inuenit; Et hæc cura apud nos multum præualere dignoſcitur. Vidi quendam Eleazarum de gente noſtra præſente Veſpaſiano, &c. curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur, &c. Id factum adhibito naribus annulo ſub ſignaculo habente radicem à Salomone monſtratam. Ita diabolum ex naribus odorantis abſtraxit,*

Libri Salomonis magici

repente

repente cadente homine, quem postea adiurauit iuramento Salomonis, seu canticis quibusdam ab illo compositis, quibus edixit, ne denuo reuerteretur, Dæmon egressi sui signum dedit euerso canthаro, vel poculo proposito. Inde sapientia Salomonis cunctis innotuit, &c. Supra diximus de Philosophia societatis huius, quod ad *Salomonem* sit relata.

Habes, hic specimen eius, præter cætera, quæ dicitur *Salomon* sciuisse, nempe, vt *Iosephus* ait TOTAM NATVRAM, cuius notitiam sibi vendicat etiam fraternitas ista. Sed num concessæ vsurpationis fuerint libri istiusmodi, vide Actor.19.vers.19. & commentationem *Baronij in annalibus Anno Christi 56. Sect.40. & 41.* vbi etiam de exorcistis Sceuitis ex Magia. Verba *Baronij* de libris Actor.19.Ephesi combustis: *Fuisse hos Magiæ libros æque omnes consentiunt. Antiquo quippe vsu receptum fuit, vt libri Magicæ artis, qui per inuocationes Dæmonum, aliosque superstitiosos ritus exerceri consueuerunt, igni traderentur. De his est responsum Pauli Iurisconsl.lib.5.tit.23. ad l. Cornel. de sic.* Item *Vlpiani lib.4.§. tantundem ff.familiæ hercìscundæ. Liuius lib.29.*Item *Sect.41. Æque ac Magia execranda visa est Christianis illa per astrorum aspectus fieri solita diuinatio quæ ex iudiciaria Astrologia manare consueuit. Quamobrem Aquila Ponticus ab Ecclesia est eiectus, quod genituratum inspectionibus & natiuitatum horoscopis vacaret. Apud gentiles quoq; Astrologi & præstigiatores ab vrbe sunt pulsi.* Vide & reliqua. Tribuerunt impij Iudei etiam CHRISTO Magicum quid per *Schemhamphoras*, sicut & *Petro, & Paulo*, quasi per Magiam miracula fecissent. Lege *Baronium in ann. Chr.44.Sect.50. & seq.*

Ita argumentor: *Is, cui IESVS omnia, libros Magiæ Fessanæ prorsus auersatur, atque etiam exemplo Ephesiorum, apud quos Magia Apollonij aliquando fuit in precio, cum Exorcismo Iudaico, comburit: Quæ enim est societas* Christo *& Beliali? Nolite iugum ducere cum infidelibus* 2.Corint.6.14.15.16.*Pater de Rosea Cruce adeo non est auersatus istos libros, vt etiam pollutos amauerit, & in suam vtilitatem verterit. Quomodo ergo ipsi IESVS potuit esse omnia?* Ne dicas Magiam illam non fuisse hanc, quæ diuinis & humanis legibus sit interdicta, descriptio Salomoniæ apud *Iosephum* facit; & historia Magorum Arabiæ: Item Paracelsicæ ex *Techello, Tritemio, &c. Rogerius Baccho* Anglus quanquam non parum superstitiosus, noluit tamen Magiam probare, sed artis & naturæ potentiam commendauit.

4. Meliora fundamenta suæ fidei Patrem inuenisse in libris Magicis Fessanorum (ita enim ex litera colligitur) mirum est, si de fide Christiana loquitur fraternitas. Religio istorum Magorum Magiam & Cabalam dicitur inquinasse. Proculdubio ergo improbauit eam Pater, quanquam *immundis omnia immunda*, seu vt *Paulus* loquitur ad Titum 1.vers.15. *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia.* Confitentur se nosse *Deum*: factis autem negant, &c. Immundi fuerunt isti Magi in religione.

Immundos ergo oportet fuisse etiam libros Magicos, & Cabalisticos, qui non sunt à religione separati, sed quasi pars eius. Quis enim est Magus & Cabalistica, qui non versetur circa res, & verba sacra? Si pater ille suæ fidei meliora fundamenta hausit ex libris Magicis Fessanorum; opinione falsa fuerunt meliora, non scientia, & veritate. Principia enim fidei nulla sunt meliora, quam scripturis Authenticis contenta, quæ & peruestigari ideo iubentur Iohan.5.v.39. *Non aliud fundamentum est quam quod posuit Paulus* 1. Corinth.3.10.11. An nullas scripturas legerat in suo monasterio ille frater, ante quam adiret Arabiam? Verisimile quidem hoc est, prout istis temporibus fuerunt tenebræ; totaque religio in obseruationibus & ceremoniis monasticis ex autoritate papali: at nihilominus res mira apud Magos Mauritanos meliora inuenta esse fundamenta, cum in cœnobiis papalibus Euangelia, & Epistolæ, cum aliquibus sententiis, & Sacramentis retenta fuerint.

5. Cuiusmodi autem fundamenta, & qualis illa fides? *Exacte concordantia cum Harmonia totius mundi, & impressa periodis omnium seculorum.* Si quis *Christum* interrogaret, qualis deberet esse professio, & fides eorum, qui veritatem amplectuntur, responderet, *suum regnum non esse de hoc mundo* Iohan. 18.vers.36. *Vnde consequens est, neque leges & doctrinam regni cum moribus mundanis congruere.* Iohan.15.19. *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum est, diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego selegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

Sane plerique ex Iudæis non poterant *Christi* doctrinam ferre. *Paulus* in Areopago Athenis videbatur Philosophis aliquid noui proponere: Actor.17.vers.20.Philip.3.vers.20. *Nostra ciuitas in cœlo est: multi vero ambulant, vt appareat inimicos esse crucis* Christi, *& Deum habere ventrem, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij Christi*, 2. Corinth. 4. v. 4. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt, quæ tamen stultitia est apud* Deum: *nos autem prædicamus Christum crucifixum Iudæis scandalum, gentibus stultitiam.* 1.Corinth.1.vers.22.23. Qualis fuerit mundus. Vide Rom.1.& 2.& 3.capitibus: *Fides nostra vincit mundum. Ea autem est, quæ creditur, quod Iesus sit filius Dei. Mundus totus in maligno positus est.* 1. Iohan.5.4.5.19. *Nos non accipimus spiritum huius mundi, &c.* 1. Corinth.2.12. & seq. *Tempora ignorantiæ fuerunt ante Euangelij lucem* Actor.17.vers.30. Quæ sunt ergo illa fundamenta, quæ Pater in libris Fessanorum inuenit concordantia cum mundi Harmonia? An non doctrina Euangelij est mysterium vltimis temporibus tantum reuelatum? In quibus stellis inuentum est? In qua Magia, aut Cabala? Num Cainitica, Ægyptia, Babylonica, Hermetica? Imo Christus id ex sinu patris detulit, quo nemo vnquam ascendit. Temere est de hac fide vel cogitare. Magiæ, & Cabalæ fundamenta volunt dicere fratres. Quanquam enim hæc non erant impressa seculo Innocentiæ, & mundo primo ante peccatum: tamen non multo post excogitata & introducta sunt ab angelis Dei desertoribus, seu perfidis & perduellibus, qui primordium Magicarum instellarunt animis protoplastorum, hac spe, quod instar Dei co-

gnituri essent bonum & malum, si de fructu vetito comederent, id, quod *Grollius* mirifice amplificauit ex *Hermete & Paracelso in præfatione Chymiæ*, vbi parum abest, quin hominem, magnum illud miraculum, DEO omnipotenti & omniscio exæquet. Satis itaque maturè Magica & Cabalistica fundamenta in mundum ex malo genio venerunt.

Hæc hæserunt in gente Cainitica, & proculdubio etiam quosdam ex Schola *Adami* infecerunt, quando *homines pulchrum iudicant multa, eaque secreta & singularia scire, quod hoc maxime videatur diuinum esse.* Additus est speciosus prætextus ex astris, quasi Magia & Cabala inde dependeret, positu stellarum, quasi literas Cabalisticas efficiente, & virtutibus inde influentibus, imo magneticè attractis, vt *Crollius* disserit. *Hæc sapientia diluuium attraxit:* sed cum denuo crescerent homines, & ex filiis *Noæ* tantum vnus esset probus, duo verò deficerent, qui videntur libros Magicos secus ex diluuio detulisse, reparata est Magia in tractu Babylonico, indeque in Arabiam, Ægyptum, Persiam, totumque orientem peruenit. Interim & oracula sunt exorta, & Græci totum mundum peruagantes maximè ex *India, Persia, Chaldæa, Arabia & Ægypto* artes superstitiosas hauserunt: Saraceni in multas terras intulerunt, estq; consentaneum, *Herculem, Osyrin* & reliquos, qui omnem mundum sibi subiecerunt, etiam religiones & artes Magicas plantasse.

Cum *Salomon*, qui vt est in *lib. Sapient. cap. 8. vers. 19.* erat puer ingeniosus, & sortitus fuerat animam bonam, oratione ad DEVM sensum impetrasset, *spiritumque Sapientiæ*, vt est Sapient. 7. vers. 7. & 3. Reg. 3. vers. 9. 10. 11. &c. Præter veræ Sapientiæ diuinæ & humanæ Thesaurum, etiam ad Magica animum adiecit, ne vspiam esset, quod nesciret, quanquam in *suo Ecclesiaste* ista studia vehementer videatur improbare cap. 2. vers. 17. 18. 19. Hinc nati illi libri, qui dicuntur combusti esse,
Et adhuc est. seruatis vtilibus sententiis, quæ adiectæ sunt Prouerbiis à Sapientibus *Ezechiæ*, Prouerb. 25. *A Salomone* peruenerunt ad cæteros Iudæos, quorum magnum studium fuit posse malis geniis imperare, vnde exorcistæ nati.

Post interitum autem librorum Magicorum, ars mansit in traditionibus, quæ in Cabbalam Thalmudicam postea congesta est apud Iudæos: sed Diabolus nihilominus etiam gentiles
Diabolum in Hispania habuisse scholam. suos Magiam docuit, diciturque in Hispania olim Scholam habuisse. Floruit & sub papatu, &c. tandemque necesse fuit Magiam, & Mathematicam publicis interdictis prohibere, & omnes huius professionis damnare: quanquam ne sic quidem potuerit aboleri.

Hinc celebres sunt Magi *Tiridates, Simon Elymas, Apollonius Thyanæus, Techellus, Artesius, Aggrippa, Albertus Magnus, Tritemius* & multi alij etiam ex hæreticis nonulli. Itaq; societas non mentitur dum dicit, fundamenta fidei (Magicæ & Cabalisticæ) cum totius mundi Harmonia concordare, & omnibus temporibus fuisse. Sed num ideo etiam ab Electis DEI sunt probata? Num etiam in scripturis Canonicis proposita? Suntne de fide Christiana? *Moses eruditus fuit in omni Ægyptiorum disciplina. Magiam ergo Hermeticam etiam didicit.* Qui fit autem, vt eam adeo nec probauerit, nec descripserit, aut exercuerit, vt etiam aliquot legibus damnauerit? Cur pij reges Israelitarum, atque etiam *Saul* non tulerunt, sed extirparunt Magos, diuinos, Chaldæos, Ariolos, & similes? Cur Prophetæ artem cum suis professoribus damnarunt, exagitaruntq; Babylonios non Magos & Incantatores tantum, verum etiam Astrologos? Cur *Petrus Simonem, Paulus Barjehu* execrarunt? Cur
Salomon quando inceperit fieri magus. Ecclesia hæreticos Magos anathemate percussit? Seculo & mundo quidem fuit familiaris Magia & Cabala, sicut & idololatricis, & superstitiosis Iudæis (*Salomonem* non ante Magum fuisse, quam inciperet Idola colere verisimile est) & hæreticis: at non Ecclesiæ syncerœ. *Non si quid vulgare & commune omnibus seculis fuit, statim est iustum, pium, & verum.*

De distinctione Paracelsica inter Magiam diuinam, naturalem, & dæmoniacam scimus, nec sumus adeo imperiti, vt Magos Orientis ad CHRISTVM conuersos nesciamus laudabiles fuisse. Illud saltem dicimus, *Magiæ* vocem olim communiter Philosophis, & Astrologis, omnique sapientum turbæ fuisse tributum: sed cum inter illos essent etiam Arioli, diuini, Mathematici, & similes, qui ope spirituum mirabilia facere viderentur, possentque dæmones adiurare, & naturas mutare, vt Magi Ægyptij, in his nomen hæsisse.

Quid si his primum debeatur, Physicis, Medicis, Theologis per abusum? Paracelsici distingunt quidem hodiernos Magos, & damnant Sagas, miserosque illos, qui cum inferioribus & impotentioribus diabolis conspirant, ipsi interim commercio pessimorum, sagacissimorum que geniorum polluti, quanquam ne pythonissas quidem semper damnet *Paracelsus. Natura & artis vires merus sunt improbitatis prætextus, maximeq; astralis illa apud Paracelsistas persuasio. A signis cœli noli-*
Ier. 10. 2. 3. *te timere* inquit DEVS *in Ieremia. Leges gentium* (Astrologicæ) *vanæ sunt. Sapientia tua & scientia tua hæc eiecit te. Sta cum incantatoribus tuis, & multitudine maleficorum tuorum. Stent & saluent te vates cœli, qui contemplabantur sydera, & designabant menses, vt ex eis annunciarent futura tibi.* Esai. 47. 10. 13. An putant Paracelsici, Chaldæos tempore *Danielis, Esaiæ, &c.* non potuisse naturam astrorum, spiritus Olympicos, & magnetismos prætexere suæ Magiæ? Num Ægyptij incantatores erant imperitiores? An non eadem leguntur apud Platonicos? *Salomon* quoque naturam adduxit in argu-
Radix dæmoni fuga. mentum cum radice dæmones trahi monstrauit, quæ describitur à *Iosepho lib. 7. de bello Iudaico cap. 25.* adeo fabulose, vt statim fraus appareat.

Alreon radix. *Babras* & locus & radix dicitur vocari. Nostrates magi persuasionem similem habent de Alreone ex vrina suspensorum sub patibulis nata, quam canis nigri ope extrahunt, & postea ad varia Magica vsurpant. Damnantur hæc à sapientibus. Quo argumento saluabis alia Magica his eadem & germana? Num probamus, quæ de morsu diaboli, hyperico, adiantho & similibus narrant vetulæ?

6. Ex

6. Ex concordantia & Harmonia mundi, seculorumque conclusum esse magnum mundum, qui externus dicitur, sic esse in paruo mundo seu homine, sicut arbor magna, aut fructus est in paruo nucleo, difficile est creditu. Arbor in semine est potentia generationis, partim ratione causæ efficientis, partim materiæ, naturaliterque ex semine nascitur, si terræ commissum fuerit & adminiculis prouentus felicis non destitutum. Ex arbore ad iustam maturitatem perducta prodit fructus.

Itaque hic est potentia in arbore, arbor potentia in semine, surculo, fuste, gemma. At non ita maior mundus est in minore, vt ex eo generetur. Homo est in mundo, vt pars in toto, & incola in domo, aut Imperator in Imperio. Ex magno mundo homo traxit corpus, & corporeas qualitates: animam autem minime. Item res externæ in homine non sunt omnes actu aut per essentiam; sed pleræque potentia, vt terra cum congeneis, aut per comparationem, aut cum ossa lapidibus terræ assimulantur, caro spongiis, &c. quanquam si cum homine compares bestias, multa membra, quin & qualitates, & facultates specie aut genere quoque eadem inuenias, estque maior conuenientia homini cum bestiis, & plantis, quam cum stellis, mineralibus, & Elementis. In hac Harmonia vero, seu comparatione Harmonica fundamentum est homo, vtpote dignior.

Ab homine ergo principium notitiæ exterioris mundi est; vnde & veteres plantarum partes vocabulis humanorum membrorum appellarunt, vt succum vuæ, & aliorum fructum, & plantarum, sanguinem, ligna & lapides ossa; Est cerebrum in palmis, medulla in plantarum interiore cauitate, & sic de aliis. *Adam* cum adducta sibi cerneret omnia animalia, nullum inueniebat sibi congruum. Sola *Eua* erat caro de carne, & os de ossibus ipsius: *Hæc Harmonia adhuc est inter amantes, tanquam duo dimidia eiusdem integri, suauissima.* Eadem mirabiliter impressa fuit omnibus seculis, & mundo pene coæua. Hinc *cœlum mas & pater dicitur, terra fœmina & mater*, aliquando & aër mater est, vtpote *Iuno* gentilium, sicut cœlum *Iupiter*. Huius Harmoniæ, & concordantiæ cognoscendæ causa non opus fuit peregrinari. Domi erat. Si hæc est Magia, & Cabala, omnes homines sunt Magi & Cabalistæ. Sed explicatur Harmonia.

7. *Hominis religio, politia, sanitas, membra, natura, sermo, verba facta omnia sunt in eodem tono cum Deo, cœlo & terra.* Hoc nimis grande postulatum est. Neque enim religio simpliciter cum DEO consonat, sed ea religio, quæ ex DEO processit. Alias cū superstitio, religio gentilis, & Dæmoniaca, item Hæretica, & Iudaica, Apostatica, longe frequentior & maior sit, quam Ecclesiastica vera, quam *Filius Dei* ex sinu *Patris* ad nos protulit, quæ & stultitia à mundo, qui totus est in maligno, appellata est, inde potius tonus Harmonicus & melodia esset iudicanda. At sic facile Belialem pro CHRISTO, & dæmonia pro DEO arripias. Semper quidem DEVS aliquam Ecclesiam habuit in mundo, sed eam aliquando tam contractam, vt ab hominibus conspici non potuerit, vt tempore *Eliæ* in regno Israelitarum, & cum mulier à persecutore Dracone est in desertum compulsa: Apocal. 12. Magi vero vix vnquam defuerunt à prima *Caini* defectione, imo Ecclesia ab isto genere hominum vim passa est, vt *Apostolus* scribit de *Ianne & Iambre* aduersariis *Mosis*. Quis 2. Tim. 3. 8.
etiam neget consiliis Magorum Babylonios, Ægyptios, & Israeliticos Idololatras vsos esse contra DEI veros cultores? Quis erat *Bileamus? Væ illis*, inquit Iudas, *in Epistola vers. 11.* de impiis, *quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Propter quam causam *Cain* interficiebat *Abelem*? An non propter religionem? *Cain* erat ex maligno, seu Sathana (Magus) operaque eius maligna; *Abelis* iusta. 1. Iohan. 3. 12. *Quæ abominabilia sunt Deo, non possunt cum eo in vnum tonum & melodiam cadere. Religiones gentium non ex Deo profectæ abominabiles sunt Deo à primis Caini temporibus, vsque ad finem mundi. Quomodo ergo gentilium religiones in eandem cum Deo melodiam cadent?* Mira Harmonia erat CHRISTI & Iudæorum cum ab ipsis Samaritanus vocaretur, seditiosus, & Diabolicus, tandemq; cruci affigeretur, & *Apostoli* similia paterentur iuxta prædictiones CHRISTI.

Num autem cum cœlo & terra coincidunt? Si cœlum est pro DEI sede, regno cœlorum, Ecclesia vera, & vere diuino, falsa est imo nulla Harmonia cum mundi religione. Si pro cœlo stellato accipitur, impium Astrologorum figmentum est & constellationibus pendere religiones. Non ideo factæ sunt stellæ, vt impietatem contra suum creatorem operentur. Quid de terra? Hæc naturaliter accepta communis est probis & improbis. Symbolice non congruit veræ religioni; sed falsæ, non virtutibus, sed vitiis. Hinc terrena sapientia, & concupiscentia damnatur? Iacobi 3. 15. Iohan. 3. 12. Ecclesia & terrena opponuntur, vt & 1. Corinth. 15. 47. 48. Philip. 3. 19. *terrena sapientes Deum ventrem habent & gloriam in confusione: piorum autem ciuitas in cœlo est, &c.* Vbi iam melodia? Ridiculum est etiam, quod de Politia dicitur.

Sane regna & Imperia *Deum* autorem habent Dan. 4. ver. 22. quanquam eadem sibi vendicet Rom. 13. 1. 2.
etiam Sathanas Matth. 4. vers. 8. 9. Luc. 4. vers. 6. vtpote mundi Princeps, & spiritus potestatis aëris, non qua Dominia constituuntur, sed qua tenebras contra verbi diuini lucem, & flagitia excitat, & improbos suis laqueis captos ad nutus suos trahit, & potens est in filiis insidentiæ: Ephes. 2. vers. 2. 2. Timoth. 2. vers. 26. Sed in ipsis politiis diligenter discernendum est, quid sit à DEO secundum legem moralem; & quid à maligno. Hinc Imperia quidam sunt tyrannica & despotica, quædam alias formas habent. Non facile omnes in melodiam cum DEO, mundo, & terra redigas.

In populo DEI singularis fuit constitutio, de qua illud dicas, Deuteron. 4. vers. 7. 8. Deinde inter Christianos, & in Imperio Romano iustiores fuerunt leges, magisq; ordinata omnia: vt & in

Ægypto, & Persia, Chaldaeaq; florentibus: vbi *Deus* visus est singularibus quibusdam viris, qui pietatem coluerunt, & iustitiam, vt *Daniele, Iosepho,* &c. quorum ope Resp. ordinatæ. Verum non semper fuerunt ista in Harmonia & concordantia eadem cum DEO. Hæc Harmonia perdidit primum mundum diluuio: Genes. 6. 5. & seq. Hæc *Sodomam* incendit: Hæc Israëlitas proiecit in finem: Hæc Iudæos in *Babylonem* duxit, & tandem euertit. Lege Psalm. 94. *Deus vltionum &c.* Esai. 1 Excidia Tyri, Babylonis vtriusque Ægypti, &c. Non si DEVS tolerat longa patientia mores nostros in vno cum ipso tono sumus. Rom. 2. 4. Actor. 17. 30. Qualis tonus in deserto: Psal. 106. & 96. 10? Harmonia, Theologica, & Politica faciet, vt DEVS tandem dicat, sicut fratres volunt, PEREAT, & CHRISTVS veniens vix fidem inueniat, aut iustitiam in terra.

1. Thess. 2. v. 15. 16.

An non pudet vos tam vana spargere, quasi nemo esset peritus rerum mundi, exceptis vobis & *Paracelso* deliro, ut Arabibus & Mauritanis stultis? A primo lapsu disturbata Harmonia est in magno, & paruo mundo, & introducta alienatio à DEO, & hominis secum met ipso pugna: Imò tota natura maledicta subiecta homini quasi resistit, & Diabolus vbicunq; potuit etiam vmbram Harmoniæ disturbare conatus est. Inde quanta Imperia internis seditionibus & externis bellis euersa? I nunc & finge tibi eundem tonum in religione, & Politia. Aliud est Ideam mentiri cogitando, aliud historias mundi legere.

Es. 37. 26.

Si ita mansisset homo, vt creatus erat in imagine DEI, bona fuisset Harmonia, nec opus tam diuersis potestatibus. Sed quæ præterea sunt eiusdem toni & melodiæ? Sanitas. At quo refers morbos, & mortem? Cum in innocentia esset homo, & arborem vitæ haberet, bene sonabat ille tonus inter hominem, cœlum, & terram, cæteraque hominis causa creata. Cum esset lapsus, Harmonica sanitas disturbata reliquit aduersitates à cœlo, & terra. Hinc Astrologi tam dira homini ex astris pronunciant, vt omnia conspirasse in eius interitum putes. Si est idem tonus, cur tam sæpe conquerimur de peste, fame & aliis malis? Cur naturam nouercam potius, quam matrem experimur? Cur inter tot Cometas vix vnus atque alter salutaris effulsit? Vnde venena & tot virulentæ bestiæ, aliaque mala sanitati insidiantia? Est tamen sanitas donum DEI, verum non ex Magica Harmonia, sed precibus, & ordinariis mediis impetrata. DEVS & morbos immittit ad peccata punienda. Perge. *Membra quoque hominis sunt eiusdem toni cum DEO, cœlo, & terra.*

Dictum ante est, humanum corpus declarari similitudinibus cum corporibus bestiarum, plantarum, mineralium. Astris affingunt homines & bestias. DEVS membra habet nulla, si corporea accipias. Si autem spiritales, formalesque potestates, sane qui aurem fecit, audit, qui oculos fabricauit, videt: Psal. 94. vers. 9. Harmonia est in comparatione modificata. Male vero comparatum est, si quis membra sua seruitio diaboli addicit, & ex membris CHRISTI facit membra meretricis. 1. Cor. 6. 15. 16. Lingua diuitis in inferno non bene consonabat DEO, vt & Iacobi 3. v. 5. 6. 8. 9. Discerne inter Electos, beatosq; & damnatos. Quid prodest fingere vnisonos tonos, & concordantias, vbi plures sunt dissonantiæ? Examina membra tua secundum legem DEI, & vide, an nullum debeas abiicere. Matth. 18. 8.

De Natura. *Bona res erat integra, erit q; restituta.* At iam vanitati subiecta est & maledicto Rom. 8. 20. DEVS autem adeo purus est, vt ipsi comparata creatura omnis sit impura etiam integra, Iob 25. 4. 5. 6. cap. 4. 18. 19. cap. 15. vers. 15. 16. vbi etiam belle describitur homo, vt bene possis eum cum DEO & cœlo in vnam concordantiam ponere, SCILICET. *Sermo, verba, facta omnia.* Non opus est mendacium impudentissimum refellere: *Quod hominis post lapsum est, totum malum est*: Et si fundamentum dissonat, qui consonet super eo extructum? Vide laudes hominis Genes. 6. v. 5. *Arbor bona fructus facit bones: Cor quale est, talia eructat. Deum operari necesse est, si quid boni homo loquitur, & facit.* Lege Rom. 3. cap. Fraternitas itaq; admonenda est, vt omnia prius diligentius percipiat, quam iudicet, & non somniet sibi aureum seculum in molli pluma, sed historias mundi, & diuina elogia consulat. *Vbi plus est dissonantia, quã consonantia, ibi magia, & cabala harmonica non potest esse constans, & certa: In collatione microcosmi cum Deo, Cœlo, & mundo imo plus est dissonantiæ, &c. Ergo.*

8. Studium patris erga hominem, & in cœlo inuestigando, præ aurificio est laudabile, si bene, & vt fas est impensum. Si vero Magiam & Cabalam inde petiit, quomodo *Paracelsus*, satius fuisset, totum vitæ tempus auro faciendo dedisse. Neque tamen parum Chrysopœæ tributum fuisse necesse est, si inconsumtiles Thesauri parati, qui & regibus possint communicari, & superent Hispani aurum ex vtraq; India.

Cur in ista vanitate placuit laborare? An nullus erat sapientum, qui illam melodiam animaduerteret, & ad *Paracelsi* parabolas respiceret? Si quid stabile fuisset in collatione, pridem in ordinem fuisset coactũ, non à monachis, qui suis speculationibus sunt beati, sed à cõsultissimis naturæ, rerumque naturalium interpretibus, qui olim longe fuerunt perspicaciores, quam qui in putidis monasteriis sibi imaginantur, quod volunt, quiq; Chymiam quidem exercent, sed tantum iudicii non habent, vt dextre accommodent.

9. Magica lingua fraternitatem vti ad DEI laudem, bene sonat. Doceat modum absq; perplexitate generali. Sæpe lingua & mens dissonant, & quod longe alium finem habet, dicitur ad *Dei* gloriam comparatam esse. Cum abutuntur Magi verbis diuinis ad sanationes, & opera Magica, eadem cum demente populo dicunt opinione, nihil mali se adhibere, in quo quidem verum dicunt, sed modus & qualitas facti est mala. *Bona bene, & nõ male sunt vsurpanda.* Magica lingua quænam est? Apud *Lucanum* est hieroglyphica Ægyptiorum per sculpta animalia, & alias signaturas, vti videre in monumentis Ægyptiis.

Magica

Magica Cabalistica, mystica artificum lapidis, characteristica constellatorum, & aliæ Magorum sunt singulares, non omnes nec finis, nec vsus boni, vt patet per Abrasaxas Basilidis, & barbaras dictiones *in archidoxi Paracelsica, & Agrippæ magia.* Quæ verba *Paracelsus* ad suas phantasias denotandas produxit, vt *Aniadus, Archæus, Flaga, Euestrum, Relollaceus, Rebisolleus, Geryonius,* (à Geryone tricorpore ad tria principia designanda) *Iliaster* & alia, non sunt magica, sed ridiculæ quædam notæ, quanquam aliqui eis magis delectentur, quam Græcis, Latinis, Arabicis, &c. Idem Medicis, Physicis, Theologicis etiam eruditissimis. *Omne nouum carum.* Opinor ne *Paracelsum* quidem semper potuisse dicere, quid istis barbarismis voluerit significare. *Sunt pleraque ructus crapulæ hesternæ.* Si gloria Dei quæritur, verbis his vtendum est, quæ intelligi possunt, & ædificare. *1. Cor 14.* per totum. Linguarum dator est *Spiritus Sanctus* in Nouo Testamento, *1. Cor. 12. 10. Act. 2. cap. 10. 45. 46 cap 19. 6.* Potestne societas dicere suam linguam ab eo autore esse? Ad Deum glorificandum non opus est nouam linguam comminisci. *Suspecta est linguarum mutatio viris Germanis.* Latrones & mendici latrocinia & furta exercentes, item factiosi solent literas, scripturam & linguam variare. Steganographia *Tritemij* magica est, & *vix est alius magus similis professionis, quin aliquid proprii habeat.* Imo & efficaciora verba putant esse, quo obscuriora, qualia inueniuntur etiam apud *Catonem rusticum.*

Nouimus cuilibet disciplinæ esse aliquid peculiare, quod discendum est ab initiatis. Ita Dialectica, Rhetorica, Grammatica, Musica, Chymia, Medicina, Iurisprudentia, Theologia, &c. habent suum loquendi genus, suntque voces non ad magicas sortes, excantationes, vaticinationes cabalisticas, & similia comparatæ, sed ad significandum rationaliter. Sed ne ante tempus iudicemus, suspendemus nostram sententiam, donec lingua ista in lucem prodeat.

10. Professio de fide cognitionis *Christi* specialius est declaranda, vt constet Caluiniana ne sit societas, an de Augustana Confessione. Videntur se prodere socii nominatis Sacramentis iuxta omnes phrases & ceremonias primitiuæ Ecclesiæ. Nosse debent essentialia esse perpetua, vt & ceremonialia, sine quibus essentia non potest administrari, & quæ vniuersalis Ecclesia secundum analogiam fidei vniuersaliter instituit & obseruauit sine superstitione & læsione essentialium, ea non esse temere mutanda.

Tales enim mutationes pariunt schismata, & tandem hæreses. Sunt hodie nonnulli, qui prætextu reditus ad primitiuam Ecclesiam vnionem fidei, & concordiam dissipant: quasi vero circumstantiæ mutabiles locis, personis, temporibus possint esse perpetuæ. Primitiua Ecclesia accommodauit se ad sua tempora, loca, personas, pericula, defectus, &c. Posterior adiaphora suis accommodauit, & ad hoc etiam ab hæreticis est compulsa, aut ab his, qui sinistre iudicabant de ritibus. Ita & dictiones fuerunt aliquando applicandæ, vt ab heretica prauitate se Ecclesia pure seiungeret.

Ita mutatæ sunt agapę *1. Cor. 11 21* & baptizationes super mortuis *c. 15. 29.* Item fractiones panis in domibus, bonorum communio, & alia. *Paulus Gal. 2. 4. 5.* falsis fratribus libertatem vellicantibus non cessit. Habuit autem in hac libertate regulam suam. *1. Corinthior. 11. 34. 2. Corinthior. 10. 13. 15.*

Iactatis fratres Harmoniam vestram omnium temporum, quid de his fiet, quæ sunt temporum certorum? Vbi iam obseruantur omnes ceremoniæ primitiuæ Ecclesiæ? Si etiam vestra harmonia est catholica totius mundi & omnium inter se partium omnibus temporibus non potestis ea complecti, quæ singularia habet Ecclesia. Neque enim hæc sunt mundana. Quouis autem modo aliquid attrahere ad harmoniam cum Deo, cœlo, terra, frigidum & elumbe est. Ita enim Deum & Diabolum, pios & impios facile vnietis, quique est Dei aduersarius, & euersor omnis boni, cum generica aliqua & logica nota in concentum & melodiam cum Deo cogetis, atq; ita infernum cœlo miscebitis.

Ex hac conformitate qualem cudetis disciplinam homogenia sua gaudentem? Nouimus contraria genere conuenire, & quæ ars virtutes tractat, eam etiam iudicare vitia: sed *solæ virtutes harmonicæ sunt, & genuinæ, vitia à melodia & temperamento sunt aliena*, sicut in Musica Euphonia est essentialis, cacophonia essentiali melodiæ aduersa. Si vestra magia tantum homogenea, & consonantia spectat, alienitates & dissonantia repudiat.

Cum ergo in mundo inter homines (nam microcosmus non tantum vnicus & singularis est homo, sed omnes quoque homines, seu omnium congregatio simul, sicut cœlum non est vna stella, sed innumerabiles certo ordine inter se coaptatę, certisque motibus tanquam in Republ. incedentes) plurima sint inordinata, & dissonantia, diuersis iudiciis ob diuersas formas & affectiones obnoxia, facile fieri potest, vt melodia vestra mundana sit potius, quam diuina, aut saltem in plærisque dubiæ accommodationis.

Verum hæc liquidius patescent, cum harmonia vestra processerit. Si homo & res humanæ, vti in mundo post peccatum ab initio fuerunt, sunt in vnam sphæram cum Deo cogendæ, quam multa sint abiicienda, palàm est: Imo homo plane non poterit consistere in circulo eodem cum Deo, nedum in globo, si ea, quæ sunt ipsius, spectare velis. *Habitat enim in carne nostra nihil nisi malum. Rom. 7. 14. 18.* Et quis possit consistere coram Deo peccata imputante? *Ps. 130. 3.* Sin autem eligimus tantum ea, quæ cum Dei voluntate conueniunt iuxta legem, & gratiam, non est opus vestra magia & sphæra. Satis patet voluntas Dei per Christum & Apostolos Prophetasq; in Ecclesia Dei. Hanc si acceptaueritis, & secuti fueritis, magiam & cabalam Paracelsicam abiicietis. Nihil enim de ea habetur in Dei voluntate reuelata. Hæc de fide vestra.

11. Agnoſcitis in Politicis Imperium Romanum. Huius ſi membra & ciues eſtis, non debetis latere. Si *Imperator Romanus* vos ignorat, ſi nullus eſtis ſtatus, nec legitime recepta congregatio veſtra: ſi nihil in conſeruationem Reip. impenditis: ſi obedientiam & honorem non reipſa declaratis, & in publicis comitiis non comparetis, nec onera communia portatis, ridiculum eſt dicere, vos Romanum Imperium recognoſcere. Non ſatis eſt verbis id prodere: res ipſa requiritur, ſeu realis vnio cum Imperio, vt pateat vos vnius corporis membra eſſe. An vero arbitramini, *Imperatorem* toleraturum eſſe factionem veſtram, & conuenticula? Non credo ita ſimpliciter. Theſauros promittitis regibus. Si ſcirent, vbi eſſent reconditi centum & viginti annorum interuerſum tributum (nihil enim contribuiſtis ad tot Imperij labores, cum ſitis ditiſſimi, quia latuiſtis) cum magno fœnore iuſtiſſime poſtularent.

Egregia eſt Harmonia, quam profitemini. Cætera membra Imperij omnem vim ab hoſtibus ſuſtinuerunt, vos diuitiis etiam Hiſpanum ſuperantes immunes fuiſtis. Inquirentur latebræ veſtræ, nec vos defendet Magia veſtra, vel Cabala. Et hactenus quidem vobiſcum colloquendum putaui, non quod ſtudiis veſtris velim me opponere antequam plenius innoteſcant, ſed vt ſuggererem nonnulla exactius deliberanda, priuſquam in publicum prodiretis. Hæc ſi accipietis animo bono bene eſt: ſi non, mihi vos præmonuiſſe ſatis erit. Deus à Magia vos Cabalaq; Paracelſica & Crolliana abſtineat.

Fiat.

FINIS DEI GLORIA.

INDEX





INDEX RERVM ET MATERIARVM MEMORABILIVM, QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

Index

Con-

Ea, quæ

E.

F.

G.

Galenico-

Seminum

T.

F I N I S.

I.

D. O. M. A.

ANALYSIS CONFESSIONIS FRATERNITATIS DE ROSEA CRVCE

PRO ADMONITIONE ET INSTRVctione eorum, qui, quid iudicandum ſit de iſta noua factione, ſcire cupiunt.

AVTHORE

ANDREA LIBAVIO M. D. P. C. ILLVSTRIS GYMNASII CASIM. APVD COBVRgenſes Directore & Profeſſore publico.



Impreſſum Francofurti ad Mœnum

Sumptibus Petri Kopffii.

M. DC. XV.



PARACELSICA NONNVLLA CVM SOCIETATIS R. C. PLACITIS CONFERENDA.

SOcietas generalem reformationem ad exemplum terrenæ paulo ante mundi finem, (quem alii dicunt futurum esse An. 1623. alij 1643: alij 1656: alij 1670. &c.) prædicit, quo tempore Leo quidam Thesauros societatis sit occupaturus & conuersurus in vsum contra Pontificios, &c. Paracelsus aliquoties vaticinatur de quodam aureo seculo, in quo abolitis omnibus hæresibus Papa vnus sit futurus, isq; orthodoxus. (Vide interpretationem imaginum in cœnobio Norimb. tomo 10.) vbi agit de Lichtenbergerianis titulo de arbore Turcica, indicat, TVRCVM quendam ad Christum conuersum fore illum Leonem á Septentrione, qui omnia sit occupaturus, quanquam non ex Deo, sed ex cœlo. Ita de REFORMATIONE noua ibidem ait, quod non Deus, sed cœlum eam sit daturum. In Thesauro Alchymistarum scribit, SE SCIRE suam fore MONARCHIAM, & vaticinatur de suis discipulis. An hi sunt Roseæ CRVCIS? Eadem fundamenta Luminis naturæ, & Harmoniæ maioris, minorisq; mundi & seculorum: item Spagiriæ essentialium & elementalium (quasi sicut astrales essentias, & elementa ex mistis separamus, ita cætera quoq; partim sint cœlestia, partim elementalia) prætereaq; comparationum artis, naturæ, fastorum, &c. quasi ex his opinione priuata iudicatis possit esse certa scientia, profitetur, dicitq; se nosse naturam, & à natura recognosci. Est Magus & Cabalista, ex professo, qui omnia sibi ex Magia sua pollicetur per fidem & Imaginationem, quæ Magi dæmoniaci possunt, imò & plura miracula, q̃ Christus fecit. Homunculis, Gamahiis, characteribus, verbis, & aliis constellatis mirabilia tribuit, omnesq; morbos putat & præcaueri & sanari posse, vel etiam infligi per eadem. Cogit & Spiritus ad colloquia: Literas obsignatas legit: Incudes cultro diuidit, &c. neq; tamen vi dæmonum (si credimus) sed influentia cœli, quod omnia posse confidit. In lib. de Imaginib. c. 6. agit de crucibus ex cœlo, vaticinaturq; de extinctione hæresium, donec veniat aureum seculum, post quod dies Domini breui sit futura, &c. quibus verbis vtitur & Societas. Ex aere voces & oracula elici posse, narrat per suam magiam, fidem, imaginationem. Ordines dignitatum debere interire, ante aureum seculum duabus partibus hominũ consumtis, tertia salua pronunciat: Spiritus hominũ in statuas inferri posse putat, vt ex eis aliquid cognoscatur. Quicquid fit elemẽtaliter, materialiter & visibiliter, id arbitratur fieri per sydera spiritualiter & inuisibiliter: Ea vero esse in arte humana, & posse è cœlo in res alias induci. Flaga (spiritus quosdam) cogit parere Nestromantiæ, vtq; sunt inuisibilia, reddant visibilia per specula, perspicilia, prunas, vngues, crystallos, Berillos, &c. Docet quidẽ transmutationẽ metallorũ, sed præterea etiam varios modos habet Thesauros inueniendi. De suo quoq; Thesauro VVeidensi in dictione Forojuliensi gloriatur. Per Nestromantiam reuelat cogitationes, ita vt nihil sit quod non possit scire. Legit & Biblia, commendatq;: sed mirifice interptetatur, vt videre est in sagace Philosophia passim, præsertim Tom. 10. p. 199. 133. 202. 209. 134. 246. Omnia sydera esse omniscia. pag. 187. Tom. 10 asserit. Eorum autem vires, quo magnete trahat in hominem, & subiecta alia, quæ de imaginatione, fide, rebus constellatis, flagris, & aliis spiritibus habet, declarant. An non ista scientia est etiam iactata à Societate? cui otium est, is potest tomos Paracelsi relegere cum Crollii præfatione in suam Basilicam. Absq; difficultate etiam singula proposita societatis inueniet, videbitq; ex Paracelsi scriptis potius translatam esse professionem, quam ex Magia Arabum. Omnia tamen talia fere sua, & discipulorum impotentia, falsitatibusq; refutauit, &c.

Paracelsistæ nõ possunt sine Diaboli ope id quod se posse iactant.

D.O.M.A.

D. O. M. A.

DE CONFESSIONE FRATERNITATIS DE ROSEA CRVCE MEDITATIONES.

I.

DE Atheniensibus & peregrinantibus apud ipsos hospitibus, item Philosophis, Stoicis, & Epicureis legimus in Actis Apostolorum, ὅτι εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. Vnde & Apostolus *Paulus* annunciato *Euangelio de Christo*, Philosophis videbatur noua quædam auribus eorum ingerere de *dæmonibus nouis*, noua quædam doctrina, quam ex ipso cognoscere quidem cupiebant, sed mox contemnebant, ne fortasse iudicio *Areopagi* damnati *Socratis* fortunam experirentur, quasi patriis diis abnegatis peregrinos acceptare; & colere vellent.

Sectiones.

I I.

Noui quid nostrorum temporum Theologis & Philosophis à *Societate Roseæ Crucis* proponitur: Id cuiusmodi sit, non pruritu nouitatum in doctrina Christiana; de quo loquitur Paulus 2. Tim. 4.3. (Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed κατὰ τὰς ἐπιθυμίας iuxta sua desideria, & cupiditates legent sibi prurientibus auribus Doctores) perpendendum est; sed iuxta regulam Paulinam 1. Thessal. 5.20. *Prophetias nolite spernere. Omnia probate, quod bonum est, tenete.* & Iohannis 1. Ioh. 4.1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Nam multi Pseudo-prophetæ exierunt in mundum.* Sunt & vaticinia grauissima de apostasiis vltimorum temporum, de charitate frigida, & fide tam tenui, vt vix possit in terris inueniri. Non ergo extinguemus spiritum, neque spernemus prophetiam ante probationem; sed saltem quid rei sit, considerabimus.

Math. 24.11. 13.
Luc. 18.8.

I I I.

Quartum colligere ex Confessionis lectione potuimus, duo potissimum spectantur, in quibus est cardo rei; vnum est *de 37. argumentis*, quibus motus quis ad societatem accedat: alterum ostendit *viam accedendi*. Prius etiam valet ad manendum in societate ingentium, insperatorumque bonorum cumulo indeficiente promisso. Scripta est maxime ad literatos, qui etiam iubentur argumenta ponderare, & videre, sintne satis firma ad persuadendum extraneis, vt fraternitatis esse desiderent. Monent fratres, ne pro figmentis habeamus ea, quæ in FAMA sunt prodita, quæque iam in Confessione proponuntur, cum nec nugæ leuiculæ sint, nec ex opinione vana fratrum profluant, verum ex DEO tota reformatio ortum habeat; id quod tum *harmonica mundi conciliatio* indicet, tum *nouarum stellarum apparitio in Serpentario & Cygno*, quæ sit testimonium de *voluntate diuina, deq; sublimibus, & magni momenti rebus, &c.*

Promissio cõtra Dei verbum.
Deus Paracelsicus.

I V.

Verum quia ista videntur etiam persuasoriam vim habere, inter argumenta reponantur, sitque Thema. *Fraternitas societatis de Rosea Cruce est adeunda.* Argumentum I. Quia Dei, mundum instauraturi, ista est voluntas signaculis nouarum stellarum, & characteribus magni libri naturæ declarata, qua etiam decreuit numerum fraternitatis illius augere. Itaque *certo sciunt* fratres fore, vt quod iam in occulto est, palàm, publicè, voce diserta, claraque proclametur, & coram omnibus asseratur, &c. Pag. 55. Mundus ad finem perductus absoluta periodo festinat ad principium. P. 57. Mundus iam debet renouari.

Voluntas Dei de terrena Paradiso restituenda.
In mundo tantum debent esse Paracelsici, Magi & Enthusiastæ.

V.

Hoc argumentum valde est obscurum. Itaque explicandum est; quæ sit ista instauratio & renouatio: Deinde qui possit id ex stellis nouis, & mundi magni characteribus disci. Nouimus quidem ex Esa. 43 v. 19. DEVM dicere: *Ecce facio omnia noua*: sed hoc pridem impletum est Euangelio per Filium prædicato. Ita enim explicat Paulus 2. Cor. 5. v. 17. *Si quis est in Christo, noua creatura est: vetera transierunt. Ecce facta sunt omnia noua.*

V I.

Legimus & de Mundi veteris interitu, & restitutione noui Es.51.v.6.cap.65.17. cap. 66.22. 2.Petr.3.7.& seq. Apocal.21.vers.1.& seq. Matth.24.29.35. Hæc restitutio partim est essentialis, partim moralis, quanquam quidam nolint essentialem fore, quia accidentalis tantum promittatur; vt in Macrocosmo. Verum non sunt contemnenda argumenta. Luc.21.v.33. Matth.24.29. Es.34.4. Homo quoque ad materiam primam corpore reuocabitur, iuxta dictum: *Terra es*, &c. Gen.3.19. Eccles.12.7. exceptis nonnullis, quos occupabit dies vltima, & extra ordinem translatis. Moralis restitutio Euangelica est per Eliam, secundum, h.e. Ioh. Baptistam, Christum, Apostolos, & successores. De Elia est Matt.17.11. quod sit restiturus omnia: Apoc.11. v.3 & sequ. de testibus duobus, amictis saccis, prophetantibus per dies 1260. seu menses 42. aut annos seculares 3½. qui vulgares sunt 350. Verum restitutio omnium perfecta, non in seculo expectanda est, sed post seculum: Eliæ vicem Ioh. Baptista expleuit: (Paracelsus alium artistam ex suo stulto cerebro produxit) duo testes non sunt Enoch & Elias, vt putant Pontificii, sed duæ oliuæ, & candelabra; (videtur Vates respicere ad Zachar.4.14. de Iosua sacerdote, & Zorobabele, illo Principe Ecclesiastico, hoc Politico, vti Lutheri tempore factum: alii accipiunt de lege, & Euangelio) contra quæ Antichristus sic est pugnaturus, vt dies 3½ corpora occisorum in plateis Papatus Romani sint conspicienda; qui tamen in vitam reuocati spiritu vitæ à Deo cum timore magno spectatorum staturi sint, indeque in cœlum ascensuri. Sed hoc vaticinium de sinceritate Euangelii iam est impletum, vti & de politico Imperio. Papa vtrumque pressit, & q. neci dedit. Respirauit autem sub Carolo quinto, cuius exercitus etiam Romam in timorem coniecit. Verum non diutina fuit hæc felicitas. Romano enim Pontifici sua sunt relicta: Euangelica Confessio paulatim variis hæresibus ad paucos redacta est, vt fere videatur fides in cœlum assumpta. Vbi vero societati testimonium ex vaticiniis? Qui illi characteres?

Coniectura est circa an. Ch. 1177. vnum Prophetam (h.e. Imperii potentiã) esse occisum in Frid. I. à Papa conculcato. Lutherus & doctrinam Euangelii restituit, & Imperio suum honorem à Papis oppressum.

V I I.

Explicatur itaque argumentum primo de Dei voluntate. *Reuocandus est mundus ad statum Paradisi ante lapsum. Restat enim sextum candelabrum, & sexta ætas mundi. Quinque præterierunt.* (fortasse iuxta illud Apoc.17.10. Quinque ceciderunt: vnus est: & alius nondum venit, & cum venerit, oportet illum breui manere.) *Hæc sexta ætas mundi debet habere miranda & secreta. Deus ipse naturam inuertit, & ad principium reducere festinat.* Pag.69. Bene obseruandum est, & singulis significandum, quod DEVS CERTO & OMNINO decreuerit MVNDO ante interitum, qui paulo post continget, plane *talem veritatem, lumen, vitam, & gloriam conferre*, qualem primus homo Adã in Paradiso amisit.

V I I I.

Sed ne decipiamur verbis: Videte fratres de Rosea Cruce, qui cum Verbo Dei vestra explicatio possit consistere. Scimus Act.3.v.21. fore tempus ἀποκαταστάσεως πάντων, seu restitutionis omnium: sed Christo à cœlo redeunte ad iudicium; & eam restitutionem inchoari ab aduentu secundum apparentis Eliæ, seu Iohannis Baptistæ, Matt.17.11. consummari aditu gloriæ, quod & tempus ἀναψύξεως (refrigerii) iam manifestatis filiis Dei in gloria cœlesti. Actor.3.20. & παλιγγενεσίας Matth.19.28. dicitur. At de vestra restitutione ante finem mundi nihil habemus in vaticiniis, sed contrarium potius. Etenim mundus spiritum veritatis non potest accipere, quia nec videt nec cognoscit eum. Ioh.14.v.17. Quomodo ergo Deus Mundo decreuit veritatem? Amos 3.7. *Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Vos esse Canonicos Dei Prophetas, quo argumento probabitis? Deinde Christus ipse, quæ finem mundi sint antecessura, liquido indicauit, non scilicet felicitatem Paradisi in integritate, sed statum proximum ingruenti diluuio & Sodomæ. Quales hi fuerint, legere est Gen. 6. & c. 18. Item c. 19. Ezech. 16. 49. Matth. 24. 37. 38. Luc. 17. 26. 27. 28. 29. Vide illa horrida, Matthæi 24. Marc.13. Luc. 21. 2. Thess. 2. Apoc. 16. 14. 15. c.19. 14. & seq. 2. Pet.3.3.10.1. Thess. 5.2. *Cum dicent pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus.* Luc. 21. 35. *Tanquam laqueus superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Tunc plangent omnes tribus terræ.* Matth.24.30. ne forte fraternitas vestra putet se immunem fore. Imo & fides erit pauca. Luc.18.8. Quid de cruce & passionibus Ecclesiæ corporis Christi? Matth.10.38. Phil.1.29. Ebr.12.5 6.7. 2. Tim.2. vers.12. Colos.1. 24. Hæc omnia non possunt consistere, si paulo ante vltimum diem vestra reformatio erit.

ἀποκαταστάσεως πάντων.

Ita Luc. 12. 40.

IX.

Quod aũt attinet ad nouas stellas, & characteres, qua fide probatis vestras ex eis prædictiones? P.73. Video vos asserere, *vtiles esse quidẽ ad id arcanas scripturas, & characteres, sed licet magnus liber naturæ omnibus pateat, tamen paucos esse, qui illum possint legere.* Sensus est; à vobis ista singulariter in mundi libro lecta esse, vtpote illuminatis. P.67. etiam Politiarum cursum cõsideratis. Pag.74. codicem Bibliorum omnibus cæteris antefertis, & compendium totius mundi, vt alii hominem, vocatis, sed intellectu vestro. Pag.75. Non enim prostituitis, & plebeia facitis biblia Genuinum sensum omnibus temporibus mundi, & ætatibus applicari, & dirigi vultis, cum aliàs magna multitudine interpretum biblia in diuersa trahantur. *Characteres vestros*, pag.73. *dicitis, à Deo sparsim Bibliis insertos esse: Deinde etiam impressos cœlo, terra, & animalibus admodum euidenter, ex quibus perspicue pateant Ecclesiæ Eclipses quamdiu durare debeant.* Si quæras, quis an non scriptura aliqua sit, quæ magis explicate omnia expediat, quam sacræ literæ, & macrocosmici characteres, respondetis pag. 73. Vos ab illis characteribus mutuatos esse *magicam scripturam, & nouam linguam*, qua natura omnium rerum declaretur. Qui ergo vestrum alphabetum & linguam scit, ille characteres naturæ poterit intelligere.

Paracelso & Crollio homo est mundi centrum.

Characteres Paracelsica persuasiones

Magica scriptura & noua lingua.

X.

Fatendum est, nos simpliciores esse, quàm vt vestra secreta intelligamus. Audiendus tamen Christus

Chriſtus eſt cum Apoſtolis. Infallibilia ſecreta voluntatis diuinæ patefacit DEVS *non ſapientibus & prudentibus, ſed paruulis.* Matth 11.25. 1.Cor.1.25. *Stultum DEI ſapientius eſt hominibus. Stulta in mundo elegit DEVS*, adeo vt ſi ſapiens velit intelligere vias DEI; ipſum oporteat conuerti in puerum, & ſtultum fieri. Matth.18. 1.Cor.3.18. *Non neceſſe habemus, vt aliquis doceat nos. Vnctio enim de omnibus nos docet.* 1.Ioh.2.26.Ebr.8.11.Non docebit &c.Eſa.54.13.Ioh.6.45. *Erunt omnes docti à Deo.* Et quam ſolicite monemur Matth.7.& 24.vt caueamus nobis à Pſeudoprophetis? *Oues Chriſti vocem Chriſti, & non alieni audiunt.* Ioh. 10.5.Chriſtus nihil dixit de magia veſtra;

XI.

Characteres mundi impreſſi.

Veſtri characteres quando impreſſi ſunt mundo? An tunc cum DEVS terræ malediceret; Gen.3.17. & naturam vanitati vſque ad reuelationem filiorum DEI ſubiiceret.Rom.8.19 20? Qui fit vt fides non ſit animalium hominum, 1.Cor.2.14. Rom.8.7, ſed reuelationis per Chriſtum ex ſinu Patris, qui nobis non veſtra manifeſtauit, ſed longe alia? Paulus aliquid tribuit gentibus *ex naturæ libro.* Rom.1. Sed quam id ſit deprauatum, ibidem docet abunde. Saluator nobis indicauit ſigna mundi perituri. Matth.24.& alibi. Veſtræ felicitatis Paradiſiacæ nulla reliquit, qui tamen omnia à Patre audita expoſuit Ioh 15.15.vt vobis credamus, fortioribus opus eſt argumentis.

XII.

Sapientia Adami ante lapſum.

Sapientia Adæ non fuit interminata

Monetis in famæ præfatione reſpiciendum eſſe ad *Sapientiam Adami* ante lapſum. Reſpeximus. An ſit ſapientis perſuaſu ſerpentis & mulieris ſe ab obedientia DEI, legis naturæ, & poſitiuæ auertere, & ſuperbia quadam ſimilitudinem DEI affectare, nec reputare ſe ad imaginem DEI iam factum eſſe? Paulo ſimplicitas in CHRISTO IESV placet. 2.Cor.11.3. Eua ſeducta eſt πανουργίᾳ ſerpentis, ſeu aſtutia, verſutiaque veteratoria. Credimus ſapientes fuiſſe protoplaſtos in ſuo genere & eo gradu, quem tunc DEVS eſſe voluit. Nimirum ea ſimplicitas vna fuit, vt inter nudum & non nudum non diſcernerent, ſicut forte & Anabaptiſtæ illi, qui Adamum in hoc imitari ſtudent. Vosne ſtatum hunc reducendum in ſeculo eſſe opinamini? Non ita Chriſtus & Paulus, ſed tranſeant iſta. Quo argumento diſcemus eandem integritatem maioris & minoris mundi in ſeculo reuerti debere? Poſt ſeculum in Electis tam reparationem diuinæ imaginis perfectam, quam vltra cogitationes noſtras ſublimem gloriam fore credimus. Coloſſ, 3.v.10. Eſ.64.4. 1.Cor. 2.9 Non ſi Adam ſapiens fuit in Paradiſo, homines tales ante extremum diem eo modo ſunt reuerſuri. Libenter damus ſapientiam Euangelicam eſſe potiorem illa prima, ſi continuata fuerit vſque ad perfectionem: at hæc non eſt illa veſtræ reformationis.

XIII.

Salomonis ſapientia.

Proponitis & *Salomonis* exemplum, de cuius ſapientia extat 3.Reg..4.29. & ſeq. 2.Paralip.1. 12.& c.9.Eccleſiaſt.47.16.Autor libri Sap.cap.7.introducit Salomonem diſſerentem de ſua ſapientia in Phyſicis, Hiſtoricis, Ethicis, Aſtrologicis, Zoographicis, Meteoris, Phyſiognomonicis, Botanicis, medicina. Exoptanda ſane talis ſapientia eſt; ſed cum conſtantia in timore Domini, & cognitione Chriſti, quæ vera eſt ſapientia omnibus mundanis anteferenda Phil 3.7 8. Epheſ.3. 19. Hanc diſcimus ex libro reuelationum DEI. De Salomonia reditura nihil eſt in vaticiniis, & fuit ſane hæc mutabilis, & quadamtenus in magiam conuerſa, adeo vt *Ezechias* Rex dicatur libros Salomonis combuſſiſſe, quales & illi *Epheſini* fuerunt Act:19.19. Si DEVS voluiſſet ſaluam eſſe *magiam Salomonis*, vt Prouerbia, Canticum Canticorum, & Eccleſiaſten conſeruauit, magica quoq; commentaria ſeruaſſet, vt non opus fuiſſet Patri ſocietatis *Magos Arabiæ* & *Mauritaniæ* adire, indeq; ſapientiam petere, quæ cum ſit affinis Paracelſicæ, ſtultitia eſt, non ſapientia. Vnum adhuc vos moneo. Si tantopere Salomonia placet, ecquid ſtatuitis de hac ſententia, quæ eſt Eccleſ. 8.6.& ſeq. Omni propoſito tempus eſt, & opportunitas, & multa hominis afflictio. Ignorat enim quid fiet, quia quemadmodum futurum ſit, quis annunciabit ei? &c. Sic Chriſtus Act. 1.7. Apoſtolis ſcire reſtitutionem Regni Iſraelitici cupientibus reſpondebat: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater in ſua poteſtate poſuit, &c. Hanc modeſtiam in vobis non conſpicimus.

XIV.

" Secula per " ſenſus diſ- " tributa. "

Quando autem erit illud beatum ſeculum? Pag.72.dicitis: *Quædam ſecula auditu cognitionem rerum ſunt adepta quædam viſu: alia odoratu: alia guſtu*: His ſuccedet ſeculum *elocutionis. Cum mundus à ſopore ſuo graui euigilabit, & obuiam ibit nouo ſoli orienti pedibus nudus, nudo capite cum gaudio, tunc erit ſeculum prædicationis.* Mira narratis. Cur ſi ſenſus reſpiciendi ſunt, omittitis tactum? Imo cur non potius interiores ſenſus, & facultates mentis proponitis? Harum enim eſt cognitio veri & falſi, virtutum & vitiorum. Deinde ſi mundus correptus eſt graui ſopore, neceſſe eſt vidiſſe dormiendo, & ſic de cæteris ſenſibus, quorum tamen ligamentum ſomnus eſt. Inſuper cur diſtribuitis ſecula in ſenſus ſingulos? An quo tempore odoribus occupati erant homines non videbant, nec audiebant? Deficiente quodam ſenſu aliqua notitia deficit. Fuerunt tamen qui in ſomno, & ex Dei colloquiis adepti ſunt ſcientiam, Num.12.6.7. Eſt & oraculum ſuper arca, & cognitio per Vrim, & Thumim, Ex.28.30.cap.25.22. Fortaſſe vos hos modos reducetis, niſi Enthuſiaſmum profitemini, & ſpiritus familiares, qui πάρεδροι dicuntur, ſub ſpecie & ſimulatione angelorum lucis colitis, aut etiam inſtauratis oraculum Delphicum, Dodomeum, & alia. Libet hic quærere, Si ſecula ſenſibus notitiam acquiſiuerunt, quo ſenſu vos didiceritis omnia illa præterita, præſentia, futura, de quibus ſcribitis? Veſtrum quidem ſeculum enunciationi deſtinatis; ſed neceſſe eſt, cognitionem præceſſiſſe. Nobis monſtratur alia via ad ſapientiam. Iacobi 1.5 Matth 10.19. 2.Cor.4. 18. *Nos contemplamur non quæ videntur temporalia, ſed cætera quæ non videntur.* c.5.7. διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους. Quæritur cur ſeculum fidei, quod non eſt ſenſus, omittatur? Tempus etiam prædi-

cationis, seu annunciationis, & eloquii non dilatum est in vestram societatem, sed in sacris incepit cum Adamo: vide Ebr.1.v.1. de Deo Patribus loquente per Prophetas, & Christum, qui & ab initio locutus est Ioh.8.25. Act.7.38. Matth.13.35. Ps.77.2. De tempore prædicationis Euangelii in vniuerso mundo per Apostolos legimus, quod incipiat ab ascensione Christi vigeat post Pentecosten, & duret vsque ad finem mundi: Imo à Iohanne Baptista initium habeat Matth.3.v.1. Eodem tempore etiam visus & auditus verus reductus est.

XV.

Sol nouus oriturus.

Es.9.2. ***Populus in tenebris ambulans vidit lucem magnam, & habitantibus in regione vmbræ mortis lux est orta.*** cap: 60. ***Vocatur gloria Domini, & Dominus ipse. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.*** Ioh.1. ***Verbum*** (Filius DEI rerum creator) lux appellatur ***vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.*** Ita cap.3.v.19. cap.12.35.36. cap.8.12. 2. Pet.1.19. vbi & verbum ***lucerna*** dicitur, sicut Psalm.119.v.105. Item dies & phosphorus: ***Lucerna & claritas Dei, agnus***, Apocal.21.23.24. Quis est ergo ille vester nouus sol oriens, cui obuiam eundum sit detecto capite, & nudis pedibus? Num vestra societas, & doctrina eius noua? At 1.Ioh.2.8. tenebræ transierunt, & ***verum lumen*** iam in Ecclesiis Apostolicis Augustanæ Confessionis lucet, nec nouum mandatum scripsit suis Iohannes, & omne adulterium est, quod scriptis Apostolicis, & Propheticis non consentit. Si eundem solem profitemini, non est nouus: sin diuersum, Pseudoprophetę eritis, de quibus sunt vaticinia postremorum temporum. Neque enim potestis vobis accommodare, quod extat Es.30.26. de ***sole septemplice***. Legimus de sole sapientiæ, iustitiæ, gloriæ. Ast is non est magicus ex Arabia & Mauritania. Paracelsicus sol est caligo pene mera, & mendacium.

1.Ioh. 2.7. 2.Ioh. v.5.

XVI.

P.21. Summa Reformationis Rhodostaurica.

Argumentum II. item est copiosum. Societas est adeunda. Quia proponit 1. ***defectus*** nostrarum artium, (quæ hactenus in scholis viguerunt) 2. ***remedium:*** 3. ***certa indicia*** sequentium seculorum. 4. ***argumenta quibus sequentia cum præcedentibus debeant concordari.*** 5. ***Ecclesiæ defectus.*** 6. ***Philosophiæ moralis***, (Ethicę, Politicæ, OEconomicæ) correctionem. 7. ***Res nouas***, quę antiquæ Philosophiæ (quæ imperfecta, morbida, fereque iam in agone est, de quo nullum dubium est societati) minime congruunt: 8. ***noua axiomata per quæ possunt saluari, vel omnia dubia explanari.*** Horum cognoscendorum & acquirendorum gratia quis non ex fratribus vnus esse optet?

XVII.

Philosophia noua mirabilis. Pag.58. Inaudita & admiranda secreta. Arcana multis communicanda.

Sed tamen explicatius quædam dicenda sunt. Si vetus Philosophia deleri debet, qualis erit noua, ne nomine circumducamur nudo? Admirabilis. ***Erit caput, summa, fundamentum, & complexio omnium facultatum, scientiarum, & artium. Habebit multa de Theologia, & Medicina, parum de Iurisprudentia, si nostrum seculum intuemur: diligenter perscrutabitur cœlum & terram, & vnicum hominem sufficienter explorabit, cognoscet, imaginibus depinget.*** Ex consequente ergo Literati ad nos se conferentes mirabilia arcana plura inuenient, quam hactenus cognouerunt, & inuestigare, credere, experiri, & explicare sermone potuerunt. Non quidem vilipendimus arcana nostra: veruntamen iustum est ea multis fieri communia.

XVIII.

Defectus artium in scholis.

Graue hoc est argumentum, si non est sophisticum, seu apparentis sapientiæ. Videntur tamen quædam partes secus se habere. Nostras artes deficere, in aliquibus non videtur καθόλου credibile esse, & καθ' αὐτό. Si quid per accidens euenit, id substantiæ non derogat. Agnoscamus tamen defectum. Ratio est, quia multa nos latent, differendaque sunt in seculum æternitatis. Quæ artes autem seculo inseruiunt, & necessitatibus huius mundi, eas variare temporibus, locis, personis, &c. nihil attinet, estque sæpe in his nulla necessitas, vt in sutoria, sartoria, architectura, magirica, &c. Philosophia constat artibus & scientiis. Hæ peccato sunt obscuratæ, & instrumenta nostra secularia non possunt ferre perfectionem absolutam. Quocirca de supplemento nos dubitare facit seculi imperfectio. Nam vt est 1.Cor.13.9.12. ***ex parte cognoscimus, videmusq; per speculum in ænigmate.*** Si tanta est artium nostrarum certitudo, & explanatio, quanta sufficit ad hanc vitam, contenti simus, & Deo etiam pro hac gratias agamus. Nos veremur ne totas abiiciat fraternitas, & sua commenta substituat. Deinde quis persuadebit tot Ecclesiis & scholis? Quid proderunt interpretamenta Theologica, Iuridica, & alia ex fundamentis artium nostrarum extructa, & hæreticis, aliisque erroribus fortiter opposita? An non omnis conatus hactenus in controuersiis grauissimis adhibitus, & obtentus pessumibit? Colligitur ergo veterem Philosophiam, & artes saniores tot seculis iam probatas non posse promissione fraternitatis ambigua permutari, & nos iam olfacimus Magiæ detestandæ halitum: Nam ex quo alio fonte scaturiet vestrum seu supplementum, seu correctio, quam ex Magia, Cabala, & similibus Paracelsi ineptiis? Itaque remedium est suspectum.

Philosophia defectus.

Detrimentũ ex reformatione.

XIX.

Defectus Ecclesiæ.

De Ecclesiæ defectu sarciendo spes nulla est, nisi cum oues ab hœdis separatæ iudicio vltimo fuerint. Olet hoc Anabaptisticas & Donatisticas sordes. Paulus dicit 1.Cor 11.19. ***Oportet hæreses inter vos esse.*** Et quam atrocia vaticinantur Christus, Paulus, & alii de temporibus vltimis? ***Deus nouit qui sunt sui.*** Quo modo in doctrina & moribus fratres Ecclesiam per totum mundum dispertam poterunt corrigere? Elias ne nouerat quidem Dei electos. Veruntamen pro salute consequenda, vitaque æterna, per cognitionem Dei, & Christi, perque fidem iustificantem perfecta est doctrina Christiana scripturis canonicis contenta. 2.Tim.3.16.17. Ioh.5 39. Vos ne meliorem & perfectiorem scientiam dabitis? Imo, si scripturas more Paracelsico exponetis, corruptiorem. Quid si vos hæreses non diminueretis, sed augeretis? Quid sibi vult nouæ fraternitatis cum

2.Tim.2.19. 3.Reg.19. Rom.11.2.& seq. Ioh. 17.3. c.0.40.

tantis

tantis Thesauris,& promissionibus secularis felicitatis productio? Monstrate vocationis vestræ fundamenta infallibilia. Aut Christi estis,aut Antichristi. Si illud: noua factione non est opus.

Fratres Rhodostaurici carent vocatione legitima

XX.

Ethicam corrigere velle est Æthiopem dealbare,& laterem lauare. Vosne seu Monachi,seu Anabaptistæ,aut Enthusiastę,magi & Cabalistæ,qua fiducia audetis hoc vel somniare per totum mundum? Intelligimus autem in Ethicam Theoricam,de qua scholæ satis scientifice disputant, sed practicam. Modum in fama ridiculum, & impossibilem proponitis, nisi putatis vos posse totum mundum incantamentis fascinare,vt de Antichristo suo Pontificii sentiunt.

Correctio Ethica.

XXI.

Vnde autem ista omnia hausistis? Oswaldus Crollius scripsit,in cœlo esse omnes artes, scientias,notitias,quas magnetismo quodam attrahat homo olympicus fide & imaginatione fortiter directa. Sed ille fabulas Paracelsi repetiuit, & non est consecutus, quod tam confidenter scripsit. Talis est & notitia ex microcosmo,quam Magi Paracelsici cum Cornelio Agrippa magnifice prædicant. Cur isti præcones sunt stulti,si tantam copiam sapientiæ habent? Vos aliud profertis.

Cœlum omniscium.

XXII.

Meditationes, (scribitis) *inuestigationes,& notitiæ Patris de R. Cruce fuerunt super omne illud, quod ab intectu humano 2. vel per diuinas reuelationes. 3. vel ministeria Angelorum & Spirituum. 4. vel acumine, & acrimonia intellectus. 5. vel diuturna obseruatione, inuentum, excogitatum, productum, emendatum, & hucusq; propagatum est,tam excellentes,preciosæ,& ampla,vt etiamsi OMNES LIBRI perire deberent,& Dei permissu omnium scriptorum,& totius rei literariæ interitus contingere: posteritas tamen ex solis illis meditationibus nouum fundamentum ponere,nouamq; veritatis arcem denuo extruere posset.* Hæc laus Patris vestri ecquid detrahit Monarchiæ Paracelsi? Is non solum seipsum omnibus antetulit,sed & Crollius non potuit sat magnifica verba pro gloria eius reperire,quem in præfatione Basilicæ vide pag. 13.28.56.68.69. vbi recitantur incredibilia & immensa præconia,quib. etiam perfecta pietas continetur,perfecta veritas,perfecta Theologia,perfecta Philosophia,nisi errat præco.

"Nota grandia de autore societatis. "P. 60.

Pater Rhodostauricus & Paracelsus de Monarchia scientiarum pugnāt.

XXIII.

Vetus est: *Qui nimium laudat hominem fragilem, vituperat.* Neque enim videtur tanta perfectio in eum cadere posse, cum non tantum Philosophorum sapientissimi suos defectus,& inscitiā confessi sint,(Socrates sapientissimus id tantum sciuit,quod nihil sciret,) verum etiam in sacris literis nostra ignorantia,& impotentia circa res diuinas & humanas sępe notetur. Vide 1. Cor. 13. Ecclesiast. c. 7. 28. & seq vbi nota Salomonem quoque non diffiteri suam ἀδυναμίαν,& c. 8. v. 17. negare *hominem posse inuenire rationem eorum,quæ fiunt sub sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum,tanto minus inuenire,& licet dicat sapiens se nosse,non tamen posse reperire.* Lege c. 1. v. 16. & c. 2. v. 11. & seq. Iob. 26. 14. ita c. 37. 16. & seq. & c. 28 v. 21. & colloquium totum Dei cum Iobo c. 38. Syr. c. 43. 36. *Operum eius minimā partem vi[illegible]mus. Multo maiora adhuc sunt incognita.* Modesti est humiliter de se sentire. Quid gloriatur cinis? Hesterni sumus inquit Baldad Suites Iob 8. 9. *Homo vniuersa vanitas.* Ps. 39. 7. *Ne quis arrroganter de se sentiat, sed modeste.* Rom. 12. v. 3. Si quis existimat, se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. Gal 6. 3.

Nimia laus hominis vituperium.

Salomonis defectus.

XXIV.

Cum itaq; de patre vestro incredibilia dicatis,abigetis potius discipulos,& fratres,quos q̄ritis, q̄ allicietis. Ita Paracelsus,quem cōmendatis,à Crollio,vt dictum est,prædicatur,& voluit ipse esse audireque arcanorum monarcha: verum magna gloria & spe excidit,hæretque eius admiratio in paucis nonnullis,qui Magiæ,Cabalæ,Astrologiæ,Alchymiæ,Necromantiæ, & similibus artibus superstitiosis sunt dediti,& aliis promittunt ea,quæ ipsi nullo modo possunt, vel saltem sine ope spirituum nequeunt consequi. Monebatis ad Salomoniam sapientiam respiciendum esse. At Salomon suam imperfectionem agnouit. Vestrum seculum quî erit perfectius? *Omnis homo mendax.* Ps. 115. 11. *Stultorum infinitus est numerus.* Eccl. 1. v. 15. vel,vt corrigitur ex Hebræo, *defectus non possunt numerari.* Quomodo ergo eos sarciet fraternitas? An nullus fuit in Patre eius? Ita sane volunt filii. Sed testes sunt suspecti.

Paracelsista verbis magnifici,re fatui & fungi insipidi.

XXV.

Argumentum III. Adeunda est societas Roseæ Crucis: quia (in ea) *Deus id quod ante hac magno cum labore quæsitum est,iam nil tale cogitantibus manifestat: desiderantibus libere offert,& quasi inuitis obtrudit:* Pag. 55. sicut & nos ad tantos thesauros *sine nostro merito,spe,& cogitatione,prouenimus.* p. 62.

Deum inuitis obtrudere secularia bona.

XXVI.

Quid antehac quæsiuerint homines,& in quo laborauerint,non ita arduum est scire. Legatur saltem Eccles. *Dedi cor meum,* inquit, *vt scirem prudentiam,& doctrinam,insipientiam,& stultitiā, & agnoui,quod in his quoq; esset afflictio spiritus,* & Mirū,si Deus sine labore obtrudet bona hominib. tanta in statu peccati,de quo dictum est: *In sudore vultus tui comedes panem TVVM, donec redeas in terram, &c.* Studio mundanarum opum,& dignitatum, & quæ alia fortunæ bona vocantur,multi & quæsiuerunt anxie,& adhuc quærunt. 1. Cor. 1. v. 22. *Græci quærunt sapientiam,* quæ est mundana Philosophia Græcis & Latinis proposita,necdum à scholis repudiata. Alii virtute togata, alii bellica sunt gauisi. Animi bona hæc appellantur. Epicurei corporeis delectati sunt. Omnes beatitudinem spectarunt,siue in hac,siue in altera vita post obitum. Si ista minutius concidas,& Philosophiam distribuas,studiorum dissimilium cumulum inuenies. Christus,& cæteri pietatis,verorumque bonorum assertores,regnum Dei etiam per afflictiones quærere iubent. In eo sunt bona æterna: in mundo,quā est mundus,nihil nisi caducum est. Supra: Mundus spiritum veritatis non potest accipere: sed totus est in maligno. 1. Ioh. 2. 16. & c. 5. 19. Ad æterna autem bona consequenda

nulla opus est fraternitate alia, quam Christiana, quæ iam vltra sexcentos & mille annos in mundo fuit, de-qua etiam vere dictum est, quod offeratur liberaliter, & inuitis etiam obtrudatur. Ita enim habent loca. Prouerb 1. & c.8. Item 9. Es. 55.1.2. Eccl. 5.35. Mat. 11.28. Ioh. 6.27. & seq. 2. Cor. 5.20. vbi Apostolus etiam obsecrat Luc. 14.13. compelle intrare. Rom. 10.20. Inuentus sum à non quærentibus me. Palam apparui me non interrogantibus. Omnino copiosa est inuitatio ad cœnam magnam, & nuptias agni. Num autem tanta cum facultate? Agnus paschalis non editur sine intybis amaris, seu lactucis agrestibus.

XXVII.

Verum non arbitramur istorum quicquam principaliter à societate intelligi. Quid ergo quæsitum est? *Nosse præsentia, præterita & futura* ad instar Euæ in Paradiso ex promissione serpentis, quo modo & Paracelsus (Ophita) de mysteriis vermium tradidit sapientiam ex serpentis vsu existere, & olim peruenisse. (De Ophianis, seu Ophitis vide Baronium in Ann. Chr. 145. Paracelsi: tom. 7. c. 1. & 2. de mysteriis vermium: vbi tamen non omnia Ophitarum absurda retinet, sed tantum quod de intelligentia, seu sapientia dictum est. Alibi vero alia fundamenta proponit, vt parū sibi constet.) Nosse vero ista alii cupiunt ex Astrologia: alii ex spirituum societate: Enthusiastæ ex raptu ecstatico, vel moribus, & inspiratu tacito: Paracelsus alibi docet sigilla, specula constellata et ad omnia desiderabilia consequenda & noscenda facere. Hoc nomine & Magia cum sortibus, & cabala commendatur. Vide Paracelsum in *archidoxi magica*, & tomis totis nono & decimo; vbi inuenies mira phantasmata: Insuper *Dornæum, Cornelium Agrippam in magicis, Tritemium, Artephium, Goclenium iuniorem de vnguento armario, Burggrafium* de Panophia achillæa, & alios eius studii. In Iure Canonico habes Decreti parte 2. causa 26. q. 3. & 4. Per totas descriptionem istarum artium Diabolicarum, licet Paracelsici eas pro naturalibus & diuinis proponant. Quidam lapidem Philosophicum, & vniuersalem medicinam quæsiuerunt, & adhuc quærunt: alii in mistis inuestigant essentias, & medicinas eliciunt ope cuiusdam chiromantię, quæ signaturas rerum doceat, & anatomias. Egit de istis rebus Crollius quoque in Basilicæ Chymiæ Præfatione, item de signaturis, chiromantia, similibusque, de quibus & Ioh. Baptista Porta librum confecit, & de talibus loqui fraternitatem, sequentia docebunt. Nos interim opponimus illud Pauli Gal. 4.10. Dies obseruatis, &c. quod citatur in Decreti par. 2. c. 26. q. 2. c. 1. vide appendicem syntagmatis nostri.

Paracelsica notitia unde.

XXVIII.

Quoniam autem manifestatio talium, & cognitio ad Dei voluntatem liberalem refertur; nostri non immerito cogitant, an non spiritus quidam nequam induat angeli lucis speciem, & falsis promissis quærat homines decipere, & suos facere. Ab omni enim æuo compertum est, *nihil vanius esse magia*, & qui profitentur scientiam arcanorum istorum per Magiam, Cabalam, & similes artes Paracelsicas, Techelicas, Artefianas, &c. eos *sine spirituum auxilio & imposturis* nihil potuisse. Vide Plin. lib. 30. c. 1. & 2. lib. 26. c. 4. alibique sæpe, quo nomine Paracelsistæ tam infesti sunt Plinio. Ideo & Magorum Mathematica cum Cabala, & Magia à sapientibus ex Verbo Dei redarguitur & damnatur, quod ipsum & leges Ecclesiasticæ. & Politicæ fecerunt, qua de re alibi. Cod. lib. 9. tit. 18. l. 4.5.6.7. Decreti part. 2. causa 26. q. 2. c. 6. & 7. & seq. Artes sunt Babylonię, & Ægypti, de quibus Es. c. 20. & c. 47. Vide Rogerium de mirabili potestate artis, & naturæ, qui tamen à Paracelso accusatur deceptionis, quanquam ab eo fundamentum hoc acceperit, sc. *dæmoniaca magia non opus esse, quia omnia miracula possint arte & natura fieri.* Nimirum hic est ille prætextus Diabolicus, quo Paracelsus, Crollius, Tritemius, Scotus, Agrippa, Simoniani, Basilidiani, Menandrini, &c. hæretici: Zoroaster, Osthanes, Tiridates, Apollonius, Tyanæus, Zyto Bohemus, Actius, Nauius, Numa, & similes execrabiles magi suam abominabilem artem palliant, licet explodendi, ridendique omnes, cum nihil mirabilium sine Diabolorum commercio vnquam præstiterint, & inanib. verborum ampullis linant chartas, quibus Sathanas seducit Paracelsistas præstigiosa vaniloquentia circumductos.

XXIX.

Dei nomen impia magia prætextum.

Probare debet societas, Deum reuera offerre ista secreta. Neque enim satis est dicere: *In nostra societate habentur illa. Ad societatem iam panditur via, & accessus datur. Ergo Deus offert.* Quæ hæresis non potest similiter argumentari? Si ad genios familiares aperte referretis cognitionem non facile assensum inueniretis. Suspitio itaque est, nomen Dei tantum esse prætextum professioni magicæ ex Arabia & Mauritania, vel Paracelso haustæ.

Lege Decreti p. 2. causa 26 q. 4.5. de sortilegio & sortilegis.

XXX.

Est hic Prolepsis. Ne enim quis putet hæresin quandam se fouere, cogitationem antevertunt. P. 55. *Non possumus suspecti esse hæreseos, aut seditionis.* Cur? *Quia damnamus Papam, & blasphemias Mahometis. Imperatori vero Romano sponte offerimus preces nostras, arcana, & magnos auri thesauros.*

Rhodostauri ei damnato Papa Imperatori promittunt gradia.

XXXI.

At inquam argumentum ignorat Elenchum. Neque enim libet à suspicione hæresis est, qui Papam & Mahometen damnat, vt Antitrinitarii, Anabaptistæ, Prædestinatiani, &c. Quin Anabaptismi vestigia sunt in confessione vestra de fictitia illa reformatione, qua deletis improbis omnes sint futuri, vt Adam in Paradiso. Ita alibi Thesauros vestros iustam causam fouenti ad debellandos aduersarios promittitis. Oblitine sumus belli Enthusiastici, & Anabaptistici in Westphalia, Rege quodam Leidensi? Quid si Papam ideo damnaretis, quia Magiam iure Canonico improbat? sed tamen parcendum ei erat, quia multa habet Magicis, si non eadem, at similia, nomine incantationis in benedictionem mutato.

XXXII.

XXXII.

Argumentum IV. Conferte vos ad societatem: *quia in hac copia erit leniendi molestias vitæ, & fortuitos insultus bonorum eosq; è medio tollendi: malorum vero pœnam exasperandi:* Hoc argumentum à fine ductum est. In seculari vita homines experiuntur varias molestias, quarum aliquæ ad fortunam referuntur modo quodam loquendi Ethnico, cum piorum, bonorumque apophthegma esse debeat, *ne capillum quidem sine prouidentia diuina in eis lædi posse.* Matt. 10. 29. 30. 1. Pet. 1. 3. 13. *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Vide Rom. 8. v. 31. & seq. Christi discipulos tamen oportet *crucem ferre.* Mat. 10. 38. Act. 14. 21. Phil. 1. v. 29. Vnde & Euangelium aliqua ex parte *Verbum Crucis* dicitur, quod de crucifixo quidem pro salute hominum Domino gloriæ agat: sed postea etiam de Christianorum in hoc mundo pressura. Ioh. 16. 33.

Schlauraffia secularis pro beatorum insulis.

XXXIII.

Admonendi ergo sunt fratres, vt cogitent quid promittant. Si reditura est integritas Paradisi, sane immunitas erit à molestiis, sed tunc nihil intererit, siue in societate sis, siue extra eam. Si autem ea non erit vniuersalis, sed tantum particularis, eos attinens, qui sunt membra societatis, videant de suo Christianismo. Qui pressuras & crucem in seculo fugit, non potest esse discipulus Christi. Monachi & Eremitæ ad solitaria loca concesserunt, vt q. separati à mundo essent: At sine afflictione esse noluerunt, vnde sibiipsis disciplinam cum opinione meriti, quasi caro ita domaretur, & operibus cœlum aquireretur, imposuerunt, seu re, quorum pauci, siue verbo, vt plurimi.

Impossibilis promissio quia nec diabolus moritur, nec homo secularis absq; peccato est.

XXXIV.

Vestra societas quo modo in mundo seculari esse potest, & fugere malitiam seculi? *Totus mundus in maligno positus est*, & sacræ literæ nihil beatitudinis Ecclesiæ militanti promittunt, sed de maximis malis concionantur. Quibus est maior fides? Deo, an vobis? Cur etiam velitis exasperare malorum pœnam, si in renouato, & in integrum restituto seculo Paradisiaco nulli possunt esse mali. Ad extinctos autem vestra reformatio non perueniet? Quod si sint, vestra beatitudo sane erit argumento quanta sit illorum miseria, & ideo doctorem, inuidiamque in eis excitabit: sed vos oportet misericordes esse, iuxta Christi mandatum, & illis in ordinem receptis bona vestra communicare. *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. 12. Christi & hoc est, Ioh. 16. v. 20. *Amen, Amen, dico vobis: Plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit: vos contristabimini. Sed tristitia vestra vertetur in gaudium, &c.* Num in hac vita? Minime: sed in altera, non quam vos ante iudicium ex Paracelso somniatis, sed quam Christus post vltimum diem suis electis conferet.

1. Ioh. 5. 19.

Matt. 18. 33. Luc. 6. v. 36.

XXXV.

Argumentum V. Pag 57. tale quid scribitur. *Ostendunt se media quædam vera, & patriæ nostræ commoda, quibus varii eius morbi possint sanari, & fiat ipsa quasi prorsus noua.* Inde conclusio: Vt ergo ista media consequamini, recipite vos in ordinem nostrum. Primum hic quæritur cur, cum renouationem & reformationem totius mundi ad modum aurei seculi in Paradiso inculcetis, reuocetis correctionem, & beatitudinem istam ad *vestram patriam*, siue ea sit tota Europa, siue aliqua pars eius? Asia, Africa, America, terra australis, & insulæ etiam sunt mundi membra. Deinde quidnam morborum dicitis? Varios esse litera indicat. His sanatis patria prorsus noua promittitur. Videte vero ne morbos dicatis, qui videntur, at non sunt. Deinde ne consuetudines antiquas intelligatis, quæ sic radices egerunt, vt satius sit tolerasse in seculo imperfectionis, quàm mutare velle. Pag. 65. hæc sunt: *Arabes in Damear alium habent ordinem politicum, quàm cæteri Arabes. Ad exemplum horum regimen in Europa instituetur iuxta præscriptum patris nostri, quando effecta erunt ea, quæ præcedere debent, & iam nostra TVBA per totum mundum libere & publice pleno sono clanget, &c.* Media ergo illa politicam reformationem ab vna parte spectant: sed nec Theologiæ, nec OEconomiæ, nec studiis literarum parcetur. Num quæso fratres legistis ea, quæ sunt Danielis 11. v. 36. & seq.?

"Media beatitudinis secularis.

Morbi.

"Arabici "mores in "Europam inferendi.

XXXVI.

Faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur aduersus omnem Deum &c. Item, *Deum Patrem suorum non reputabit.* Est ibi etiam de Maozim, quæ vox significat firmamentum & munitionem. Vide 2. Thess. 2. 3. Nouimus ista exponi de Antichristo occidentali: si vos essetis Anabaptistæ, & Enthusiastæ, spirituum consortia appetentes, foretis aliquid Antichristi, de quo tamen ante tempus non statuimus, nec asseueramus quicquam. Valde emphaticum est: *Faciet rex iuxta voluntatem suam*, &c. Vos Regem, cui Thesauros vestros seruatis, affore dicitis. Hic si Christianus esset, non faceret suam, sed Dei voluntatem, sicut Christus & orauit ipse, & nos orare iussit, & facientes, fratres suos (Matth. 12. 50.) appellauit, regnique cœlestis (Matth. 7, 21.) Hæc admonent vos prudentiæ.

Rex Rhodostaurorum.

XXXVII.

Media vestra intelligimus talia esse, vt ad vniuersalem PATRIÆ mutationem, Religionem,

Media Rhodostaurensium

Religionem,studia literarum,Politiam,& OEconomiam comprehendentem , inuoluentemque sint comparata. Cogitabit autem fidelis patriæ orthodoxæ propugnator, num se in talium consortium immiscere velit,qui πανολεθρίαν patriæ studeant machinari,omniaque inuertere, & quod dicitur τὰ ὑπέρτερα νέρτερα θεὶς. Sine tumultu quî quæso id fiet? Memineritis τὸ εὖ κείμενον μὴ κινεῖν. Si pergetis,habebimus in fide ἀντικείμενον, & in Philosophia,Politiaque turbatorem. Vestris autem axiomatibus cedent religiones, & leges Principum, Rerumpub. Ciuitatum, scholarum &c? scilicet.

XXXVIII.

Pag.58.59. cõmunicatio secretorũ. Sex ætates vt sex dies mundi computatione domus Eliæ. 2.Pet.3.V.8. Varia cogitãtes de Rhodostauricis.

Prẹuidistis obiectionem,tanquam per spiritus vestros omnium gnari. Itaque pag.59. & 63. occupatis: "*Quod secreta nostra offerimus,id varias cogitationes excitabit* apud hos, quibus MIRANDA SEXTÆ ætatis nondum sunt nota:vel qui ob mundanum cursum,seu morem futura(in hoc tamen seculo)præsentibus paria æstimant,quique variis incommodatibus temporum suorum impediuntur,vt non aliter in mundo viuant,quam cœci.Hæc est vestra prolepsis.

XXXIX.

Quod de variis cogitationibus dicitis,non fallit. Quis enim non moueatur tanta nouitate, & inuersione rerum,quasi generalis reuolutio mundi à seculi fine ad initium eius,quasi *ex Platonis de magno anno mundi* commentis,aut Virgilii de *regno Saturni* redituro opinione, * sit expectanda. Neque vero etiam negamus,vobis euenire posse,quod de Epicuræis scribitur.2.Pe.3.v.3.&4.Sap. 3 primis quinque versibus,quanquam ibi notati non credant vestram inuersionem seculorum. Nos inspeximus Danielis statuam , & inuenimus non sex , sed quatuor regna secularia tantum, quorum diebus Deus regnum Ecclesiasticum Electorum , quod erit æternum, & non de hoc mundo,exuscitaturus sit.Deus Danielis de vestro aureo seculo,& Rege,seu Leone nihil nouit.

** Lege 10.Plat. de Rep. & Marsilii cõmẽtarium, vbi magnus ille annus cõstat 3600.an. quib. anima mundi reuoluitur, sicut anima hominis 12000.annorum. Vide & Politicum Platonis de regno,vbi Saturni tẽpora & magna mundi reuolutio. Item Virg.4.Ecl. Coruos deludit hiantes.*

XL.

Ex dictis VI.argumentum extrueret aliquis.Ingredere societatem:Argumento:quia *miranda sexta ætatis cognosces*: quia *secreta tibi offerimus*: quia *non viues in mundo vt cœcus*: quia *futura præsentibus disparia esse disces*: quia *incommoditatibus temporum tuorum liberaberis*. Est prægnans ratio & multipara. Ne despondeat aliquis animum, & de accessu dubitet,vocatio generalis,& vniuersalis reformatio totius mundi facit. Quid autem opus est istis illecebris, si Dei decreto mundus in Paradisum redibit? Potentibus causis Dei quis resistet? Illa vocatio ad augendam societatem redolet factionem seditiosam.

XLI.

Sed missis istis,non intelligimus quo modo illa liberalis oblatio consentiat cum pag.64. vbi hæc: *Nostros thesauros quidem liberaliter omnibus offerimus:* sed *tamen arcana nullatenus fiunt communia & nota: quia crassa ingenia ista non curant, nec capiunt. Deinde dignitas in fraternitatem recipiendorum ex regula nostrarum reuelationum æstimatur, & cognoscitur. Indignos audire auribus, attendere Deus vetuit*.Hæc vos.

XLII.

Qui generalem policitationem & liberalem oblationem omnium vestrorum bonorum leget, magna spe inhiabit secretis vestris, & tam videbitur sibi ea deuorasse. Sed vos versutia quadam diuiduum facitis,& quasi offam auream coruo hianti obiicitis. Hanc dum auidis oculis,& rostro deuorat, subducitis clam potiorem promissi partem, & plura desiderantem luditis.Inde est argumentum: *Si arcana nullatenus fiunt communia, & nota, temere quis ea à nobis expectat. Prius est. Ergo & posterius.* Assumtio probatur duabus rationibus: Quod bœotica ingenia nec curant,nec capiũt commune omnib. fieri non potest.Secreta nec curant,nec capiunt ingenia bœotica.Ergo.2.Indigni non sunt recipiendi ad arcanorum participationem Multi sunt indigni. Ergo.Propositio Dei voluntate roboratur. Assumtio declaratur cognitione indignorum per regulam reuelationum societatis. Si Anabaptistam interrogares de sua Ecclesia,quid aliud responderet? Imo citaret & scripturas.Apoc.21.26.Non intrabit,&c. & c.22,15. *Foris canes venefici.impudici, homicidæ,idololatræ, mendaces*, quo argumento quis vereatur,ne & vos sitis foris,qui videmini falsitates scribere,&inani spe mundum lactare,nisi fortassis hæc est mens vestra,quod non totus orbis sit futurus Paradisus,sed tantum vestra patria,(ponatur Morauia) sicut fuit in initio: Ad hunc locum circumscriptum suis terminis vocari omnes homines quidem, sed non omnes admitti posse ad secreta: Itaq; ne frustra sint vocati,thesauros eis offerri,quibus debeant esse contenti: vel sic: Eos qui foris sint relicti,bello & peste omnes perituros esse iuxta Paracelsum. Receptos autem in classes duas diuisum iri,& vnam,in qua fratres ignorantiæ,tantum thesauris fruituram esse, alteram etiam secretis. Ita fiet vt vos soli sitis totus mundus, & vestra reformatio generalis. Ignoscendum est nostris cogitationibus. Natura enim proni sumus ad inquisitiones,& quod dictum est,non caret ratione. Videntur enim & Anabaptistæ & Donatistæ,& Cathari talem opinionem habere. Vulgus quoque pridem tale quid metuit,& qui de Gog & Magog differunt,non multum à vulgi sententia absunt.

Paradisus in Morauia aut Belgio, &c.

XLIII.

Thesauri & Cæsari, & Leoni,& omnibus promissi.

Sed valeant arcana vestra Arabica,& Mauritana ex scholis Magorum. Promite saltem thesauros, quos licet *Cæsari Romano* addixeritis, iam tamen indiscretim omnibus promittitis. Sed metuendum est, vt Principes in societatem prædæ admittant pauperes, quod tamen factum putamus tempore Salomonis,quo argentum prę auri copia pene nihil æstimabatur, eratque instar lapidum vulgare.2.Paralip.9.27.3.Reg.10,21.27.

XLIV.

Illiterati quoque vocantur.

Num autem nullos illiteratos,qui capere secreta vestra nequeant,admittitis? Imò pag.65. etiam

etiam indoctos recipitis in fraternitatem, sicut Laicos (fratres ignorantiæ) Ghesuitæ. Ne vero cum reliquo grege stabulentur, in peculiarem caulam eos coniicitis, vt sint gradu diuersi. Si quis ergo indoctus vellet à vobis doceri, & aspirare ad doctos, num eum erudiretis? Ita sane plura vestra argumenta volunt. Non enim tantum thesaurorum spem facitis, sed & admirandorum cognitionis. Vestrum erit, quando tanta potestate estis, ex crassis ingeniis subtilia, & ex indignis digna reddere per metempsychosin aliquam, aut saltem Helleboro, aut tinctura vestra, qua omnis morbus tollatur, & ex consequente etiam mentis. Vide superiora argumenta. *Ad Anticyras.*

XLV.

Dixistis, vos posse dignos ab indignis regula vestra discernere. At milites, præsertim prædones, & manipulus latronum per vim irrumpent. Præuidistis hoc. Itaque negatis fieri posse, vt & in Fama. Si enim quis violento introitu, & per vim, animoque gladiatorio ad vos viam affectare velit, hoc eum facturum cum suo magno malo indicatis: Et hic argumentum longe validius ponitis, dum vos *seruos Dei appellatis, qui cincti nubibus extra omnem vim sitis, quia videre non possitis, nisi habeat quis oculos aquilinos.* *De vim molientibus.* *Serui Dei nubibus tecti.*

XLVI.

Credo vos alludere ad duos illos Dei testes, Ap.11,12. qui in nube ascenderunt ad DEVM: aut respicere ad Christum, qui aliquoties inuisibilis factus vim inimicorum declinauit. De oculis aquilinis videtur Christus loqui Mat.24.v.28. Hi.n. procul vident cadauer, & ad id ex longinquis congregantur Quid autem si olfactu deprehenderemini, & fumis? Sed frustra est de his disputare, quorum ratio est nulla, nisi magica, quale quid refertur de fabulosis pumilionibus, qui se inuisibiles fecerunt magico velamento: aut quale de Gyge beneficio annuli inconspicuo: Imo quomodo *Æneam* & *Achatem* Venus apud Virg.1.Ænei. occultauit: At *Venus obscuro gradientes aere sepsit, & multo nebulæ circum Dea fundit amictu, cernere ne quis eos, neu quis contingere posset* Magia vos, non Deus occultat, si intra nebulas latetis. Deus non solet mundum hoc modo conuertere. In fama estis visibiles: habetis domicilium, & palatia plus quam regalia, ad quæ inuitatis socios, inde emittitis fratres in varias terras varia cognoscendi, & vestra propagandi gratia, quanquam illud non necesse erat his, qui omnia in vno momento per spiritus cognoscunt. Cogitate quæso fratres, quomodo instituatis generalem mundi reformationem, & commune quasi oraculum ad omnes vestra disciplina instruendos, si intra nebulam estis, & inueniri non potestis? *Ioh. 8.59.* *Luc.4.30.* *Inuisibiles se solent facere magi. Historias habes apud Maiol to. 2. can. coll.3.* Nebelkappe

XLVII.

Vnum adhuc succurrit 3.Reg.18.12. Abdias de Elia Propheta dicit, quod Spiritus Domini deportaturus ipsum sit in locum ignotum, in qua opinione fuerunt & studiosi 4.Reg.1.16. Vnde colligitur consueuisse id aliquando fieri, sicut & Philippus Apost. Act.8.39. transferebatur, quanquam ne hoc quidem semper, vt in persecutione Eliæ à Iezabele 3.Reg.19, vbi Elias cogebatur pedes ire diebus 40. vsque ad montem Horeb, atque inde redire per desertum. Alius modus offertur 4.Reg.6. vbi famulus Elisæ aquilinos, seu angelicos oculos accipit, vt videret exercitũ angelorũ aliàs inuisibiliũ. Regis autem Syriæ copiæ oculis sic capiebantur, vt loca hostilia non agnoscerent. Videre potestis vter modus placeat: quanquam si Deus vellet vos tutos esse, mille aliis rationibus id posset effectum reddere, vt non opus esset nebula. Sic Rex *Ptolemaus Philopator* in tertio Maccabæorum legitur animo quidem in Iudæos truculento fuisse, sed quem Deus in clementem & propitium mutauit, suntq; exempla etiam alia de Nabuchodonosore, Ahasuero, &c. *De magorũ nebulis & occultatione vide histor. Tartarorũ apud Maiol. in can. to. 2. coll. 3. p. 264. sed lege totũ colloq. illud. Iob. 12. v. 21. 24. Ps. 76. v. 13.*

XLVIII.

Referunt de magis quibusdam, quod possint se instar vertumni in varias species transformare, sicut & sagæ modo feles fiunt, modo aues, modo aliud quid. Legatur historia Magi Bohemi apud Maiolium, & Apulei asinus aureus, quæque de hycanthropia habentur apud *Peucerum, Bodinum,* & alios. Si quis vobis nocere velit, quam facile in lupos vertemini, aut aquæ diluuium, aut ignem immensum. aut barathrum terræ ingens, & similia? Est & hoc in narrationibus alicubi arces & castellæ quidem aspectibilia esse: sed si quis hostili animo velit inuadere, subito ingentem flammam apparere, & hostes arcere. Itane vos locum vestrum aliàs visibilem vultis nebulis inuoluere? Alii magi etiam vinculis se expedire possunt, & per aerem in dissita loca euadere. Cum *Scotus* ad pugnam à nobili vocaretur certo in loco, comparuit stipatus exercitu nigrorum equitum, nobili non audente vel mussitare. Deus Syros in fugam compulit *sono exercitus magni.* 4. Reg.7. v.6. Idem potest, qua arte *Sennacheribum* domuit, & *Pharaonem* cum aliis, etiam Ecclesiæ hostes compescere. Pluuiis prohibitus *Hannibal* Romam capere non potuit contra vaticinia de Monarchiis, nec Antichristum iuuabunt suæ technæ. Gog & Magog malo fato peribunt. *De Simone Mago, Zythone, Tritemio & aliis multis De prastigiis Turcicis, quibus serui fugitiui retrahũtur ex fuga similia referuntur.*

XLIX.

Sed Magorum lusus non sunt diuturni, nec proficiebat contra Herculẽ *Achelous* apud Oui. in 9. meta. vti nec *Proteus contra Aristæum*, apud Vir.4. Geor. Si itaq; aliquis *Hercules* aut *Aristæus* vos adoriretur, frustra in nebulas verteremini: quod vobis etiam atq; etiam considerandum. Quod autem Dei defensionem & voluntatem prætenditis, temere est. Non enim inuenitis fidem, nisi documenta fidelia offeratis, non ex raptibus Enthusiasticis, Paracelsi fatuis Prophetiis, astrologia fanatica, visionibus victis, &c. sed Verbo Dei, quod plane contrarium habetis.

L.

Eiusdem sententiæ sunt & hæc vestra; *Esset quidem* (inquitis) *in potestate fraternitatis totum mundum ditare, doctum reddere, & ab infinitis calamitatib liberare: sed sine Dei singulari dispositione, & prouidentia, nunquam vlli possumus innotescere, & manifestari: imo tantum abest, vt sine Dei voluntate, vel contra eam aliquis frui nobis, & beneficiorum nostrorum particeps fieri queat, vt citius vitam inuestigando, & quærendo sit amissurus, quàm nos inueniat, & fraternitatem Roseæ Crucis adeat.* *Potestas Rhodostaurcor. Non assumes nomen Domini Dei tui inuanum.*

LI.

LI.

Mira ratio est vestræ scriptionis. Quinque linguarum literas in mundum emisistis, spe totum, omnesque homines attrahendi, & generali reformatione omnia mutandi. Cur hoc, si vera sunt quæ de difficultate aut impossibilitate accessus narratis? In Fama emissarios legimus, qui in omnem terram egressi ex claustro vestro doctrinam nouam propagent. Per eosdem discipulos quæritis. Hoc quoque eodem argumento fit temerarium. *Potestis omnes homines doctos facere*: at crassa ingenia supra repudiabatis, & indignos arcebatis. Deus est, qui omnes doctos reddere potest Ioh.6.45. Es.54.13. Ebr.8.11. Ierem.31.34. Illud autem nemo vobis credet, quod scribitis *posse vos mundum ab infinitis calamitatibus liberare*. An vnquam hoc fecistis, vt sciatis vos posse? Aliud est opinio: aliud virtus ad efficiendum sufficiens, & vsu spectata. Ingens confidentia est, homines magiæ deditos profiteri se posse mundum liberare ab infinitis malis. At non est in alio salus, quàm in Christo vno. Act.4.12. Ebr.10.v.26.27. Psalm.60.13. Vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem. Eadem est sententia Ps.3. vide Ps.49.v.7.8. & Ps.68.21. Psal.118.8.9. An non estis veriti vos redargutum iri sacris scripturis? Cur metuitis vobis, & in nebulas fugitis, si id potestis? An non sunt mala, imo radices malorum, Diaboli furor, concupiscentia, malignitas mundi, peccata innumerabilia? Quando hæc extinguetis? Astrologi raro quid boni ex cœlo pronunciant. Num ex hoc in potestate vestra est, cum elementorum, & reliquorum ex maledicto, & vanitate pollutione, quæ & toti mundo futura est exitialis? Ego puto vos ne minimo quidem malo posse mundum, qui totus est in maligno, priuare vestris viribus. Paracelsici quidem aiunt, Sapientem dominari astris, & à cœlo esse omnia, quæ fiunt in sublunari mundo. At deest adhuc exemplum dominii talis, quo omnis calamitas ab homine sit abacta. Diceret aliquis, Magos Paracelsicos esse rem pessimam. Num hoc delere potestis?

Omnes doctos reddere.

Mundum ab infinitis malis liberare.

LII.

Callide vero Dei voluntatē & prouidentiā prætenditis. Sub hoc clypeo latere potest vestra impotentia, & opinio, sicut & vates cœli quando mentiuntur. Si.n. non euenit prædictum, negant Deum consensisse: aliqui orationes intercessisse dicunt in malis, aut in bonis impedimenta malorum geniorum, sagarum, & similium. *Crollius ex Paracelso* astra supponit sapientum arbitriis, qui si adhuc viueret totum mundum cum stellis & hominibus *sola imaginatione, fiduciaq;*, (fidem naturalem vocant) quam oportet, ita directam esse, vt nusquam nutet, si Devs vellet, mutaret, quod & alii magi se posse profitentur, adeo vt *animos & affectus quoque, item morbos & sanitates in potestate se habere, non vereantur affirmare.* Dicite autem quæso, an non hoc est abuti nomine Dei? Nunquam post lapsum Adami voluit Devs mundum ab infinitis calamitatibus liberari. Ideo enim maledicto & vanitati subiectus est, quia peccato est pollutus. Præsertim autem vltima tempora ob malitiæ excessum pœnis subiacent, iisque non paruis. Est enim immutabilis iustitia Dei, & lex. Gen. 2. & 3. promulgata.

Astrologorū vani prætextus.

Magorū ingens confidētia, verum sine effectu.

LIII.

Nemo vero sapiens vitam in periculum vocabit magorum in nebulas fugientium causa. Si placet latere, manete in obscuritatibus vestris. Interim caueant sibi emissarii vestri. Vestra doctrina non opus est neque *Theologis*, qui habent *legem & testimonium*, à quo ne latum quidem vnguem decedere oportet, neque Iurium consulti, qui ius vtrumque vestrûm caussa non abiicient, & Respublicas inuertent, neque *Philosophi* & *Medici*, quo iam cognouerunt, quid sit in *Magia, Cabala, Necromantia, Medicina*, & aliis Paracelsicis: In *Chymicis* autem & exercitationes sunt multis vestri ordinis. *Historias* mundi, & *Politicam prudentiam* si spectes, non desunt, qui præterita præsentibus comparando, & principiis practicis adhibendo solerter possunt de belli & pacis artibus iudicare. Fors quærent vestra domicilia *sutores, sartores*, & similes *opifices*, vt nouas calceorum, vestium, pileorum &c. formas discant, quibus nobiles ab ignobilibus discernantur: qua sane in re si possetis aliquid stabile excogitare, multum iuuaretis. Quanta enim pecunia erogatur in nouitates? vt Germanus videatur Gallus esse, vel Hispanus, vel Britannus, vel Polonus, &c. quanti constat? Plus insumitur in mundum muliebrem. Vix credo vos posse barbitonsoribus persuadere, vt omnes vno modo tondeant. Quid de grauioribus sperandum? Sed ad argumenta redeundum est.

Es.8.20.
Deut.5.32.

LIV.

Argumentum VII. Societas est adeunda (si possibile) argumento: *quia omnibus debet gratum esse, vt noua arx veritatis breui extruatur, nec differatur in futuri temporis decus.* Obiicis: Veritas noua non potest locum habere, nisi prius destructa (veritate) antiqua. Neque enim nouo permutari in eodem loco domicilium potest, nisi vetere ruinoso sublato. Ita in artibus, qui perperam aliquid didicit, is dediscere id cogitur, cum vinum nouum in vtres feculentos immissum pereat. Responsio est in promtu: *Omnino longe facilius erit statim extruere nouum castellum veritatis, quàm prius demoliri vetus informe.* Statim magnum & amplum vestibulum describendum: conclauia iungenda: lux immittenda, fores & gradus mutandi, &c.

Noua veritas.

Matth 9.17.

LV.

Intelligimus societatem sic agere velle, vt Carolstadius Witebergæ in Iconomachia. Quid enim opus disputatione, sintne in templis ferendæ imagines, an non? Statim eiiciantur. Sic nihil attinet contra scholas Theologicas, & Philosophicas agere, easque falsi conuincere. Sinantur & statim recipito: id quod visum est fraternitati. Quis quæso rigidos suarum opinionum, tenacesq; & morosos defensores laboret conuertere? Quantis viribus contra Doctores scholasticos per annos circiter 70. egerunt Paracelsici frustra? In initio Suchtenio, Bodensteinio, Toxite, Turneisero, Dornæo, & aliis Alchymiam Paracelsi tractantibus erant in magna existimatione. At nihil effectum tantorum impensis operum. Quid iam fiet in sterquilinium redactis?

Antiqua vno impetu abiicienda.

LVI.

Veruntamen non arbitror societatem tam tyrannicam fore. Turca belli iure captã vel deditam ciuitatem sic mutare potest: at non vos studia Theologicã & Philosophica. Hic si quid inceptare velitis, sentietis acres aduersarios. Si male locutus sum, (inquit Christus Iohann. 18.23.) μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ, aut demonstra argumentis ; & testimoniis firmis, malum esse: *Si bene, quid me percutis?* Ita vos fratres, si Philosophia & Theologia nostra mala est, demonstrate hoc: Si non, quorsum mutatio? Spiritus Sanctus non tantum docendi vera officium habet, sed & falsa redarguendi. Ioh. 16.8 Ideo vtrumq; requiritur etiam in Episcopis Ecclesiarum. Tit. 1. v. 9. 10. ad quod & Scriptura vtilis est. 2. Tim. 3. 16. Vide 2. Tim. 2. 25. 1. Tim. 5. 20. *2. Tim. 4. 2.*

LVII.

Quod ergo ad argumentum attinet; societas non est adeunda arcis nouæ veritatis caussa, quia antiquius verius. Si veritatem iam habemus, ad noua declinare fas non est. De talibus autem est vaticinium vltimorum temporum, non pro, sed contra veritatem agentium, 2. Tim. 4. v. 3. 4. *vbi à veritate ad fabulas dicuntur homines quidam se conuersuri.* Vide & 2. Tim. 3. per nouem versus: & 1. Tim. 4 1. 2. 2. Thess. 2. de apostasia generali. Matth. 24. de dicentibus, hic est, ibi est Christus. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, &c. Emphatica valde sunt verba Pauli de Antichristo, *cuius aduentus secundum operationem Sathanæ in omni virtute, signis, & prodigiis mendacibus, omniquè seductione iniquitatis, in his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideò mittet illis Deus vim erroris, vt credant mendacio, iudicenturq; omnes non credentes veritati, &c.* Est ergo iam arx veritatis Canonicæ Scripturarum authenticarum septis circundata: nec est nisi *vnum de vno verum.* Sicut & vos dicitis, *in vna veritate esse acquiescendum.* In Theologicis igitur veritas à vobis nulla potest extrui. Falsitas in locum veritatis potest apud inconstantes subrepere. Leges si respicimus, inuenimus nec Christum, nec Apostolos iura ciuilia mutasse: Imò Paulus & Petrus iubent eis parere. Philosophia fuit erronea. At hæc lumine veritatis diuinæ, & experientia iam ita est illustrata, vt qui aliam vobis velit obtrudere, eum pro falsario habeamus, sicut magos Paracelsicos, & Phantastas illos, qui de viuente, seu vitali Philosophia fabulas conscribunt.

Inuersio argumenti.

Ad societatẽ veniunt illi, qui antiquã veritatem negant.

1. Pet. 2. 13. Rom. 13. 1.

LVIII.

Arg. IIX. *Si in vna veritate est acquiescendum, eaq; compendiose inuenitur apud societatem: hæc est adeunda Illud est. Et hoc ergo.* Ratio connexionis est: Si enim non est adeunda societas pro veritate compendio discenda, per multas ambages erit ad eam tendendum. Nam aliàs per longos circuitus, & perplexitates quæri solet. Hæc est summa argumenti.

Veritatem quæri quidẽ, sed non, nisi apud roseam crucem compendio inueniri.

LIX.

Responderi potest, non probari id quod probandum erat, nempe veritatem illam vnam sine ambagibus apud societatem inueniri, & alibi non tam explanate, & summatim disci posse. Vestro dicere non sumus contenti. Quot enim hæretici sunt, presertim Anabaptistę, qui isto argumento non allicere soleant simplices? Sic compendia proponunt quidam linguistę: Sic *Ezechiel Christus, seu Meth, Stiffel,* & alii ex Anabaptistarum maxime gregibus. In Medicina *Scheunemannus,* Paracelsista temerarius, optat vt *prolixi Canones Galeni ad orcum mittantur,* qui scilicet methodicam ex Paracelso sectam introducere velle videtur: & vos si *Panaceam,* qua gloriamini, habetis, potestis totam Medicinam abrogare, & vnico axiomate omnem vim eius complecti. Demonstrate id quod narratis. Fidem habebimus demonstrationi.

LX.

Laudamus commendationem *Bibliorum.* pag. 75. *Ab initio mundi non est datus hominibus liber præstantior, melior, mirabilior, salutaruq; magis. Beatus qui eum habet,* (quod ego non credo, nisi ὁ ἰχὼρ explicetur neruosius) *Beatior qui diligenter legit: Beatissimus qui studendo ita profecit, vt bene intelligat, estq; talis Deo simillimus.* Quanquam ergo negetis, morem vestrum esse semper biblica loqui, & prostituere, plebeiamq; facere codicem diuinæ Scripturæ: quo ipso ostenditis vos minus solicitos esse de beatitudine: tamen placet commendatio. *Euangelium autem est longum & breue.* Articuli fidei paruo libello, etiam pueris aperto, proponi possunt. Non est itaq; vt hic vestra compendia quæramus, in quibus forte nihil est biblicum, ne nimis communia fiant biblia, cum, vt Moses facit, *optandum sit omnes homines prophetare posse.* & Ps. 1. Item 119. diligenter commendent Dei Verbum. In cæteris sunt institutiones, synopses, Isagogæ, & similia compendia multa, eaque certa incertis non mutanda.

"Laus Bibliorum sacrorum.

Num. 11. 29.

LXI.

Arg. IX. *Qui non vult famem, egestatem, morbos, & senectutem timere, conferat se ad societatem de Rosea Cruce* Apud hanc enim sunt istorum alexicaca. R. Legimus & alibi, vos *non sinere ægrotare vestros, qui & sine morbo, articulo diuinitus determinato deficiant.* Fidem autem rei facere non est tam facile quam dicere. Paracelsus sine morbo non decessit, qui tamen in manuali, & alibi grandia à se præstita per tincturam scribit. Magicis sigillis, Gamaheis, characteribus, & similibus crepundiis eam vim asscribunt Paracelsici, sed falso. Si viueretis in insulis fortunatis; vbi nulla est corruptio, crederem. De fame & egestate credibile est, si inexhaustis Thesauris abundatis, modo vobis non eueniat, quod *Mydæ, Pythio,* & aliis, qui aurum copiosum habuerunt, sed in sterilitate longa nihil quod ederent. Num & Deum habetis in potestate, vt pluat super nebulosum vestrum agrum, non autem loca cætera? Non ita Matth. 5. 48. nec Deuter. 28. Si esset vestra fraternitas sine peccato aliquid diceretis. Si autem est, & præterea etiam non potest pie viuere in Christo, quin patiatur persecutiones, & crucem. 2. Tim. 3. 12. lautitias vestras, & aurei seculi somnia non possumus admittere, nisi in seculo epulari cum diuite. Luc. 16. Vultis & postea in inferno cruciari, id quod multi Canonici

Non sinere ægrotare homines.

Diuites fame periclitari.

Senectus. nici & Monachi, pingues ventres experientur. Phyſici quoque & Medici non credent vobis de ſenectute. Quo diutius quis viuit, præſertim in locis intemperatis, quale eſt cœlum Germanorum, & victu noſtro, qui Macrobios non efficit, eo ſenior euadit, & imbecillior. Sed vos Panaceam renouatoriam, & magica plurima alexicaca habetis. Itaque non ſenes, ſed iuuenes multorum annorum deceditis, vt Paracelſus veſter, & alii Paracelſiſtæ, ſi libet credere exemplis eorum, qui aliis promittunt annorum myriades, ipſi breui morientes. Longe aliter Pſ 103. v. 3. 4. 5.

LXII.

Longæuitas primorum hominum. Paracelſiſtæ autumant Patriarchas *beneficio lapidis ſeu tincturæ Phyſicorum* diu vixiſſe. Sed vos audite Iacobum. Gen. 47. 9. *Dies peregrinationis meæ ſunt parui, & mali, nec peruenerunt ad dies patrum meorum.* Ita Moſes Pſ. 90. 7. & ſeq. An ergo his patres ſuperiores, nil Panaceæ reliquerunt? Quid de Iſaaco? De Abrahamo & Sara? Vnde his ſenectus imbecillis, & obtuſus viſus? Gen. 18. 11. 12. c. 27. 1. vbi Iſaac non poteſt videre, qui eſt morbus quidam oculorum. Moſes: Deficimus in ira tua. Paulus: Mors eſt ſtipendium peccati. Deut. 30. v. 20. Deus eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum. Sequitur ex his, vos non poſſe immunitatem à morbis, & ſenectute habere, ſiue lapides habeatis, ſiue tincturas, ſiue ſigilla & alia conſtellata. Apparet autem verum eſſe, quod raro Biblia citetis. Credo & raro à vobis legi. Aliàs de iſtis aliter loqueremini. Sapitis autem Paracelſiſtas. *Quidam lapidem habuerunt, ſed nullos nec ſuos nec aliorum morbos ſuſtulerunt, nedũ diu vi lapidis vixerint.* Quanquam enim & ipſi, & qui eis vtuntur, breuis ſint vitæ. & morbis vexentur, tamen iactant ſuum vniuerſale. Nouimus aliquos, qui metalla per lapidem tinxerint, ſed qui nec ſe, nec alios à morte morbiſque potuerint pręſeruare. Cum vrgentur, dicunt, terminum fatalem aſtuiſſe, quaſi Atropos ruperit vitæ filum.

LXIII.

Argument. X. Qui *vult ſingulis horis ita viuere, ac ſi ab origine mundi ſemper fuiſſet, victurusque ſit vſque ad finem,* ſocietatem debet adire, apud quam inueniet præſidium. Omnes autem velle debent: quia eſt res pulchra, &c. Hoc argumentum eſt credibile. Multi enim ſciunt, quomodo mundus ſit conditus, maledictoque ſubiectus, & quod finis aliquis eius ſit futurus. Interea hiſtoria geſtorum, ſenſu præſentium, & vaticiniis futurorum explent ſpacia media, idque celeritate mentis, vel vnica hora perficitur, vt non opus ſit fratrem veſtrum fieri. Vide Auguſtinum cap. 3. de diuinatione dæmonum, & in decreto cauſſa 26. q. 4. c. 2.

LXIV.

Narratum eſt ſuperioribus annis de quodam, qui à tempore educti ad ſupplicium Chriſti vſque ad noſtra ſuperſtes ſemper fuerit, & fors adhuc creditur in viuis eſſe. Verum tale quid vos non intelligitis. An ergo ſpirituum antiquorum ſuggeſtione opus habetis? Talibus vſus eſſe dicitur is, qui Alexandri M. vxorem viuam repræſentauit. Tritemius etiam nouis ſpiritibus, ſi vlli ſunt noui, rem peregit, cum Maximiliano I. ſuam ſiſteret plane eadem arte, qua Endoriſſa ſaga Samuelis ſpectrum exhibuit. 1. Reg. 28. 12. An potius fabricatis *ſpecula conſtellata*, in quibus ictu oculi præſentia, præterita, futura cernatis? *Per ſpecula conſtellata omnia intueri.* Fama veſtra mentionem facit mirabilium ſpeculorum, quorum ope ſcitis etiam me iam ſcribere. Quidam tabulas cœli relegunt: alii in diſco lunæ literas agnoſcunt. Quidam per magicas artes omnes libros totius mundi, etiam clauſos, & combuſtos poſſunt legere. Vide ſectionem 66. Si ita res habet, Magi eſtis infames. In oculis habere omnia, ſolius eſt Dei. Agnoſcimus in arrogantia veſtra ſerpentinum illud Gen 3. 5. Eritis ſicut Deus apertis oculis veſtris, &c.

LXV.

Arg. XI. *Qui cum in vno tantum ſit loco, nihilominus conſilia accolarum Gangis, & Peruanorum cognoſcere ſatagit*, is ordinem ſocietatis intret. Reſp. Lucæ 4. 5. Diabolus Chriſto de ſummitate excelſi montis in momento temporis oſtendit omnia regna orbis terræ. Nos hoc miramur. Nam & antipodas debuit monſtraſſe. *Longe remota momento cognoſcere.* Num itaque præſtigias fecit, aut ſpeculo conſtellato (condiabolato) eſt vſus? Vos fratres hunc nodum ſoluere poteritis. Si diuina fuiſſet viſio, nihil impoſſibile diceretur. At Diabolus non eſt omnipotens. Vos fratres facile modum explicabitis axiomatibus veſtris omniſciis. Pater veſter tale quid apud Magos Arabiæ inuenit. *Sciuerunt enim omnia eius abſentes.* Sed quo modo ſine ſpiritu familiari. Apollonius Epheſi concionans, ſic vidit ea quæ Romæ gerebantur, quod narrant etiam de aliis Magis. Paracelſus ridiculam rationem affert de celeritate ſpirituali, quaſi ſi curſor vno die 10. milliaria conficiat, ſpiritus ſydereus hominis totidem poſſit momento, quæ phantaſia placet etiam Goclenio in vnguento armario. Non ſi cogitatio eſt velox, mens quæ alibi fiunt, ſtatim cognoſcit, vtut intendas neruos phantaſiæ. Quæ de ſpiritu mundi & cœli conuerſione narrantur, hac in parte ſunt nugæ. Ne Prophetis quidem DEVS talem gratiam conceſſit, vt apparet 4. Reg. 4. 27. de Eliſæo tametſi aliàs abſens etiam cubiculario Regis Syriæ videret. 4. Reg. 6. v. 12. Eſt iſta quædam curioſitas, ſeu πολυπραγμοσύνη prohibita in ſacris Quid enim ad te res Gangis, & Peru, cum ſis in tuo clauſtro, beatiſſimaque fruaris vita? Nemo patiatur, vt ἀλλοτριοεπίσκοπος, 1. Pet. 4. 15. 1. Theſſ. 4. 11. Eccleſ 3. 22. τὰ ἑαυτοῦ πράξειν: τὰ ἴδια πράττειν.

LXVI.

Arg. XII. *Volens, vt cum legit vnum libellum. eadem opera legere, & intelligere, meminiſſeque omnia alia in omnibus libris, qui vnquam fuerunt, ſunt, erunt, conferat ſe ad ſocietatem, quæ eius rei copiam habet.* R. Si vera ſunt quę dicitis, artem Steganographicam Tritemii ſuperatis. Et eſt mirabile quid cum Pſalmum legis, Miſerere mei, &c. ſimul eodem intuitu legere Ouidium de arte amandi, & illos libros, qui Act. 19 ſunt combuſti. Item eum, qui de Sodomiæ laudibus ſcriptus à Cardinale quodam perhibetur. Num & Grimorium, & Magicos Diabolicos, ſpirituum adiuratorios? Cum legis Pater noſter, ſimul leges Schemhamphoras Iudæorum, & Alcoranum Turcarum.

Quam

Quam turpia & obscœna scripta & sunt & fuerunt in mundo? Num hæc simul cum passione Christi lecta oculis obuersabuntur? Dicitis, id non semper fieri, sed ad arbitrium per certa signa. Imo per Diabolorum præstigias fallacissimas. Dicite quæso sine mendacio; quid erat scriptum in libris Salomonis ab Ezechia crematis? Quid in Bibliotheca Alexandrina & Romana? Legetis simul omnium linguarum Scripturas Daniele peritius, atque etiam Ægyptiorum & Cinesiorum hieroglyphemata. His qui possit satis esse vnus obtutus? Grande quid illud est: sed grandius etiam intelligere & meminisse. Non enim dat cuncta DEVS. 1.Cor.12.14. Magi aliàs solent cum Eulenspigelium præ oculis habent, ex eo legere caput biblicum, etiamsi nec scriptum habeant, nec memoria teneant. Pari modo si velis aliquid ex asino aureo Apulei, aut Amodisæo, aut facetiis Bebelii, &c. Huius rei gratia nemo vos accedet. Est enim contra DEI voluntatem, & nemo potest simul duobus Dominis seruire.

Omnia legere ex vno libro.

Ex vno libello legere omnia iuxta artem Tritemii.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Magi quidam negant, ne Diabolis quidem omnibus omnia esse nota, idque verum est. Nam omnia vno obtutu cognoscere, est DEI solius.

LXVII.

Ita vnicus tantum liber sufficit ad omnia. Si enim velit quis Theologica, Medica, Iuridica, Philosophica, plebeia, leget ex vnis Centonouellis, aut ex Batrachomyomachia Homeri, totam de Christo historiam, annales Baronii, lexica omnia, omnia herbaria, Galenum, Auicennam, Paracelsum, & quid non? Si Gremani & Scheunemani turpissimas inuectiuas præ manibus habent, totum Æsopum, Epistolas obscurorum virorum, & quicquid vlli nebulones vnquam scriptis mandarunt, recitabit memoriter, & cum intellectu. Tunc bonum erit profiteri in Academiis, & orationes recitare vel ex chartis lusoriis, si in eis scriptum sit, **der Vnterbub / der Oberbub.** Verum ne erremus signa magica sunt addenda suis spiritibus familiaria, vt si velimus ex Marcolfo legere Psalmum pœnitentialem, assignetur character eius spiritus, qui Psalmos nouit. Nam dictante spiritu Lector omnia potest. Aut liber nouus faciendus est, cuius literæ omnium scripturas repræsentent: quod soli Deo possibile. Quibus autem characteribus, qui principes & spiritus tanquam magnete attrahantur, in libris Magorum inuenire est. Hæc sunt signa magica, quibus Diaboli noti aduocentur, vt dicant, cum scripseris, Miserere mei Deus, scriptum esse; hac nocte in carcerem rapieris. Caue ergo tibi. Ludunt quidam mutuis scriptiunculis. Cum enim significare volunt: Veni hoc vespere ad me cœnatum: non hæc verba committunt chartæ, sed alia, v. g. Quot aues sunt in Donato? Cuius generis est vespertilio? Alter cui scribitur ex signo cœnæ facile mentem intelligit, si prius est informatus. Hic non opus est spiritu interprete, sed tantum pacto de communibus notis.

LXVIII.

Arg. XIII. *Qui voce* (oris vel organi musici) *sic canere exoptat, vt non saxa* (illa Amphionis) *sed margaritas & gemmas attrahat: nec bestias* (Orphei,) *sed spiritus: non Plutonem ex tartaro, sed Principes mundi potentes, is intret fraternitatem.* Respondeo pro omnibus piis. Ego vero nolo. Facessat ergo fraternitas. Margaritas & gemmas cantu allicere, quid opus erit, omni re abundantibus? Non in lucum ligna. Nempe interdum ludendum est, vt tempus fallatur, & artis vis spectetur. Ego mihi nolim istas gemmas, & vniones. Euocare vero spiritus, & Principes mundi carminibus, Magorum abominabilium est. Nam si Angeli boni expetuntur, à Deo orantur, qui eos mittit suis Prophetis, vt Danieli, Iohanni, &c. vigiles aliàs & ministri additi sunt omnibus piis, nec opus est cantu eos accersere. Ps.34.8. & Ps.91.11. Ps.103.20 21. Ebr.1. vlt. Mat.18.10. Qui *Principes mundi* vocantur, legimus in Magicis execratis, & Ioh.12 31. cap.14.30. c.16. 11. Eph.2.2. c.6.12. Princeps mundi circumit vt leo rugiens, quærens deuorare aliquos, aut per tentationes subuertere, aut captiuos trahere; *Noster Princeps Christus est, quem Magia non allicimus. Est enim semper nobiscum, & per fidem habitat in cordibus nostris.* Eph.3.17. Ioh.14.23.

LXIX.

Arg. XIV. Societas Papam funditus eradicabit. *Nam eius finalis interitus dilatus est in nostra tempora, quibus noua voce finietur.* Ita pag.77.78. *Veniet tempus, quo ista vipera tacere cogetur & cornu triplex,* (Turcæ regnum) *annihilabitur.* Id scimus innotuisse multis doctis, qui clam nobis istam abolitionem sunt gratulati. Ergo huc adeste, qui Papam pessundatum cupitis. Caue tibi Papa, & Maozim tuum muni castello S. Angeli fortiore, & Hispanicis auxiliis.

Papæ eradicatio à fundo.

LXX.

Hoc argumentum non opinionibus sociorum, & persuasione, fortassis inani, æstimandum est, sed reuelationibus scripturarum. Neque enim sic Antichristus orientalis & occidentalis, Papatus & Mahometismus prostari potest. Dan.11. v 35. Post Regum Syriæ, & Ægypti conflictus dicitur secuturum tempus aliud, quod Antichristo tribuunt Interpretes, sicut & sequens vaticinium de Rege omnia metiente voluntate sua, &c. quem Antichristum in Ecclesia Dei sedentem, & se pro Deo gerentem esse, ex Pauli consonante Prophetia. 2. Thess. 2. intelligimus.

LXXI.

Attendendum autem est v. 40. dici Regem Austri, qui D. Paulo est Spiritus oris Domini, impetum facturum esse in Antichristum, qui *Regis Aquilonis* nomine accipitur. Verum hic prouocatus armis omnia implet, vti meminimus euenisse à tempore Lutheri, qui excitauit cum gladio spiritus,

Rex Austri Habac. 3. v. 3. Deus ab austro veniet.

ritus. Legantur res Galliæ, Angliæ, Belgii, Poloniæ, Germaniæ, &c. & ſtudia Gheſuitica, conſiliaque conſiderentur, cum violentia inquiſitorum.

LXXII.

Sed verſ. 44. aliud quiddam innuitur. Dum enim Papa ſic furit, & per ranas, ſeu ſpiritus immundos reges ſibi adhærentes ad bellum cogit, famâ ab Oriente & Aquilone turbabitur, indignabundusque ſpirabit atrox bellum: verum fruſtra. Fine enim inſtante *nemo ei auxiliabitur*, vt tantum cogitet de firmanda & retinenda ſede ſua in Italiæ regno.

LXXIII.

Explicant hoc alii per geſta Lutheri, qui ab Aquilonia Witeberga ſpiritualem famam contra Papam ſparſit: ſed nihil obſtat, quin & diuidatur tempus reformatæ religionis. Primus furor Papę in bello Germanico, & pòſt Concilio Tridentino apparuit: ſed ſecuta eſt fama, nihil effectum eſſe iſtis viribus, imo ſemper plures ab ipſo deficere, nihilque poſſe Gheſuiticas artes: Deinde vires Imperii, & ſuorum fatigatas eſſe à Turca & Tartaris: Hiſpanum à Belgis, & Anglis, præſertim Ann. 1588. afflictum nihil pro ipſo amplius poſſe, adeo vt deſperet de auxilio, quando nec Mendozæ Arragonio intentio ſucceſſit, nec aliis ducibus in Germanos incitatis, nec fœdifragis Gheſuitis pacem Imperii ſoluere conantibus. Quocirca nihil aliud conſilii eſt, niſi munire ſuum Maozim inter duo maria Romæ, vbi olim fuit Eccleſia plurium Sanctorum, &c.

LXXIV.

Vide VVolffii centurias, & teſtes veritatis.

Apoſtolus Paulus duos articulos oppreſſionis Antichriſti proponit. Primus eſt reuelatio hominis peccati, quæ quidem etiam ante Lutherum incepit, ſed ſparſim, & debiliter præualente poteſtate tenebrarum: Luthero vero gladium Spiritus vibrante, & lucem plenam Euangelii proferente, ſimul manifeſtatus eſt potenter, & ſpiritualiter per Verbum Dei interfectus, quæ interfectio gradus ſuos habet, ex quibus vltimus erit totalis deſtructio per illuſtrem aduentum Chriſti, poſt quem in ſtagnum ſulphure ardens cum ſuis cultoribus iniicietur æternum. Si gradus diſtinctim volumus, primus eſt initium pugnæ Lutheranæ: ſecundus prælium cum pleno exercitu, de quo Apoc. 19. 11. & ſeq. Tertius finalis deſtructio.

LXXV.

Fama Danielis, an ſit fratrum de Roſ. Cr.

Societas Roſeæ Crucis ſibi quidem arrogat id, quod de FAMA habet Daniel, & quod Paulus de deſtructione totali: ſed argumento nullo. Quas enim reuelationes, ſcientias, collationes harmonicas iactat, nihil probant, quia principium petitur.

LXXVI.

Turca.

De triplici cornu Dan. 7. v. 8. ſeu cornu paruo, qui cefferunt de decem Imperii Romani florentis, tria, quod ſibi imaginantur fratres, euentus probabit. Turcæ regnum non videtur tam leuiter expugnari poſſe: quanquam Melancholicus quidam putabat, vel vnica æſtate ſine tormentis bellicis poſſe effici, vt tota Europa exureretur. Vbi Magia veſtra glorioſa? Vbi homunculi, & alia? Vana ſunt ſine viribus, & effectu verba. Maioribus opus eſt viribus. Verum hæc in præſens ſufficiant. Sequitur pars ſecunda analyſeos.



Continuatio



D. O. M. A.

Continuatio analyseos, seu inquisitionis

IN CONFESSIONEM FRATRVM DE ROSEA CRVCE, SEV PARS SECVNDA:

I.

DVo iam nobis sunt proposita, quorum prius est residuorum argumentorum, cur adiri debeat fraternitas, contemplatio, posterius de via ad eam. Quæ in antecedentibus vidimus, sparsim sunt collecta. Pag. 79. 80. congeries quædam, & cumulus est plurium. *Vertite*, inquiunt fratres, *vos ad nos*: 1. *Quia non quærimus vestram pecuniam.* 2 *Offerimus vobis sponte nostros magnos Thesauros, & cupimus vos participes reddere nostrorum bonorum.* 3. *Non insidiamur bonis vestris per falsas & fictas tincturas.* 4. *Non loquimur vobiscum per ænigmata, & perplexe.* 5. *Volumus vos ducere ad simplicem, planam, & perspicuam explicationem, & notitiam arcanorum.* 6. *Nolumus à vobis recipi, sed inuitamus vos in nostra plus quam regia palatia.* 7. *Non est hoc nostri arbitrii, sed impulsu Spiritus Sancti, & oraculis, seu monitis Dei compellimur vos asciscere, idq; conditione præsentis temporis.* 8. *Omnia bona, quæ natura in omnia mundi loca mirabiliter sparsit, seu distribuit, vobis simul committentur, & communicabuntur.* 9. *Omne id, quod humanum intellectum obscurat, & eius operationem impedit, facile deponetis, & ex mundo quasi Epicyclos, & Excentricos expugnetis.* 10 *CHRISTVM pure & syncere nos amplecti confitemur, & veræ Philosophiæ addicti sumus: Vitam Christianam agimus.* 11. *Pater nostri Ordinis natus Anno Salutis per Christum 1387. vixit annos 106. quibus varias in mundo mutationes vidit.* (*Adde: Sapientiam à Magis acceptam magis magisq; excoluit, & firmauit meditatione, & experientia, collatione que discipulorum in omnem mundi plagam emissorum.*) 12. *Nostro seculo desinet omnis falsitas, seruitus, mendacium, tenebræ, quæ, dum globus mundi voluitur, irrepserunt in artes omnes, operaq; & regimina hominum, vnde innumerabilis multitudo omnis generis falsarum opinionum, & hæresium est orta.* 13. *Si etiam sapientissimi non facile possunt delectum inuenire, quid probare debeant, & quid improbare, quod ab vna parte autoritate Doctorum, ab altera veritate experientiæ detenti, atque ita quo inclinent dubii redditi sint, ad nos accedere debetis, apud quos totum illud sublatum erit.* 14. *Apud nos videbitur recta & certa regula introducta, adeo, vt gratia debeantur his, qui in ea concinnanda elaborarunt.* 15. *Felicitas seculi nostri, cui totum opus per se ascribendum, non est prætermittenda.* 16. *Si multi excellentes viri scriptis suis instantem reformationem non parum promouent, non postremos vos esse oportet ad ordinem.* Hic Prolepsis est: *Ergo non vos soli opus hoc vrgetis?* R. *Non cupio solis nobis hanc laudem tribuere quasi solis opus mandatum, & impositum esset. Diuini id est consilii, quod ne impediatur, vel lapides, (nedum vos) surgere oportet, & suam operam conferre.* 17. *Consilium Dei est extollere humiles: superbos contemtu premere: Taciturnis & pauciloquis sanctos Angelos mittere ad colloquia: multiloquos & nugatores friuolos deserere.* 18. *Altius omnibus hominibus euehimini.* De aurificio, vbi est argum. 19. Prolepsis: *Cur non vocamur ad aurificium? Optimum est aurum copiosum facere ad bella gerenda, palatia nobilia constituenda, &c.* R. Auarissimus est, qui ita sentit. Nam *non debet appetere dominium in eas res, quæ sunt nihili, & à quibus alii torquentur.* 2. Non opus erit. Huc enim perueniet, vbi *nulla egestas, calamitas, morbus, ei poterit nocere, ita vt sit vltra humanam sortem.* 3. Non tamen abiicitur, aut spernitur donum Chrysopœæ, cum sit Dei. Quia vero non semper naturæ notitiam affert: natura vero medicinam, & innumerabilia alia arcana, mirabiliaque offert: maxime & inprimis studendum est, vt PHILOSOPHIÆ scientiam & intellectum consequamur, antequam ingenia industria ad TINCTVRAM trahantur. 20. Prolepticum: *Plurimi sunt libri Chymici, ex quibus tincturam possumus discere, qua acquisita copiam ad omnia delectabilia in hoc mundo habemus.* Ergo frustra nos aduocatis. Resp. Sunt quidem *libri plurimi Alchymistarum*, sed plærique *impii*, & è medio

P. 81. *P. 80.* *P. 67.* *P. 70.* *P. 77.* *P. 78.* *Libri Alchymistarum.*

dio tollendi. Abutuntur enim nomine diuino, & obliquis, perplexiſque ſermonibus Lectorem ludunt. Ad nos venite. Theſauros magnos accipietis, quos vobis offerimus. Hæc 20. argumenta ſi quis iungat ſuperioribus XIII. ex quibus vnum eſt quintuplex, ſectione 41. conſtabit ſumma XXXVII rationum, & tamen nondum pedum viam vidimus. Quid ergo de his quoque monendum placide, & ſine iniuria ſocietatis, liberaliter tamen, & ingenue diſpiciamus.

Sectio II.

Non quæri noſtram pecuniam.

De argumento I. Hæc ratio parum ad rem facit. Neque enim ideo quis ſe in ſocietatem confert, vt aliquid perdat, ſed vt lucretur, & rebus opulentior euadat. Tanguntur autem Paracelſiſtæ iſti furciferi, qui vel fraudibus lapideis emungunt Principes, & alios diuites argento, poſteaque laqueum pro lapide ferunt: vel medicaſtri Paracelſici, & impoſtores, qui puluiſculis à ſe coctorum medicaminum & hygeia argentea, vel potius argentiſuga perfectam morborum ſanationem ſimulate cum ingenti ſupercilio, & contemtu aliorum auxiliorum pro ære magno promittunt. Vis ergo argumenti in hoc eſt: *Si ad impoſtores illos accurretis, & cum eis familiaritatem initis, multo magis ad nos debetis accedere.* Illi enim veſtris bonis, & pecuniæ ſtruũt inſidias: Nos nullam pecuniam quærimus à vobis, ſed offerimus. Vel: *Si his familiariter vtimini, qui vos per medicationes impoſtorias nummis ſpoliant, aut etiam commentitiis ex Antimonio tincturis decipiunt, aut aliis fraudibus circumſcribunt*, vt Paracelſiſtæ ſolent, *ecquid cunctamini ad noſtram ſocietatem pro infallibili copia verarum opum vos adiungere ſine iactura, & damno veſtro?*

III.

Oblatio ſpõtanea magnorum theſaurorum.

Argum. II. Eſt plauſibile, & valde illectiuum. Quæ enim eſt conditio noſtrorum temporum, quis non appetit magnos Theſauros, & bona plurima, niſi rariſſimæ quædam aues? Cur à Principibus, & opulentis Chymici Paracelſici Chryſopœam iactantes ſæpe ſunt in honore magno habiti? Cur damnantur veri Chymici à plæriſque, quàm quia non ſatisfaciunt appetitui, nec auri mõtes efficiũt? Sciunt hunc morbum ſocii. Ideo occurrunt in temperantiæ auripetæ. Sed quicquid ſit, argumentum obtinet apud plurimos, & longe maiorem copiam alliciet, cum ſocietas in mundum emittet vnum atque alterum fratrem auro onuſtiſſimum, & liberaliſſimum. Fortius exempla mouent, quam promiſſa. Philippus Rex Macedonum non tam valuit eloquentia, & copiis militaribus, quam aſinis auro onuſtis. Talibus autem argumentis inducuntur intemperati, & vitioſi ſeu auari. Qui ſua ſorte ſunt contenti pii, prudenteſque non mouentur opibus. Si ſocietas non vult fieri colluuies, & lerna improbitatis, parce illis vtetur. Simulant quidem aliqui probos & pios, donec recepti fuerint: ſed ad ingenium redeunt. Nullum quippe ſimulatum eſt diuturnum.

IV.

Inſidia per falſas tincturas.

Tertium argumentum primo eſt domeſticum, militatque contra eos nebulones, cum quibus *Nicolaus Guibertus* annos quadraginta in Italia, & alibi temere conſumſit. Eſt quidem *tinctura quadam vera ratione, & experientia ſummorum virorum comprobata*: ſed plurimæ fallaciſſimæ proponuntur à Paracelſo & Paracelſiſtis. Legite librum de gradationibus, & de tinctura Phyſicorum ex ſtibio, cuius aſſertio eſt etiam apud *Baſilium Monachum*, *Rogerium Baçhonem*, & alios. Mihi ſunt in aduerſariis modi plures, vt & *Mirandulæ Comiti* fuerunt. Nuper aderat, qui faſciculum Receptarũ Chymicarum offerret, & præ cæteris *tincturam auream antimonii* commendaret, quam & argento immiſcuiſſet, & ſub conditione tantum vnius examinis per aquam ſegregantem, ſeu fortem vendidiſſet. Vocant ein Einbringen.. *Rogerius* repugnat, appellatque ein Außbringen: quaſi *ex antimonio, & argento aurum hac via ſegregaretur.* Verum hoc crederem, ſi examina auri acria ſuſtineret, quæ cum exigat etiam *Paracelſus*, vbi ſcribit, *ſe ex cupro aurum 28. caract. omni examine conſtans feciſſe*, mirum eſt alibi fallaces tincturas propoſuiſſe, ſi non eſt, quod quidam ſentiunt, puluerem quidam aurificium ab aliis præparatum habuiſſe, ſed neſciuiſſe ipſum facere, ideoque ex libris diuerſis varia congeſſiſſe, ne videretur aliquid ignorare. *Crollius* quoque ſcribit, aliquos aliunde acceptum puluerem ad tranſmutationem adhibuiſſe, idque crebræ hiſtoriæ confirmant. Fors idem contigit *Paracelſo. Pars cum parte multos priuauit vita, dignitate, ære, & arte.* De cinabrii opere ἐπέχω. Bernhardus extra vniuerſale ſeu integrum, ſeu abbreuiatum, nihil ſtabile agnoſcit. Ego medicinę gratia fui in ea arte & Theodoricus, & practicus, quanquam impudentiſſima muſca *Gramanus* meam ſolertiam, & Philoſophicas explanationes irrideat. Vis argumenti in hoc eſt. *Si eis agglutinamini, qui falſis tincturis vos decipiunt, multo magis nos, veram tincturam poßidentes, ſequi debetis.* Verum vnus finis non omnibus eſt ſatis.

Tinctura aurea volatilis in ſtibii ſulphure, vt & in communi rubefacto. Aurum ex cupro 28 caract. Hoghelãdæo Paracelſus non potuit facere lapidẽ

V.

Ars ſapientum planiſsime tradẽda.

Argum. quartum: *Qui artem ſapientum citra ænigmata & perplexas parabolas docent, eorum conſortium eſt appetendum. Nos &c. Ergo, &c.* Aſſumtio alludit ad ſcripta Philoſoporum Chymicorum, quos ſapientes & Philoſophos vocant; item ad fraudulentos Paracelſiſtas, qui cumulant mendacia mendaciis, obſcuritateſque obſcuritatibus, & monſtrare artem mira cum religione audent in *Cantico Canticorum Salomonis, in Seneca, & aliis*, qui tamen nunquam de aurificio cogitarunt, quales impoſtores & ego aliquos noui, interque eos *Ambaldum*, *Roſerium Philoſophorum* reponit quorundam commenta, quibus Sacroſancta *Chriſti* paſſio, reſurrectio, & gloria polluitur: Alii *miſſas integras* in ſenſum lapidis mutarunt: *Traſybulus, Symbolum Apoſtolicum* ſua tinctura in-

ra inquinauit,& varie abusus est rebus sacris:quos omnes fraternitas pie iusteque taxat. Est autem & hoc argumentum particulare,nisi id velis ab aurificio applicare ad parabolas sapientũ morales ænigmaticos,quod tamen abesse a societate puto. Nam sic & Christi parabolicæ doctrinæ reiicerentur, & *Salomonis* prouerbia cum vaticiniis:& si hos quoque fratres comprehendunt,non opus est fraternitatem adire. Tot enim interpretibus authenticis,& non authenticis sapientia ænigmatica in sacris est declarata,vt nihil possit pro hoc seculo addi,quod tamen nihilominus ex parte,& in ænigmate per speculum quædam intueri cogitur,donec in futura gloria DEVM facie ad faciem contemplemur.

VI.

Argumentum quintum est consectarium quarti. Arcanorum vox ambigua est. Plærique referunt ad *Chymica*, potissimumque *Physicam tincturam*, quæ cælatur. Supra audiuimus pag. 64. Thesauros quidem liberaliter offerri omnibus,at non arcana;licet pa.68.fuse promittant fratres, *nullum spe sua deceptum iri*. Dabit operam societas,vt hæc componat, & diserte dicat; *Omniane arcana polliceatur,an quædam tantum: & num ipsam artem,an fructum artis.* Fortasse respondebit per distinctionem temporum & personarum. At ille dicebat: *Digni & indigni simpliciter prabendas accipiunt.*

De plana & simplici notitia arcanorum.

VII.

Argumentum sextum de *inuitatione ad regia palatia* merum est. Si nebulis circumdati estis, vt inueniri non possitis,quis adibit,aut quis credet vobis? Putabit enim se in montem Veneris ire, vnde nunquam redeat ad suos,quos tamen secum beatos velit. Mirum videtur nebulas habitare, & tñ *splendida palatia iactare*. Noui tale quid magos incantatores, & adiuratores machinari solere,& per nebulas,tenebrasque infernales in campum Elysium contendere, aliosque ducere, vbi palatia Ditis,&c. Si non cupitis in domos alienas recipi, quod tamen neque *Christus*, neque *Apostoli* fugerunt. Matth:10.14. Cur emittitis fratres tanquam legatos? Quæ etiam res facilior & commodior est ad reformationem generalem? Sed vos fortasse fugitis sententias de currentibus,& non missis,Ierem.23.21.Matth.7.15.Ioh.10 1.8.2.Cor.11.13.Gal.2.4.2.Tim.3.5.6.Matth.23.15. Voluit itaque societas dissimilis esse falsis Prophetis,Monachis,Ghesuitis,qui Scribarum Iudaicorum & Hypocritarum Pharisæorum successores,mare & aridam circumeunt, & ad Reges terræ tanquam Ranæ Apocalypseos c.16.v.13.14.accedunt, vt ex illis Christianum faciant,qui fit filius Gehennę duplo magis,quàm sunt ipsi: ab his arma in Lutheranos exigant. Vtrum autem magis sit probandum, inuitatio vestra ad maxima secularia bona, an excursus monasticus; difficilis est iudicatu. *Christus* se accedentibus, & quos accessit ipse, & adhuc aduenit per suos ministros,non caduca,sed æterna promittit, atque ideo plurimi ad cœlum per atrocissimas passiones contenderunt.

Ad plus quã regia palatia vocatio.

Nolle recipi in aliorum domos.

2.Tim. 3.6.

Mat.23.v.15

VIII.

Illud interesse videtur: In vaticinio *Danielis*,quod ad Antichristum accommodant c.11.v.43. scriptum extat: *Dominabitur thesaurorum auri & argenti,& in omnibus preciosis Ægypti.* Enimuero satellites Antichristi thesauros mundi aquilinis oculis inuestigant,& vnguibus coruinis attrahunt: Fraternitas offert thesauros gratis. Apud illos,ni *Christus* seruet suos,certissima est corporis & animæ pernities: apud hos in dubio. Nã *in rerum abundantia sub imperfectionis statu difficile est sibi temperare.* Fratres debuerunt cogitare, quid sibi velit illud *Christi* iuramentum; Matth: 19. vers.23. *AMEN dico vobis,quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Facilius est Camelum per foramen acus transire,quam diuitem in regnum cœlorum introire*, tametsi apud DEVM omnia sint possibilia. Iuxta hanc sententiam; fratres Thesauris inconsumtilibus abundantes,num putatis vos cœli hæredes fore? Cur allicitis homines ad ea,quibus sunt perituri? Quinam sunt in regiis palatiis? Matth.11.8. *Qui mollia gestant.* Tota Biblia percurrite, præsertim Noui Testamenti. Omnia potius deseruerunt *Prophetæ & Apostoli*, quam *plus quam regia palatia* in seculo seu appetiuerint, seu aliis promiserint.Matth.19.27.1.Tim.6.v.6.7.8.9.*Nihil intulimus in mundum,&c.Habentes victum & amictum, &c. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & multa desideria, &c.* Vide Pf.34. v.10 11. *Christianorum* πολίτευμα *cœlum est,non regia palatia seculi.* Phil.3.20.2.Cor. 5.1. Etiam hoc vobis subiicio. Paracelsus item in ore habet *Ægypti thesauros*: Et vos spiratis thesauros. Si Ægypti preciosa Antichristo addicuntur, videte ne inde suspicionem,& opinionem Antichristicam trahatis,quasi vestrum Collegium sit Antichristi, præsertim cum Magiam, Cabalam, & alias suspectas artes profiteamini; de quibus est in Apocalypsi c.13.13.14.iuxta expositionem Pontificiorum: *Paulus* Rom.8.v.17.gloriam sub conditione passionis,non felicitatis mundanæ promittit:

Dominium in mundi Thesauros.

Thesauri Ægypti.

IX.

Argumentum septimum ab autoritate DEI probandum est Canonicis Scripturis, & signis infallibilibus. Quis, quæso, credet, vocationem esse veram, quæ vocationi *Christi* è Diametro aduersatur? Vbi *Prophetæ* & *Apostoli* inuitant homines ad lautitias mundanas, & regia palatia, & non potius per crucem ad regnum cœlorum? Quæ fortuna magistri *Christi* fuit in mundo, ea manet etiam discipulos, & domesticos eius. Matth. 10. 25. Iohan.15.19.20.c.16.33. Vestra

An Sp S. impulsu Rhodostaurica societas prodeat.

ſtra vox non eſt *Chriſti* vox. Itaque ſpiritui veſtro fidem non habemus. Quod ſi per ἀντίληψιν & Ironiam talia dicitis, & per roſas intelligitis ſpinas, poteratis ſuperſedere labore. CHRISTVS enim in Eccleſia non amplius loquitur per Prouerbia, ſed palam de Patre concionatur. Iohann. 16.25.29. Cogitate vero fratres, qua conſcientia poſſitis dicere, à DEO vos impelli conditione præſentis temporis ad ſocios aſſciſcendos, & amplificandam fraternitatem veſtram. Si tempora reſpicimus, iam à CHRISTO fuerunt mala, eſtque in vaticiniis circa finem mundi peſſima fore, Epheſiorum 5.16. 1. Timoth. 4.1. 2. Timoth. 3.1. Matthæi 24. verſ. 21. Apocalypſ. 12. verſ. 12. 2. Petri 3. verſ. 3. tantum abeſt, vt Paradiſi deliciæ ſint in ſeculum reuerſuræ. Cur ſub DEI nomine mendacia ſcribitis? Diebus malis piorum refugium DEVS eſt, non plus quam regia palatia nebulis tecta. Pſ. 46, 1. Pſ. 90. & 91.

Communio omnium bonorum mundi.

X.

Argumentum IIX. de temporalibus bonis tam fidem inuenit apud CHRISTI diſcipulos, quam regia palatia. Ego non arbitror politicum, & plebeium eſſe, qui patiatur ſibi perſuaderi, vos poſſe ſeu parare, ſeu in parato habere omnia naturæ bona in omnibus locis. Si non habetis, cur promittitis communicationem? Cogitabit hîc pius aliquis de illo Sathanæ Matthæi 4. 9. *Hæc omnia tibi dabo, &c.* Eſt tamen non vna ſententia huius promiſſi. Nam & ille aliquo modo dat omnia, qui omnium hiſtorias diligenter deſcriptas: vt: Si donares Ornethologiam *Vlyſſis Aldrouandi*, omnes aues donares. Alius ſenſus eſt, de omnibus naturæ bonis aliquod ſpecimen, vel particulam exhibere contemplationis gratia, vt ſi eſſes in Cimeliarchio Imperatoris, aut Electoris Saxoniæ.

Vide hiſtoriam Menippi ab Empuſa amati. To. 2. canic Maſolti. coll. 3. Sup. 8. 21. Omnia habere.

Quid ſi magia veſtra efficeretis, vt omnia apparerent, non autem eſſent? Spiritibus autem, ni fallor, non ita beneuolis & promtis vtemini, vt omnia deſiderata apportent. Qui omnia bona largitur, DEVS eſt, qui tamen non dat vni cuncta. Alii dant omnia moraliter, idque duplici modo. *Chriſti* fideles contentis mundi opibus vera bona accipit omnia, hîc quidem in ſpe & fide: in altera vita vſu & fructu. Deinde gentilium Philoſophorum multi opinione ſimili fuerunt, qua *Diogenes Cynicus*.

De *Salomone* teſtem habemus Scripturam, eſtque in Eccleſiaſtæ libro, cumulus variarum opum & deliciarum.

Sed quis affirmabit, omnia in omnibus locis bona ipſi affuiſſe? Bonum ſaltem perſeuerantis ſapientiæ in ſenectute ipſum deſtituit. Paracelſici, vt ſunt fatui, *et lapidem Philoſophicum donant*, verum nullo argumento, niſi argumentum eſt, opinari, temere nugari, *mentiri, quod eſt eorum proprium*, in omnibus ſcriptis magicis, cabaliſticis, de vita longa, de lapide, & ſimilibus. Mirum eſt, *Crucem Roſeam eſſe crucem*, & tanta polliceri.

Interroget aliquis, num etiam *fœminas pulcerrimas, & amores, & vina*, &c. ſitis veſtris commiſſuri, & communicaturi, vt omnia corporis, fortunæ, & ingenii bona eis affluant? An luditis verbis iuxta *Senecam, ſi vis habere omnia, contemne omnia?* Hoc Philoſophicum quid ſonet? *Qui enim nihil deſiderat, beatus eſt, omniaque ſua ſecum habet.* Ita *Paulus* Philipp. 4 11. *Ego didici in quibus ſum ſufficiens, ſeu contentus eſſe præſentibus, omnia poſſum in Chriſto*, verſ. 18. *Habeo omnia, & abundo.*

Si hæc eſt mens veſtra, næ multos ſpe inani lactabitis. Vt *Senecæ* dictum tamen rectius intelligatur, falſum eſt, omnia te habere, ſi contemnas omnia. Cogita quæſo de ordinariis rebus vitæ, victu, ſocietate, diſciplina, religione, vita beata, quæ certe non eſt in omnium contemtu. Tu *Chriſtum* etiam in ſeculo pauperrimum fideliter ama, & habebis omnia in futuro. *Seneca* de neceſſariis non eſt accipiendus, ſed de his, quæ ambitioni, auaritiæque, &c. ſunt ſubiecta.

De puro lumine intellectus.

XI.

Argumentum nonum offert quædam ingenii bona, circa ſcientiam, quam lucidam, & puram promitteris, celerem quoque & expeditam, vt nulla tarditas, hebetudo, aut caligo intellectum obſcuret, nec opus ſit ad *Phænomena cœli comminiſci hypotheſes*, aut in aliis explicandis vti principiis alienis, & ambagibus. Credo vos reſpexiſſe ad Encomium ſapientiæ, quod extat Sap. 7.22. & ſequent. vbi dicitur, *omnium artifex, & tribuitur ei ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, omnem habens virtutem omnia proſpiciens, &c.* quæ tamen potius ad Filium Dei referuntur, quam ad illum hominem peccatis grauatum; ſicut & Prouerbiorum 8. & 9. Nam idem autor capit. 9. verſ. 9. Sapientiam ad DEVM refert. De hominibus autem ait: *Quis poterit ſcire conſilium Dei, & cogitare, quid velit DEVS? Cogitationes enim mortalium infirmæ ſunt, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, &c.* qualia etiam de Philoſophis apud Platonem leguntur.

De hominis imbecillitate & hebetudine. Plato in Phædone primis foliis. Pſ. 49. 13. Pſ. 39. 7. Pſ. 115. 11. Rom. 3. 4.

Ecce quod vos promittitis largiſſime, id negata homini mortali contingere poſſe ſapiens, idque plura loca ſcripturarum confirmant, præſertim quæ hominem vanitatem, mendacem, &c. vocant. Liceat quærere, an non is, qui tantas res ex ſua copia pollicetur, debeat eaſdem pleno iure poſſidere? Affirmabitis proculdubio. Atqui in veſtra fama & confeſſione non apparet tam pura ſapientia.

De pura Chriſtianitatis, vereq;

XII.

Argumentum decimum iudicari non poteſt. Multi enim dicunt, Domine, Domine, ſed non ideo ſunt Chriſti. Matthæi 7. 22. Quæ hæreſis excepta Ophitana, tam fuit diſſoluta, vt negauerit

negauerit, ſe *Chriſtum* pure & ſyncere amplecti? Imo hæreſis non eſt, ſed paganiſmus, vbi *Chriſtus* negatur, aut Iudaiſmus. Vox genuini paſtoris requiritur, & probatio ſpirituum. Edite confeſſionem de *Chriſto*, & doctrinæ capita proponite. Tunc apparebit, ſitiſne orthodoxi, an *Anabaptiſtæ, Enthuſiaſtæ, &c.* Pure Chriſtum profiteri, & amplecti fortaſſe anabaptiſticum ſenſum habet de Eccleſia in his terris ab omnibus peccatoribus, & hypocritis pura. An vero vos puri? Vide Iob. 9. 1. 2. 3. & c. 25. c. 14. 4. De *Catharinis* nolo verba facere. Ego non puto Magiam & Cabalam veſtram cum Chriſtiana fide ſimul ſtare poſſe. *Vera veſtra Philoſophia eſt de genere Paracelſico.* Hoc autem minime eſt veræ ſapientiç, vt alibi demonſtrauimus. *De vita veſtra Chriſtiana* tunc videbimus, cum fidem proponetis, & ex nebulis egrediemini in manifeſtum ſolis lucem, vt opera veſtra ſpectentur. Iohannis 3. 20. & capite 7. 4. Epheſiorum capite quinto, verſu octauo, & ſequenti.

Philoſophia profeſſione.

Cathar. doc. p. 2. c. 24. q. 3. c. 39. de ſectis hæreticis.

XIII.

Argumentum XI. De Patris veſtri longa vita, & experientia per annos 106. narratio non ſufficit ad ſocietatem veſtram amplectendam. Deme annos ignorantiæ, quos conſumſit, antequam ab Arabibus magis ſapientiam magicam diſceret. Remanebunt circiter 90. ſane multi anni, qui ſuperant Moſaicum terminum. Patriarchæ etiam diutius vixerunt. Quis autem illorum ſibi tantam arrogauit ſapientiam, quantam vos Patri veſtro tribuitis? Inuenimus in ſacris pueros etiam centennes, nec eſt in numero annorum ſapere. Sapient. 4. verſu 8.

De peritia patris Rhodoſtaurotici.

Pſ. 90. 16.

Eſ. 65. 20.

Ægyptii Græcos ſemper pueros vocabant, & de ſenibus dicitur, quod ſint bis pueri. In recens inuentis plagis magnæ ætatis viri inuenti ſunt, ſed non admodum ſapientes, nec Macrobii veræ ſapientiæ fuerunt participes. Videre varias in mundo mutationes potius turbat, quam ſtabilit ſapientiam, niſi quis in ſe habeat vim iudicii & delectus. Idem fructus eſt hiſtoriarum. Pater veſter magico fundamento impoſuit ſuam experientiam. Multi itaque anni parum ad rem faciunt, ſi animus eſt prauis occupatus. Non perſuaſiſſetis hoc *Elihu*. Iob. 32. *Paulus Timothei* iuuentutem non vult ſperni. 1. Tim. 4. 12.

XVI.

Argumentum XII, Primum deſideramus ſcientiæ veſtræ principium. Quo enim fundamento demonſtratis iſtam omnis falſitatis noſtro ſeculo abolitionem? An Paracelſica Phantaſia, & populi rumoribus? Signa veſtra ex harmonia temporum tam erunt certa, quam eorum, qui mundum periturum dicebant Anno 1588. Si de reſtauratione mundi poſt iudicium loqueremini, nihil noui, aut quod ſit incredibile diceretis. *Credimus enim, reſtitutionem omnium bonorum, atque inſuper etiam gloriæ acceſſionem, & vitam æternam Electorum Dei.* At ante finem mundi nihil tale fore, perſuaſum habemus, quia contrarium eſt in Prophetiis non mendacibus. Vanum ergo eſt argumentum veſtrum, & propter id nemo prudens ſe ad vos conferet. Deinde ex opinione veſtra dicitis falſitates, ſeruitutes, hæreſes, mendaces, &c. deſitura. Forſitan Hypotheſis apud vos eſt: *Quæ nos ſapimus, ſunt vera & ſolida: quæ alii ſapiunt noſtris diuerſa ſunt falſa.* Si ergo noſtra recipiuntur, conſequens eſt, diuerſa non poſſe conſtare. Credo vobis libenter, ô fratres. Si enim omnes homines haberent vnum caput, multitudo capitum deſineret, & tunc omnes vno vteremur cochleari tantum, vnoque pectine, & perſpicilio. *Sapitiſne, an ſtulti eſtis?* Quomodo tandem omnis falſitas ceſſabit? Quando vanitas & illud: *Omnis homo mendax.* At hoc non abolebitur, niſi creatura tota poſt iudicium ſummum renouata. Dicam & hoc: Ignoſcite ingenue loquenti: Quando veſtra ſocietas deſtructa erit, tunc magna pars falſitatis euaneſcet, mundus liberabitur ingenti metu turbarum, quas excitabitis. Rectius *Chriſtus* Iohan. 17. orat pro *Apoſtolis*, & cæteris fidelibus, non vt tollantur de mundo, ſed vt à malo ſeruentur. Semper in ſeculo erunt, qui rogabunt: *Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.* Id tantum erit, *Chriſto* dicente, vt videri queat etiam Electos ſeduci poſſe. Vbi veſtra Paradiſus? Si nulli erunt mali, quorſum præmonitiones *Chriſti*? An vos Chiliaſtarum ſententiam ſequimini mille quidem annos fore aureum ſeculum, poſteaque Sathanam liberatum ſeducturum. Quos? *Gentes, Gog, Magog.* Si ita eſt, vniuerſalis non erit mundi reformatio, ſed tantum paruus grex ſanctorum reſtabit. Apoc. 20. Imo hi, qui cum *Chriſto* regnaturi dicuntur annos mille, verſ. 4. introducuntur decollati. Si interfecti fuerunt, & reuixerunt *regnaturi cum Chriſto in ſecula ſeculorum*, vt eſt Apocalypſeos 22. verſ 5. quî poſt Paradiſum veſtram ſanctorum in terra erit ciuitas? Non autem deſituros eſſe ſanctos ante iudicium, indicat *Paulus* 1. Theſſ. 4. 17. Sed nec mali tollentur ante aduentum *Chriſti*, Matth. 24. 30. & ſequent. *Millinarij* non huius ſeculi vitam, ſed alterius intellexerunt. *Baronius* ad ann. 118. & 264.

De omni falſo & ſeruitio deſituro noſtra ætate.

In mundo ſemper mali qui etiam ob hoc deſtruetur.

Chiliaſtæ, quorum tamen regnū non in hoc ſeculo eſt, ſed in altero iā reparato mundo.

XV.

Argumentum XIII. Oppono rationem rationi: *Si in ſeculo nunquam futurum eſt, vt factiones ſint nullæ, in ſeculo ne ſperari quidem poteſt in vno per omnia conſenſus*, & ſic ad vos non accedendum eſt, eam ob cauſſam. Aſſumite ipſi, & probate aſſumtum dicto Paulino 1. Corinthiorum 11. 19. *Oportet inter vos hæreſes eſſe, &c.* ne quid de vaticiniis nouiſſimorum temporum dicamus. Quid autem reſpondebitis, ſi vobis opponemus, *in ſeculo homines ſine peccato non eſſe*, licet id quidam

Sapientiſſimorum dubitationes & imperfectio in diſcernendo.

Anabaptistæ de se affirment, negentque sibi opus esse orare: *Et remitte nobis debita nostra.* Contra Psalm.32.vers.5.6. De pollutis autem quid Christus Matth.18.7. *Necesse est vt veniant scandala?* Hoc argumento patet, vos esse Anabaptistas, ni velitis esse Donatistæ, & ex eo genere hæreticorum qui Ecclesiam zizaniis carentem requirunt.

XVI.

Delectus inter factiones.

Quod autem attinet ad *delectum inter sectas*, quem negatis esse posse, quod aliqui pendeant ab autoritate, (vt Hippocratici. Galenici, Aristotelici, Paracelsici, &c.) aliqui ducantur ratione vera, & experientia, id facile dilui potest. *Christiani* dicimur *à Christo* fidei autore. Qui ab authentici & non fallentis doctrina pendet, is & autoritate vtitur optima, & principiis infallibilib. est munitus. Hoc in Theologia.

Quod autem attinet ad nomina, quę trahuntur ab insignibus autoribus aut factionibus, de quibus Paulus 1. Corinthiorum 3. vers. 4. Non est idem de omnibus iudicium. Istis temporibus cum minus esset hæresium, ab vno capite, C H R I S T O, omnes oportebat appellari: sequentibus cum Christiani in doctrina dissentirent, & sequerentur suos autores, nomina diuersa sunt exorta: ea vero probata, quorum doctrina esset orthodoxa. Itaque Ariani hoc ipso nomine reiiciebantur, Catholici probabantur. Hodie Lutherani contra Pontificios, & Caluinistas distinguuntur, orthodoxi contra cacodoxos, ne sub vno nomine Christianitatis decipiemur. Magna ciuitas (Imperium Rom.) in tres partes est diuisa, quas oportet discernere.

In *Philosophia* rationem & experientiam præferendam esse autoribus non canonicis quis dubitet? Sed in hoc hæret controuersia, *quænam sint RATIONES veræ, & principia immota, quæq; experientia syncera.* Paracelsistæ, præsertim illi, qui imposturis suis innotescunt, vt *Scheuneman, Craman*, & cæteri, Peripateticas, & Galenicas disciplinas magno quidem, sed pariter stulto stomacho fastidiunt, putentque se rationum veritate & experientia excellere: sed cum ad rem ventum est, nihil demonstrare possunt. Itaque vt perfidi Iudæi contra C H R I S T V M, ita ipsi contra veteres disciplinas fulmina maledictorum effundunt. Vobis etiam atque etiam videndum est, vt veritatem & experientiam vestram syncere iudicetis, nec specie falsa decipiamini.

XVII.

De recta & certa regula fraternitatis

Argumentum XIV. Petitur principium vt prius. Probate liquido, & sine sophistica apud vos rectam normam veritatis, & principia refutabilia existere. Tunc gratiæ sequentur. Si consideramus superiora argumenta, falsa inuenitur gloria vestra. Quibus enim principiis *spiritus allicitis, & omnia in mundo quasi in momento cognoscitis?* Magicis scilicet Simonis, Apollonii, Tritemii, & similium. An putatis nos ignorare ista, & non intelligere prætextus vestros vanos?

XVIII.

De felicitate nostri seculi.

Argumentum XV. Felicitas seculi nostri non æstimanda est societatis vestræ exortu: sed Dei cognitione, & aliis, de quibus passim in Euangelio. Felices oculi, & aures nostræ, quia vident, & audiunt Apostolica. Et si non viderent, tamen quia corde fideli creditur, beatitudo concernitur. Vide Matth.5. per 11. versus. cap.11.6. cap.13.16. Ioh.20.29. Rom.4.7. Ps.31.1. O felices nos, quos D E V S ex tenebris Babylonicis & Ægyptiis extraxit, & sapientia diuina, humanaque ditauit, *si permanemus in Dei bonitate, & substantiam vsque ad finem custodimus.* Vt autem hanc felicitatem vestræ reformationi iure possitis asscribere argumentum firmum, & immotum debetis producere. Aliàs dicemus: *O felices & beatos eos, qui non ingressi sunt societatem de Cruce Rosea, quia tota est magica, & impura, sapitq; Anabaptisticum singulare genus ex Paracelso, Arabibus impiis, & Mauritanis execratis.* Hæc principia vestra ex libris vestris colligimus. Quantum historia & cursus mundi cum vaticiniis probat, tempora nostra non multum habent felicitatis, nec ante iudicium vltimum vlla est expectanda. Qui à Domino, veraque patria peregrinatur, & fluctibus aduersitatem iactatur, vt militans Ecclesia, quomodo potest gloriari de felicitate tali, qualem vos proponitis. Ita *Paulus* Rom.7.24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nam nos in seculo longe deteriore erimus immunes à corpore huius mortis, & lege membrorum repugnante legi mentis? Si non, quomodo à stipendio peccati, & cruce? sedeat aliquis in palatiis vestris cum conscientiæ morsibus, quantæ erit beatitudinis?

Nostrum seculum infelix.

XIX.

De viris vrgentibus omnium reformationē. An diuino consilio agatur societas.

Argumentum XVI. Qui sunt illi viri, qui reformationem vestram vrgent, nisi qui nouarum rerum, & emergendi studio omnia versa cupiunt? Ex Paracelsi fece *Scheuneman* optat Galenica ad orcum mitti, nec alia mente *Haselmejerus* iussit vos venire, vosque ipsi totam Philosophiam immutare Theologiæ defectus farcire, vt Politias ad *Magorum in Damear* formam componere desideratis. Hi sunt illi multi viri excellentes. Veruntamen etiamsi quid melius in moribus proferre possitis, quod nec nobis difficile est, si principia spectamus, an non satius sit cibo consueto, licet deteriore paulo, vti, quam insueto naturam obrutam pessundare? D E O gratias agamus, ꝙ aliquam Rempublicam habeamus, sub cuius vmbraculo paruulus *Christi* grex, & bonæ artes possint tutæ esse. Ad prolepsin quod attinet, requirimus vocationis vestræ diuinæ certitudinem. Non enim ideo Domini erant Monasterienses, quia D E I autoritatem & reuelationes prætendebant.

XX.

XX.

Argumentum XVII. Humiles extollere, superbos de gradu deiicere pridem fuit praxis DEI. Quid hæc ad vos, nisi agitamini Munsteriano & Anabaptistico spiritu? Agnoscimus verba seditionis Anabaptisticæ & rusticæ. Propter tumultum, qui se ad vos aggregabit eo nomine, vt magnates deiiciat, & rusticos extollat, seditiosus est. Probate de voluntate DEI tale quid vobis incumbere. *Humilium elatio superborum deiectio.*

Si quem autem *Deus* ex puluere terræ erigit, & de stercore exaltat, iuxta Psalmum 113. 7. 8. mirum est, quam ringantur Paracelsistæ. Itaque nuper *Craman* pastoris, qui sua statione relicta ex carcere in Paracelsiam inuolauit, filius, *Libauio* humiles natales acerbissime exprobrauit, vsus ad hoc nebulone quodam, cui sua latinitas mirifice placuit. Sed genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto. Humili conditione fuerunt parentes *Libauij*, sed absque crimine. *Libauius* autem qualis ipse hactenus fuerit, & adhuc sit, boni viri non ignorant. Societatem Roseam apparet aliter affectam esse, & scurras istos veris flagitiis infames detestari.

XXI.

Vtinam hic fuissetis prorsus muti. *Fingere missiones, & colloquia angelorum est fanaticorum Enthusiastarum.* Melancholici viri, qui scilicet crassa, frigida, fixaque melancholia laborant, aut morosa, satis sunt taciturni, & soliuagi: vt & inter Anabaptistas TACENTES dicti. Sed vulgo iactatur, *caput melancholicum esse Diaboli balneum.* Diligenter ergo discernite spiritus malos, & bonos, quorum sæpe ingenia illi simulant. Si Magiam *Paracelsi* profitemini, iam palam est, quos angelos in colloquia admittatis, & vobis mitti fingatis. *Boni angeli Dei, & bonorum sunt ministri*, nec quicquam contra reuelatam Dei voluntatem agunt. *Mosen habemus, & Prophetas cum Christo & Apostolis.* Hos audiamus. Apparitiones spirituum flagitare, vt *Liber Arbatel*, & Magi faciunt, lædit pietatem, & in DEI fiduciam, ordinariamque vocationem. An ignoratis vos, sic conformari illis Paracelsistis, & Chrysopœis, qui Diabolos adiurarunt, vt de arte responderent? Sic sagis *Artepbio, Techelli, Tiridati, Zythoni, Scoto, &c.* Spiritus suos bonos esse dicentibus, cum tandem pessimos sint experti.

XXII.

Argumentum XIIX. Mira promittitis. Quæ est illa euectio omnibus hominibus altior in seculo? Beatus & celsus ille est, quem *Christus* exaltat. At is in hoc seculo est professor humilitatis. *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, vt sapiat. Sic qui vult exaltari, humilietur.* 1. Corinthiorum 3. 18. Vide 1. Corinthiorum 4. vers. 9. & sequent. Luc. 1. 48. 52. capite 18. 14. Matthæi 23. 12. 1. Petri 5. 5. 6. *Altissima euectio in fraternitate.*

Illud quoque estis monendi, quod *Christus* dicit Luc. 18. vers. 17. & Matthæi 18. vers. 3. 4. *Quicunque humiliauerit se sicut puerulus, hic maior est in regno cœlorum.* Itaque cum cæteræ societates per humilitatem in cœlum contendant, mirum est vos tam altum spirare, vt etiam hyperbolis non abstineatis. *Christus* dicit: *Eritis odio omnibus hominibus: vos: eritis altiores omnibus hominibus.* Quid? Num etiam Cæsaribus, quibus tamen vos submittitis? Si reformatio vestra vniuersalis erit per totum mundum, vbi illa comparatio? Aut si in societate sunt docti, indocti, laici, Ecclesiastici, omnesque pariter sublimes: Ita de pueris, fœminis, famulitio, saltem Magister ordinis excellet. *Qui maior est in vobis, fiat minor, & minister aliorum.* Luc. 22. 26. Eritis celsiores omnibus hominibus, fere conuenit cum illo Sathanico, *Eritis sicut Dij.* Si secularem felicitatem non iactaretis, poteratis in vera humilitate & pietate altissimi esse, sicut de Iohanne Baptista *Christus* dicit, quod non fuerit maior inter natos mulierum. Oportet abesse tamen hypocrisin, ne cum seruum seruorum te dicas, re sis Dominus dominantium, & superbissimus omnium.

XXIII.

Argumentum XIX. *De chrysopœa recte dicitis, non opus esse ea in omnium bonorum copia, & tantis thesauris, vt nunquam possint deficere.* Veruntamen cogitandum est, si vestra societas omnes homines in toto mundo ad se verteret ea cum tranquillitate, vt citra omnem molestiam viuant omnes, an non futurum tandem, vt egeatis? His aurificium & argyropœa remedio erit, nisi thesauros maris, & terrarum magia vestra eruetis. Quo vero præsidio arcebitis morbos, & sanabitis καθόλου? Negatis vestros ægrotare posse, vt sic medicina non indigeatis. Hoc si verum est, nihil in vos poterunt elementa, cœlum, & omnia illa entia morborum, quæ *Paracelsus*, & sequaces commemorant, id quod *Saturnio seculo & Paradiso* conuenit. Paracelsistæ longæuitatem promittunt vsu suæ tincturæ, quam etiam patribus longæuis fuisse mentiuntur. Verum non multa sunt exempla eorum, qui sine morbis decesserint. Vosne priuilegium habeatis, an non tempus docebit? *Paracelsus, Craman, Scheuneman,* &c. non possunt de hoc gloriari, vti nec qui Panaceam *Ambaldi* vsurparunt. Multos audiuimus, qui negarunt se ægrotasse: verum illi non meminerunt morbillorum, & variolarum, tandemque lethali morbo correpti interierunt. Ad Macrobios & Indorum sapientes, quod attinet, vetus fama est, nec in multis nostro æuo tale quid reperitur. *Non ægrotare.*

Sed frustra laboramus cum his colloquendo, qui vitam extra mundanam potius describunt, quam secularem.

XXIV.

Aurificium non semper notitiam naturæ afferre aduersatur omnium Philosophorum de

Magisteriũ magnum lapidis, perfectum dictũ, num naturã ostendat.

lapide sententiæ: Etenim lapidem ad imitationem naturæ mineralis, vegetalis, & animalis fabricare docent, eademque declarant, & totius naturæ cognitionem etiam nudam inde colligunt, vt est apud *Sedinuogium, Drebelium,* & alios. Vt ergo verum sit effatum societatis, intelligendum est, apud quosdam, qui sunt hebetioris ingenii, id fieri. Apud solertes semper naturæ indicia, & præclara argumenta habet. Supponi autem artificiosam præparationem manifestum est.

XXV.

Medicina ex natura. Matt. 9. 12.

Naturam afferre medicinam cum arcanis infinitis crediderim: at quid vobis hoc profit, qui non finitis ægrotare vestros, non video. Scitum est illud Saluatoris: *Sani non indigent medico, sed ægroti.* Neque frustra Medicum, & medicinas creauit DEVS: Syr.38. sed propter ægrotos. Itaque in Paradiso, vbi *arbor vitæ est*, temere quæras medicinam. Quod enim Apocalypseos 22. versu 2. dicitur, *de ligno vitæ afferente fructum ad sanitatem gentium*, spiritualem sensum habet.

XXVI.

Vera ars lapidis & libri genuini. Phil. 3.7.8. c.4.11. Act. 8. 20.

Argumentum vigesimum. *Apud societatem vera ars lapidis inuenitur, & discitur discrimen librorum, in quibus proponitur.* Ergo eius membra fieri studeamus, præsertim cum etiam thesauri magni promittantur. Credo plurimos esse, qui hoc argumento moueantur. *Deum* enim *seculi ventrem*, & *Mammonem* plures venerantur, quàm *Deum* verum & *Christum*. Qui vero ita sunt affecti, vt *Paulus*, contemnunt vestros lapides & thesauros, audetque *Petrus* dicere ad Magum: *Aurum & argentum non est. Pecunia tua sit tecum in perditionem.* Et ad *Claudum*: *Aurum & argentum non est mihi.* Supra recitauimus *Christi* de diuitibus iudicium, quod explicat *Paulus* 1.Timoth.6.9. Considerate ergo, fratres, vos talibus rationibus hominum fecem, & sterquilinia potius allecturos esse, quàm prudentes & cordatos. Aut sapientia respicitur, aut bona secularia. Illa sine principiis & fundamentis iactatur à vobis potius, quam probatur. Hæc contemnuntur ab iis, *per angustam portam* & viam ad cœlum contendunt. Expectant enim *fundamenta habentem ciuitatem, cuius architectus est Deus.* Ebr.11.v.10. Hactenus de argumentis.

DE VIA AD SOCIETATEM.

XXVII.

Duo hic proponuntur: Vnum est de his, qui, etsi velint, tamen non possint accedere, & si per vim moliantur aditum, cum suo magno malo id sint tentaturi: alterum est de aptis ad fraternitatem, & viam tenentibus, vel inuenientibus: priores absterrentur verbis minacibus partim, partim simpliciter negatiuis. Ex eis quidam dicuntur esse *simulatores & exploratores insidiosi,* qui sane sunt ministri impressionem in palatia sociorum meditantium: Quidam inhiare bonis secularibus, vtpote aliud querentes, quàm sapientiam, nempe rapinam thesaurorum &c Publice protestantur socii, negantque se posse manifestari, prodi, perdiue *sine Dei voluntate.* Postea pœnam violentis denunciant, quod scilicet ἡ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη sit futura: *Consilia contra nos* (inquiunt) *ipsis autoribus erunt perniciosa, nobis thesauri nostri manebunt integri, donec* LEO *veniat, & eos pro se poscat, & occupet ad stabiliendum suum regnum.*

P.82.68. P.68. P.69. NB. LEO, rex, regnum, in fraternitate, vel potius per eam affectans.

XXVIII.

Supra nebulis tegebantur, ne possint inueniri. Non ergo opus est aliis argumentis, nec minis vllis. Genes.19.11. *Sodomitæ* cœcitate percutiuntur, vt nequeant ostium domus *Lothi* inuenire. Dissipantur itaque temeritate ausus. Satis est, si tale quid etiam viam affectantibus ad mansiones fraternitatis contingat. Supra proponebatur discretio dignorum & indignorum. Facile fuerit excludere indignos, & abigere. Quod si etiam, vt *Brenni* exercitus, sunt affligendi, autor pœnę *Deus* quidem fore innuitur, sed de executore quæstio manet. An autem ipsi sua magia procurabunt mala quærentibus? Ita videtur: Possunt per *homunculos cereos* lædere, & interficere quoscunque volunt. Poterunt *excantare, & fulmina, tempestatesq́; elicere*, & in violentos immittere. *Hannibal* à Roma arcebatur pluuiis (magicis.) Alii hostes RISV *Iouis ridiculi.* Simon Magus nihil impossibile sibi esse putabat. *Crollius* eodem contendit in Præfatione *Basilicæ. Paracelsus* incudes ferreas diuidere sua magia confidebat. Vno flatu ergo insidiæ fundentur.

Magi non vtuntur DEO defensore, sed tantum permissore.

XXIX.

Magorum cognitio.

Vnde vero scient, qui sint insidiosi hypocritæ, & exploratores? Responsio est facilis. *Spiritus* asciscent, & ab his erudientur. Ita & sapientes viri, & sagæ à Dæmone suo expiscantur quæsita. Est alius modus per *Astrologiam*, qualem proponit etiam quidam Medicus de iudicio vrinæ non visæ, & *Genethliaci*, qui totam vitam hominis explicant, quanquam ignorent fata sua.

Modus

Modus tertius est per *specula constellata, Berillisticam, Crystallisticam &c.* Quartus per *varias sortes*, & diuinationes. Quintus per *lectionem occultarum scripturarum.* Sextus per *Enthusiasmum*: Septimus per *imaginationem fortem, fidem, & directionem spirituum*, quo etiam cogitationes & affectus innotescunt: Octauus nominabatur in superioribus, nempe *iudicium & dignotio per regulas societatis*, quæ quales sint, nos latet. Magicas & Cabalisticas esse, consentaneum est, quod Paracelsici his artibus plurimum tribuant. Vide in Tom. 10. de Philos. adepta Parac. *Scientenam, sapientenam, inuentuatam, doctrinatam, astrales, &c.* Sed ego non putarem, opus esse aliqua pœna, aut minis, postquam innotuissent prædones. Si enim Magi possunt mentes & affectus mutare, ex lupis repente fecerint oues. Sicut Circe ex viris porcos & asinos aureos Apulei: hoc est: ex truculentis mites. Tale quid & *Spiritus Sanctus* in *Saule* & *Ptolemao* procurauit. DEI simia est *Diabolus magorum Deus.* *Mira artes Paracelsi.*

XXX.

Ad Thesauros quod spectat, eos aliquoties liberalissime omnibus offerunt, & alicubi *Imperatori Romano*, Pagin. 64. & 78. & 15. At iam seruantur cuidam *Leoni, qui rex sit futurus, regnum excitaturus, idq; Thesauris stabiliturus. Paracelsi* id somnium est, quod & Haselmeierus admiratur. Quis autem hinc non colligat, seditiosam esse societatem, & consilia agere turbandi per vim mundi, quo modo & alibi dicebant, se thesauros iustam causam fouenti ad debellandum aduersarios collaturos esse? Occurrat nobis historia regni Anabaptistici olim in Westphalia, vbi Rex erat *Iohannes Leidensis.* Monenda est fraternitas, vt sibi à talibus temperet. Quid enim aliud efficiet, quàm vt mature opprimatur?

Nos opinamur, id quod de Leone ab Oriente & Septentrione Cabalistæ & Magi garriunt, non sumtum esse ex principiis propriis, seu ex Esaiæ capite quadragesimo primo, versu vigesimo quinto: *Suscitabo à Septentrione, & veniet ab ortu solis. Is prædicabit in nomine meo. & ibit super Principes quasi super lutum, & sicut figulus conculcat limum.* Hęc de *Cyro* vastaturo Babylonicam Monarchiam dicta spiritualiter de *Christo* iuxta varia Scripturæ axiomata. Sed Anabaptistæ & stolidi Paracelsistæ ad sua somnia liberaliter trahunt.

XXXI.

Quæ de *DEI voluntate* proferuntur, quasi Paradysi status paulo ante mundi interitum sit reuersurus, DEVSque velit societatem Roseæ Crucis generalem reformationem suscipere, quam ob causam etiam diuitias, & alia præsidia ei sit largitus, velitque nubibus, aut nebulis tectam à violentia securam & immunem esse, probari non possunt. Extant autem istis similia, ni sint eadem apud *Paracelsum*, qui ex astris reuolutionem, reformationem, aureum seculum, Paradisum nouam, & alia cum suæ doctrinæ flore circa annum 58. (aliquibus 1558. aliàs 1638.) prædicere voluit, vti & *Leonem à Septentrione* commentus est cum aliis nonnullis, quæ *Iohannes Wolffius* in suas Centurias transtulit. Apud *Danielem* capit. 11. vers. 44. *Oriens Aquiloni iungitur.* Leo itaque ille ab vtraque plaga venturus esset, si seculariter, & non spiritualiter intelligendum foret vaticinium. Hispaniæ vates suo Regi ex cœli reuolutione Monarchiam promittunt. Leo hic ab Occasu esset. Quidam ei deputant *Thesauros Paracelsi*, quos in Præfatione *Tincturæ Physicorum* repositos esse *Weida in territorio Forojuliensi* scribit. Fratres de Cruce Rosea iam omnibus ad se accedentibus destinant, iam Romano Imperatori, iam Leoni venturo. Quid ergo futurum sit, incertum est, nisi fortasse temulentus *Paracelsus* inter stertores ebrietatis vidit Turcam & Persam fore caput Christianorum ad fidem conuersum, & viso temulentiæ respondet euentus, sicut Deuter. 13. Prophetæ impio signum. Videntur fratres sua ex *Paracelso*, non ex DEI voluntate hausisse. Vbi enim est Rosea crux in Euangelio? *De spinosa Christi legimus, non de rosea* omnium bonorum abundante.

Tom. 6. p. 364. de tinc. Phys.

Leo Danielis: ante Esaia

Thesauri Paracelsi.

XXXII.

Diximus de his, quibus via ad fraternitatem non patet, & poteramus addere nonnulla. Nam qui omnes omnino homines accersit spe maximorum bonorum, & reformationem totius mundi generalem proponit, is neminem excludere potest, nisi fraudulenta sit vocatio, aliudque animo spectetur, aliud verbis prætendatur. Comminationes itaque, nebulæ, pericula, defensiones, &c. temere ratione generalis instituti commemorantur. Quod si quidam nolunt venire, & contemnunt societatem, vel etiam impetum in eam facere cogitant, id quidem ab accidente est, veruntamen si cœli reuolutio & restitutio Paradisi est in hoc seculo necessaria; qui poterunt resistere? Vide apud Maiolum, qua arte Magi pericula declinauerint.

Mat. 22. Nuptiæ parantur filio regis: sed inuitati non sunt iis digni, quidā etiam iniurii in ministros male mulctantur.

XXXIII.

Verum de via. In fama monstratus est modus quidam, quem etiam obseruarunt nonnulli. Iussi enim scripto suam mentem aperire, quod futurum sit, vt facile ad societatem id perueniat, indeq; sequatur responsio ad votum, & susceptio paruerunt, & tum literis peculiaribus, tum in reparatione ædificii *Palladis Atheniensis* promtitudinem suam declararunt. *Prima via ad societatē, petitio per scriptum.*

Hæc

Hæc ergo vna via est, per quam literatis monstratum est *ostium*, per emissarios, & exploratores scilicet, qui literas ad societatem deferent, & internuncii erunt.

XXXIV.

Via II. Bibliorum lectio, (sed cum sensu Paracelsico, Magico, Cabalistico) Aurea secula.

Alia vero extat pag. 74. vbi ***qui sacra Biblia sibi commendata habent, dicuntur fratribus esse pene pares & vicini.*** Si quis ergo sacræ Scripturæ est gnarus, is per eam ad palatia societatis contendere poterit. Sed hæc via videtur fictitia esse. Nam Scriptura non ducit ad somniatum Paracelsi aureum seculum, siue illud sit poeticum, siue Babylonium sub Nabucadnezare, siue Turcicum, siue Chiliasticum, siue terrenæ Paradisi: sed ad passiones & crucem huius mundi propter confessionem doctrinæ, & fidei de *Christo*, per quam iter est non ad seculares delicias, sed ad regnum æternæ beatitudinis Electorum DEI filiorum. Sane ipsi fratres sentientibus, & spinis hanc viam clauserunt, dum scribunt, ***sibi non esse in ore frequentia Biblia ne vilescant.*** Pii videant dicta Matthæi 10.38. capite 19.21. Actorum 14.21. Roman. 8.17. 1. Corinthiorum 4.9. & sequent. Ioh. 15.18. & sequent. Philipp. 1.29. 1. Thessalonic. 3. vers. 3.4. 1. Timoth. 4.10. capite 6. vers. 7. & sequen. 2. Timoth. 1.8. cap. 2.11.12. Ebr. 11.25.26. capite 12.6.7.8. (***Si extra disciplinam estis, spurij, & non filij estis***) Iacobi 2. vers. 5. 1. Petri 2.21. capite 4.13.17.18.19. 1. Iohann. 2.15. In his nihil est de mundanis deliciis, thesauris, celsitudine, copia, & aliis, quæ societas promittit, quasi voluptas ***Herculi.***

XXXV.

Via III. per Paracelsi scripta & mores.

Tertia via, eaque proxima, est per *Paracelsi* scripta & sententias. Hanc monstrant fratres, dum in fama scribunt, ***Paracelsum non quidem fuisse de societate, veruntamen magni mundi librum diligenter legisse.*** Si item intuearis positiones fratrum, nihil fere aliud videas, quam *Paracelsi* placita de Magicis, Cabalisticis, Astrologicis, Chiromanticis, & aliis. *Paracelsi* est ***Harmonia seculorum*** macro- & microcosmica: Eiusdem est vaticinium de reuolutione mundi, aureo seculo, & Paradisi paulo ante finem restitutione: Eiusdem de Leone quodam, de aurificio, & thesauris, multisque aliis, quæ fratres profitentur eodem modo. Vide quæ huic analysi præmisimus. Lege & Crolliana, omniumque Magorum historias, cum Tractatu Schlusselburgii de Anabaptistis.

XXXVI.

Via IV. per macrocosmicas literas.

Cui datum est, scribitur in confessione pag. 68. ***magnas literas & characteres scriptos in ædificio cœli & terræ, per Politiarum, regnorumque mutationes subinde renouatos inspicere, & ad sui informationem accommodare, is iam noster est, licet ipse ignoret, scimusq; quod hic nostram vocationem non sit spreturus, &c.***

Hæc verba non tantum viam monstrant, sed & possessionem ipsius arcis, quanquam adhuc supersint ritus susceptionis euidentis, & professionis manifestæ. Illa vero esse Paracelsica, liquidum est. Non enim videri vult *Paracelsus*, sua decreta aliunde sumsisse, quã partim ex libro gratiæ, seu Scripturæ, partim naturę. Itaque & *lumen naturæ* crebro appellat, & scripta Philosophorum, Medicorum, Chymicorumque cęterorum, licet sine illis ne literam quidem *sciret*, tamen repudiat, *omnesque se Monarcham sequi iubet.* Talis est hodie *Scheuneman*, ***Craman iunior***, & inuectiuarum scriptores nebulones, qui nobis exprobrant scholas, sine quibus tamen ipsi ne ***vnum*** quidem literarum nossent, & quarum, vt aliquid cum laude essent, quanto redimerent? Patres ingeniorum, & virtutum *Scholasticas vocant vulpeculas*, ipsi interim per fraudes, & impostorias fanationes vix victum emendicantes, aut *furantes*, qui victus si confertur, non alius est nisi opinione literarum, quas ex scholis attulerunt, tametsi in fraudem adhibitarum. Sic ***Crollius*** quoque ***Atheniensium*** & ***Scholasticorum*** probro Academicos Doctores exibilauit, indignus, qui vel in schola, aut Academia locum haberet honestum. Quocirca qui socius fraternitatis esse vult, Paracelsista esto, & per ***Paracelsi*** libros palatia plus quam regia cum thesauris, aliisque bonis petat. Si iam Paracelsistæ sunt genuini fraternitatis, &

Paracelsi dogmata vnde. Paraelsistæ infesti sunt scholarum Professorib. quorum nec doctrinam, nec dignitatem possunt obtinere. Si Professores scholastici sunt vulpeculæ, Paracelsici scholis indigni sunt asini arcadici, & sues Mineruæ oggrunnientes.

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se,

patet, qualis sit futurus, qui recipietur in fraternitatem. Quid si spreta hac societate ex eodem puteo *Paracelsi* alia animalia prodeant, & nouum collegium excitent?

XXXVII.

Suauis pollicitatio fraternitatis.

Additur capiti quasi viæ, sires quædam suauissimæ vocis. *Non debet* (inquit) *is, qui accedit, vllam timere imposturam. Etenim promittimus, & publice dicimus, quod nullum sua spes, & animus candidus, syncerusq; sit falsurus, qui sub sigillo* SILENTII *suum nomen ad nos deferet, & nostram conuersationem petet, &c.*

Mores Paracelsi & Paracelsistarum improbi per totam Germaniam noti.

Fistula dulce canit, inquit Cato. Si professio est vel tota Paracelsica per essentiam, aut Paracelsicæ affinis, quid sperandum sit, apparet. Mores *Paracelsi* & Paracelsistarum iam sunt notissimi. Legatur saltem *Crollij* admonitoria, in qua Paracelsismus ad viuum depingitur. ***Dornai*** scripta, *Seuerini*, *Turneiseri*, ***Hartmani, Burggrauij, Goclenij***, & cæterorum, maxime ***Quercetani***, videbantur præ illa esse tolerabilia.

De

De scurræ *Cremani* inuectiuis, vt & *Scheunemani* furiosi intemperiis testantur ipsorum maledicæ chartæ.

XXXVIII.

Quorsum autem vrgetur silentium, si omnes aduocantur, & omnibus Thesauri offerantur, futuraque est vniuersalis reformatio totius mundi? An coquenda sunt noua consilia, & conspirationes clancularıæ, quibus opus est silentio faciendæ? Videte fratres, ne hoc totam vestram societatem reddat suspectam. Nouimus inter Anabaptistas esse TACENTES dictos. Si opus vestrum ex DEO est, vti indicatis, reuelandum est, & confitendum iuxta *Raphaelis* sententiam. Tob.12.v.7. Ad gloriam enim DEI publice prædicandam spectare debet, & proximi commodum promouere. Sed estote *Pythagorici*, aut similes hæreticis quibusdam *silentiariis*, & *passalorhynchitis*, quando ita vultis. Veritas est lucis filia. Ioh.3.21. Et *Christus* alia præcepta dabat suis discipulis. Matth.10 v.27. nec quicquam opertum esse dicebat, aut occultum quod non sit reuelandum. *Vt filii lucis ambulate*, inquit *Paulus* Eph.5.8. *quæ in occulto fiunt, turpe est & dicere*. v.13.

De silentio sacro.

De passalorynchitis in Antyna Vide Baron. ad ann. 373. sect.34.

XXXIX.

Tandem vt absoluamus iudicium Confessionis, Pag. 81. mentio fit quorundam in societatem quidem (ita enim sensus verborum videtur esse) receptorum, sed auri splendore excæcatorum, vel qui iam quidem probi sunt, sed insperata tot bonorum consecutione facile possunt corrumpi, ita ad otia se vertant, & luxuriose viuere velint. Hos rogat societas, ne suo clamore intempestiuo ipsam turbent, (quæ tamen verba sic sonant, quasi ex societate sint eiecti propter studium ventris, & otia, ob quæ negata male loquantur de fraternitate, vt fieri solet.) Sicut enim *si panacea sit, qua possunt omnes sanari, qui tamen decreto diuino, vt morbis affligantur, & in seculo sub virga detineantur, nunquam consequi valeant sanationem: ita licet possit totum mundum ditare, & doctum reddere, & infinitis malis liberare: tamen negat se posse vlli homini vnquam sine singulari Dei dispensatione, seu prouidentia reuelari, &c.*

Socii seu fratres pigri ventres.

Hæc verba viam monstratam ex amplissima faciunt angustissimam, & pene etiam nullam. Nam si non patet accessus ad fraternitatem, nisi singulariter DEO procurante, & volente; non autem vult DEVS magos adiri, sed seuere eorum conuersationem prohibet: nemo pius, & DEVM timens poterit se ei adiungere, relinqueturque via tantum impiis, quos DEVS permittit iusto iudicio in errores ruere. Deinde quorsum aduocantur omnes ad Thesauros? Cur reformatio generalis promittitur? Quæ ista erit Paradisus? quod aureum seculum? Si DEO ita estis curæ, vt sine singulari eius gratia vos nemo possit inuenire; frustra timetis exploratorum insidias, & violentiam raptorum.

Fratres totũ mundum ad se vocant, vt reformetur: sed interim prætextu diuinæ voluntatis excludunt displicentes.

Illud ergo longe mirabilius est, *Deum* in Euangelio veram viam ad cœlum omnibus fusissime ostendere, nolle vero aliquos ad vos seculares non accedere: Item *Deum* vobis præcepisse, vt deletis omnibus erroribus veritatem doceretis, & totum mundum in ordinem redigeretis, aureo seculo reducto, inuidere autem hanc fortunam nonnullis. De Thesauris sane occupandis accipi hæc prohibitio non immerito possit. *Nolite vobis thesaurizare thesauros, Christi præceptum est* Matth.6.19. *de terrenis*, cap.5.14.15. *Vos estis lux, &c. Non potest ciuitas, &c.* Vide textum totum.

XL.

Scripsi hæc fratres, non vt vos læderem, aut diuinæ benignitati, voluntatique, & commodis seculi me opponerem, vel vobis bona vestra inuiderem. *Quid enim posset mundo euenire optatius, quàm Paradisi terrenæ restitutio, pax, securitas, & peccati, maledictiq. priuatio, cum tanta summorum bonorum beata fruitione.* Ex tali seculo nullus vellet migrare, & ad iudicium venire, sed in campo Elysio potius ευφραινόμενος, & voluptatibus perfrui, præsertim vbi arbor vitæ morbos & mortem arceret: sed hoc fuit consilium, vt tum vos monerem, sicubi aliquid incautius pronunciassetis, tum alios, ne improuide dictis statim fidem haberent. Hoc enim vobis persuadeatis, *si Paracelsi commenta proponitis, nunquam fore id quod vel instituitis, vel speratis.*

1. Tim.5 6. Vidua in deliciis versãs (σπαταλῶσα) viuens mortua est.

Vanitas enim Magiæ & Cabalæ Paracelsicæ nimis iam innotuit, vt hi, qui *Paracelsum* sequuntur, *apud omnes sapientes male audiant*. *Paracelsi* laudes vide apud *Maiolum* Tomo 2. Colloqu.3. pagin.275. vbi nec pietatis quid, nec sanæ mentis in eo fuisse, *demonstratur. Agyrta quoque nequissimus, & os impurum nominatur, quod iudicium conuenit cum Imperatoris Ferdinandi, Cratonis, Iulii Alexandrini*, & aliorum infinitorum sententia, & confirmatur turpitudine magicæ professionis eiusdem, nec maioris æstimantur sequaces apud non delirantes, exceptis qui sine contumelia Philosophię Peripateticæ, & Medicinæ Galenicæ hactenus Paracelsica agnoscunt, quatenus cum demonstrata veritate conueniunt, vt sunt Hermetici illi, qui chymica artificia amant, & eius disciplinæ vocabulis non raro etiam differunt, & symbolico quodam modo iuxta consuetudinem veterum sapientum in magisterio magno docent, Hermetici, Socratici,

Paracelsus ob vanitatis magicas, furorem in omnes Philosophos & medicos, inconstantiam, vaniloquia, falsas tincturas medicationes non respondentes promissis, & cum suis discipulis damnatus.

Socratici, Hippocratici, dogmatici iuxta ac Empirici, qui non vident, quis dicat, sed quid dicatur, quanquam non omnes sint pari iudicio. Talem *Quercetanum* fuisse, scripta posteriora contestantur. Cum his non acerbe contendimus, etiamsi in aliquibus dissentiant à nobis. Neque enim hoc amicam concordiam tollit, quę est animorum coniunctio: Et quando tandem in hoc seculo futurus est omnium in Philosophia totalis consensus? Paracelsistæ vero improbi, magi, Cabalistæ, nectromantes, & similes, quia à suo *Paracelso*, & mendacia, & contumelias didicerunt, non sunt sine nota grauiore taxandi. Hi etiam rabie plus, quam canina latrant conuitia. Nihil enim melius didicerunt. Itaque etiam suos aduersarios non aliis argumentis redarguunt, quam conuitiis & furiis, quibus etiam impudenter perorant in *Plinium*, *Galenum*, *Aristotelem*, &c. vt *Craman*, *Scheuneman*, *Hartman*, & similes. Sic *Erasto* omnes insultant: At eius antiparacelsica quis refutare potuit?

Erasti scripta commendantur.

Finis: DEO Gloria.



